FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

HIER. ZANCHII || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD || AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS, QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Haardt, 1593

VD16 ZV 27950

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561

Visual Library

FRANCKESCHE STIFTUNGEN

N. 111. D.

110 - B - 8.

HIER. ZANCHII
MISCELLA-
NEORVM
Libri Tres.

AD

AMPLISSIMVM SE-
NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-
SIAS, QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ
profitentur Religionem: Belgicam, Gallicanam,
Anglicanam, & ad fratres Italos.

Tertiùm nunc editi cum noua quorundam acceßione ad ea, quæ in ßecunda editione addita fuerunt: vt ßingula ßequens folium in totius operis diſtributione indicabit.

Philip. 1.

Mihi viuere, Chriſtus eſt: & mori lucrum.

NEAPOLI PALATINORVM
EXCVDEBAT MATTHÆVS HARNISIVS,
ANNO M. D. XCIII.

DISTRIBVTIO TOTIVS OPERIS.

Libro primo insunt hæc.

I. *Epistola ad Philippum Maiorem Lantgrauium: in qua historia prioris dissidij Argentinensis, quod à Iohan. Marbachio seniore, accusatione aduersus Hieronymum Zanchium instituta, excitatum fuerat: describitur.*

II. *Epistola ad Iohan. Vvolfium Tigurinum: in qua, & quænam ad Tigurinos examinanda miserit autor, & cur miserit, de singulis ratio redditur.*

III. *Supplicatio ad ampliss. Senatum Argentinensem: in qua articuli aliquot Augustanæ Confessionis: Et Articuli à compositoribus pro concordia conscripti, explicantur.*

Libro secundo hæc.

I. *Theses Zanchio obiectæ, & ab accusatoribus damnatæ; Ab Academiis autem & Ecclesiis, virisq; doctis comprobatæ.*

II. *Academiarum & Ecclesiarum, Doctorumq; Theologorum, de thesibus iudicia.*

III. *Prælectiones, quæ fuerant ab aduersariis suggillatæ.*

De Fine seculi, sex capitibus comprehensa tractatio.

De Perseuerantia Sanctorũ, absoluta tractatio. Tria enim capita, quæ in priori editione desiderabantur, adiecta sunt: Adiecta item primo capiti confirmatio doctrinæ, ex scriptis Philip. Melancht. Summa item argumentorum quorundam, quæ, cùm expectaretur disputatio, autor sibi parauerat.

De libro vitæ.

De gradibus nostræ salutis, & in primis de gratia Dei.

De prædestinatione, in genere: & Sanctorum, capita quatuor.

De impiorum excæcatione, induratione, & ad interitum prædestinatione: quæstiones quinq;.

De Redemtione Ecclesiæ, certitudineq; nostræ salutis ac prædestinationis ad vitam æternam: Cum explicatione vaticinij Ies. 9. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.

De Christo aduocato.

De peccatorum remissione.

De studio Christiani hominis: atque in primis vitandi peccata, seruandæq; legis diuinæ.

IV. *Calumniarum de variis doctrinæ Christianæ capitibus, quorum postremum est de Cœna, breuis depulsio.*

Summa prælectionum, de quibus suprà, certis thesibus comprehensa.

Libro tertio continetur.

Confessio de Prædestinatione, Perseuerantia, Cœna Domini, olim Magistratui Argentinensi Latinè & Germanicè exhibita: quæ nunquam nisi nunc primùm in lucem data fuit: in qua multa scitu dignissima, ex variis Ecclesiæ Argentinensis Confessionibus, Synodis, Disputationibus tempore Buceri habitis, bona fide iuxta ἀυτόγραφα, quæ erant apud Sanctum virum Conradum Hubertum, olim Buceri amanuensem, collecta, continentur.

Confessio de Prædestinatione sex habet capita.

In cap. primo:

Fundamenta continentur, ad doctrinam de Prædestinatione rectè intelligendam, cognitu perneccessaria, & certis thesibus breuiter comprehensa: nempe, de

Dei
- *Sapientia:*
- *Voluntate:*
- *Immutabilitate atque constantia:*
- *Omnipotentia, Actioneq; in omnibus rebus:*
- *Iustitia:*
- *Misericordia,*

De vocibus
- *Amoris & odij in Deo:*
- *Electionis:*
- *Præscientiæ:*
- *Prædestinationis.*

Triplex item prædestinationis definitio.

In cap. secundo:

De æterna Dei prædestinatione in genere. Singulis autem thesibus subijciuntur, primùm demonstratio posteriori: Deinde testimonia sacrarum literarum, Augustini, Lutheri, Buceri.

In cap. tertio:

De Prædestinatione Sanctorum: eadem methodo explicata & confirmata.

In cap. quarto:

De Reprobatione & Prædestinatione impiorum: non dissimili methodo tractata.

In cap. quinto:

De prædicanda hac doctrina: Deq; multiplici huius doctrinæ vsu.

In cap. sexto:

Confirmatio totius huius doctrinæ, ex confessionibus, & Apologia Ecclesiæ Argentinensis: Disputationibus item Buceri, & decretis Synodalibus.

Confessio de Perseuerantia habet capita tria.

In primo cap.

Explicantur hæ voces, Fides, Gratia, Sanctus.

In secundo cap.

Quæ non controuertantur, & quæ controuertantur in hac quæstione.

In tertio cap.

Hæ quæstiones explicantur: prima, De duplici homine in renatis. Secunda, De modo, quo Sancti volentes peccant: Et qui fiat, vt idem Sanctus vir, quod non vult malum, illud tamen agat, eoq; & velit: & rursus, quod vult bonum, id non faciat eoq; & nolit. Tertia, De qualitate peccatorum in renatis. Quarta, An Sancti perseuerent in peccatis. Quinta, An Sancti in fide semel donata perseuerent in finem vsq;.

Confessio de Cœna hæc habet Capita.

I. *De communione cum Deo & Christo.*
II. *De ijs, quæ in Cœna exhibentur.*
III. *De horum omnium vsu.*
IV. *De officijs hominis Christiani in cœna Domini.*
V. *De verbis Cœnæ.*
VI. *Confirmatio doctrinæ ex confessionibus & decretis Ecclesiæ Argentinensis. Vbi contra oralem (vt vocant) & impiorum manducationem, non pauca.*

Accesserunt Orationes duæ.

I. *De aperiendis in Ecclesia Scholis, deq; opera sacrarum literarum studiis cum primis danda.*
II. *De dignitate studij Theologici, in promotione Doctorum Theologiæ habita.*

Item,

Iudicium de dissidio in Cœna Domini.
Theses Analyticæ de vera reformandarum Ecclesiarum ratione, seu de regula Concilij.

AMPLIS-

AMPLISSIMO SENATVI ANTVERP. ET ECCLESIIS, QVAE ANTVERPIÆ PVRIOREM PROFITENTVR RELIGIONEM, BELGICÆ, GALLICANÆ, ANGLICANÆ, & Fratribus Italis:

HIERONYMVS ZANCHIVS

Gratiam & pacem à Deo Patre, & à Domino nostro Jesu Christo P.

NON SVM immemor, amplissimi viri, & Fratres obseruandi, beneuolentiæ erga me vestrę, & honoris quo me affecistis: Cùm post conditionem à magnificis Dominis Leidensibus in sua celeberrima Academia mihi oblatam, quibus itidem hoc nomine non parum debeo, vos quoque non semel & iterum, & per literas, & per nuntios vt ad vos venirem, & istic ad propagandam veram Christi doctrinam meam quoque opellam in commune conferrem, mecum egistis. Vobis persuasissimum esse velim, Domini & fratres colendiss. cur aut ad Academiam Leidensem, aut ad vos non venerim, multis cęteroqui rationibus me ad oblatam istam à vobis conditionem suscipiendam excitãtibus, nihil aliud fuisse in caussa, quàm quòd talem Principem, & talis tantiq; honorificæ M. Principis Friderici Tertij, olim Electoris Palatini Filium Iohannem Casimirum D. M. C L. negligere, aut honestam stationem, in qua me benignè collocauerat, sine bona illius gratia, neque per conscientiam, neq; per existimationem meam vllo modo deserere potui: idque eò minus tum potui, quòd & Schola, quanquam recens instituta, pro qualitate tamen loci erat frequentissima: Et, si discessissem, vnum tantùm in ea reliquissem Theologiæ Doctorem, eumque haud firma valetudine præditum. Iustissimam hãc fuisse excusationem meam, inter viros bonos & prudentes, qui non dicturus sit, credo fore neminem. Neque dubium est, quin tam quod factum non est, quàm quod factum est, totum hoc diuina prouidentia ita temperatum fuerit, vt secus fieri non potuerit: quemadmodum & Scripturæ docent, & euentus comprobat, & nonnulla, quæ consecuta sunt, pia opera manifestè confirmant. Suo quæque tempore, & loco, & modo, quibus vt fiant definitum est; tandem vt confiant, inuitis etiam inferorum portis, necesse est: idque propter salutem Electorum & propter gloriam regni Dei. Quid autem Christiano homini suauius, iucundius, vtilius: quàm bona conscientia ita tuam traducere vitam, & ita constanter tuam sequi conditionem, vt interim rerum omnium euentum, Deo nostro committas: & in ęterna, sapientissima, & immutabili eius prouidentia, toto corde conquiescere? Quod itaque præsens corpore (semper enim apud vos sum animo) & coràm præstare non potui: illud absens hac epistola, & hisce Miscellaneis meis ad vos missis, aliqua ex parte compensare volui: quæ idcirco etiam recusa, & non parum, atque adeò vno etiam libro aucta, vobis

consecrare constitui; vt perpetuum apud omnes, eoque & apud totam posteritatem monumentum relinquerem, obseruantiæ erga vos meæ. Quos & vicissim, vt me meosque liberos in vestris precibus commendatos habere: & verò etiam meum nomen, in bona caussa, aduersus calumniatores, si quando opus fuerit, pro sua quisque virili & conditione tueri velitis; rogo atq; obsecro. Caussam igitur quandam, quanquam non magni momenti, neque etiam ad iudicandum difficilem, talem tamen, quæ vt ab omnibus bonis cognoscatur, haud est indigna: vobis, pijsque omnibus iudicandam propono. nouisse enim varia hominum ingenia, & à quo quisque Spiritu ducatur, inutile non est: præsertim in hoc tempore, quo multi Antichristi in mundum venerunt: qui prætextu & simulatione piæ concordiæ, vniuersam turbant Ecclesiam. Caussa autem est huiusmodi.

Annus iam agitur vigesimus secundus, ex quo tempore Argentinæ quidam iniqua aduersus me, ibi sacras literas profitentem, instituta de variis hæresibus accusatione, admirabile excitarunt in Schola, & in tota vrbe incendium. Quod idcircò etiam biennium ferè durauit: quia legitima illius extinguendi ratio, publica nimirum, aut priuata disputatio, vel saltem amica collocutio, nunquam ab accusatoribus impetrari potuit. Cuius rei caussa, & ego primùm ad Academias, Ecclesiasque confugere, virorum doctorum iudicia audire, testimonia colligere, eaque vnà cum meis thesibus, atque aliquot tractationibus, tandem in lucem dare coactus fui: Et deinde Senatus etiam, videns rem inter nos definiri non posse, quòd nec aduersarij mei vellent colloquium, nec ego, nisi caussa legitimè cognita, cedere vellem: ad extremum aliundè Theologos vnà cum quibusdam politicis, qui caussa cognita, ac definita, omnem ex Schola & vrbe tollerent offensionem, accersere compulsus fuit.

Quomodo isti se gesserint, resque fuerit, vtcunque composita: suo in Miscellaneis narratur loco. huic enim libro, quem cur Miscellanea appellarim satis constat, per Oporinum Basileæ affecto, per Crispinum autem Geneuæ perfecto, adieci postmodùm, & quæ compositionem præcesserunt, & quæ illam consecuta sunt acta: idque illis necessarijs de caussis, quæ suis locis in libro sunt explicatæ. Prodierunt itaque in lucem perfecta hæc Miscellanea, magno illi Principi Philippo Lantgrauio dedicata, anno Domini 1566. A quo tempore in hanc vsque diem (effluxerunt autem iam anni circiter septendecim) nihil aduersus me, meúmve librum aduersarij, quod sciam, scriptum reliquerunt: id quod ab illis prudentissimè factum fuisse, nemo, qui aliquo valeat iudicio, non mecum fatebitur. Quid enim imprudentius simul & impudentius, quàm vel simplicem rerum gestarum, toti non vrbi Argentinensi, sed orbi Christiano notissimarum, quarumq; testes fide dignissimi plerique adhuc viuunt, narrationem negare: vel eius doctrinæ, quam nec accusatores hæreseos conuincere, nec arbitri ac compositores damnare potuerunt, veritatem denuò oppugnare?

Accedit, quòd suo silentio effecerunt, vt ego quoque nihil ampliùs aduersus eos scribere in animo habuerim; sed quæ alioqui iam parata, & in promtu erant, ea omnia suppresserim: contentus patefacta iam satis aduersus calumniatores rerum gestarum veritate: Et verò etiam memor pietatis ac modestiæ Christianæ. Nam præterquam quòd à rixis & pugnis natura abhorreo: quid etiam obsecro magis indignum est homine Christiano, quàm modò hunc, modò illum lacessendo, noua quotidie bella excitare, & quosuis ad certamen prouocare, atque etiam pertrahere? Tali ingenio video nunc non paucos esse: homines inquietos & veros incendiarios, qui suas accensas faces, in cuiusuis ædes inijcere, idque impunè, non desinunt. Tales fuerunt & inimici, non tam Dauidis, quàm Dei, de quibus in Psalmo 120. Ego (vir) pacis: & quum loquor, ipsi (commouentur) ad bellum.

Sed

Sed aliter certè nos docuit Christus sua doctrina, & suo exemplo: aliter & Apostolus, qui ait: Seruum autem Dei non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes. Vult quidem vt obsistentes sanæ doctrinæ, refellamus, & doceamus: sed quomodo? cum lenitate, inquit, erudientem eos, qui contrà sunt affecti. 2. Tim. 2.

Quæ caussa est, cur & olim in virulentis quorundam aduersus me scriptis refellendis, contentus fuerim modesta ac simplici calumniarum depulsione: Et nuper etiam, cùm duo acerbi homines in libris aduersus optimum ac Reuerendum, etiamsi rumpantur ilia Codro, senem, puræ religionis amantem, & sanæ doctrinæ strenuum defensorem, deque Scholis & Ecclesiis optimè meritum hominem D. Iohannem Sturmium scriptis, me etiam sine caussa grauiter perstrinxerint, ego contrà maluerim talium hominum vanos latratus silendo contemnere, quàm respondendo, eos magis ac magis rabiosos efficere: Precatus Deum, vt hos malè feriatos homines ad se conuertat, donatos Spiritu Christi, à quo in viam veritatis deducantur.

Hæc de tempore & necessitate datorum olim in lucem Miscellaneorum meorum: deque caussis cur postmodum de illis præteritis actionibus neque sponte, neque ab aliis non semel & iterum prouocatus, aliquid planè in hanc vsque diem scribere voluerim. Cur enim illud parum quod mihi restat vitæ, & quod totum in dulcissima planeque necessaria sacrarum literarum lectione ac meditatione insumendum est; in vanis ac pernicios altercationibus, cum omnium bonorum offensione conteram? Odi ex animo tales conflictus & talium scriptionũ genera. Cùm enim hæ pugnæ dedeceant omnes Christianos, tum verò maximè Christi ministros: Quos propriè alloquitur Apostolus, cùm ait: Τας δε μωρας και απαιδευτους ζητησεις παραιτου: ειδως ὁτι γεννωσι μαχας. 2. Tim. 2.

Pugnent ergo qui volent: ego certè, vt confido in Domino, præter ordinariam meam in Schola docendi functionem, & præter modestas scriptiones, quibus sanam pro mea virili parte tuear doctrinam: dabo operam, vt liberos meos in vera pietate instituam, & ad pugnam contra diabolum spiritualibus armis muniam: me verò ad mortem, hoc est, ad felicem beatamque ex hoc mundo ad Christum, & in illud cœlum, vbi & ipse viuit, atque ad dexteram Patris residet, transitionem præparem: Calumnias omnes atque iniurias, si quæ factæ mihi sunt, aut porrò fient, Domino Iesu Christo omnium iudici iustissimo, sicut ipse fieri iubet, vlciscendas relinquens.

Nam quòd, qui præcipuus fuit inter compositores illius veteris dissidij Argentinensis, quique toti illi actioni præfuit: qui in meis exhibitis lectionibus, scriptis, confessionibus, atque à se perlectis, nullam contineri hæresin palàm professus est: qui me nouit formulæ doctrinæ à se conceptæ, nisi iuxta explicationem à me Dominis compositoribus exhibitam, subscribere noluisse: qui illas meas in articulos concordiæ conceptas & traditas notulas, quæ postea impressæ sunt, non reprehendit: qui & mihi & Sturmio dixit, nobis antequam subscribamus licere protestari, & se ac suos collegas, cùm opus fuerit, nostræ protestationis testimonium daturos pollicitus est: qui meas præterea protestationes coram toto illo celebri conuentu factas audiuit, ac ne vllo quidem verbo vel reiecit, vel improbauit: qui meam in illam formulam doctrinæ consensionem, & subscriptionem iuxta prædictas meas explicationes factam, sine vlla contradictione admisit: qui de hac mea subscriptione nihil porrò vnquam aut coràm, aut per literas conquestus est: qui denique totam illius actionis historiam, meæque subscriptionis declarationem, à me annis abhinc plus minùs octodecim typis expressam & euulgatam legit, certè potuit, neque tamen per totum illud tempus quidpiam aduersus illam scripsit: Quòd inquam talis vir bonus, qui per quadriennium, quo pastorem egi Clauennæ: qui per

decennium, quo docui Heidelbergæ; qui denique per triennium, & ampliùs, ex eo tempore (agitur autem iam annus quintus) quo doceo Neuſtadij ſub Illuſtriſſimo Principe Iohanne Caſimiro, ſemper tacuit, nuper contra Iohannem Sturmium calamum ſtringens, meam etiam illam tot annorum ſubſcriptionem, (vt amici retulerunt; Germanica enim non intelligo) perſtrinxerit: ego quidem facilè condono, & æquo animo fero; ſed viderit ipſe, quo Spiritu ad hæc ſcribenda adductus fuerit. Nemo eſt vel mediocri iudicio præditus, qui illo etiam tacente, non intelligat. O Egregios concordiæ autores, & charitatis Chriſtianæ prædicatores! qui noua ſemper excitant incendia, & nouas ſicas in viros non ſe peiores exacuunt: qui dicunt; eſto ἀμνηςία omnium iniuriarum: & tamen ipſi, quæ nullæ ſunt, eas tanquam ſummas, quàm poſſunt crudeliſſimè vlciſcuntur. Quid ego vnquam vel egi vel ſcripſi aduerſus hoſce homines: qui me de re tot annis ſine dolo, & ſincerè geſta, per ſe bona atque honeſta, nunc primùm, tanquam de ſummo ſcelere, coram toto mundo, libris editis, accuſant? Quando vnquam à me fuerunt vel verbulo vno laceſſiti? Scripſi aliquid, bonam defendens pro mea virili parte cauſſam, ſicut omnibus licet: Sed ſemper, vt mei libri teſtificantur, modeſtè: res, omiſſis perſonis, ſimpliciter tractans. Quæ igitur eſt illa barbara rabies, quis furor, quæ furiæ: vt qui ſua ſorte ac conditione contenti, in ea ſine vllius iniuria, quietè ac modeſtè ſe gerunt: & qui, quoad eius per conſcientiam fieri poteſt, amicitiam ac pacem cum omnibus colunt: & qui denique de vita potius Chriſtianè defungenda, quàm protrahenda cogitant; hos etiam ſemimortuos laceſſere, calumnijs irritare, & ad pugnam prouocare non vereantur?

At Zvuinglianus es & Caluinianus. hoc ſanè totum eſt. Vt Lutherianus non ſum, nec eſſe volo: quanquam Lutheri ſcripta, & libenter, & non ſine fructu iam inde à mea iuuentute legi, & modò etiam, cùm vacat, lego: ſic etiam aut Zvuinglianum aut Caluinianum, aut quouis alio ſectario nomine me quis appellet, me eſſe pernego: licet horum quoque, ac aliorum Doctorum virorum ſcripta magni ſemper fecerim, & faciam: idque non alia de cauſſa, quàm quia doctrinam, quam à Chriſto acceperunt, ſincerè & perſpicuè explicarunt. Chriſtianus igitur ſum, non ſectarius.

At amicus etiam es Sturmij, qui nobis eſt inimicus. Ego verò perſuaſum habeo, optimum virum D. Iohannem Sturmium, nemini hominum eſſe inimicum, ſed diabolo duntaxat & angelis eius, hoſtibus Eccleſiæ, hæreſibus, vitiis. Magnæ autem laudi & honori mihi duco, quòd amicitiam triginta circiter annorum conſtanter inter nos ſemper in Domino coluerimus: & nunc magis quam vnquam illum venerandum ſenem colo, quòd eum videam in hac ſua decrepita ætate nihil non, propter Chriſtum, proque veritatis defenſione, forti animo ſuſtinere: mortemque ipſam, nedum exilia, & omnium bonorum amiſſionem, contemnere. De talis igitur ac tanti viri amicitia non glorier? quam nemo bonus non expetit: qua optimi & verè Chriſtiani Principes delectantur? Sed faceſſant tales ineptiæ: ſocius es Sturmij: non igitur aduerſus illum ſcribemus, quin te etiam perſtringamus. Et quanam obſecro in re? in illa tua ambigua ſubſcriptione, quæ non fuit boni & candidi viri: Hanc Doctrinæ formulam vt piam agnoſco, ita etiam recipio. Sed ſi in ea re peccaui: cur non tum, aut ſaltem paulò pòſt me monuerunt iſti boni & candidi viri? Si me tum de ſenſu interrogaſſent: in ipſomet tot celeberrimorum virorum conſeſſu, eodem modo liberè explicaſſem, quo poſteà in ſupplicatione ad Senatum, quæ in primo Miſcellaneorum libro extat, explicaui: Et cauſſas, cur non ſimpliciter, vt alij ſubſcripſerim, omnes intellexiſſent. Ago tamen gratias, quòd æquius mecum in hac parte egerunt iſti boni viri, quàm cum beatæ memoriæ Philippo Melanchthone actum fuit. Olim Philippus in colloquio

quio Vvormatiensi cùm esset, non obscurè Brentio dixit, se cum Luthero in eo, quod de Sessione ad dexteram quodam in loco ille scripserat, non sentire

De hoc responso nunquam, dum vixit, à quopiam fuit, vt audio, reprehensus aut monitus: nunc demum mortuus, à nescio quo, contra Sturmium scribente damnatur; quemadmodum & in multis aliis rebus, ille sanctus vir, tantùm non vt blasphemus in Deum, cruci affigitur. Atque hîc ego, dum factum hoc perpendo, video aut me esse valde imperitum rerum æstimatorem: aut istos Melanchthonimastigas nullam vel valdè sauciatam habere conscientiam; & à meris carnis affectibus, ad suos abripi anathematismos. Si non sentire cum Luthero in doctrina, præsertim de carnali præsentia, & de Vbiquitate, est esse omnibus Turcis & Mahometanis peiorem, qui nullo modo in Ecclesia ferendus sit: Cur Melanchthonem illud ingenuè profitentem, & Brentio in faciem sine dissimulatione aientem, tot annos in Ecclesia tulerunt, summo honore affecerunt, pro optimo viro ac præceptore habuerunt?

Ego non intelligo istam reformatorum mundi Theologiam. Redeo igitur ad mea. Gratiam, vt dixi, habeo, quòd mecum æquiùs, quàm cum Philippo, ab istis hominibus actum sit. Nam me saltem, antequam moriar, post annos à subscriptione circiter decem & octo, ex Christiana scilicet caritate monuerunt. nempe, vt Deo sic omnia sapientissimè disponente, meliùs & clariùs, quàm hactenus à me factum sit, totum illud negotium Argentinense toti posteritati explicarem. Neque enim dubito quin hæc omnia Dei prouidentia facta sint: Vt plura nimirum & maiora inde bona Ecclesiæ obuenirent, quàm mala nobis creare per suos molitus sit ac moliatur Sathan. Quorsum Semei ad conuicia in Dauidem coniicienda excitauit? Vt Dauid in patientia, veraque pietate, quæ nobis omnibus in omnem æternitatem esset exemplo, exerceretur. Quorsum Arium ad blasphemandum Dei Filium? vt inde per Athanasium vera & æterna illius Deitas clarius explicaretur, & firmioribus rationibus assereretur. In quem verò etiam finem excitauit Nestorium aduersus doctrinam Niceni Concilij, de vna Christi persona ex diuina & humana naturis constante? Vt ea per Cyrillum accuratiùs explicaretur; pluribus S. literarum testimoniis confirmaretur; & longiùs latiusq; propagaretur. In eundē finē alios quoq; nunc excitat Nestorios; quibus alios cōtrà opponit Cyrillos, vel saltē fideles Cyrilli discipulos. Fuit Nestorius homo indoctus, superbus, cōtemtor Patrū, sed audax & magnę loquentię: qua vnica fretus, nihil non audebat: & quidē sæpenumerò feliciter, quod volebat, obtinebat; ita vt ipsum quoq; Theodos. Imp. seduxerit, effeceritq; vt optimum Cyrillū Episcopatu abdicârit. Quanquā re postea meliùs cognita, illū maiori cū honore, suo restituit loco, damnato hypocrita Nestorio. Periit igitur ille quidem: sed Spiritus eius nunc etiam in nonnullis viuit. Age ergo, quādo hæc voluntas Domini est, caussam eius & nostram tueamur; & eam æquis iudicibus iudicandam relinquamus.

Duo hominum genera meam illam subscriptionem Argentinensem improbarunt; fratres & hostes: illi primùm, deinde isti. Fratribus ideo illa displicuit, quòd me simpliciter subscripsisse putarint; Cùm tamen rem longè aliter se habere, ipsa meæ subscriptionis verba non obscurè doceant. Quorsum enim tot verba, cùm nuda nominis mei subscriptio, vt petebatur, satis superque fuisset? Ex horum igitur animis vt omnem eximerem scrupulum: simul ac factus fui de nonnullorum offensione certior, subscriptionem statim explicaui, eam paulò pòst in lucem dedi: quæ in primo horum Miscellaneorum habetur libro, in Supplicatione ad Senatum Argentinensem: de qua non est cur plura dicam, cùm eam quisque legere possit; atque vt legat rogo. Credideram omnibus ita fuisse satisfactum, vt ampliori explicatione nunquam opus foret: Si qui tamen sint, qui vel de pietate, vel de candore animi mei, cùm ea verba subscriberem, nonnihil dubitent: hi, si quæ modò aduersus meos calumniatores subijciam, legerint, nihil in me ampliùs

credo

credo desiderabunt. Illi profectò falluntur: qui me à carnis affectu ad concipiendam illam subscriptionis formam, adductum fuisse existimant: quasi ideò illa subscribendi ratione vsus fuerim, quòd cupiuerim ita Argentinensem meam stationem retinere, vt tamen à veritate doctrinæ nihil me mea subscriptione recessisse, ambigua illa dicendi forma, vt ipsi vocant, quoties vellem, tueri possem. Caro certè me non detinuit Argentinæ, neque ad illam subscriptionem impulit, sed Spiritus: quemadmodum in historia suo narratur & demonstratur loco. Memor enim eram literarum Caluini, beatæ memoriæ, qui non semel & iterum me monuerat, nihil non esse agendum, salua tamen conscientia, & veritate, quò meam retinerem stationem: Cùm nihil aliud molirentur Aduersarij, quàm vt cederem loco: ne porrò quempiam amplius, qui se sibi opponeret, haberent. Hoc igitur, ipsum vnum me ad illam permouit actionem: vt ne scilicet temerè & contra voluntatem Dei, Argentina discederem. Quid enim mihi alioqui gratius fuisset, & optatius, quàm vt relictis tot tamque acerbis hostibus, à quibus nihil vnquam sinceræ amicitiæ, Christiani solatij, & veræ consolationis sperare poteram; me Tigurum, quò in locum Martyris, beatæ memoriæ, vocabar, ad illos optimos, vereque pios, doctos, & humanos fratres, apud quos & minus laboris, & plus etiam stipendij (si hæc quoque alicuius æstimanda sunt) habiturus eram, quàm Argentinæ, vicinior patriæ & amicis, me conferrem? Scio autem me & bona conscientia illi formulæ subscripsisse: & ea subscriptione, nihil veritati doctrinæ derogasse: cùm neque articulis per se impijs subscripserim: neque simpliciter illam docendi formam, sed conditionaliter, nimirum, vt ego illam piam esse iudicabam, probarim, atque admiserim. Quotus enim quisque est in latina lingua vel mediocriter versatus, qui illud, vt, in mea subscriptione non videat idem valere, quod Prout?

Vt me voles, dicebat, ille apud Plautum, ita habebis: hoc est, Prout & qualem me esse volueris, talem habebis. Et alius; vt me tractaueris, ita tibi operam ego præstabo meam. Hæc meo iudicio satisfacere debebant fratribus; vt ne quidpiam sinistrę de me conciperent opinionis. Animi est non prorsus amici; quod in bonam partem accipere possis, illud in peiorem interpretari.

Venio iam ad aduersarios, qui me nunc tandem, idque editis libris carpunt: improbè calumniantes, quòd ambiguè subscripserim, eoque fecerim, quod neque boni, neque candidi fuerit viri? Vnde verò hæc? & quorsum, & qua leuitate, post annos decem & octo aduersus socium Sturmij, hoc est, aduersus me scribuntur? Duo satis confidenter pronuntiant, sed neutrum probant. De primo vt dicam, constat, vt modò ostendi, locutionem illam meam, non esse inusitatam: Proinde si obscura visa est, imperitis est visa.

Nulla verò ratio est, quamobrem illis, qui non solùm totam illam actionem Argentinensem apprimè norunt, sed etiam ei præfuerunt, obscura aut ambigua videri debuerit subscriptio mea: sed quæ inter nos acta fuerant, ea omnia concludere istis hominibus debuerunt, me non alio sensu, quàm quem illis non semel, & coràm, & scriptis, exhibitisque notulis apertè candideque explicaram, & explicatum porrò in lucem dedi, subscripsisse. Si quis ea diligenter legat, quæ ab exhibita Sturmio & mihi formula doctrinæ, vsque ad subscriptionem acta inter nos & compositores fuerunt, (continentur autem in Epistola ad Lantgrauium pag. 30. & deinceps vsque ad 34.) Is perspicuè videbit rem ita se habere, vt modò de aperto sensu meę subscriptionis à me dictum est: Nec verba mea aliter à compositoribus, quàm ego explicaui, intelligi potuisse aut debuisse. Primùm enim cùm legissem tum articulos ab ipsis conceptos, tum formulam de cœna propositam, quæ post verbum Dei constabat Augustana Confessione, Apologia, & articulis concordiæ inter Lutherum & Bucerum: Annon semper & constanter, idque apertè & candidè dixi,

dixi, mihi illam doctrinæ formulam, ad doctrinam quod attinet, non improbari; propterea quòd, si habeat æquum interpretem, nihil per se impium in ea contineatur? Quod igitur toties & constanter affirmaui: mene illud, & posse negare cùm liberet, & posse affirmare cùm expediret, ambigua subscriptione voluisse? Quisnam eorum, qui mecum versati sunt, & qui probè norunt mores meos, me talis esse ingenij affirmare poterit?

Deinde, cùm quæ proponebantur, nostra subscriptione comprobanda, meis notulis declarassem, quatenus probare, & quatenus non probare possem: An non multis & grauibus rationibus demonstraui, me non posse simpliciter subscribere: eoque rogare, vt aut ne cogerer subscribere: aut si subscribendum omninò esset, id mihi cum exceptionibus facere liceret?

An non expresè petij, vt mihi liceret totam illam doctrinæ, tum de prædestinatione, tum de cœna formulam, iuxta explicationes Buceri, & confessiones Argentinensium interpretari: & vt harum exceptionum aliqua in subscriptione fieret mentio? An non ipsi præter alia responderunt, mihi licere voce protestari, & se mearum exceptionum, & constantiæ in recta sententia, cùm opus fuerit, daturos testimonium: modò ne harum rerum, vt petebam, fieret mentio in subscriptione? An non præterea Sturmius ipse, nomine consilij, ad compositores scripsit Epistolam, in qua præter alia hoc etiam inerat, consilium velle; vt antequam ad subscriptionem veniatur, sibi liceat articulos propositos, & formam de cœna interpretari iuxta declarationes, & libros Buceri, aliorumque præceptorum nostrorum, qui scilicet anteà docuerant Argentinæ? An non accepta hac epistola, venerunt duo præcipui compositores in ædes Sturmij, & suo ac reliquorum nomine responderunt, se quod petebamus, concedere: neque se velle illa sua formula quidquam derogatum esse confessioni fidei, & religioni nostri Magistratus, & maiorum nostrorum: seque permittere, vt hæc in acta referrentur? An non ex ijs liquidò potuit constare compositoribus, neque me, neque consilium, formulæ illi doctrinæ simpliciter, sed cum illis, quas explicaui, exceptionibus subscribere voluisse? An non verò, alijs petitioni arbitrorum acquiescentibus, idque propterea, quòd de illorum fide & promissionibus non dubitabant: ego semper in ea perstiti sententia, Dominis compositoribus non ignota, me nolle articulis subscribere, nisi aliqua illarum exceptionum, quas nobis sæpè concesserant, fieret mentio? An non hæc fuit etiam causa totius altercationis nostræ de subscriptione, quòd ego volebam, vt quas à me fieri voce permittebant exceptiones, earum etiam in subscriptione mentio fieret, propter causas tunc explicatas: ipsi verò recusabant, hac tantùm allata ratione, quòd non expediret? causæ videlicet aduersariorum, & ipsorum consilijs. An non in ipso publico omnium, Dominorum vrbis, Legatorum, Compositorum, Ministrorum, Professorum consessu, prælectis articulis, quibus erat subscribendum, interrogatus, an ego quoque vellem subscribere, necne; respondi, quia nihil illos per se impium continere agnosco, idcircò pacis & concordiæ gratia me subscripturum esse: sed certis de causis me priùs protestari? Illa nimirum tria capita, quæ in historia explicata sunt, & quarum protestationum seu exceptionum mihi posteà dederunt testimonium, necessarijs de causis cùm transirem Basilea, Clauennam proficiscens, duo ex compositoribus, Sulcerus nimirum & Coccius, quod testimonium idcircò non subijcio, quia illis promiseram, me illud non facilè euulgaturum. In eum enim duntaxat finem dederunt, vt eo aduersus calumniatores, me meumque ministerium tueri possem: nempe mea subscriptione nihil derogatũ fuisse doctrinæ cõtrouersæ; præsertim cùm meas præmiserim exceptiones, quæ à Dominis compositoribus nequaquam reiectæ fuerunt. Quo modo verò ex ijs omnibus non euincitur, quisnam sensus fuerit subscri-

ptionis

ptionis meæ, ipsos compositores ignorare non potuisse? Repetàm hîc confirmationis causſa nonnulla, quæ cùm alij collegæ, tum præsertim vir clarisſ. Dominus Iohannes Sturmius, tunc temporis præpositus totius consilij, & Scholæ Rector, vt me ad simpliciter subscribendum, cùm iam hora instaret subscriptionis, permoueret, ad me fecit verba; quæ ego postmodùm retuli in historiam, & quæ etiam à nemine adhuc alicuius falsitatis aut conuinci aut etiam accusari potuerunt. Præter alia hæc etiam ibi habentur: Cùm admissa sit (inquiebat ad me Rector) nostra totius consilij protestatio, nobisque concedatur, vt & Augustanam Confessionem, & istos articulos interpretemur iuxta explicationes & scripta Buceri, aliorumque maiorum nostrorum, & iuxta Confessiones, Apologiamque ciuitatis: cùm item ista nostra subscriptione nullum fiat præiudicium causſæ nostræ, vt ipsi quoque fatentur arbitri: cùm tibi etiam liceat publicè, antequam subscribas, excipere, & huius tuæ exceptionis, licet mentionem fieri nolint in subscriptione, testimonium tamen daturi nos simus, cùm volueris: Quid tandem causſæ est, quòd tam diu detrectes, propositis articulis citra mentionem tuarum exceptionum subscribere? Hæc tum ad me Sturmius, testibus aliquot collegis. Quæ cùm ita se habeant, quis non videat, mihi per compositores licuisse voce protestari, eaque excipere, quæ excepi: Et controuersiam tantùm inter nos fuisse, an aliqua mearum exceptionum in subscriptione fieri deberet mentio, nécne: me illam tanquam necessariam petente, & ad finem vsque constanter vrgente: illis autem tanquam non expedientem, vt dicebant, denegantibus? Inter illas autem exceptiones erat etiam hæc, quam ad consilij protestationem, nobis omnibus concesserunt arbitri: nempe vt illam doctrinæ formulam interpretari liceret iuxta regulam verbi Dei, doctrinam Augustini, Lutheri & Buceri. Nam iuxta hanc interpretandi regulam facilè agnoscebamus, illam doctrinæ formulam, quam nobis arbitri præscripserant, propia haberi, & vt piam à nobis admitti, ac defendi posse. Quî fieri igitur potuit, vt Domini compositores, cùm viderent, me non simpliciter, quemadmodum semper petierant: sed in hæc verba, Hanc doctrinæ formulam, vt piam agnosco, ita etiam recipio, subscripsisse: non intellexerint, me eo sensu, quem explicaui, subscripsisse? nempe eatenus eam formulam à me recipi, quatenus eam iuxta regulam verbi Dei, & doctrinam Augustini, Lutheri, atque Buceri, piam esse agnoscebam, atque etiam nùm agnosco. Quid hîc doli, quid versutiæ, quid tricarum, quid ambiguitatis? Ergo licet fortassis alicui alij, & præsertim imperito, obscura atque ambigua videri potuerit subscriptio mea: ipsis certè arbitris, nec debuit, nec potuit videri.

Miscell. lib. 1. pag. 33.

At clariùs scribere potuisses, sicut posteà explicasti: quod cùm non feceris, non feciſti tunc, quod viri erat boni atque candidi. Quasi verò ideò etiam Prophetæ, & Apostoli non fuerint viri boni atque candidi; quia multa clariùs, quàm fecerint, explicare potuerunt. Num ideò etiam Christus non fuit bonus & candidus vir, quia ad multa, tum interrogata, tum obiecta, clariùs respondere potuit Iudæis, quàm responderit? Cuius generis propè infinita ab Euangelistis recitantur: Et quidem vbi, veluti cùm de ipsius Deitate agebatur, clarior responsio omninò necessaria esse videbatur. Num ideò & Paulus non fecit officium viri boni atque candidi: quia clarioribus verbis, quàm fecerit, ipsum Antichristum eiusque aduentum describere potuit?

2. Thess. 2.

Quid de Iohanne dicam in Apocalypsi, an non potuit apertiùs multa explicare, quæ varijs tantùm ænigmatibus indicauit? Num ideò eum accusabimus, quòd non fecerit officium boni atque candidi scriptoris? Sed quid ego cum ineptis hominibus ineptio? Cur non etiam compositores de eodem crimine accusantur; qui cùm in Senatu ad Dominos, præter alia, se in scriptis & confessionibus Zanchij nullam reperisse hæresin, retulissent: non subiecerunt; in libris verò & scriptis

ſcriptis aduerſariorum multas à ſe repertas fuiſſe: ſed hoc diſſimulato dixerunt animorum potiùs fuiſſe offenſiones, quàm in doctrina diſſenſiones? Verùm quis fuit in illo Senatu tam cæcus, qui non viderit, aut tam imperitus, qui non intellexerit, ſi Zanchij doctrina à ſuis accuſatoribus damnata, non eſt hæretica, contrariam igitur, erroneam & hæreticam eſſe? Itaque cùm res eſſet perſpicua, niſi quis voluiſſet in media luce cæcutire, facilè ſe hac ratione tuebuntur arbitri aduerſus ſuos accuſatores: quod per ſe neceſſariò ex relatis conſequebatur, illud ſua relatione aut explicatione non eguiſſe. Si quis etiam eoſdem velit neglecti officij, quod bonos ac candidos viros decebat, ideò perſtringere, quia in nonnullis articulis à ſe conceptis & nobis exhibitis ita locuti ſunt, vt nonnihil clarioris lucis in illis deſideretur: reſpondebunt, imperitis duntaxat, & malignis illos eſſe obſcuros atque ambiguos: bonis autem & ſincerè omnia interpretantibus, omnia eſſe perſpicua atque aperta.

Idem reſpondere poterunt defenſores Auguſtanæ Confeſſionis: in qua nonnulli articuli, in quorum numero eſt etiam ille de Cœna, ita conciſis & ambiguis verbis conſcripti ſunt: vt de induſtria ita concepti fuiſſe videantur, quò & à Pontificiis pro ſua, & viciſſim à proteſtantibus pro ſua ſententia accipi, interpretari & intelligi poſſent.

Si hac ratione illi, & meritò quidem, ſeſe tueri poſſunt: cur non & mihi, eadem defenſione aduerſus hoſce meos ſuggillatores vti liceat? Cùm mea præſertim verba clariora ſint, & minus habeant ambiguitatis, quàm multi tum noſtrorum compoſitorum, tum autorum Confeſſionis Auguſtanæ habeant? Nam quòd vſus ſim, vt, cùm potuerim clariùs dicere, Quatenus, vel, Quemadmodum: hoc feci, tum breuitatis cauſſa; tum etiam, vt ne, re tam apertè poſita, & ab illis, qui intentis oculis quid ſcriberem, intuebantur, ſtatim percepta, calamum mihi è manibus, ne alterum adderem membrum, nempè, Eatenus recipio, eriperent: eoque nouæ orirentur altercationes. Quæ cauſſa etiam fuit, cur nomen meum non præpoſuerim, ſed poſtpoſuerim: nimirum ne illi videntes meum iam nomen eſſe ſubſcriptum, mox, ne quidpiam aliud quàm ipſi volebant, adderem, me impedirent. Sed quis hoc arguat? Cui enim hominum fraudi hoc fuit? aut quid ea ratione de veritate detractum eſt, & contra gloriam Dei admiſſum? Imò propter gloriam Dei, ac veritatis defenſionem, & promotionem ſalutis multorum, illud à me factum fuit.

Cùm igitur verba ſubſcriptionis meæ per ſe ſint perſpicua, ipſis verò compoſitoribus nullo modo obſcura eſſe potuerint: cumque etiam non ex omni ſermonis ambiguitate, qui ita loquitur, eum nec bonum, nec candidum virum eſſe conſequatur: luculenter apparet, hoſce meos calumniatores aliundè, quàm ex mea ſubſcriptione, ad calamum contra me quoque ſtringendum, permotos fuiſſe. Vndè nam ergò? Ego ignoro: Dominus nouit: Ipſi viderint. Spiritum certè, à quo multi ad ſcribendum hoc tempore, calumniando, errores tuendo, noua incendia excitando, Eccleſias turbando, agitantur: Spiritum non eſſe Chriſti, ſed Spiritum, non dicam aut Lutherianum, ne Lutherum ſanctum virum hac ignominia afficiam, aut vbiquitarium, quemadmodum ipſi noſtros aiunt agitari à Spiritu Zvuingliano & Sacramentario: ſed Spiritum hunc, Spiritum eſſe vertiginis, quo Deus grauiſſimam iniuriam, quæ facta eſt, & quæ quotidiè magis ac magis fit Chriſto, vlciſcitur, perſuaſum habeo. Soli enim Chriſto huncà nobis deferri honorem voluit Pater: vt ei ſimpliciter credamus, eumque ſolum inter homines, adeoque inter omnes Spiritus à ſe creatos eſſe agnoſcamus, qui errare nequeat. Quò ſpectant illa, Huncaudite: Vnus eſt Magiſter veſter Chriſtus: Doctrina mea non eſt mea, ſed eius, qui me miſit, Patris: Omnis homo (qui non etiam ſit Deus).

(:)(:)

mendax, Deus autem (ſolus, ſimpliciter) verax eſt. Cùm igitur hominem aliquem, vtut magnis Dei donis ornatum, hoc honore, qui ſoli Chriſto debetur, afficimus, vt quicquid is docet, illud pro diuino oraculo ſimpliciter amplectamur, Doctoremque ipſum, tanquam qui non potuerit errare, ſuſpicimus, colimus & tantùm, non, vt Deum, adoramus: an non ſumma ignominia afficimus Chriſtum Filium Dei, vnicum Doctorem noſtrum? an non hoc eſt hominem Deo exæquare? An non hoc eſt Chriſto de ſua cathedra detruſo, purum hominem in ea collocare? Non poſſum hîc tacere, quod olim meis auribus ſumma cum admiratione & animi offenſione audiui. Cùm recens ex Italia Geneuam veniſſem, & P. Viretus B. M. vir in concionibus habendis excellentiſſimus, qui eò tum certis de cauſſis venerat, per ſeptimanam vnam eadem hora in ſancto Petro, qua Caluinus in S. Geruaſio concionaretur: atque ego ſicut in Caluino inſignem doctrinam, ſic in Vireto ſingularem eloquentiam & in commouendis affectibus efficacitatem admirarer, qua de cauſſa illius concionibus ſummoperè delectabar; amicus quidam Gallus, qui nullam vnquam Caluini concionem, vt alium, quiſquis ille eſſet, audiret, omittebat; interrogatus à me, & cur tandem non ſemel ſaltem audiret tam præſtantem & excellentem Chriſtianum oratorem Viretum? apertè in hæc fermè verba, ſed Gallicè reſpondit: Si veniret ſanctus Paulus, qui eadem hora concionaretur, qua & Caluinus: ego relicto Paulo, audirem Caluinum: Seriò autem loqui mihi videbatur: quanquam illa in reſpondendo grauitas vultus & vocis, potuit me fallere. Hoc exempli cauſſa referre volui: vt quonam tandem rapiantur, qui præſtantes viros nimium admirantur, oſtenderem. Ex hominibus, in ſumma; faciunt ſibi Deos: ita vt, licet hoc verbis non fateantur, in animo tamen ſuo eos Chriſto exæquent, & qui ſoli Chriſto debetur, hunc illis honorem deferant: nempe quòd quæcunque illi dicunt & ſcribunt, ea nihil aliud ſint, quàm Dei oracula. Quid hac contra Chriſtum iniuria grauius? Hanc certè contumeliam, ἀνθρωπολατρείαν inultam non fert, nec feret Deus: præſertim cùm ea non vnius cor, ſed multorum iam animos, eorum in primis, qui præſunt Eccleſiis, & gubernacula habent Reipubl. Chriſtianæ, occupârit: atque ita occupârit, vt qui aliter, quàm ipſi ſentiunt, eos gladio & igne perſequantur: non fert inquam, nec feret hanc iniuriam Chriſtus: ſed eam ſeueriter, vt ſolitus eſt, vlciſcetur: idque variis flagellorum generibus, atque inprimis ſpiritualibus, peccata peccatis, blaſphemias blaſphemiis, hæreſes hæreſibus puniendo: & Spiritu vertiginis, eos qui talia agunt, agitando: & per eos, ipſorum quoque cœtus, indies magis ac magis perdendo; tandem penitus, niſi reſipiſcant, euerſurus. Cùm enim dixerit, Gloriam meam alteri non dabo, nunquam autem errare, erraréue poſſe, ſolius Dei & Chriſti ſit gloria: quicunque hanc aut ſibi ipſi, aut aliis tribuunt, eos dementat, & Spiritu ſeductionis, in varios & tetros impellit errores Deus, quibus manifeſtiſſimi conuincantur mendacij: Quemadmodum è ſacris literis, tum teſtimoniis, tum exemplis abundè demonſtrari poteſt, vt iam de hiſtoriis Eccleſiaſticis taceàmus. Quis obſecro non videt, quid tum Mahometanis tum Romanis Eccleſiis hanc ob cauſſam contigerit? Omnes illæ ampliſſimæ & feliciſſimæ regiones, quæ iam occupantur à Turco, erant olim florentiſſimis Eccleſiis refertiſſimæ. Poſtea verò quàm illi populi, Mahometi Neſtoriano tantum honoris tribuerunt, vt ei tanquam Spiritu Dei pleno, & à Deo ad mundum reformãdum miſſo, ſimpliciter in omnibus credendum eſſe iudicârint, quòd neque falli, neq; fallere poſſet: quantum errorum, quantum hæreſeôn, quantum denique blaſphemiarum, vitiorum ac ſcelerum conſecutum ſit, quis eſt qui neſciat? Nam penitus tandẽ defecerunt à Chriſto. Quando verò vnquã Eccleſia Romana pluribus, graúioribuſq; contaminata fuit erroribus, ſuperſtitionibus, idololatriis: quàm cùm ſuum Papam, tanquam vicarium Chriſti, atque adeò Deum quendam in terris, ita adorare cœpit, vt ſi quis eum in fide errare poſſe

posse diceret, hunc anathemate feriret, igneque & gladio persequeretur? Dignum certè tali blasphemia flagellum: vt qui falsò contra honorem Filij Dei aut se, aut suos præceptores errare non posse gloriantur, & illi & isti Spiritu mendacij, seductionis, vertiginis agitentur: idque vt soli tandem Christo, sicut debet, integra & sarta tecta maneat gloria. Valdè vereor, ne hoc idem contingat Germaniæ: vbi nunc plerique omnes Lutherum, tanquam tertium, vt ipsi vocant, Eliam, ita adorant; vt si quis quid in eius doctrina, præsertim in sententia de reali corporis in pane, & vbique præsentia, qua in re totius religionis puppim & proram collocatam esse putant, reprehendat, aut etiam modestè, se non probare, dicat: hunc tanquam turcis, & quouis hæreticorum genere peiorem ac pestilentiorem, non solùm ferre nullo modo possint, sed nullo etiam non dignum supplicio esse arbitrentur, dicant, scribant, reipsa declarent: quasi Lutherus in his, quæ ad Religionem pertinent, & in interpretationibus Scripturarum errare nequiuerit. Cur igitur ipse Lutherus hanc in Pontificibus Romanis impiam arrogantiam damnauit; si hoc de ipso sentire, impium, & dicere blasphemum non est? Vt multa, reuerentiæ erga tantum virum caussa, omittam: An non columnæ Germaniæ, atque inprimis Lutherus, & putidissimè errârunt, & turpissimè se dederunt, cùm illud sanctissimum scilicet consilium dederunt fortissimo illi & optimo Principi Philippo Lantgrauio, cui hæc mea dedicaueram Miscellanea, vt viuente adhuc priore, legitima nimirum vxore, duceret alteram, hoc est, adulteram? Hoccine fuit consilium Eliæ & Elisæi? Hoccine est non posse errare in doctrina fidei? perperam certè tum interpretati sunt Scripturas, quæ sunt de coniugio, ea in parte. cur non & in aliis hallucinari potuerunt? Detur ergo detur gloria Deo, & vnum solum Iesum Christum simpliciter errare non posse, ingenuè fateamur. Illam itaque blasphemiam, atque vnius creaturæ idololatriam vlciscitur quotidiè Dominus: dum suo iusto iudicio efficit, vt horum idololatrarum nonnulli, quotidie proficiant in peius, & magis ac magis indies demententur. Quænam obsecro maior est dementia, quàm sic argumentari: Tu non sentis cum Luthero in interpretatione verborum cœnæ, HOC EST CORPVS MEVM, id est, (inuersa tota propositione) corpus meum est sub, in, & cum hoc: item, non credis cum eodem, & Brentio, Corpus Christi naturale, sua substantia realiter esse vbique locorum, imò & extra omnia loca: Ergo non es Christianus, nec ferendus in Ecclesia: imò ne in ditionibus quidem nostris, tanquam hæreticus, & peior Turcis atque Iudæis?

Quid, inquam, hac argumentatione dementius? Si enim hæc argumentatio valet, oportet hanc thesin veram esse, ac necessariam; nempe: Quicunque à condito orbe cum Luthero non sensit, sentit, aut sensurus est, in his duobus articulis: ille Christianus esse non potuit, non potest, nunquam poterit. Itáne verò hæc fuerit regula, qua Christianus à non Christiano dignoscatur? O indoctos Apostolos, imperitosque Patres omnes, qui in vestris Symbolis, quibus, quomodo Christiani à non Christianis discerni possent, docuistis; hanc nouam notam ignorastis. Christiani igitur non fuerunt; quicunque dixerunt, panem esse figuram, & signum, & ἀντίτυπον corporis Christi, vt Tertullianus, vt Augustinus, vt Græci Patres. Exterminandi item omnes fuerint ab Ecclesia, qui Christum docuerunt per id, quod homo est, esse tantùm in cœlo; per id autem quod Deus est, esse vbique. Fridericus etiam III. (vt domi nostræ maneamus) laudatissimæ semper memoriæ, non ita pridem Elector Palatinus, per vos exhumandus fuerit, & eius ossa in Nicrum proiicienda, vel Vulcano tradenda, quia cum Luthero in his articulis non consensit. Date, date gloriam Deo. An non hoc ex vestris fidei principiis, in animis vestris concluditis? Taceo enim iam de Philippo Lantgrauio maiore, qui cum Tigurinis, hæreticis illis, si Deo placet, atque diabolis, amicitiam ad extremum vsque coluit. Taceo

& de reliquis Principibus, ac Rebuſpubl. qui iſti nouo doctrinæ corpori, in quo vterque hic articulus Eccleſiis ſub anathemate obtruditur, non ſubſcribunt, nec ſubſcribere volunt, ſed conſtanter ſubſcribere detrectant, idque meritò. Fuerintne igitur (vt fortè nonnulli cupiunt) è finibus Germaniæ pellendi? Taceo etiam de omnibus aliis nationibus extra Germaniam, quæ ſunt innumerabiles. Vbiquitas enim veſtra non ita vbique eſt; vt extra Germaniam inueniat locum. Sed in vno Friderico tertio Elect. Palat. ne procul vagemur, perſiſto. Si veſtra regula & theſis vera eſt; conſtet autem, eum cum Luthero in illis duobus articulis, in quibus tota controuerſia, totumque præſens bellum conſiſtit, ad mortem vſque non conſenſiſſe: an non ſequitur, vobis etiam præ metu filiorum tacentibus, eum mortuum eſſe hæreticum, & nullo modo Chriſtianum, quippe non Lutherianum: eoque non in cœlum, ſed aliò (malum) migraſſe? Qui animis fortè annuunt, propter profligatam impietatem: verbis propter filios negabunt, ac dicent, vt dicere ſolent; Fridericus tertius fuit optimus Princeps, ſanctiſſimus Princeps, religioſiſſimus Princeps: Abſit, vt ſiniſtrè quidpiam de illo Principe ſentiamus. Interim tamen in doctrina pugnante cum Lutheri ſententia mortuus eſt. Mortuus igitur per vos non Chriſtianus, non pius, non religioſus, quia non Lutherianus. At fuit ſeductus. Sed ſiue ſeductus, ſiue non ſeductus, profectò quicunque moritur non Chriſtianus, illi in cœlum non patet acceſſus. Quid hîc ais Catilina? Si eſtis boni & candidi viri, cur non dicitis apertè, id quod in animo, de illo Principe ſentire videmini, atque, ſi, cùm moreretur, non ſenſit cum Luthero, omninò concluditis? At hoc non dicimus.

Quid ita? an non, quia magnus Princeps fuit, & magnorum Principum parens? O, nolo dicere. Adulatores! nam de bono & paupere Philippo, qui apertè in his articulis, cum Luthero non ſentire profeſſus eſt, deque aliis eius ſimilibus id pronuntiare multi fortè non verebuntur. Eſt igitur magnum Dei flagellum hæc dementatio, hic furor, hoc odium, quo aduerſus omnes, qui cum Luthero & Brentio, in illis nouis fidei articulis non conſentiunt, iſti quarti Eliæ feruntur. Vnde autem hæc diuina dementatio? Ex illa in Filium Dei ignominia, de qua ſatis dictum eſt.

Ex hac itaque ira Dei, qua punit peccata peccatis, & blaſphemiam in Filium Dei aliis blaſphemiis, ita vt iam multos non pudeat, editis etiam libris, appellare ſe Lutherianos, parùm memores Apoſtolicæ reprehenſionis, aduerſus eos, qui dicebant, Ego Cephæ, ego Pauli, ego Apollo: Ex hac, inquam, ira Dei, totam etiam hanc effrenem in quemuis debacchandi libidinem proficiſci, perſuaſum habeo: quoniam ſic ſolet Deus ſua exercere iudicia. Cuius rei recens exemplum adferre iam poſſem, ſi mihi animus eſſet quempiam perſtringere: & non potiùs quorundam, qui mihi perditi eſſe videntur, exemplo, reliquos, vt reſipiſcant, tacitè monere: ac fratres omnes, vt ab hoc grauiſſimo crimine, quo mortales homines pro diis immortalibus adoramus, per Ieſum Chriſtum diligenter ſibi caueant, rogare. Deum immortalem, qualem ego librum hoc anno, & quidem recens, nolo dicere, vbi, aut à quo editum, nuper legi! Vix angelis parcitur & Deo. Oportuit ad extremum, ipſum quoque Bucerum beatæ memoriæ, denuò exhumari & concremari. Quouſq; tandem iſti Catilinæ abutentur patientia, non noſtra, ſed Dei? Quamdiu iſtorum furor Eccleſiam Chriſti turbabit? Quem tandem finem effrenata horum audacia, calumniandique & conuitiandi capiet libido? Sed res, vt video, deſperata eſt.

His igitur omiſſis, cùm ſatis ſuperque de mea illa ſubſcriptione aduerſus calumniatores dixerim, idque non ſine animi mei & dolore, & indignatione; ſpectata tum rei indignitate, tum horum malè feriatorum (vt modeſtè loquar) hominum vanitate, æquum eſt, vt ad vos, ampliſſimi Domini, & Fratres obſeruandi, mea reuerta-

uertatur oratio. Cauſſam, quam initiò vobis viri clariſſimi iudicandam propoſui, ſatis vt puto, perſpicuè explicaui: ac cur ſentiam hoſce meos aduerſarios à Spiritu vertiginis agitari, rationes non infirmas attuli. Vos vt prudentes, & tum ſacrarum literarum, tum iuris diuini atque humani, tum denique rerum peritiſſimi, facilè ex iis, quæ dicta ſunt, facere poteſtis de tota hac cauſſa iudicium.

Nunc gratulor vobis ex animo, totíque Belgio, iſtam ſingularem Dei, qua vos dignatus eſt, benedictionem: nempe, quòd vbi antea tyrannus Sathan, ſuum cuſtodiens regnum, omnia ſua in pace poſſidebat, filios autem Dei crudeliter affligebat: ibi nunc Chriſtus, eiecto tyranno, vtpote fortiori illo, & erecto ſui Euangelij vexillo atque ſceptro, ſedem ſui regni collocauit, feliciterque regnat: Et in medio inimicorum ſuorum, ciuibus ſuis è manibus Sathanæ eripiendis, à ſeruitute peccati liberandis, vera conſcientiarum & Spiritus libertate donandis, dilectione inter ſe conciliandis, ſpe ad æternam vitam erigendis, fide contra omnia aduerſa ſuſtentandis, vi ſui Spiritus indies magis ac magis renouandis, variis beneficiorum generibus afficiendis, & ad perfectam æternæ vitæ poſſeſſionem diſponendis ac perducendis, fremente Sathana, dominatur.

Quid enim hoc incomparabili & multiplici beneficio maius? quid præſtantius? quid veſtræ, veſtrorumque liberorum, ciuiumque omnium ſaluti conducibilius deſiderari à vobis poterat? Magnum eſt, è poteſtate crudeliſſimi tyranni liberatum eſſe: maius, liberè ſub optimo, ſapientiſſimo & potentiſſimo Principe viuere: Maximum multis & præclaris beneficiis quotidiè cumulari. Quid verò, ſi etiam regni ſui participem ac conſortem te efficiat? Hæc autem à Chriſto apud vos iam regnante accepiſtis, & quotidie magis ac magis accipitis: ſi quidem verbum eius, quod vobis purè prædicatur, attentè auditis, ac vera fide percipitis; & ab eiuſdem Chriſti Spiritu vos ipſi regi, ac duci, ſine repugnantia & reluctatione permittitis. De iis enim intelligitur, præter alia, illud Apoſtoli ad Epheſeos. *Cap. 4.* Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Eratis tenebræ, hoc eſt, vt anteà explicârat, verſabamini in vanitate mentis veſtræ, cogitationem habentes obtenebratam, & abalienatam à vita Dei, propter ignorantiam quæ in vobis erat, ex obdurationecordis veſtri, &c. Tenebræ igitur iſtæ tria ſummatim complectuntur, ignorantiam Dei, animíque cæcitatem: alienationem à Deo, cordiſque obdurationem & impœnitentiam: atque ex conſequenti, extremam maximamque infelicitatem & damnationem æternam. Hoc ſanè ſenſu eramus omnes tenebræ: Nunc autem Lux in Domino. Lux quidem: hoc eſt, vera Dei cognitione, vera in Chriſtum fide, vera iuſtitia & ſanctitate prædíti, & veræ, æternæque felicitatis participes effecti: in Domino autem, tum quia in ipſo, tanquam in capite, per imputationem tales ſumus; tum quia per ipſum ſuo in nobis Spiritu operantem, horum beneficiorum reapſe participes ſimus. Quid igitur felicius, quàm eſſe in regno Chriſti, & ab hoc cœleſti Monarcha gubernari? Omnes ſiquidem boni & veri Principes ac Reges in hoc intenti ſunt & eſſe debent, vt nihil prætermittant, quò ſui ciues ſint verè boni, honeſti, iuſti ac religioſi, & in pace ac charitate cum proximo, eoq; feliciter viuant; quemadmodum de officio eorum docet Apoſtolus: ſed licet, ad externa pietatis, honeſtatis & iuſtitiæ opera quod attinet, *1. Tim. 2.* vtcunque retinere ſuos ciues in officio poſſint: reuera tamen ab innata impietate, iniuſtitia & cordis impuritate eos purgare, & verè bonos atque iuſtos per ſe efficere nunquam poterunt. Quid ita? quia ius quidem habent & poteſtatem in corpora; in animas autem nullam, vt eas vel occidere, vel viuificare queant: & externis quidem legibus præcipere poſſunt, ſed eas in cordibus ſcribere, vt Chriſtus, non valent; & externo etiam gladio ſcelera compeſcere, ſed gladio Spiritus vitia è cordibus tollere, vt facit Chriſtus, minimè poſſunt. Solius enim noſtri cœleſtis Regis eſt illa

vox: Auferam cor lapideum, & dabo cor carneum. Sub quo igitur Principe feliciùs, quàm ſub Chriſto & in Chriſti regno, viui poteſt? Eſt præterea noſter Rex, &
Matt.28. ſemper & vbique cum ſuo populo præſens, omneſque noſtras videt neceſſitates, audit gemitus, inuocantes exaudit: quæ certè præſtare Reges mundi non poſſunt.

Compendioſa quoque & facilis eſt ratio, qua ſuos regit populos Chriſtus. Omnia enim agit ſuo verbo & Spiritu: Verbo, inquam, nunc nudo, nunc Sacramentis veſtito. Ipſe item ſolus omnia agit & regit, id quod certè Principes mundi facere non poſſunt. Etſi enim dedit Apoſtolos, Prophetas, Doctores, Paſtores, ad inſtaurationem Sanctorum, & ædificationem Eccleſiæ, ipſe tamen eſt, qui omnia agit in omnibus: in Paulo plantat, in Apollo rigat, per ſeipſum dat incrementum. Proinde omnia in iſto regno benè ſuccedunt, & omnia in electis cooperantur in bonum.

Quid, quòd non ſolùm & ſpiritualia bona liberaliſſimè in hoc regno, omnibus ciuibus, pro menſura doni Chriſti, diſtribuuntur: ſed etiam bonorum huius mundi tantum cuique ſuppeditatur, quantum ad piè ſanctéque viuendum ſit ſatis? in quem finem diaconos quoque in hoc ſuo regno inſtituit, vt per eos bona pauperibus, pro cuiuſque neceſſitate diſpenſentur. Huic beneficio accedit, quod ſuo verbo & Spiritu efficit, vt quiſque ſua ſit ſorte contentus, & in eo vitæ genere, ad quod vocatus eſt, læto animo permaneat.

Adde iam & aliam ingentem & ſuauiſſimam benedictionem, quòd hic Rex ſuo verbo & Spiritu efficit, vt ciues ſeſe ſincera caritate complectantur, vt hoc vinculo vnum fiant, ſicut & Pater & Filius vnum ſunt. Quæ res certiſſima eſt nota, qua veri ciues huius regni à non ciuibus diſcernuntur, dicente Rege Chriſto: In hoc cognoſcent homines, quòd ſitis mei Diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.

Coniugia item ſuorum ciuium ſanctificat, & thoros reddit immaculatos, efficitque vt vir & vxor non tam corpore, quàm animo reuera vnum ſint in Domino, vt filios procreent non mundo, ſed Chriſto, quibus eius regnum in finem vſq; mundi impleatur. Hoc verò mirabile eſt in hoc regno, quòd iſte Rex vult & efficit, vt regna mundi ſuo regno ſubiiciantur: & viciſſim vult ac efficit, vt ſuum quoq; regnum regnis mundi ſubdatur. Regna mundi regno ſuo ſubiicit, dum efficit, vt reges cum ſuis populis tracti à Patre, ſeſe Chriſto ſponte ſubiiciant, eiſque tanquam Regi Regum, fidem & obedientiam promittant, Baptiſmatis Sacramento obſignentur, regno eius incorporentur: ita vt, licet fiant nutritores & protectores Eccleſiæ, omnibus tamen Chriſti legibus & inſtitutis, tanquam ſuaui iugo, non minus quàm reliqui ciues, ſua ex animo ſubdant colla.

Suum verò regnum ſubiicit mundi regibus: dum efficit, vt quemadmodum ipſe, cùm in mundo verſaretur, ſublimioribus poteſtatibus, quibus tamen ipſe vt Deus gladium dederat, vt homo ſubiectus fuit: ita etiam eiſdem, ciues ſui omnes, nemine excepto, ſubiiciantur: iuxta mandatum, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta eſto. Sed quouſque? Dum ſubiectio, quam debent ſuo Regi Chriſto, non violatur, & libera manet conſcientia. ita nunquam niſi Chriſto, Spiritu ac conſcientia ſubiecti ſunt ciues huius regni.

Regnum autem hoc, ideo regnum cœlorum in ſacris literis appellari ſolet: quia licet in terris quoque ſit, & in hoc mundo: non eſt tamen è terra, nec de hoc mundo, vt Chriſtus apertè Pilato proteſtatus eſt: ſed è cœlo eſt, cœleſtia tractat, ad cœlum ducit, in cœlo conſummabitur: vt πολίτευμα noſtrum ſemper ſit in cœlo. Quanta igitur in hoc regno felicitas?

Etſi verò vbicunque ſunt electi, ſiue pauci, ſiue multi, in nomine Chriſti congregati, ibi regnum Chriſti eſt: ſpeciatim tamen, vbi publicè ſonat purum Chriſti ver-

sti verbum, puraque eius Sacramenta administrantur: ibi solium suum habere Christus Rex noster, verè dici ac prædicari potest. Hoc cùm iam vobis ipsius Christi beneficio, concessum sit: quomodo possum vobis, quos singulariter amo, non ex animo gratulari?

At variis premimur calamitatibus, domi & foris. Audimus: & dolorem vulnerum vestrorum sentimus: & toto corde Deum, qui vos liberet, precamur. Sed quam ob caussam ista patimini? Propter Euangelium, propter Christum, propter iustitiam. Beati ergo: & meliùs est, si Deus velit, vt bene agentes patiamini, quàm malè agentes. Ipsum etiam regem Christum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam: quid mirum igitur, si nos quoque eadem via in gloriam nobis præparatam adducere velit; Prædestinauit nos, vt essemus conformes imagini Filij eius. Christo igitur passo in carne: & vos eâdem cogitatione armemini. Quotquot enim piè volunt viuere in Christo persecutionem patientur. Nec decet, vt sub capite spinis coronato, viuant membra in delicijs. Hæc est perpetua sors Ecclesiæ: vt qui filius est secundum carnem, persequatur eum, qui est secundum Spiritum. Vobis igitur donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, sed etiam vt patiamini pro illo: & vt stigmata Domini nostri Iesu Christi feramus in corporibus nostris. Sed non sinit Deus vos tentari supra id, quod potestis sustinere: sed dabit etiam vnà cum tentatione euasionem, vt possitis sufferre. Iudicamur enim à Domino: ne cum hoc mundo damnemur. Cruce enim mortificatur vetus homo: huius mortificationem sequitur noui viuificatio. His autem duobus promouetur salus nostra. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.

Neque frumenta in horreum reponuntur, nisi flabellis benè à paleis, aristis & glumis repurgata: Neque lapides in templo Salomonis collocantur, nisi scapellis & malleis benè cæsi: nec coronabitur, nisi qui legitimè certauerit: & quos Deus diligit; corrigit & castigat: Et si compatimur, ac crucifigimur cum Christo, cum illo etiam resurgemus, & conregnabimus: Nec sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: Incredibiles & innumerabiles sunt fructus, quos parit & profert hæc arbor crucis Christi. Quibus? Ciuibus regni Christi: idque benedictione Spiritus eiusdem Regis Christi: qui sua potentia efficit, vt omnia cooperentur in bonum, iis qui diligunt eum, id est, ad hoc regnum electis, & in illud cooptatis. O beatos, qui in hoc degunt regno, & conciues sunt Sanctorum, ac Domestici Dei.

1. Quid igitur nobis restat? Hoc vnum, vt Christum vero, & qui ei placeat, cultu, colamus.

2. Nullus autem ei placet, quem ipse non instituerit. Omnes enim ἐθελοθρησκείᾳ *Coloss. 2.* ab ipso per Apostolum, & per Prophetas damnantur.

3. Quemnam verò ille instituerit, ex solo eius verbo cognosci potest.

4. Verbum autem Domini docet Deum inprimis coli fide, corda purificante: deinde operibus ex fide proficiscentibus: ita vt nihil cultus Dei verè dici possit, nisi & actio seu opus sit, lege Dei mandatum, & fiat ex fide per charitatẽ efficaci: quemadmodum & de primo ait per Prophetam; Frustrà colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum: Et de altero per eundem Prophetam prædicat, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me: item Apostolus: Sine fide impossibile est placere Deo. Quibus duobus additur tertium, nempè gloria Dei, in quam, tanquam in finem vltimum tendat opus, quod fit ex fide: dicente eodem Domino per Iesaiam, Omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, feci eum: Et Christo, sic luceat vestra lux coram hominibus, vt

vi-

videant opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, &c. Et Apostolo confirmante, cùm ait, Omnia in gloriam Dei facite. Finibus enim, non officijs, vt rectè Augustinus docuit, à vitijs discernuntur virtutes. ijs tribus partibus verum Dei cultum constare, tradunt Scripturæ.

5. Distinguiunt autem eædem sacræ literę cultum hũc, in internum, & externum. internus est animi, externus corporis: qui sine illo, cultus rationem non habet: vt etiam cadauer sine anima, homo dici verè non potest. De vtroque Apostolus: Glorificate Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei. Quia enim Deus vtrumque nobis dedit, & animam, & corpus: ideo vtroque etiam se sanctificari velle docet per Apostolum.

6. Est autem internus cultus, motus seu actio cordis fide purificati, cum lege Dei congruens: Externus verò, actio, seu opus externum, à tali corde proficiscens, cum eadem lege Dei consentaneum: quocunque in statu Deo placente quis viuat.

7. Totum verò hunc cultum, tam externum, quàm internum, ideo spiritualem sacræ literæ vocant; quia à spiritu nostro per Spiritum sanctum, quo fideles aguntur, renouato, totus proficiscitur. quo illud Christi: Tales quærit Deus adoratores, qui adorent eum in Spiritu & veritate: hoc est, qui à Spiritu Dei acti, omnia sincerè, ex fide, secundum Dei voluntatem, & ad eius gloriam agant. *Iohan. 4.*

Præter ergo actiones & opera, toti Ecclesiæ in publico cœtu Ecclesiastico communia, quæ communi etiam & recepto nomine cultus Dei appellari solent: tota quoque vita nostra, omnesque nostræ actiones, cultus Dei esse possunt, si ex fide, si iuxta legem Dei, si ad eius gloriam fiant.

8. Christus porrò, sicut totus secundum vtramque naturam Rex noster est: sic totus etiam nobis est, nulla facta naturarum, vel per animi cogitationem, distractione, colendus & adorandus.

Hæc pauca de regno Christi, deque nostro erga hunc Regem officio, quanquam minùs, quàm fortassis decuit, elaborata, vtpote quæ à me cùm variis animi molestiis affecto, tum multis occupationibus, propter hanc communem & vrbis calamitatem, & Scholæ, distento, raptim & succisiuis horis concepta ac conscripta fuerunt: æqui tamen & boni consulatis rogo.

Exiguum verò hoc, quod ad vos mitto, munusculum Miscellaneorum meorum, quæ idcirco vobis, vt antè dixi, dedicaui, vt toti orbi Christiano, meam erga vos obseruantiam testatam facerem, grato accipiatis animo, etiam atque etiam obsecro. Dominus Iesus vos diu incolumes seruet, Ecclesias regat, totamque regionem ab omni hostium genere tueatur, atque in vera pace. ad gloriam sui nominis custodiat. Neustadio: octauo Septemb. Anni M. D. LXXXII.

Ad Lectorem.

SVNT nonnulla de quibus mihi præmonendus es, candide Lector: ne inter legendum hæc Miscellanea, vel hæreas, vel mireris, vel offendaris.

1. Opus hoc in tres libros distinximus, non iuxta rationem temporum, quibus hæc à nobis scripta fuerunt: sed iuxta genera scriptionum nostrarum. In primo libro, rerum gestarum historia propriè continetur, licet multa post lectiones meas, & exhibitas confessiones, contigerint. In Secundo, lectiones, è quibus Theses mihi obiectæ, desumtæ fuerunt: & nonnullæ adiectæ, vt his contra calumniatores nostram tueremur innocentiam, qualis est tractatio de studio hominis Christiani. Sunt autem in secundo Libro addita ea, quæ in tractatione de Perseuerantia desiderabantur. In tertio continetur Confessio, quam iussus conscripseram, & exhibueram Ampliss. Senatui Argentinensi de tribus articulis, Prædestinatione, Perseuerantia, Cœna Domini. In hac Confessione quædam nonnihil mutata sunt, non quod ad sensum, sed quod ad verba attinet: idq; partim breuitatis, partim maioris perspicuitatis gratia. quædam enim, ne actum agerem, detraxi, quia eadem in secundo Libro explicata fuerant, vt suis moneberis locis: quædam adieci, vt quæ obscuriora mihi esse videbantur, ea fierent clariora, semper eodem permanente sensu. Non credo hoc mihi ab vllo viro bono & æquo versum iri vitio; nisi etiam velit me reprehendere, quòd tùm ex tractationibus, tum ex Epistolis, quæ erant ad Dominos Argentinenses, nomina meorum aduersariorum, omniaq; illa, quæ ad nimis manifestam eorum ignominiam faciebant, solis rebus modestè tractandis contentus, expunxerim. Sicut enim pietas Christiana postulabat, vt sanam doctrinam, falsa refutata, propagarem: sic charitas fraterna requisiuit, vt eorum, quibus cum in cœlo fortassis, vt confidere debeo, victurus sum, nominibus parcerem: Neq; eos in Ecclesia militante meis libris traductos relinquerem, qui in ipsa triumphante cum Christo, & beatis Angelis glorioli viuunt. Non enim dubito quin illorum multis, qui cœlestem doctrinam in me, tanquam diabolicam damnarunt, Dominus Iesus, resipiscentia prius donatis, omnia etiam peccata condonarit.

2. Si mireris, quòd in meis confirmandis nunquam, post sacras literas & Patres, testimonijs vsus sim illorum doctorum virorum, qui extra Germaniam docuerunt, sed Germanis contentus, perpetuò vrserim Lutherum, & inprimis Bucerum: cogitare debes, quibuscum nam mihi fuerit disceptatio: cum illis nimirum, qui Caluini, Martyris, Bezæ, & similium testimonia non solum non admittebant, sed etiam execrabantur. Ideo verò vrsi scripta Buceri, & Confessiones ciuitatis Argentinensis; quia hæc non poterant sine summa & ignominia Ciuitatis, & impudentia aduersariorum reijci: & verò etiam, quia ego semper professus, & protestatus sum, quæ docui Argentinæ, & quæ in me damnarunt aduersarij, eam esse ipsissimam doctrinam, quam Argentinæ constanter tradiderat Bucerus.

3. Tametsi in veteribus Miscellaneis, quæ in secundo libro iam habentur, satis & copiosè, & perspicuè, tum de Prædestinatione, tum de Perseuerãtia, atq; etiam de Cœna disseruera m: Non absre tamen tertium librum, in quo Confessio de ijsdem articulis continetur, adieci. Primùm enim id facere coactus fui, quia in exceptionibus, quas meæ præmiseram subscriptioni, & quarum volui in ea mentionem fieri, & ad quas respexi, cùm subscribens ponerem, vt piam AGNOSCO: erat etiam hæc, vt nihil derogaretur doctrinæ, quam Argentinæ docui, & quæ continetur in meis prælectionibus, disputationibus, Confessionibus. Oportuit igitur præter Lectiones, & Disputationes, quænam etiam & quales fuerint illæ meæ Cõfessiones, posteritati indicare: vt ex his quoq; rectum de mea doctrina, ab aduersarijs oppugnata, faciliùs fieri ab omnibus iudicium posset. Deinde verò has etiam euulgare volui, quia licet ad doctrinã quod attinet, à tractationibus non variet; multa tamen noua in Confessionibus continentur, quæ in tractationibus non habentur: noua argumẽta, nouæ explicationes, nouarum quæstionum declarationes, variæ Ecclesiæ Argentinensis confessiones, Buceri disputationes: quæ omnia legisse, nunquam, vt confido, lectorem pœnitebit. Adde, quòd neq; omnis repetitio vitiosa est. sed ea duntaxat, quæ planè inutilis est. Apostolus etiam videbat. sibi à Philippensibus obiici posse, quòd eadem sæpe repeteret; proinde occurrens dixit, eadem scribere vobis me quidem haud piget, vobis autem tutum est. (:)(:)(:)

Quid autem vtilius, quid magis necessarium Christiano homini, quàm vt & benè intelligat, & intellectam firmam retineat doctrinam de prædestinatione, perseuerantia, Cœna Domini?

4. Librum Lutheri de seruo arbitrio ego olim distinxerã in tot capita, quot sunt Paragraphæ in versione Latina, iuxta editionem VVitebergensem, anni 1546. & ita etiam à nobis in hisce Miscellaneis, iuxta hanc partitionem citantur.

Hæc pauca si obseruaueris candide Lector: & facilius quædam intelliges, & alia minùs mirabere. Vale, & nostri haud immemor esto in tuis precibus. Neustadio, 8. Septemb. 1582.

INDEX LOCORVM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, diligenter hoc volumine examinatorum.

Exod.32.vers.32. Nunc autem si remittas peccatum eorum: aut si non, dele &c. 218
Psal.36.vers.23. A Iehoua gressus hominis diriguntur &c. 183
Psal.51.vers.12. Cor mundum crea mihi Deus. 144
Psal.69.vers.29. Deleantur è libro viuentium &c. 212
Psal.139.vers.16. Imperfectum meum viderunt oculi tui &c. 206
Iesa.9.vers.1.2. Populus, qui ambulabat in tenebris &c. 326.255.258
Iesa.6.vers.10. Excæca cor populi huius &c. 242
Ierem.31.vers.31. &c, Ecce, dies veniunt, dixit Iehoua, & feriam &c. 197. & l.3.113
Ierem.32.vers.38 39. Et erunt mihi in populum &c. 198
Ezech.18.vers.24. Si auersus fuerit iustus à iustitia sua &c. 330.282.286
Dan.2.vers.38. Tu es caput illud aureum. Et post te &c. 96.97
Dan.7.vers.2. Videbam in visione mea in nocte &c. ibidem.
Dan.12. A tempore quo ablatum fuerit iuge sacrificium &c. 99
Matth.4.vers.15.16. Terra Zabulon & terra Nephthalim &c. 256
Matth.12.vers.43. Ceterùm cùm impurus Spiritus exierit &c. 166
Matth.18.vers.34.35. Tunc iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus &c. 330.282. &c.287
Luc.22.vers.32. Sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua. 201.147
Iohan.10.vers.28. Ego vitam aternam do eis, nec peribunt &c. l.3.115
Rom.8.vers.2. Nam lex Spiritus vitæ, qui est in Christo &c. 60
1.Cor.6.vers.11. Et hæc eratis nonnulli, sed abluti estis, sed sanctificati &c. 138
1.Cor.10.vers.3. Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt. 136. &c.
1.Cor.10.vers.12. Qui sibi videtur stare, videat ne cadat. 156
1.Cor.10.vers.16. Panis quem frangimus, nónne est communio corporis &c. 313
1.Cor.11.vers.29. Quisquis ederit panem hunc indignè, reus tenebitur corporis &c. 60
2.Cor.4.vers.7.8.9. Habemus thesaurum hunc in testaceis vasculis &c. 193
Gal.3.vers.3. Adeóne amentes estis? cùm spiritu inceperitis &c. 167
Gal.5.vers.4. Gratia excidistis, quicunque in lege iustificamini. 168
2.Thess.2.vers.2. Ne cito à mente dimoueamini &c. 98
2.Thess.3.vers.3. Fidelis est Dominus, qui stabiliet vos &c. 200
1.Tim.1.vers.19. Retinens fidem & bonam conscientiam, qua repulsa &c. 152.159
1.Tim.2.vers.4. Qui (Deus) vult omnes saluos fieri &c. l.3.80
Heb.6.vers.4. Fieri non potest, vt qui semel fuerint illustrati &c. 329.286
Heb.10.vers.29. Quanto peioribus afficietur pœnis, quæ Filium Dei &c. 160
2.Pet.1.vers.9. Nam cui hæc non adsunt, is cæcus est, nihil procul cernens, oblitus &c. 329.286
2.Pet.2.vers.18. Inescant eos, qui verè effugerant eos, qui in errore &c. 129.163
2.Pet 3.vers.5. Illud enim sponte eos latet, cœlos iam olim extitisse &c. 91
2.Pet.3.vers.11. Cùm igitur hæc omnia soluantur, quales oportet esse vos &c. 92
1.Ioan.2.vers.1. Filioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis &c. 289
1.Iohan.2.vers.2. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum &c. 280. & l.3.8
1.Ioan.2.vers.19. E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis &c. 107
Apocal.2.vers.5. Memento vnde excideris. 154
Apocal.11.vers.2. Nam datum est gentibus, & vrbem calcabunt mensibus 42. 98

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM INSIGNIVM: IN QVO LITERA L NON POSI-

ta, priorem voluminis partem: posita, posteriorem, hoc est, librum tertium indicat.

A

ABsentia quid 57
Absolutio priuata an sit in Ecclesiis retinenda 62
Actio Dei generalis & huius doctrinę fructus & necessitas lib.3.pag.31
Quorũ Aduocatus sit Christus 280.& l.3.79
De Aduocato Christo, Theses 328
Ex Agnitione Dei statim oritur amor erga Deum l.3.p.79
Amor Dei duplex 218.319
Amore non eodem Deus omnes creaturas prosequitur ibid.
Amor Dei erga electos fuit & est æternus 269
Amor quomodo Deo tribuatur l.3.p.36
Anabaptistarum dogma de inhabitatione & operatione Christi in hominibus 180
Antichristus quis dici possit 298.72
Argentinensis Synodi Anno 1533. habitæ conclusiones l.3.75
Argentinensis Ecclesiæ ministrorum de prædestinatione conclusiones l.3.76

B

Baptismus quomodo necessarius sit ad salutem 55.308
Baptismus nihil prodest non electis l.3.78
Baptizandi sunt infantes, etsi ignoremus, qui sint electi ibid.
Baptismus est symbolum ingressus in Ecclesiam & communionem Christi l.3.135

C

Carnem veram Christi soli pij, non impij edunt l.3.146.148
Catharini error de paucitate prædestinatorum ad salutem 208
Ad Cœnam Domini, qui accedere possunt, eorum sunt 4. genera 59
De Cœna Domini sententia 313
Inter communionem Christi, quæ verbo tantum, & quæ etiam Sacramentis fit, conuenientia & differentia l.3.135
Κοινωνίας Christi & Ecclesiæ quomodo participes reddamur 85
De cõmunione cũ Deo & Christo Th. l.3.129
In Cœna Domini nec panem verti in corpus, nec corpus realiter in pane esse, nec panẽ esse nudum symbolum, nec extra vsum cœnę panem dici corpus, aut in pane distribui corpus 314
Cœnæ Domini finis præcipuus 316
De Cœna Domini ex Apologia, Thes. l.3.145
In Cœna quod sit hominis Christiani officium l.3.138
In Cœna tria omnibus offeruntur, & à fidelibus percipiuntur l.3.136
Cœnæ Dominicæ verba sine tropo intelligi & explicari non possunt l.3.139
De Cœnæ verborum sensu vnde iudicandum l.3.140
In Cœna verbi, panis & vini vsus l.3.136
De Constantia & immutabilitate Dei, Theses l.3.20.&c.
Cœna Domini ad solos verè fideles, licet imperfectos, pertinet l.3.148
Corpus Christi manibus teri, & ore corporis manducari, & similes Patrum locutiones quomodo intelligendæ 51.56
Corpus & sanguis Christi in quem vsum edatur & bibatur l.3.137
Christum in cœlo manentem fide à nobis edi l.3.145
Corpus Christi tantùm fide manducari 315
Christum percipi tantùm à fidelibus ibid.
Consubstantiatio refutatur l.3.140
Confessio Ecclesiæ Argentinensis, Constantiensis, Memmingẽsis, Lindauiensis de sacra Eucharistia, Carolo V. Imperatori Anno 1530. Augustæ exhibita l.3.143

D

Decretum Dei quid l.3.20
Decreta Dei quomodo immutabilia l.3.21
Deficientium à Christo duo genera sunt 123
Deus omnes homines seriò vocat: & cuius voluntatis respectu hoc sit accipiendum 66
Deus paribꝰ imparia præstãs, cur non sit iniustus aut προσωποληπτης 219.& l.3.56.70.81.82
Deus quomodo omnipotens l.3.24
Deus quomodo velit omnes homines saluos, & non velit omnes saluos l.3.7.8.13
Deus est immutabilis l.3.20
Deus quatenus sit autor actionum omnium tum piorum tum impiorum l.3.24
Deus quomodo mala in impiis operetur, nec tamen sit peccati autor l.3.28
Deus non est iniurius requirendo ab omnibus, quod non dat omnibus l.3.80
Deus quomodo dicatur iustus l.3.32
Non dijudicare corpus Christi, quid significet 60
Dona Dei cur merces dicantur l.3.77

E

In Ecclesia esse, vel non esse, & de Ecclesia esse,

vel non esse, quid sit, & quid differant 110
In Ecclesia, aut de Ecclesia vt aliquis sit, quæ requirantur ibid.
In Ecclesia tria sunt genera hominum, qui dicuntur iustificati, sanctificati, abluti 161
Ecclesia quomodo propter Christum sit liberata 269.327
Ecclesiæ per Christũ redemtio quadrifariam considerari potest 326
Ecclesia nunquam est ἀκέφαλος 327
De Ecclesiæ redemtione per Christum, Theses 325
Ecclesia quid l.3.133
Ecclesiæ liberatio triplex 259
Ecclesiæ liberationis per Christum factæ fructus in pijs 26.326
Inter Electum pium & hypocritam discrimen 13.142
Effectorũ Dei in prædestinatis tum damnandis tum saluandis ordo 225
Electionis vocabulum quid significet, & quotupliciter sumatur l.3.37
Electi & verè iustificati an & quatenus possint amittere fidem & Sp. sanctum 81. 85.62. 69.70.78.79
Electorum & reprobatorum est certus numerus 66.234.300. & l.3.42
Electionis sensus non debet efficere securitatem carnis 68
Electi quomodo dici possint obedire concupiscentiis 69
Electi grauiter peccant contra vtranque legis tabulam 75.307
Electi & reprobi quomodo ad peccãdum inducantur 75
Electi non peccant plena voluntate 133.306. & l.3.100
Electis solis contingit salus & vita æterna 271
De electione sui vnde quis certus sit 271.323
De electione sui, quibus argumẽtis quis à priori, quib. itẽ, à posteriori certus fiat 272.273
Electionis nostrę caussa primaria non est propriè passio Christi 305
Electi quomodo dicantur non renati esse carne 308
Pro electis tantùm Christus efficaciter mortuus est 312
Electi qua nota discernantur à reprobis 323
Electum se esse vnumquenque posse & debere credere 328. & l.3.48
Electio est gratuitò, ante iacta mundi fundamenta facta l.3.43
Electi non possunt perire, eoq; necessariò saluantur l.3.45
In quem finem simus electi l.3.47
De electione non sui solum Christianus certus esse debet, sed & de fratribus in Christo idem confidere l.3.50
Electi soli Deo reconciliati l.3.77
In electis regeneratio perpetua est ibid.
Electi vocantur & illuminantur propter vnicum Christum l.3.79
Non electi non habent veram & efficacem cognitionem Dei l.3.79
Electis solis datur Sp. S. & libera voluntas ad bonum l.3.79
In Electorum gratiam Christus præcipuè est incarnatus l.3.80
An excæcentur & indurentur aliqui ab ipso Deo, vt pereant 243
Qui excæcentur & indurentur 243
Cur excæcentur & indurentur aliqui à Deo 244
Cur excęcẽtur & indurentur alij, alij non 245
Quomodo excæcet & induret Deus, an sola permissione 246.254.323. & l.3.28
An excæcando & indurando reprobos, Deus caussa sit peccati, & illudat hominibus vocans eos ad resipiscentiam 249.250.303. 324. & l.3.10
Excæcationis, indurationis, & in mala impulsionis triplex consideratio 250
Excæcationis & prædestinationis ad excæcationem finis duplex 254.325
De excæcatione impiorum, Theses 323

F

Fidei & Sp. S. amissionis in piis & impiis discrimen 69.76
Vocabuli fidei ὁμωνυμία 152. & l.3.84
Fides tantùm est duplex 191. & l.3.84
Fides vera & iustificans quid 165. & l.3.89
Fides electis semel tantùm datur 85
Fidem habentes an possint abiicere dilectionem 63
Fides vera tametsi nunquã deficit, sæpe tamen labefactatur, & quibus modis hoc fiat, seu quæ caussa efficiens, Item quę caussa finalis seu impulsiua 193.194.195
Fides est donum Dei gratuitum, non tantum quod ad incrementum, sed etiam quod ad initium 236
De fide sua quisque certus esse potest 274
Fides non est caussa, sed nota prædestinationis 302
Fides vera tantùm electorum est 321
Fides fideique fructus effecta sunt electionis l.3.77
Fides hypocritica duplex l.3.84
Fidem miraculorum interdum etiam hypocritæ habent ibid.
Fides vera duplex l.3.85
Fides vera habitualis & actualis est ibid.
Fides vera alia magna, alia parua l.3.86
Fides cur non detur omnibus vocatis, caussa soli Deo nota est 67

Fidei Spiritum & vim habent infantes l.3.85
De fide, Theſes 73
Fidei per verbum & Sacramenta in nobis excitatæ vſus l.3.137
Fides qualis requiratur, vt per eam participes fiamus corporis Chriſti l.3.151
Fides vera eſt viua & perpetua l.3.86
Fiduciæ noſtræ erga Deum fundamentum eſt remiſſio peccatorum l.3.129
Finis omnium rerum conditarum & ſacræ Scripturæ 65
Finem huius ſeculi tria hominum genera negarunt 91
De finis ſeculi certitudine doctrinæ vſus 92
Finis ſeculi quando ſit futurus, an ſciri à nobis poſſit 92
De finis ſeculi certo tempore coniecturæ variæ recitantur & refutantur 93.&c.
Finis ſeculi certũ tẽpus an liceat indagare 101
Finis ſeculi certum tempus cur Deus nolit à nobis ſciri ibid.
Finem ſeculi quæ præceſſura ſint 102
Finem ſeculi præcedentium ſignorũ vſus 104
In quæſtione de fine ſeculi quæ ſeruanda ſint homini Chriſtiano 105
Fœderis inter Deum & nos, tam reſpectu Dei quàm reſpectu noſtri quæ ſint capita l.3.139
Fœderis communicati vſus l.3.137

G

Gratiæ etymologia & ſignificatio 214.318.& l.3.92
Gratia Dei duplex 318
Gratiæ Dei in electis effecta 322
Gratiæ effectus quo ordine Deus in electis operetur 232
De gratia, Theſes 318
Greſſus noſtros à Domino dirigi quid 183

H

Hieroſolyma terrena typus fuit Eccleſiæ Chriſti, & liberationis eius per Chriſtum 326
Hominum quidam ſunt electi, quidam reprobi 218.319.321
Hominis diſtinctio, in interiorem & exteriorem vera eſſe oſtenditur l.3.99
Hoc in verbis Cœnæ quid ſignificet l.3.140

I

ἱλασμὸς totius mũdi quomodo ſit Ieſus Chriſtus, etiam eorum, qui fuerunt à condito orbe, cùm nondum eſſet oblatum ſacrificium 280.282
Cur illuminentur aliqui, aliqui non, non inquirendum l.3.75
Impios, Non impietatem, Deus creat 301. & l. 3.54
Impios cur Deus creet & toleret in mundo l.3.55
De immutabilitate & conſtantia Dei, Theſes l.3.20.&c.
Indigni an & quomodo dici poſſint fieri participes corporis & ſanguinis Chriſti 59.& l.3.140
Infirmitatis noſtræ admonitio ad quid profit 157
Iugum peccati & mortis: exactionis totius legis implendæ: metus iræ Dei: tyrannidis Sathanæ, quomodo confregerit Chriſtus 264.265
De Iuſtitia Dei, Theſes l.3.32
Impij veram carnem Chriſti non verè edunt l.3.146

L

Labi & prolabi in peccatum differunt 184
Liber vitæ quid generaliter & propriè 201 205.317
Liber triplex Deo attribuitur in Scriptura 206.317
Liber vitæ duplex 207
De libro vitæ deleri quid ibid.
Qui in libro vitæ ſemel ſcripti ſunt, an ex eo deleantur 208.317
In librum vitæ nemo ſcribi poteſt, præter eos, qui ſcripti ſunt ante conſtitutionem mundi 213
De libro vitæ, Theſes 317
Cur Liber Mortis non ſtatuatur in Script. 213
Liberatio Eccleſiæ triplex 259
Liberationis Eccleſię per Chriſtum factæ fructus in pijs 263.326
Libertas voluntatis non tollitur, etſi nihil agere poſſimus, niſi per Spiritum ſanctum l.3.72.75
Libero arbitrio opponitur coactio, non neceſſitas ibid.
Libera voluntas ad bonum, tantùm à Spiritu Dei datur l.3.80
Liberè peccant impij, etſi à Deo indurentur, eoque non excuſantur l.3.75.80

M

Malum duplex 252
Manducatio Chriſti duplex 137
Manducationis corporis Chriſti effectus tam in corpore, quã in anima noſtra l.3.143.144
De manducatione corporis Chriſti orali, & impiorum doctrina, cur populo non proponenda, ſed tantùm quæ per fidem fit, vrgenda l.3.153.&c.& 155
Manducatio impiorum pugnat cum S. Scripturis l.3.155.&c.
Qui non maneant in Chriſto l.3.123
Mediatorem cur Deum & hominem eſſe oportuerit 267
Mediator cur dicatur Admirabilis & conſiliarius 268.270

Mediatoris persona qualis l.3.131
Mediatoris officia quæ l.3.131.132
Mediatorem cur necesse fuerit se offerre sacrificium l.3.132
Mem clausi mysterium 277
Meritum Christi quomodo toti mundo commune sit l.3.80
Metus infirmans fidei certitudinem, duplex l.3.125
Misericordia Deo quomodo tribuatur l.3.35
Misericordia Dei duplex ibid.
Misericordię nomine sępe omnes salutis partes intelliguntur l.3.36
Misericordia spiritualis, etsi omnibus offeratur, cur non omnibus contingat l.3.80
De Misericordia Dei, Theses l.3.35
Mortem peccatoris quomodo Deus nolit & velit 66
Mundi varia significatio 282.328
Mysterium quid l.3.140
Ministeriũ verbi & Magistratus reprobis excusationẽ admit, cosq; magis indurat l.3.76

O

Odium in Deo quid significet 302.& l.3.36
Omnipotentia Dei duplex l.3.24
De omnipotentia Dei, Theses ibid.
Opera bona sunt dona Dei 238
Sine operibus bonis nemo adultus venit in cœlum 241
Opera Dei triplicia 295
Opera Dei non semper sunt ponderanda statera legis diuinæ l.3.34
Operum bonorum nihil ex nobis ipsis est l.3.70.73.75
Orationes pro mortuis an sint probandæ 64

P

Peccatum quid 178
Peccati mortalis vox quatenus admittẽda 62
Peccatum quomodo nolit & velit Deus 67.304.312.& l.3.14
Peccata quomodo permittat Deus 67.301.& l.3.8
Peccatorum in electis & reprobis effecta 76
Peccatum regnans seu vastans conscientiam quid 124.139
Peccatum regnans seu vastans conscientiam an in electos cadat 133.& l.3.110
Peccatum tribus modis committitur 147
Peccatum contra conscientiam quid, & quot modis committatur 176
Peccare ex infirmitate quid 178
Peccatorum in sanctis duo genera 181
Peccata sanctorũ quę mala cõsequantur ibid.
Peccata duplicia, omissionis & commissionis 193
Peccata quomodo & quatenus cedant in salutem pijs 204
Peccatum quatenus sub prædestinationem cadat 221.299.320
Ad peccatũ neminẽ prędestinat Deus 224.325
Peccatum contra conscientiam an sit in sanctis 305
Peccata in piis non sunt ipsis mortalia 307
Peccati propria caussa 322
In peccato quouis duo sunt ibid.
Peccatorum tria genera l.3.109
Peccati actualis duo genera ibid.
Inter peccata electorum & reproborum discrimen 69.76.115.133
Perseuerantia quid 130
Perseuerantia electorum in fide & gratia Dei eoque salus certa esse probatur
1. Scripturæ testimoniis 111.&c.196.&c.233.80.&c.84.
2. Argumentis: 114.&c. 128.&c. & l.3.112.&c.
3. Ex Patrib.& aliis Doctorib.116.17.&c.& l.3.116.118
Respondetur ad argumenta contra perseuerantiam sanctorum.
ab exemplis in genere 133
ab exemplo Patrum in deserto 135
Corinthiorum 138
Corinthij incesti: Adami 140
Salomonis:Saulis:Dauidis 141
Petri 146
Iudæ 150
Nicolai Diaconi 151
Hymenæi & Alexandri 152
Ecclesiarum Galatiæ ibid.
Episcopi Ephesinæ Ecclesiæ 154
à triplici genere hominum, qui iustificati fide dicuntur 169
ab autoritate Doctorum nostri seculi & confessionis August. 171
Respondetur ad exceptiones:
1. de finali quidem electorum perseuerantia, sed crebra fidei interruptione 186
2. de electorũ perseuerantia conditionali 188
3. de triplici fide 191
De perseuerantia piorum doctrinæ finis 180
vsus & necessitas 196.202
de Perseuerãtia sanctorum doctrina quomodo in Ecclesia proponenda 202
Perseuerantia in fide est donum Dei 238
de Perseuerãtia sanctorum doctrina non reddit homines securos 307
de Perseuerantia sanctorum, quatenus controuersa, quatenus non l.3.95
Petrus negans Christum non amisit prorsus fidem 77.86
Pœnitentiam quæ tollant 180.184.185
De Pœnitentia doctrinæ summa contra Anabaptistas 181
Pœnæ duplicis sunt generis 252

Præde-

Prædestinare quid significet 221.320.& l.3.38
Prædestinationis sanctorum variæ definitiones 231
Prædestinatio quorum propriè sit 65
Prædestinatio est æterna, immutabilis,& certorum hominum 65.322.& l.3.39.& 42
De prędestinatione doctrinę & disputationis duplex finis 70
Prędestinatio specialiter dicta duobus modis accipitur 220.320
Prædestinationis generalissimè & specialiùs acceptæ definitio, & huius confirmatio 223.320
Prædestinationis generaliter sumtæ caussæ omnes 225
Prædestinationis generaliter sumtæ effectus 225.321
An prædestinati sint omnes absolutè & simpliciter vel ad vitam vel ad mortem 226
An sub prædestinatione contineantur omnia tam mala, quàm bona, quæ admittunt homines 227
Prædestinatio an sit caussa peccati in impijs: & an reprobi sint prædestinati ad peccandum,quia prædestinati ad eas actiones,quę peccata sunt 230.321
Non prædestinat Deus in præsenti 233
Prædestinationem electorũ totam merè gratuitam esse probatur rationibus & testimoniis Script. 234.236.240
Prædestinatio an ex operibus pręuisis facta sit 234.& l.3.71.&c.
An prædestinârit Deus ab æterno ad excæcationem & indurationem,quos excæcat, & indurat:& quatenus 225.251
An & quatenus prædestinarit quempiam ad malum 252
Prædestinationis electorũ effectus in ipsis 273
Prędestinationis caussa,nempe voluntas Dei, quomodo nobis nota sit 304
De prędestinatione doctrina sine doctrina de sapientia, iustitia, misericordia & alijs Dei proprietatibus non intelligitur l.3.5
Prædestinatur ad vitam æternam nemo conditionaliter 321
Prædestinationis ad excæcationem duplex finis 325
Nec prædestinati ad vitam sunt omnes,nec omnes ad mortem reprobati l.3.40
Prædestinatio ad vitam æternam est in Christo facta l.3.44
Prædestinati ad vitam æternã,sunt etiam prędestinati ad media, ad vitam æternam consequendam necessaria ibid.
De prædestinatione doctrina non tollit præceptiones,correptiones &c. l.3.58
De prædestinatione doctrina etiã populo est proponẽda,sed sobriè & prudẽter l.3.59.&c.
De prædestinatione doctrina in Ecclesijs vtilis & necessaria est l.3.63
De Prædestinatione sanctorum, Thes/s 319
De prædestinationis & salutis nostræ certitudine, Theses 325
De prædestinatione Dei æterna in genere, Theses l.3.39
De prædestinatione sanctorum, Theses l.3.43
De prædestinatione & reprobatione impiorum, Theses l.3.51
De prędestinatione doctrina an sit prędicãda, & quomodo & quibus de caussis, Th.l 3.59
Præscientia Dei quid significet 319
Præscientia dupliciter sumitur 319.& l.3.37
Inter præscientiam, prouidentiam, & prædestinationem discrimen 220.319
Prędscientia Dei quomodo sit omnium rerum caussa 301
Præscientia Dei non tollit libertatem in hominibus l.3.6
Præscientia Dei æterna est & certissima l.3.5
Præscientia quid 57
Præsentia corporis Christi in Cœna qualis sit admittenda,qualis non 51.56
Præsentia Christi in verbo & sacramentis eadem l.3.152
Principatus quomodo & cur super humerum Christi 268
Promissiones gratiæ quomodo sint vniuersales 62.66.86.301.310
Promissio gratiæ an nullo modo ad eos pertineat, qui sunt extra Ecclesiam, ac proinde nec baptizati 63
Promissioni salutis cur Deus interdum adiiciat conditionem 287
Promissiones Dei aliæ absolutæ, alię cõditionales,omnes autem immutabiles l.3.25
De promissionibus, Theses 73
ἀφορίζειν quid significet 222.320

R

Recõciliatio nostri cum Deo non potest fierĩ sine Mediatore l.3.130
Regnum Christi an tantùm sit cum verbo & sacramentis 63
Regni Dauidici duæ partes 278
Regnum Christi quomodo instauretur iudicio & iustitia 279
Reprobare quid l.3.81
Remissio peccatorũ semel impetrata an possit fieri irrita, siue Dei respectu siue nostro vitio 282.288.329
Reprobatum esse aliquem ideò, quia in peccata labitur,an sequatur 68
Reprobi nunquam verè cõsequuntur remissionem peccatorum 284
Pro reprobis an Christus intercedat 302
Reprobationem esse ab æterno factam l.3.81

Reprobi propter ipsorum peccata ad æternas pœnas prædestinati sunt l.3.53
Reprobi necessariò damnantur l.3.55
Reprobis ministerium verbi & magistratus adimit excusationem eosq; magis indurat l.3.76
Reprobi peccant ad mortem l.3.76
Pro Reprobis non est orandum ibid.
Reprobi cur excęcentur & indurentur à Deo 323

S

Salus nostra tota est gratuita 215.319.&l.3.36
Salutis nostræ causſæ quatuor l.3.19
Salutis humanæ negotium quo ordine à Deo perficiatur 74
Salutis nostræ gradus 213.318
Sanctitas generalis & specialis quid 138
Sanctis post peccata opus est noua recõciliatione cum Deo & Sp.S.renouatione 187
Sancti qui dicantur l.3.93
An Sanctus quisque duplici constet homine, interiore & exteriore l.3.99
Sancti quomodo volentes peccent l.3.100
Sanctus idem, cur malum, quod non vult, agat eoq; & velit,& bonum, quod vult, non faciat,eoq; & nolit l.3.105
Sancti an perseuerent in peccatis l.3.111
Sancti an in fide semel donata perseuerent l.3.112
Spiritus sanctus quo sensu non detur aut efficax sit sine verbo 55
Sp. Sancti & fidei amissionis in pijs & impijs discrimen 69.76
Spiritui sancto quomodo homines resistere dicantur 310
De sapientia Dei, Theses l.3.5
Scandalorum tria genera solent oriri, cum oriuntur sectæ:& quomodo ijs occurrẽdum 109
Scriptura vniuersa in duas secatur partes 289
Securitas duplex 158
Securitas Spiritus & fidei quid ibid.
Securitas carnis quid ibid.
Studia hominis Christiani sunt duo, eaque semper coniuncta 289
Studium vitãdi peccata & finis omnium Scripturarum & omniũ operũ Dei 293.294.&c.

T

Tentatio diabolica quid 124.145
Tentatio humana quid ibid.
Tentatione diabolica qui tententur 125
Transsubstantiatio refutatur l.3.140

V

Vaticinia, quæ Apostoli & Euangelistæ de Christo citant ex veteri Testamento, duplicis sunt generis 256
Vaticiniorum, quæ ex Prophetis ad Christum & eius regnum ab Apostolis & Euangelistis accommodantur, quis scopus 256
Non veniens ad Christum, etsi non possit venire, damnatur iustè l.3.75
Verbi & sacramentorum idem finis l.3.135
Verbi, panis, & vini in Cœna vsus l.3.136
Vita æterna donum Dei est 239
Vita æterna, Spiritus sanctus, & Fides inseparabiliter coniuncta sunt l.3.47
Vniuersales locutiones interdum συνεκδοχικῶς sunt restringendæ 281
Vnio nostri cum Deo quomodo per Mediatorem fiat l.3.131
Vnio nostri cum Christo in quibus consistat l.3.135
Vnionis nostri cum Deo ordo l.3.129
Vnio nostri cum Deo est perfecta nostra felicitas ibid.
Vnio nostri cum Christo quomodo fiat l.3.134
Vocatio Dei duplex 67
Voluntas duplex in homine renato 115
Voluntates contrarias non poni in Deo 303
Voluntas Dei alia conditionalis & reuelata, alia absoluta & arcana l.3.6 &c.
Voluntas Dei absoluta & omnium rerũ caussa prima, atque etiam salutis nostræ l.3 7
Voluntatis absolutę respectu omnia fiunt necessariò l.3.8
Voluntas reuelata nobis sequenda, non scrutanda arcana l.3.11
Voluntatis Dei nulla caussa efficiens aut mouens l.3.12
De voluntate Dei immutabili doctrinæ vsus l.3.20
Voluntas Dei sola & decretum est caussa salutis & bonorum operum in nobis l.3.71
De voluntate Dei, Theses l.3.7
Voluntates malas cur non mutet Deus, & ad similes humanæ prudentiæ querelas responsio l.3.30

H. ZANCHII

MISCELLANEORVM, LIBER PRIMVS.

EPISTOLA

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM H. M. PHILIPPVM SENIOREM LANTGRAVIVM, CVI LIBER DEDICATVS FVERAT:

In qua

Continetur Historia de prioris dissidij Argentinensis ortu, progressu, exitu, compositione, déq; his quæ compositionem consecuta sunt.

CVM ANNOS NONPAVCOS, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, Sacras literas sinceriorêmq; Theologiam Argentinæ professus essem, nihil verò, vt alij solent professores, lucubrationum mearum præter προλεγόμενα quædam in Physica Aristotelis, quem extra ordinem aliquot annos ibidem interpretatus sum, foras dedissem: superiori tandem anno quædam mea αὐτοσχέδια, nimirum hæc Theologica miscellanea, cuidam singulari amico, & optimo viro atque typographo, imprimenda dedi: eáque T. Illustrissimæ Celsitudini certis de caussis, quas postea explicabo, dicaui. Verùm liber cùm esset sub prælo, opera quorundam qui autoritate valebant, in medio cursu interruptus atque suppressus, prodire in lucem nisi nunc primùm recusus, non potuit. Caussa verò cur illum supprimendum curauerint viri illi: non fuit quòd aut vllam contineret hæresin, aut in quempiam esset contumeliosus, quemadmodum facilè videre est, si quis Librum inspiciat: sed, si licet dicere quod facilè est σχάζεσθαι, imò quod postea rei euentus docuit, ea fuit, vt maculæ quorundam amicorum, quorum existimationem omnino sartam tectam esse debere iudicabant, luce veritatis sepulta, perpetui silentij tenebris contegerentur. Atq; id quidem rectè & prudenter: si citra aliorum etiam quamplurimorum, quorum existimatio non minùs quàm illorum paucorum, erat curanda, infamiam: si citra ipsius veritatis iniuriam: si citra apertum Ecclesiæ damnum: si deniq; citra gloriæ ipsius Dei periculum: cælari veritas potuisset. Fuerant enim ab illis amicis, quorum caussa Liber meus fuit suppressus, primùm quidem propositiones aliquot piæ omnino atque Christianæ, vnà cum autore qui eas in Schola palàm non semel tradiderat: apertis Scripturarum testimonijs comprobarat: autoritatibus Patrum, atque in primis Augustini, confirmauerat: doctissimorum etiam nostri seculi virorum, Buceri præsertim, sententijs communierat: tandem non modò nouitatis, sed etiam hæreseos, tum voce tum scriptis damnatæ: idque pertinaciter per multos supra annum menses. Deinde verò nonnullæ eiusdem sui Collegæ lectiones, illæ nimirum vnde Theses excerptæ fuerant: ita in vniuersum apud multos traductæ, vt eas prorsus intolerabiles esse dixerint. Postre-

mò grauissimæ, illæque penè innumerabiles calumniæ, contra eundem fratrem & nouem annorum Collegam, quibuscunque fieri potuit modis, in vulgus sparsæ. Contrà verò hic Liber continebat tria scriptionum genera: nimirum Iudicia multarum Academiarum & Ecclesiarum, earumque Germanicarum, quibus Theses ab amicis illis damnatæ, omni hæreseos crimine liberabantur: Lectiones ipsas de quibus erat quæstio. Ac demum calumniarum multarum depulsionem.

Neque verò hæc inuulganda curaueram aut temerè, aut præcipitanter, aut inuidiosè, malóue in accusatores meos animo. Principiò enim graues caussæ, ea vt in lucem darem, me compulerunt, gloria Dei, amor veritatis, vtilitas Ecclesiæ, existimatio multorum, qui meam doctrinam non refutatam, neque legitimè cognitam, condemnari nolebant, deniq; meæ innocentiæ meiq; ministerij defensio. Deinde non statim de principio hæc inuulganda curaui: sed tum demum, cùm vidissem omnia à me frustrà tentata fuisse remedia, eáque honesta, amica, Christiana, quibus sublato omni dissidio, veritas suo restitueretur loco: nimirum biennium ferè post factam contra me accusationem. Nullo verò malo in quempiam animo me, vt hic Liber in lucem prodiret, curasse, inde satis luculenter apparet: quòd & perpetuò quæsiui, vt articuli mihi obiecti, hæreseôsque damnati, aut publica disputatione in Schola, vt moris vbique est, discuterentur: aut amico colloquio cognoscerentur, totáq; materia dissidij tolleretur. Et in ipso Libro, nemo vllis conuitijs aut contumelijs à me afficiebatur, imò ne nominabatur quidem: quanquam ego fuerim ab illis, multis & iniurijs & contumelijs affectus atque lacessitus. Neq; enim ignorabam illud ab ethnico etiam homine traditum & multis rationibus confirmatum: Βέλτιον εἶναι τὸ ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν. Multò minùs me latebat illud Salomonis: non esse in conuitiatores regerenda conuitia, ne vnà cum illis nos etiam stultescamus: & præceptum Christi saluatoris nostri: Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, μὴ ἀντιξῆναι τῷ πονηρῷ, animo obuersabatur meo. Sed vicissim etiam è Scripturis didiceram, neque boni esse viri ad iniusta obiecta crimina prorsus tacere: neque boni Doctoris, sanam doctrinam damnantibus nihil respondere. Qui enim dixit: Ne respondeas stulto iuxta stultitiam eius, ne similis ei fias etiam tu: idem mox subiecit, Responde STVLTO iuxta stultitiam eius: ne sit sapiens in oculis suis. Et qui dixit μὴ ἀντιξῆναι τῷ πονηρῷ: idem suo exemplo docuit calumnias esse depellendas. Apostolus verò de Episcopis & Doctoribus tradit, eorum officium esse non solùm παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ: sed etiam τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν.

Cæterùm quò, Illustrissime Princeps, meliùs & clariùs ceu in picta tabella videre possis, iuréne, an iniuria Librum hunc, & anno superiori ante compositum dissidium, cudendum curauerim; & nunc post illam qualemcunque compositionem, recusum in lucem mittam, exorsus à mea in Scholam Argentinensem vocatione, principiò breuiter ostendam tum quibus legibus eò fuerim vocatus, & post biennium confirmatus: tum quo pacto me in officio meo, fidelitérne an secus, gesserim. Deinde explicabo, quæ initia, quos progressus, & quem tandem finem habuerit dissidium illud molestum sanè ac diuturnum. His subijciam, quæ post illam & propter illam qualemcunque compositionem contigerunt: nimirum quæ nouæ contra me calumniæ, verbis & scriptis sparsæ: quæ noua crimina mihi obiecta, & quid de ijs actum fuerit. Ad extremum referam quæ nuper aduersum me vnus ex meis aduersarijs nullo à me prouocatus verbulo, scripserit; & edito etiam Argentinæ libro in vulgus sparserit falsa crimina, conuitia, maledicta. Nam hęc nouis illis superioribus post compositionem contra me dictis & scriptis calumnijs atq; criminationibus addita: tandem coëgerunt me, vt hic Liber recuderetur, curare: totiúsque tum prioris tum posterioris dissidij historiam breuiter in hac epist. explicare, eoq; totam meã caussam, Tibi in primis, deinde & alijs omnibus Principibus & Ecclesijs Christi, iudicandã proponere: quando nulla alia ratione defendere me contra

totta-

tot talesque accusatores mihi vnquam licuit, aut etiam spes est fore, vt liceat. Non fuerit autem inutile etiam posteris, talem historiam legisse.

Duæ itaque præcipuæ sunt res quæ Argentinam vrbem per se multis nominibus celebrem, celeberrimam reddiderunt: Schola nimirum, hoc est, celeberrimi viri qui eam Scholam feliciter aperuerunt, inq; ea felicissimè docuerunt, Bucerus, Capito, Caluinus, Martyr, Hedio, &, vt de aliis aliquot taceam Ioannes Sturmius, primarius formæ illius Scholæ autor, nunc autem vnicum totius Scholæ ornamentum. Deinde ipsa religionis Christianæq; doctrinæ puritas, quæ ibi tum maximè viguit cùm ibidem etiam verum ageret Episcopum doctissimus simul atque pijssimus, honorificæ memoriæ Martinus Bucerus. His duabus præcipuis laudibus accedit tertia: nempe ipsius Magistratus tum pietas, qua omnes ad se religionis ergò confugientes, humanissimè excipiebat: tum æquitas, qua illorum neminem ad vllum doctrinæ genus aut formam præter eam quæ expressa est apertè in Sanctis literis, vel recipiendam vel tractandã astringebat. Hæc triplex Argentinæ laus, effecit vt à tempore recepti Euangelij, infiniti propè non vulgares tantùm homines, sed viri etiam insignes, non tantùm ex varijs Germaniæ prouincijs, sed etiam ex omnibus ferè totius Europæ Nationibus, in eam vrbem confluxerint, atque etiamnum, saltem bonarum literarum gratia confluant. Eadem etiam hæc laus, effecit vt ego quoque cùm in eam Scholam docendi gratia vocarer; eò non solùm venire non recusarim, sed etiam libenter venerim; & eo libentiùs, quòd omnino sperabã, futuram mihi cum alijs professoribus Theologis perfectam in doctrina consensionem, propter Bucerum; cuius & illi fuerant auditores, & ego absens discipulus. illius enim scripta, auidè legerã in Italia: & ex illis cum primis profeceram in vera Theologia. nam & Martyri, & deinde etiam mihi visus fuerat, omnium qui in Germania docebant, doctissimus Theologus. Mea autem vocatio in hunc se habuit modum. Anno M.D.LIII. cùm in demortui Doct. Hedionis locum, Theologus aliquis esset sufficiendus, qui sacras Literas in Schola profiteretur, virille nõ tam sanguinis nobilitate quàm eruditione & virtute clarissimus Iacobus Sturmius, tunc temporis primarius Scholarcha, & duo alij clarissimi illius Scholæ præfecti, Iacobus Mejer homo pius, & Fridericus Gottesheimius, vir prudentissimus, adhibitis in deliberationem Rectore & Visitatoribus, Io. Sturmio, Petro Dasypodio & Christiano Herlino, viris non tantùm doctissimis, sed etiam scholæ amantissimis & studiosissimis Patribus: decreuerunt Italum aliquem qui non multùm absimilis esset Martyri, in locum demortui Hedionis vocare. Atque huiusce rei curam Cælio Secundo Curioni homini Italo, & politioris literaturæ in celeberrima Basilienssium Academia tum temporis professori eximio, literis ad eum datis iniunxerunt & commendarunt.

Ego tum recens egressus eram Italia, religionis caussa; idq; prouocatus exemplo Illustris Comitis Martinengi Maximiani, viri pij & docti, fratrisq; in Domino charissimi, quo cum familiarissimè annos fermè XVI in sancta amicitia vixeram. ambo enim fueramus Canonici Lateranenses, quos Regulares vocant; ambo eiusdem ætatis, & ferè eiusdem ingenij ac voluntatis: ambo in ijsdem studijs simul versati, Aristotelis, Linguarum, & Scholasticæ Theologiæ: ambo denique simul, cùm Martyrem Lucæ, Epistolam ad Romanos publicè interpretantem, & Psalmos priuatim suis Canonicis explicantem audiremus: cœpimus animum adijcere ad studium S. literarum; deinde etiam ad longè meliorem ipsis Scholasticis libris atque Doctoribus, Patrum, atque in primis Augustini, ac demum nostri etiam temporis doctissimorum quorumq; Interpretum lectionem. Ac per annos quidem aliquot, Euangelium Christi quàm potuimus purissimè prædicauimus: quanquam ille, vtpote maiori Spiritu Dei præditus quàm ego, liberiùs semper & apertiùs: ac proin-

de etiã prior me, cùm Mediolani structas sibi insidias sensisset, propter Euangelium, Italia valere iussa, concessit ad Rhetos; ac non ita multò pòst Geneuam: vbi etiam primus pastorem Ecclesiæ Italicæ aliquot annos fidelissimum egit: ac demum vbi venit hora, obdormiuit in Domino, optimus vir, charissimus frater, beata anima.

Cælius itaque, vt eò, vnde digressus sum, redeam, perspecta Præfectorum Scholæ Argentinensis voluntate: egit primùm per literas cum comite Martinengo, vt conditionem Argentinensem acciperet. Cùm verò ille, quòd nollet suam Ecclesiam deserere, recusàsset: cœpit me cùm per Paulum Gaddium virum pium & doctum tum Geneuæ degentem, & postmodum Tellinensis Ecclesiæ in valle quam Latini scriptores Volturrenam, vulgò Valtellinam vocant, Pastorem effectum, ad illud honorificum munus hortari: tum deinde ipse coràm & per se, tot rationibus extimulare & permouere, vt tandem assensus fuerim: sed ea conditione & lege, vt liber tantisper manerem, donec ea fide quam ego Martyri (huic enim promiseram: me in Angliam, quò inuitabar, venturum) & quam forte fidem Martyr Archiepiscopo Canthuariensi pro me obstrinxerat, liberarer; totumque hoc cum bona vtriusq; illius gratia fieret. id quod postea etiam factum fuit. Iacobus igitur Sturmius, & alij duo Scholarchæ, cùm intellexissent de Cælio quæ mea esset erga se voluntas: hasce ad me dederunt literas, tribus, hoc est, suo cuiusque sigillo obsignatas.

Scripsit ad nos Cælius Secundus, te animum à nostra Republica, Hieronyme Zanche, non alienum gerere: neque recusare nobiscum viuere ea qua fuit Petrus Martyr conditione. Gratissimum id nobis fuit cognoscere: præsertim notatis istis virtutibus quas in te Cælius esse scribit & affirmat. Primum igitur quod officij nostri est: gratiam habemus de hac tua voluntate. deinde idem tibi quod Petro Martyri, & quod felix faustúmque sit Ecclesiæ & Scholæ nostræ, munus eandemq; disciplinæ functionem damus atque committimus. Promittimus etiam eadem stipendia & laborum consimiles fructus. Et quantum in nobis est, curabimus vt non minùs apud nos libenter futurus sis, quàm Petrus Martyr fuerit. Itaq; rogamus vt & libenter venias, & venias quamprimum. Viaticum quantum iter illud requirit, tibi à procuratore Brechtherorum Martino Voglero Venetijs in ædibus Germanorum numerabitur cùm primùm postulabis. Vale. Argentorati 25 Februarij, anno L III. *Iacobus Sturmius suo & Collegarum nomine.*

Hanc Scholarcharum Epistolam, hìc intertextàm iccircò volui; vt omnes intelligant, & quam beneuolentiam mihi promiserint, & quibus conditionibus me vocarint Argentinenses. Ac quod ad promissam beneuolentiam attinet: nõ habeo quod de meis Argentinensibus conquerar. Nam ante dissidium, fuit ea mihi multis officijs & beneficijs præstita ac declarata: post excitatum autem dissidium, permulti certè tam ex nobilibus quàm ex plebe, caussam meam bonam, strenuè defenderunt, & omni humanitatis officio me sunt ad finem vsq; prosequuti. forem autem ingratus simul & iniquus, si propter pauculos aliquot, de tota & præsertim tali ciuitate, vellem conqueri: præsertim cùm quod ad reliqua attinet, ab ipsis semper fuerim liberaliter ad finem vsq; tractatus: qua de re sicut egi coràm, ita etiam nunc ago immortales gratias. Cæterùm quod attinet ad ipsas quibus vocatus fui, conditiones: principiò apparet ex literis Sturmianis & ipsius Collegarum, ijsdem planè conditionibus me Argentinam fuisse vocatum, quibus etiam ibi antea fuerat, vixerat & docuerat Petrus Martyr. Ille autẽ quandiu docuit Argentinæ tempore Buceri, nunquam coactus fuit vel Augustanæ Confessioni vel alicui alij formulæ, vt vocãt, doctrinæ, subscribere; sed semper liberè pro suo iudicio iuxta Analogiam fidei, licuit ei sacras literas interpretari: modò quæ doceret, publicis etiam disputationibus, vt moris est in omnibus rectè institutis Scholis & Academijs, defenderet. Idem mihi licuit totum priorem annum. Hoc elapso anno, & mortuo iam clarissimo Iacobo Sturmio, Mecœnate meo: postulatum à me fuit, vt si vellem in Schola docere, Augustanæ

gustanæ Confessioni subscriberem. Ego posteaquam meas rationes attulissem cur non simpliciter & absolutè subscribere vellem, quòd præter alia is honos debeatur solis S. literis, quippe quæ etiam solæ, norma & canon sunt & esse debent omnis doctrinæ Christianæ; tandem cum hac exceptione subscripsi: *Modò orthodoxè intelligatur.* Quia verò id cuius potissimùm gratia à me subscriptio petebatur, erat ille benedictus articulus de Cœna Domini: idcircò ne quempiam fallerem, meam volui de hoc articulo breuiter explicare sententiam: quæ hæc fuit, tribus constans capitibus. Primò: Verum Christi corpus pro nobis traditum, & verum eius sanguinem in peccatorum nostrorum remissionem effusum, in Cœna verè manducari & bibi. Secundò: Verùm id non ore & dentibus corporis, sed vera fide: Tertiò, ideoque à solis fidelibus. Cui explicationi ita assensi fuerunt Domini Scholarchæ: vt & nobilis Petrus Sturmius honorificæ memoriæ, & Iacobus Meier ambo pijssimi senes, mihi arridendo in hæc verba responderint: *Hæc quoque est nostra fides: non enim est cibus ventris, sed mentis.* Rem autem ita se habere, Deum optimum, coram quo sancti illi viri nunc beatè viuunt: in testem voco. Neque mirum illud videri cuipiam debet. sic enim didicerant á veteribus patribus, Capitone, Bucero, Zellio, & alijs. Si itaque contingeret, vt de Cœna mihi differendum esset: recepi me à quæstionibus abstenturum inutilibus: atque extra hæc tria capita non euagaturum: contra verò Augustanam Confessionem orthodoxè intellectam nihil traditurum: curaturum autem, vt quantum in me esset, consensus in sana doctrina retineretur in Schola. His igitur conditionibus, postquam biennium mei meæque doctrinæ periculum fecissent, & rationem, quam seruabam tum in docendo tum in disputando, probassent, vtrinque receptis: & in officio confirmatus, & in Thomense consilium cooptatus fui: ibique ab initio anni LV, vsque ad finem ferè LXIII, Canonicus vixi. Quomodo verò me cum eo consilio & Canonicis omnibus gesserim, & quam vitam duxerim: malo ab ipsis & ab alijs ciuibus, quàm à me dici & scribi. Hoc tantùm dicam ipse: quòd in defensione caussæ, non tam meæ, quàm Christi, non me ad illorum, qui hoc fortè cupiebant, pedes proiecerim, quòd non me præter decorum demiserim, quòd non cesserim, quòd non, vt petebant, dixerim Amen: hoc non fuisse ex superbia, vt quidam dictitabant, profectum; sed inde, quòd & talem caussam, quæ heroicum, non plebeium in sui defensione animum requirebat, & defensorem ipsum, huiusce modi viles actiones omnino dedecere videbam, ac proinde considerandum puto diligenter: magnum esse discrimen inter ὑπερηφανίαν, quæ nullum decet Christianum, & μεγαλοψυχίαν, quam in suis Prophetis atque Apostolis requirebat Dominus: & inter αὐθάδη, ἀντεχόμενον τῦ πιςῦ λόγυ: quorum vnum abesse vult Apostolus ab Episcopo & Doctore Ecclesiæ, alterum verò necessarium illi esse pronuntiat. Certè quòd Mardochæus non adorauerit Amanum: illud non fuit superbi, sed pij potiùs atque excelsi animi testimonium. Quàm facilis fuerim in ferendis & condonandis proprijs iniurijs omnibus, norunt ipsi de quibus ago: nouit etiam Magistratus, apud quem per totum illud tempus, quo vixi Argentinæ (vixi autem annos fermè vndecim) neminem vnquam accusaui, & de nullius iniurijs conquestus sum: quamuis occasiones atque adeò caussæ sæpenumerò non defuerunt. Cæterùm vbi vindicanda est gloria Dei: vbi defendenda est doctrina Christi: vbi denique pugnandum est pro Christo: hîc certè opus est animo non plebeio & vili: sed nobili, excelso atque heroico. Tantum igitur abest vt me pœniteat illius, quemadmodum quidam vocant, superbiæ: vt etiam doleam, me ad extremum nimis fuisse facilem. Nunc tantùm videndum est, an ego in Schola ita me gesserim, vt illis, quibus confirmatus fueram, conditionibus, steterim, nêcne. Principiò quàm fuerim pacis atque concordiæ studiosus: præterquam quòd testes habeo omnes bonos Collegas & Professores: inde etiam liquidò apparet, quòd de

illo articulo de quo potissimùm metuendæ erant contentiones, per totum illud tempus quo docui Argentinæ, nullam habui tractationem, nullámue proposui quæstionem aut disputationem; idque non tam quia mihi Prophetas interpretanti nullus apertus ea de re locus occurrebat, quàm quoniam nullam quantum in me erat, volui dare cuipiam turbandæ pacis atque excitandi dissidij occasionem. Si verò contigit vt aliquando vel in disputationibus, argumentis disputantium prouocatus; vel in lectionibus, obiter de ea re aliquod fecerim verbum: nunquam egressus sum tria illa capita, intra quæ me mansurum Dominis Scholarchis promiseram. Neq; certè putaui vllum potuisse ea doctrina in Argentinensi Schola offendi: quòd eam scirem à Bucero, vt de alijs taceam, constanter etiam post concordiam cum Luthero factam, in ea Schola & Ecclesia traditam fuisse: quemadmodum in varijs eius libris, Epistolis, Confessionibus, abundè videre est, imò & confessio eius vrbis, aliarúmque trium ciuitatum, & eiusdem confessionis Apologia, eandem planè continent' doctrinam. Neque etiam videre vnquam potui, quomodo hæc doctrina cum Augustana Confessione pugnet; cùm ibi nullum fiat verbum quòd corpus Christi aut ore & dentibus corporis, aut ab impijs & fide destitutis verè comedatur. Doctrina autem illa quam de cœna professus fueram: est certa, perspicua, minimè intricata, salutaris: & qua si omnes essemus contenti, omnes sublatæ essent contentiones; idque cum magna Ecclesiarum ædificatione. Quin & felicis memoriæ Petrus Martyr reuersus ex Anglia, eandem tradidit in eadem Schola Argentinensi doctrinam; cùm explicaret librum Iudicum, vt etiam videre est in ipsius in eum librum Commentarijs, cap. 13. ad calcem. *Quibus addas*, inquit, *etiam eos qui credunt Christo & certò sibi persuadent, eum sua caussa esse mortuum, & comedere carnem Christi & eius bibere sanguinem; ad quem vsum Symbola dum sensum excitant, plurimum conferunt; non quòd caro Christi & sanguis in panem & vinum infundantur, aut elementis illis aliquo modo concludantur: sed quòdres illæ vera fide à credentibus percipiantur. Sunt enim inuisibilis alimonia quæ mente solùm capitur, vt Augustinus fideliter monuit. Quid, inquiens, dentem paras & ventrem? crede & manducasti.* Hæc ille. Non fuit tamen vnquam ab vllo accusatus aut reprehensus Martyr: quòd contra Confessionem Augustanam docuerit, contraque suum chirographum fecerit: imò meus aduersarius dat D. Petro Martyri testimonium seruatæ fidei, in quadam oratione. Postquam enim recitasset testimonium D. Petri, in quo promiserat se nihil quod cum Augustana Confessione rectè & commodè intellecta pugnaret, docturum: subijcit hæc verba: *Huic compromisso D. Petrus qua est integritate & fide præditus, postea etiam constanter satisfecit, vt in omnibus & lectionibus & disputationibus, nihil ab ipso auditum aut animaduersum fuerit, quod vero nostro consensui in doctrina aduersaretur. Itaque etiam vt collega & frater charus & dilectus fuit cùm mihi tum reliquis Scholæ & Ecclesiæ præceptoribus atque ministris omnibus.* Hæc ille. Cùm hæc ita habeant: concludo igitur, neque me de Cœna quidpiam docuisse cum Augustana Confessione pugnans, ideóque nec contra meum compromissum feciisse. quare nullam etiam caussam, mea doctrina, turbandæ pacis, cuipiam me dedisse.

Sententiam eorum qui scribunt corpus Christi esse vbique, si ita intelligatur, quòd ipsum verum Christi corpus sua naturali substantia, seu, vt Scholastici loquuntur, secundùm suum Esse naturale sit vbique: per duas septimanas in Schola vt impiam refutaui Scripturis, argumentis, Patrum & Buceri testimonijs, idque multò antè quam cœpissent contra eam scribere doctissimi illi Patres Bullingerus & Martyr, qua de re fui etiam accusatus apud Scholarchas: sed ostendi me id iure feciisse, nihilque contra Augustanam Confessionem peccasse: quod ea de re ne vllum quidem verbum in Augustana Confessione habeatur.

Imagines

Imagines in templis & ſacellis, quæ aut ſolitæ fuerunt adorari, aut ad quas adorandas vulgus inclinare facilè poſſit: & in lectionibus & in publica diſputatione confutaui ac damnaui, qua de re etiam fui accuſatus: ſed hîc quoque demonſtraui, me & ſecundum verbum Dei & ſecundum antiquos Patres docuiſſe; neque quidpiam contra Auguſtanam Confeſſionem admiſiſſe.

Quæ docui de vltimo Antichriſto, deque fine ſeculi: & conſentanea ſunt ſanctis literis, & non pugnant cum Auguſtana Confeſſione.

De Prædeſtinatione docui & quidem abundè, quia ſubinde etiam occurrebant loci in Prophetis. Sed hîc etiam nunquam egreſſus ſum S. Scripturæ terminos; nihilque docui, quod ante me non docuerint & ſcripſerint poſt Auguſtinum & alios Patres, piæ memoriæ Lutherus & Bucerus, vt de alijs taceam omnibus. De hac autem nihil Auguſtana Confeſſio. Quare neque hac doctrina contra illam peccaui.

De ipſa verò Sanctorum in fide perſeuerantia, priori anno ſatis luculenter in primum Pſalmum, vbi iuſtus comparatur arbori ſatæ ad riuuos aquarum, cuius folia non defluunt, & quæ fructum dat in tempore ſuo, diſſerui; deinde etiam publicè diſputaui. Sed hîc etiam nihil quod poſt Scripturas Auguſtinus quoque, Lutherus & Bucerus, & alij quamplurimi tum Patres, tum noſtri temporis homines non ſcriptum reliquerint, docui: quemadmodum partim in hoc meo libello videre licet, partim aliàs, Deo fauente, clariùs, fuſiùs, & abſolutiùs, ad omnium Eccleſiarum ædificationem demonſtrabo. Atque hanc doctrinam ita ſæpe in meis lectionibus repetij, vt eam nemo non intellexerit: & tamen ante Heshuſij librum de Cœna, nemo vnquam vel ſe ea offenſum fuiſſe ſignificauit, vel me hæreſeos accuſauit: Quòd verò quidam poſteà contenderint eam pugnare cum Auguſtana Confeſſione in articulo de Pœnitentia, vbi damnantur Anabaptiſtæ, qui docent, ſemel iuſtificatos non poſſe amittere Spiritum ſanctum: falſi fuerunt, cùm ego de electis verè ſanctis veráque fide præditis, ſemper locutus ſim, idque apertè & clarè: Auguſtana Confeſſio autem cùm de omnibus temporarijs, tum ſpeciatim de quibuſdam Anabaptiſtis: qui nefanda admittebant, & tamen interim, ſe non ſolùm habere Spiritum ſanctum, ſed etiam ſe ab hoc Spiritu ſancto ad ea admittenda impelli, ſeu, vt ipſi loquuntur, inſpirari, iactabant, & mentiebantur. Quare ſatis conſtat viris doctis, neque in hac doctrina de Perſeuerantia Sanctorum, ſeu de perpetuitate fidei in electis, quidpiam à me traditum fuiſſe quod cum Auguſtana Confeſſione pugnet.

Nihil eſt præterea, quod ſciam, de quo fuerim ſiue in doctrina, ſiue in vita & moribus per totum illud tempus quo vixi & docui Argentinæ, accuſatus. Nam quòd quidam crimen turbatæ pacis & Scholæ à ſe in me tranſtulerunt: ſatis perſpicuè conſtabit eſſe calumnioſum, ſi quis ab vna parte in memoriam reuocet & intelligat, me non fuiſſe accuſatorem ſed accuſatum: ab altera verò parte legat hunc Librum, & doctrinam de qua tanquam impia & hæretica accuſatus fui, & propter quam turbatam fuiſſe Scholam dixerunt, piam atque orthodoxam eſſe videat. Nam ſi mea doctrina turbata fuit Schola, doctrina autem hæc non eſt impia ſed Chriſtiana: culpa igitur turbatæ Scholæ non poteſt hærere in mea doctrina, neque ego poſſum iure turbator Scholæ appellari: niſi fortè eo modo, quo etiam Elias vocatus fuit turbator totius Iſraëlis, & Apoſtoli totius orbis.

Credo itaque, ſatis hinc perſpicuum eſſe factum tâm tibi Illuſtriſſime Princeps, quàm omnibus alijs quicunque hæc legerint; me illas etiam præſtitiſſe conditiones, quibus in meo officio confirmatus fui, & nihil contra meum chirographum, ſeu, vt vocant, compromiſſum feciſſe.

Venio nunc ad illud turpissimum dissidium, cuius historiam minimè hîc cogito totam conscribere, sed eatenus tantùm summam illius perstringere: quatenus breui illius explicatione, partim tu Illustrissime Princeps, & alij facilius videre possint, an iustis & necessarijs caussis coactus fuerim curare vt primò & nunc etiam secundò hic meus liber in lucem prodiret, nécne: partim etiam ego vt nouam quandam, eamque grauem criminationem à me depellam. Etenim post compositum vtcunque dissidium, cùm in nostro Consilio Thomensi, eóque tunc non solùm Canonicis & Vicarijs, vt vocant, refertissimo, sed etiam præsentia clarissimorum Scholarcharum ornato: interrogatus de quadam fidei confessione, sententiam meam modestè dixissem, & simul etiam necessarijs de caussis, vt posteà ad extremum explicabo, repetijssem quibus exceptionibus in formulam Compositionis consensissem: ibi tunc quidam præter alia hoc etiam in me dixit: *Ecce* inquiens, *Doct. Zanchus pro suo ingenio, nouum nobis indicit bellum.* quasi verò & vetus, quia de hæresi accusatus, me defendebam, indixerim; & nouum, quia interrogatus sententiam modestè eam dixeram, indicerem. Hoc ipsum tamen alius etiam, edito nuper libro confirmat; præter alias innumeras contumelias, eristicum me hominem appellans. Sed hæc suo loco: nunc ad instituta narrationem. ex ea enim liquidò apparebit, an ego qui neque quempiam accusaui, neque vllius doctrinam in Schola damnaui, sed & meam tantùm defendi, & accusatus accusatores meos non tantùm ad disputationem, sed ad amicum etiam colloquium inuitaui, atque ne illud recusarent, non semel & iterum rogaui, quemadmodum tum Acta docent, tum Collegæ testificari possunt, idque quò & scandalum tolleretur, & veritate cognita, finis tam turpi dissidio imponeretur: apparebit, inquam, an ego, qui eum ad modum me gessi, bellum cuipiam indixerim; an verò autores huius mali fuerint multi alij, qui coniunctis simul copijs & omnibus præsidijs, quibuscunque potuerunt modis, in exterum hominem, atque eum quidem, & illius, rei de qua accusabatur, innocentem, & ab humanis fauoribus & auxilijs inopem, maximo impetu de improuiso irruerunt.

Initium igitur Argentinensi dissidio dedit Heshusij de Cœna Domini libellus. Nam antequam ille, contumeliosissimis à nescio quo ornatus scholijs, cœpisset Argentinæ sub nomine Magdeburgæ recudi: idque opera eorum qui posteà occasione huius libri, facti fuerunt mihi inimici & hostes: tametsi in doctrina de Cœna, de Prædestinatione, déque Certitudine salutis, non omnes essemus omni ex parte consentientes: tanta tamen fuit inter nos animorum consensio & pax atque amicitia, vt sicut ego neminem vnquam de vlla re, sic nemo vnquam me de hæresi accusarit. fueram quidem semel accusatus, vt antè dixi: partim de Cœna, partim de Prædestinatione, partim de Imaginibus, partim quòd errorem perniciosum esse docuerim, dicere, corpus Christi esse vbique: sed quia ibi nulla mentio hæreseos: iccircò postquam me defendissem, & quæ docueram, iuxta verbum Dei & Patres me docuisse demonstrassem: Iniuriam ita dissimulaui & tuli, vt amicitiam & pacem propterea cum omnibus colere non desierim: quæ etiam, vt antè cœpi dicere, vsque ad Heshusij librum, integra ac inuiolata permansit. Heshusij itaque libellus de Præsentia, bellum inter nos excitauit: quo pacto, non est opus longa explicatione. Illud tantùm dico, me non curasse illum supprimendum à Senatu propter doctrinam, de qua penes Ecclesiam iudicium est: sed tantùm propterea quòd in præfatione magnus quidam & pius & opt. Princeps, & in libro sanctissimus ille vir, deque tota Germania, omnibusque literatis optimè meritus Philippus Melanchton, alijque innumerabiles & insignes Ecclesiæ doctores grauissimè perstringerentur; & quòd quicunque Heshusij de crassa præsentia & manducatione, vt vocant, Orali, & impiorum, phantasiam non sequuntur: hæreseos & atheismi ni-

mis

mis audacter & superbè ab illo homine damnarentur. Suppressionem verò illius libri ianuam aperuisse toti nostro dissidio: inde satis liquet, quia simulatque amici isti mei resciuissent, me operam dedisse, vt liber qui iam erat sub prælo, supprimeretur: statim illi à me ab alienati, alios etiam ab alienare, me auersari, colloquio atque salutatione dedignari, ad vulgus traducere, apud Dominos accusare, vt diligenter observarer in lectionibus, curare: commentariolos studiosorum qui meas scribebant lectiones, euoluere: quæ etiam multis antè annis docueram, examinare, occasionem accusandi & traducendi mei vndique captare, calumnias de me spargere: denique nihil omittere, vt aut sponte discederem, aut à Dominis dimitterer; vt verum fuisse illud ex ijs omnibus posteà reipsa deprehenderim, quod paulò antè relatum ad me fuerat: nimirum homines illos omninò apud se constituisse, vt non ampliùs Zanchum ferrent: id quod etiam de principio facilè olfecit vir quidam prudẽs, qui cùm vidisset quorsum ista tenderent, semel quendam sic compellauit: *Si quæras Zanchum quoque ejicere è Schola inauditum, sicut factum est cum D. Petro Martyre; cogitare debes, me simul quoq; cum eo ejiciendum esse.* Accusabar de Cœna Domini: cùm tamen de ea totum quadriennium nihil docuissem. Sed occasio huius accusationis captata fuit ex quadam epistola, quam pacandæ cuiusdam contentionis gratia, ad quendam eram missurus. Hanc antequam mitterem, amicè & candidè cum quodam collega & amico contuleram: vt is videret an sibi probaretur nécne; & si quid emendatum vellet, emendaret, & posteà vtriusque nomine mitteretur. At bellus homo & fidus amicus, paulò pòst propter suppressum Heshusij librum factus mihi inimicus: ea abutitur Epistola ad me apud Dominos accusandum, quòd de Cœna Domini aliter doceam & scribam quàm habeatur in Augustana Confessione: & tamen in ea Epistola probabam & Augustanam Confessionem & verba Recessus Francofurtensis: sed simul etiam Iudicium Philippi ad Illustrissimum Electorem Palatinum. Venit tunc mihi in mentem illius Syracidæ de illis quatuor iniurijs quæ omnem dirimunt amicitiam, ὀνειδισμοῦ, ὑπερηφανίας, ἀποκαλύψεως τοῦ μυστηρίου, καὶ πληγῆς δολίας. ἐν τούτοις γὰρ ἀποφεύξεται πᾶς φίλος. Quædam etiam docendi regulæ non minùs iniquè quàm callidæ, ab eo mihi præscribebantur; cuius erat potiùs mecum discere quomodo sit docendum, quàm docendi præcepta alijs tradere. Accusabar quoque de fine seculi & de Antichristo, ac non ita multò pòst de Prædestinatione & de Perseuerantia: cuius etiam inchoata tractatione fuit mihi statim interdictum. Atque has quidem omnes graues contra me accusationes instituerunt amici illi mei: antè quàm illis de rebus mecum contulissent. Id quod tolerabile etiam fuisset, si saltem post accusationem aut illi venire mecum in collocutionem voluissent; aut mihi doctrinam meam in Schola explicare & defendere licuisset. At cùm vidissem accusatoribus licere sanam doctrinam in Schola oppugnare, mihi verò minimè eam propugnare, decreui (neque enim aliter poteram per conscientiam) non ampliùs in Scholam docendi gratia redire, donec ea mihi libertas ad propugnandam veritatem restitueretur, quæ aduersario ad oppugnandam permittebatur. id quod quia nunquam fuit factum: idcircò in Scholam ampliùs non reuerti. Dissidium igitur Argentinense, hoc habuit initium. Venio nunc ad eius progressum.

Re & nomine Christianus Herlinus, felicis memoriæ, vir non tantùm Latinè & Græcè doctissimus, & cui parem in cognitione historiarum ego vidi neminẽ, sed etiam vitæ inculpatæ homo, & sanæ doctrinæ puræq; religionis studiosissimus, cùm esset etiã Scholæ partim Professor Mathematicus, partim Visitator diligentissimus, & in Thom. Consilio Canonicus, atq; Scholasticus: de hoc dissidio retulit ad Consilium nostrum Thomanum, die 111 Martij anno M. D. LXI. in hæc ferè verba præfatus: Magno se dolore percepisse, inter duas præcipuas Capituli personas, grauẽ ortam esse controuersiã. Itaq; se primùm ab illis petere, vt non grauentur causas suæ con-

trouersiæ

trouersiæ Capitulo exponere: deinde à Capitulo, vt suam interponât autoritatem: & quantùm fieri possit, hoc dissidium studeat componere. Nam & grauem, deque re grauissima esse controuersiam; & iam eam non ampliùs intra priuatos parietes agitari, sed etiam ad plurimos alios peruenisse. Præterea pertinere hoc non solùm ad Capituli officium, eò quòd legem habeat de eiusmodi controuersiis inter personas Collegij obortis, componendis: sed etiam honestatem Capituli hoc requirere, nimirum vt non patiatur inter suos, simultates aliquas aut controuersias locum habere. Tunc accusator, sibi non esse graue respondit, totum negotium Capitulo exponere; sed alio tempore, quòd tũc esset imparatus. Ego verò & gratias egi Herlino, propter illud pietatis officium, & me paratum esse respondi quocunque tempore negotium explicare: imò me totum illud Consilio committere. Consilium autem ipsum & laudauit Herlini studium, & operam quoque suam in componendo dissidio promisit.

Die insequenti, Consilium duos ex Collegis misit tum ad meum accusatorem, tum ad me, atque vtrunque rogauit; principiò quidem vt neuter grauetur in alterius præsentia suam Consilio exponere caussam (hanc enim facilimam & breuissimam viam fore, neque meliorem inueniri posse:) deinde vt vterq; suam caussam Consilio velit componendam committere, non vt iudici, sed vt arbitro. Ad hæc accusator, se paratum esse Consilio totam controuersiam exponere, sed tria petere: Primùm, vt sibi liceat suam caussam explicare absente Zanchio: idque ne ex illius aspectu animus dicentis aliorsum rapiatur: deinde vt sibi liceat secundo loco dicere: postremò vt aduersæ parti, solùm præcipua capita narrationis indicentur, ea nimirùm quæ ad ipsam caussam sunt necessaria: reliqua verò si quæ fuerint πάρεργα, reticeantur, vtpote quæ ad pacificationem non sint futura vtilia. Ego verò vtranque Consilij petitionem probaui, & me ita facturum recepi; atque omnino efficerent, vt suam quisque caussam, altero etiam præsente, diceret, rogaui. Consilium gratificari voluit meo aduersario in primo postulato; ac proinde statuit vt vterque nostrûm seorsum audiretur: in altero non potuit, quòd nimis esset iniquum, vt reus primo loco diceret, actor verò secundo: Tertium verò vt æquum & vtile probauit. Atque vtinam contra illud suum tertium postulatum, accusator ipse non paulò pòst prior peccasset, & totum Consilium vt contra suum officium faceret, penè coëgisset: non enim dubito quin controuersia & facilè & citò fuisset composita.

Primo igitur loco, accusator suam habuit narrationem, idque ex scripto, me absente, die Martij VI. Qua absoluta duo scriptorum genera dedit Consilio: propositiones quasdam ex meis lectionibus collectas, quas improbabat: deinde illas docendi formulas quæ postulata vocauit, & quæ anteà sua autoritate mihi proposuerat, nomine Scholarcharum mihi exhibendas tradidit: ad quas si vellem affirmatiuè respondere, omnem controuersiam sublatam esse aiebat. Habui deinde ego meam duobus diebus insequentibus. Qua finita, Consilium duo illa aduersarij scripta mihi exhibuit, vt & propositiones cognoscerem an ita docuissem, nécne; & ad quinque illa postulata responderem, idque scripto. Propositiones duobus in locis emendatas, pro meis agnoui: & quia singulæ nimis erant prolixæ & confusæ, eas redegi in eum numerum & ordinem quo in hoc libro sunt collocatæ: & remisi ad meum collegam: orans atque obsecrans vt quàsnam damnet & quas ob caussas damnet, candidè & apertè respondeat: me enim paratum esse cedere veritati, modò ea mihi è Scripturis demonstretur: & ad argumenta, locos Scripturarum & Patrum autoritates, quibus mea probaui, respondeatur. Ad postulata quia nomine Scholarcharum iubebat respondere, respondi atque ostendi, ea partim fuisse iniqua, partim calumniosa, partim inepta: omnia verò non tam ad libertatem mihi vni

hi vni eripiendam, quàm ad ſtabiliendam in omnes deinceps Profeſſores tyrannidem ſpectare: ac proinde me neque velle neq; poſſe per conſcientiam & per meam exiſtimationem, petitiones illas concedere. Volebat Conſilium, quemadmodum par erat, & ego exoptabam atq; petebam, vt audita iam vtriuſque narratione, & acceptis theſibus à me recognitis, acceptis etiam meis cùm de Fine ſeculi, tum de Perſeuerantia Sanctorum lectionibus, tandem ad cauſſæ diſcuſſionem & cognitionem veniretur: & ea cognita citò componeretur. Proinde principiò decreuit, vt contrà quàm petierat accuſator, ordine ageretur; hoc eſt, vt ille tanquam actor, priore loco ageret, ego verò tanquam reus, ſecundo. Deinde quia de principio detrectauerat accuſator mecum agere coràm, quòd non poſſet ferre faciem meam: idcirco Conſilium miſit ad eum tum ſcriptum meum de Euchariſtia quod dederam ad primum illius poſtulatum: tum meas lectiones de fine ſeculi, & Theſes à me recognitas: atque ab illo petijt, vt ſcripto indicaret, an omnia improbaret, an verò partem aliquam, & ſimul rationes adferret cur hoc probaret, illud verò improbaret. Atque hoc factum fuit die Martij x I. Idem Conſilij decretum confirmatum fuit die xviii. eiuſdem menſis Martij: ordinem non eſſe inuertendum, cauſſam non poſſe meliùs cognoſci, quàm ſi vtrinque audiantur reſponſiones & refutationes; accuſatorem debere ad propoſitiones & argumenta accuſati reſpondere: & cur hoc probet, illud improbet, rationes adferre, ad quas deinde accuſatus reſpondeat. Tandem die xxii. miſit ad eum etiam prælectiones meas de Perſeuerantia Sanctorum, ac petijt, vt ad eas reſponderet, & argumenta mea refutaret. Erat autem Conſilio propoſitum, vt ſi ego convincerer, quemadmodum accuſabar, hæreſeos, & talis eſſe deprehenderer, qualis fueram accuſatus: eijcerer ex Collegio, & nullum in eo ampliùs locum haberem, antequam reſipiſcerem & per Senatum reſtituerer. ſi verò non poſſem conuinci, vt interim in falſos accuſatores nihil ſtatueretur: ſed ſeruata tam mea quàm illorũ exiſtimatione, pax fieret, diſſidium componeretur, amicitia confirmaretur: id quod cùm ex tota actione, tum ex iis quæ habentur in Actis diei xviii. menſis Martij, liquidò apparet: *Si Zanchius*, inquit clariſſimus Ioannes Sturmius Præpoſitus Collegij, *ſit hæreticus, & talis qualẽ dominus Decanus accuſat: non is ferendus eſt in iſta ſocietate: imò ſi ſit hæreticus, non dignus eſt vt quiſquam cum eo cibum capiat.* clariùs verò ex ijs quæ in reſponſione Capituli ad primam aduerſariorum meorum contra me orationem, leguntur: *Nihil*, inquiunt, *in hoc tempore gratius atque iucundius Capitulo, quàm vt ſublato diſſidio, ciuem, amicum, collegam cum vxore & liberis & exiſtimatione, nobiſcum in eadem ciuitate atque Collegio retineamus. Iſtud verò eò ſtudioſius Capitulum expetit, quòd grauior & periculoſior cauſſa domini Zanchij ſit, quàm veſtra. Vos enim etiamſi cauſſam veſtram defendere non poſſetis, quod non ſperamus: tamen aduerſus vos, iudices futuri non ſumus. Zanchius verò ſi ſuperabitur, ſi de ijs criminibus de quibus accuſatur, conuinci poterit: in noſtro Capitulo certè locum nullum habiturus eſt: antequam per Senatum reſtituatur, & reſipiſcat.* Hæc ibi. Quibus ex verbis illud etiam euincitur: immeritò atque iniuria accuſatum traductúmque poſtea etiam fuiſſe Capitulum ipſum ab ijſdem meis aduerſariis, quòd eſſet, vt eorum vtar verbo, partiale. Certè ſi fuit partiale, ipſorum fuit, non meum partiale: & ſi qua in re peccauit, in eo certè peccauit, quòd plura quàm æquitas poſtulabat, meis aduerſarijs propter ipſorum autoritatem conceſſit: & quantum potuit, ſtuduit gratificari: quanquam hîc non ſimpliciter damno Capitulum: ſcio enim hoc ab illo fuiſſe factum ea mente & conſilio, vt aduerſarij quos videbat difficiliores, perſpecta voluntate Capituli erga ſe, & quòd ipſi quoquò res caderent, extra omnem eſſent aleam, faciliùs ei permitterent cauſſam cognoſcendam & componendam.

Ceterùm quò magis Conſilium hortabatur, rogabat & vrgebat aduerſarios, vt tandem aliquando venirent ad cauſſam ipſam: & ſi nollent mecum venire in collocu-

collocutionem, saltem scripto & sua probarent & mea refutarent, me etiam idem omnino facturum: eò magis ille quærere fugas & diuerticula, & per ambages extra causlam euagari, ipsúmque Consilium nouis quæstionibus implicare, nugisque occupatum tenere, idque à principio Aprilis vsque ad mensem Iulium, donec scilicet tandem causla indiscussa atque incomposita, vitio & culpa aduersariorum translata fuit à Consilio Thomano ad Senatum XIII Virorum: id quod præter ea quæ dicta sunt, planum etiam facient ea quæ sequuntur, ex ipsis Actis fideliter in hanc Epistolam relata. Cùm enim post auditas vtriusque partis Narrationes, veniendum esset ad statum causlæ, aduersarius contra suum de principiò datum consilium, imò factum postulatum, ita cœpit à Consilio flagitare totam meam narrationem, vt non desierit flagitare à X Martij die vsque ad eiusdem XXII: donec sua tandem importunitate quod voluit, Consilio etiam extorserit. In eam autem narrationem meam, tam fœda & tam putida expuit, vt Capitulum puduerit ea audire; ac proinde etiam mihi noluerit communicare: in illa enim responsione nihil ferè continebatur nisi nouæ contumeliæ, nouæ criminationes, nouæ calumniæ, noua conuitia.

Porro duo ex accusatoribus, qui hactenus sederant inter alios arbitros, neque vnquam à me fuerant reiecti, vsque adeo fidebam bonæ causlæ, cùm vidissent Consilium seriò agere, & omnino velle causlam legitimè tractari, discuti, cognosci: secessionem fecerunt à Consilio in cognitione huius causlæ, professi se in ea, vt ipsorum iterum verbis vtar, esse partiales. Primarius autem accusator adferre causlas, cur nollet amplius in Consilio hanc causlam persequi; sed primùm ad Ecclesiasticum conuentum, deinde ad Magistratum referre. Atq; hoc postremum contigit die III Aprilis, cùm tamen nihil adhuc egisset, nisi quòd me de grauissimis criminibus accusauerat, nullum autem probauerat, lectiones suas, quas contra me habuerat, simplices Consilio exhibuerat: ad argumentum verò nullum eorum quibus mea probaueram, responderat, neque etiam ad meas propositiones quas probaret, vel improbaret, vllum responderat verbum. Vrgebat autem simpliciter, vt errorem deponerem, cuius me nondum conuicerat. Consilium itaque hominem hortati & rogare, vt pergeret, mihi responderet, mea argumenta refutaret: fore hoc vtile causlæ quæ agitatur, agi etiam de ipsius existimatione. Cùm enim me accusarit multarum hæreseon, nisi me conuincat, fore illum infamem: debere eum spectare quódnam munus sustineat, eius videlicet, cuius proprium est aduersariorum argumenta refutare, atq;, vt Paulus ait, τὰς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν: suorum etiam antecessorum Buceri & Capitonis exempla sibi esse imitanda: & eandem qua illi quoque in huiuscemodi controuersiis vsi sunt rationem vsurpandam: conscientijs etiam collegarum nondum esse ab ipso satisfactum: cùm nullum adhuc argumentum eorum quibus aduersarius suam probauit doctrinam, refutatum sit. Iis de causlis Consilium decreuisse, vt is argumenta Zanchij quę de certitudine fidei, hoc est, de perseuerantia Sanctorum attulit, diligenter inspiciat ac refutet: Zanchum etiam ad argumenta illius responsurum. Ad hęc ille: se persistere in sententia, quòd scilicet nolit amplius in posterum cum Zancho coram Capitulo agere, se etiam existimare quòd satisfecerit Capitulo, quòd doctrinā Zanchi satis refutarit, & suā comprobarit, neque se recusare alio tempore vbi plus otij habuerit, Capitulo pleniorem suæ doctrinæ probationem adferre: idque in gratiam Capituli non Zanchi. Displicuit vehementèr hoc responsum Capitulo, quod cuius in primis erat curare vt leges Consilij, in quas omnes recens iuraueramus, seruarentur; ipse prior contra eas faceret: & quòd cuius in primis erat cuiusuis aduersarij argumenta refutare, is recusaret ad argumenta sui collegæ respondere: cùm tamen Consilium sæpiùs hoc ab illo postulasset: interim verò ipse cerneret, Collegam publicè etiam in concionibus

nibus perſtringi, & plurimarum hæreſeon apud omnes paſſim accuſari: Rogauit igitur iterum hominem, vt pro ſuo officio & cauſſam retineret in Conſilio, & ad argumenta mea de Perſeuerantia Sanctorum reſponderet. Hoc idem officium fecerunt etiam Domini Scholarchæ. At homo ille, qui quiduis aliud malebat, quàm ad mea argumenta reſpondere: aliam elabendi viam excogitauit. Nam qui antea ſolus cauſſam contra me agere in Conſilio ſolitus erat: is XII Aprilis non ſolus ampliùs, ſed ſtipatus aliorum quorundam caterua, in Conſilium ingreſſus, ſuo ſuorúmque nomine habuit orationem, cuius hæc fuit concluſio: Etſi nullo iure teneantur cauſſam quam contra Zanchium habent, perſequi in Conſilio: vt tamen Conſilium videat, ſe non fugere lucem, & paratos eſſe omnes Conſilio morem gerere, iccircò ſe conſtituiſſe, iuxta petitionem Conſilij coram illo in hac cauſſa progredi: ad hunc modum tamen, vt Zanchius quas nudas dedit propoſitiones, declaret & confirmet ſacræ Scripturæ teſtimonijs, & Patrum autoritatibus; ſed ita vt cogitet ſibi non eſſe replicandum: eodem modo ſe etiam ſuam ita confirmaturos doctrinam, vt nulla ampliùs opus ſit replicatione: tunc verò ſe meas propoſitiones declaratas & confirmatas accepturos & examinaturos: & ſi quid boni in illis fuerit, quod ſacræ Scripturæ & Auguſtanæ Confeſſioni conſentiat, libenter agnituros: reliqua quæ in illis fuerint repugnantia ſuæ doctrinæ, confutaturos abſque vlla vlteriore replicatione. Hæc fuerunt ipſorum verba. Conſilium autem grauiter admodum & ſapienter reſpondit ad totam illam orationem: & propter reliquos qui tum aderant, actionibus autem nunquam interfuerant, vt complecteretur ſummam eorum quæ eouſque acta fuerant, principiò oſtendit cauſſam, cur per VIII iam ſeptimanas compoſitum non ſit diſſidium, imò ferè nihil actum, hærere in ipſo primario accuſatore: qui neque ſicut petierat Conſilium, venire vnquam voluit in collocutionem cum ſuo aduerſario: neque etiam ad illius argumenta ſcripto ſaltem, ſicut promiſerat ſe facturum, reſpondere; imò qui ſua importunitate ipſum etiam Capitulum ſecus quàm conſtituerat, agere, & pene contra ſuum officium facere coëgit. Deinde grauiſſimis rationibus demonſtrat, debere aduerſarios pati vt hæc cauſſa à Conſilio cognoſcatur: neque curare, vt aliorſum transferatur, quod fiat contra leges Capituli. Tertiò, quia accuſator dixerat, ſe & officio ſuo & petitioni Capituli reſpondendo ipſi Zanchio, ſatisfeciſſe: reliquum nunc eſſe, vt cauſſam transferat ad conuentum Eccleſiaſticum primùm, deinde ad Magiſtratum: Conſilium oſtendit, illum neque ſuo officio neque Conſilio ſatisfeciſſe: cùm Zanchium nondum conuicerit, ſed accuſarit hæreſeos: & neque illius refutarit, ſed ſua tantùm exhibuerit; ac proinde nullam eſſe rationem cur cauſſam debeat à Conſilio ad alios transferre: imò contrà, grauiſſimas eſſe cauſſas, cur debeant ad argumenta mea de Perſeuerantia Sanctorum, quæ præcipua erat controuerſia, reſpondere. Rogauit autem eos, vt hanc ſuam cauſſam non accuſatorio explicarent aut defenderent animò; ſed paſtorali ſtudio; & voluntate non eijciendi ciuem cum liberis & vxore per dedecus è ciuitate: ſed retinendi, ſi probus ſit & ſinceram retineat doctrinam. Poſtremò quod ad exitum orationis accuſatorum attinet, de qua ſuprà, ita reſpondit. Non eſſe illam commodam rationem componendi diſſidij: tum quòd redireturad ipſum principium, & quidquid actum eouſq; fuerat, totum foret inane: tum etiam quòd accuſatus cogeretur priore loco cauſſam dicere, qui poſteriore debet reſpondere: & videretur prouocare eos à quibus ipſe fuerat accuſatus. Neque etiam opus eſſe ea, quam petunt, explicatione & declaratione: cùm iam habeant aduerſarij argumenta, & probationes earum rerum de quibus eſt controuerſia, de Fine ſeculi, de Cœna Domini, de Perſeuerantia Sanctorum: imò non opus eſſe de omnibus iſtis tribus diſceptare, ſi de tertio conſtet: quòd de quæſtione de Cœna Domini, toto quadriennio Zanchius nihil locutus ſit: de fine autem ſeculi, liberum

ſemper fuerit iudicium. Conſilium igitur adhuc ab illis poſtulare, imò rogare: vt ſicut Zanchio tradita ſunt illorum argumenta refutanda, contra Perſeuerantiam Sanctorum: ſic ipſi refutent illa quæ ipſe pro Perſeuerantia exhibuit: ex eorum autem comparatione, Conſilium ſperare, videre, & intelligere poſſe, vtra pars probabilioribus & melioribus nitatur rationibus, atque hac ratione neque rediri ad primum exordium, & neutri fieri iniuriam, & poſſe breuiter peruenirì ad exitum controuerſiæ & ad Chriſtianam concordiam, & vitari etiam illam quam metuant, infinitatem argumentandi & refutandi. Tantum verò abeſt vt illa oratione, & amica obſecratione potuerint flecti ad morem Conſilio gerendum, vt potiùs magis exacerbati fuerint illorum animi. Proinde reſponderunt, ſe iam videre, ſibi non tam cum Zanchio in poſterum, quàm cum ipſo Conſilio negotium fore. Deinde petierunt ſibi illam orationem dari, vt ad eam reſponderent. Conſilium præter alia reſpondet, non cupere ſibi ad illud ſcriptum reſponderi: ſed vt accedatur ad cauſſam ipſam, & reſpondeatur ad Zanchij argumenta: neque ſe adhuc poſſe, ſicut ipſi poſtulabant, apud Zanchium efficere vt conſentienter cum illis doceat, quòd neque illius argumenta eſſent adhuc ab ipſis refutata, neque ipſe conuictus, quòd ſit hæreticus, Anabaptiſta, Catharus, Schvuenckfeldianus, Nouatianus, Chiliaſtes. Ad hæc illi, ſe velle de ijs omnibus deliberare, ſed ante omnia, velle reſpondere ad ſcriptum quod ſibi iam ſit recitatum. Conſilium igitur quoniam flagitarunt illud ſcriptum, & ſe vlterius minimè progreſſuros in cauſſa, indicarunt, niſi ad illud priùs reſponderent: tandem illis conceſſit quod petebant, rogatis tamen priùs, ne longiorem moram ampliùs inijcerent. Cæterùm illi accepto ſcripto, diſceſſerunt: & à VI Maij, vſque ad XIII Iunij nunquam in Conſilium redierunt. Tandem autem reuerſi, ad orationem quidem Conſilij, Germanicum dederunt reſponſum, illudque prolixum: ad mea verò argumenta nullum, ſed ſe tamen paraſſe reſponſionem ad meas propoſitiones & lectiones aiebant, cupere ſe eam Conſilio recitare. Quia verò ea ſit prolixior quàm vt paucis horis poſſit recitari: videri ſibi conſultum, vt ſingulis diebus vna hora aut altera, illius reſponſionis recitationi impendatur. ſtatuat igitur Conſilium, quo tempore velit audire.

De reſponſione autem quod dixerunt ad propoſitiones & lectiones, res ita ſe habet: Inter meos accuſatores, vnus eſt, qui quoniam ceteris exercitatior eſt in lingua Latina & Græca & artibus, cæteris etiam eruditior apud omnes habetur, & qui plura poſſit ſolus ſcribendo, quàm reliqui ſimul omnes. Hac de cauſſa ego etiam pluris illum faciebam quàm reliquos, præſertim quia etiam liberior eſt, neque amabat vulpis ingenium. Cæterùm in doctrina de Prædeſtinatione, de Gratia & libero arbitrio, minoris erat iudicij (an nunc meliùs ſentiat nécne: ignoro) quàm alij inter ſuos permulti, vt qui apertè damnaret Auguſtinum in ea doctrina. Huic primarius accuſator, quocum tantùm mihi principiò erat controuerſia, propoſitiones illas, quas abs ſe mihi obiectas, à me verò recognitas & digeſtas, ad eum remiſeram, vt notaret quas improbaret & quas non improbaret: inſpiciendas & refutandas exhibuerat. Is verò, ſiue ſolus, quod magis credo, ſiue ab alijs adiutus, ſtrenuè fecit officium. Nullam enim reliquit, cuius ſingula propè verba non oppugnarit, idque prolixè admodum & verboſè. Simul verò etiam oppugnauit quaſcunque potuit habere meas de Prædeſtinatione lectiones, multis etiam annis antè à me in Scholis habitas: ſuam verò contrariam doctrinam, multis conatus eſt confirmare. Interim tamen ad autoritates & argumenta de Perſeuerantia Sanctorum, ad quæ ſæpenumerò rogati á Conſilio fuerant vt reſponderent: neque ipſe neque alij vnquam reſponderunt. Non contentus autem & theſes meas & lectiones, imò nominatim Auguſtinum oppugnaſſe: propè etiam infinitas inſeruit in illa reſponſione calumnias, vt de conuitijs & iniurijs, quibus in ſingulis ferè paginis afficior,

afficior, nihil dicam. E quibus calumnijs sunt etiam illæ, quarum depulsionem exhibui primùm Dominis in mea Supplicatione: deinde in hunc librum retuli. Hæc est illa responsio, quam recitare voluerunt Consilio: sed neq; illi neque mihi exhibere legendam aut examinandam, multò minùs refutandam: sine vlla autem, vt illi loquuntur, replicatione, volebant vt Consilium ex ea tantùm audita pronuntiaret.

Consilium porrò, quod ad Germanicum illud responsum attinet, datum suæ orationi: iudicauit pro eo tempore nihil esse respondendum, sed relinquendum in suo genere; idque ne dicere possent aduersarij, Consilium occasionem aliquam moræ dedisse. ea de caussa omnia esse dissimulanda; & partim tempori, partim illorum stomacho concedenda. Quantum autem ad illam paratam responsionem, & ad modum agendi in caussa attinet: iudicauit ipsis esse indicandum, Consilio videri commodiorem hanc rationem esse, vt ad mutuam cum Zancho collocutionem veniant: sic enim fore, vt se mutuò meliùs possint intelligere, & non opus sit tantum temporis in lectionem & recitationem eorum quæ iam longo tempore conscripserunt, insumere. Etenim si ipsi hæc omnia quæ iam per aliquot menses collegerunt, velint, absente Zancho, in Consilio recitare: necesse fore, vt eadem posteà etiam Zancho exhibeantur, eique tantum temporis, aut etiam plus concedatur, vt ad ea respondere possit: præsertim cùm ipse non habeat tot scriptores, quorum opera perinde vti possit, sicut ipsi ex duobus collegijs, & priuatis conuictoribus habere potuerunt. Atque sic fore vt quæ hactenus in quintum ferè mensem acta sunt, rursus in alium quintum, aut sextum mensem protrahantur. Quòd si verò ad mutuum colloquium descendant: fore hoc non solùm caussæ vtile & necessarium: sed ipsis etiam honestum: alioquin enim videbuntur disputationem detrectasse, quam anteà visi sunt expetere. Quod si tamen omnino constituerint scripto agere, & cum Zanchio sermonem conferre detrectent: Consilium velle ipsis morem gerere, sed petere, vt omnia quæ collegerunt, Consilio dent, vt singuli priuatim possint legere, nec opus sit singulis diebus conuenire, præsertim cùm alioquin illa recitatio superuacanea sit futura, & personæ Collegij alijs quoq; negotijs sint implicatæ, vt non ipsis vacet quotidie conuenire. Hæc iudicauit & decreuit Capitulum XIV. Iunij. Illi tamen qui delecti fuerant vt hoc Consilij decretum ad accusatores referrent: ostenderunt Consilio inutilem omnino futuram recitationem illam, quam accusatores promiserunt: proinde omnino vrgendum esse & postulandum ab ipsis, vt cum Zancho disputent. Nam etiamsi omnia recitauerint, necesse tandem fore, vt veniant ad mutuam disputationem. Igitur XVII. Iunij facta fuit optio hæc accusatoribus, vt aut coram Consilio, nemine alio qui de Consilio non sit, adhibito, disputent cum Zancho: vel etiam adiunctis alijs ex Senatu doctis viris, qui ipsos possint intelligere: aut disputent in Conuentu Ecclesiastico, adhibitis primùm omnibus Ministris & Diaconis: Deinde Presbyteris & alijs doctis viris è Repub. postremò professoribus & classicis præceptoribus, qui hactenus huic caussæ interfuerunt. Præterea illis indicauit, si cupiant habere vel ex Senatu, vel ex alijs ordinibus doctos viros, qui disputationi interfint: vt vel ipsi priuatim à Magistratu hoc petant: vel vnà cum Consilio. Ad hæc illi XIIX. Iunij: se mirari cur Consilium nolit vt scripto agant: cùm tamen anteà ipsis fuerit concessum, & ipsi iam sint parati. Itaque se rursus petere vt liceat sibi scripta sua quæ collegerunt, recitare. Quod verò ad disputationem attinet, aut ad arbitros à Magistratu postulandos, se nihil velle affirmare: esse hoc Consilio liberum à Magistratu petere, vel non petere: facturos se in hac re quidquid à Magistratu iussi fuerint. Et adiecerunt, se omnia ista quæcunque faciunt, in gratiam Capituli facere: cum Zancho nihil sibi ampliùs esse negotij. Audita hac responsione, posteaquam Rector Scholæ & Con-

filij Præpositus dixisset; se mirari cur accusatores dicant, à Magistratu petendum priùs esse vt liceat disputare: cùm tamen disputationes illi Scholæ ab initio fuerint concessæ, & ante ea tempora, hoc est, ante dissidium, frequentissimæ semper fuerint, neque quisquam adhuc eas prohibuerit: rursus rogati fuerunt accusatores, vtrùm velint stare iudicio Magistratus nècne: nimirum si Consilium à Magistratu disputationem & arbitros impetret, vtrùm ipsi velint cum Zanchio tum disputare? Responderunt illi ad hæc XXII Iunij, se neque disputationem neque arbitros à Magistratu postulaturos: sed permittere illud Consilio, deinde facturos se quidquid à Magistratu iussi fuerint. Eodem igitur die: missi à Consilio fuerunt tres ad Dominos XIII Viros; qui breuiter quid eousque actum fuisset in caussa, indicarunt, & quæ de illa esset Consilij sententia, significarunt, & vt disputatio institueretur postularunt.

Ego qui tribus abinde mensibus nunquam fueram in Consilio, nostræ caussæ gratia, quòd totum illud tempus fuisset consumtum altercationibus inter Consilium & Actores exortis: vbi audiui, Consilium nihil potuisse ab aduersarijs obtinere quo caussa cognosceretur & componeretur, ac proinde rem totam ad Dominos XIII Viros retulisse, & quid in ea actum esset significasse, & vtri bonam caussam haberent, suam sententiam dixisse, disputationem etiam postulasse, & omnia acta ad eos referre constituisse: curaui vt per Præpositum conuocaretur Consilium. me enim habere quæ exhibeam & quæ petam. Decimo igitur Iulij, attuli in Consilium refutationes omnium argumentorum aduersæ partis contra doctrinam de Perseuerantia Sanctorum, quæ mihi antè exhibuerant refutanda, vt illa quoque vnà cum Actis traderentur Dominis XIII Viris. Petij verò vt orationes illæ duæ contumelioſæ nimium, & grauissimis criminationibus plenæ, quas aduersarius pridem habuerat contra meam primam Narrationem, & quas Consilium noluerat mihi tum refutandas, ne aditus ad caussam retardaretur, exhibere: iam tandem aliquando, translata cùm sit caussa ad Dominos, mihi darentur, quò possem in tempore meam defendere existimationem; quòd alioquin si exhiberentur Dominis sine mea responsione, foret id mihi & meæ caussæ fraudi. Consilium noluit meæ annuere petitioni, sed rogauit vt aliquantisper adhuc expectarem, donec in caussa aliquid certi à Dominis pronunciaretur: posteà se illas mihi concessurum, vt meam existimationem, honorem atque famam, quacunque fas esset ratione, defenderem.

Hæc est summa illius quem in Thomano Consilio controuersia nostra habuit, infelicis progressus, fideliter ex ipsis Actis necessariò à me contra nouas aduersus me dictas criminationes, recitata; vt tu ex illa, Illustrissime Princeps, alijque etiam omnes intelligant, vbinam culpa hæserit tantæ moræ: & cur non fuerit compositum à principio dissidium nostrum, in Consilióne, hoc est, in arbitris, an in Reo, an verò in Actoribus. Non certè in Consilio, nisi fortè ex accidenti, quatenus videlicet ab initio caussæ, vt anteà dictum est, nimium concessit actoribus. Cæterùm, liquidò apparet, Consilium sicut nihil non est passum propter hanc caussam, laborum, molestiarum, iniuriarum & calumniarum: sic etiam nihil non egisse, nihil studij & diligentiæ non adhibuisse, quò aut disputaremus, aut in collocutionem veniremus, aut saltem scripto alter ad alterius argumenta responderemus. Neque enim vidit sapientissimum Consilium quanam alia bona & iusta ratione posset controuersia, aut verè cognosci, aut bene solidéque componi. Silentio certè non debebat sepeliri: erat enim controuersia de religione, eoq; de communi omnium salute, neq; etiam citra disceptationem poterat componi. Quomodo enim contradictoriæ sententiæ: hæc doctrina est hæretica: &, hæc doctrina nō est hæretica: conciliari simpliciter queāt? Erat igitur opus, vt aut istæ diuersæ sententiæ disceptarētur

vel

vel coràm, disputatione aut colloquio: vel scriptis vtrinque probationibus & refutationibus: aut alterutra pars sine altercatione cederet veritati. Illi perpetuò meam damnare sententiam in Scholis & in templis: Ego vltrò ab illa recedere, nisi priùs per Scripturas conuinceretur erroris, neque volebam, neque etiam poteram aut debebam. Quid igitur aliud faciendum fuit Consilio quàm quod fecit? Egóne ad simplicem accusationem damnandus, aut ad simpliciter subscribendum sententiæ aduersariorum adigendus? Proinde quod quidam dicebat Consilio, *Subscribat Zanchus meis postulatis, & sublata mox erit omnis controuersia:* & illud, *Efficite vestra autoritate, vt Zanchus deponat errorem, & consentienter nobiscum doceat*: item illud pontificium fulmen, *Itaque nisi hos iam recitatos errores Zanchus damnet, & veram agat pœnitentiam, promittátque se deinceps in omni sua doctrina non recessurum ab Augustana Confessione eiúsque apologia: pro fratre & collega meo in posterum neque agnoscam neque habebo:* & quod alius quidam proponebat, *Zanchus*, inquiens, *dicat Amen, & facta est pax:* prudenter Consilium vidit, dicta fuisse non tantùm iniquè, sed etiam ridiculè & pueriliter. Quales etiam sint illæ compositiones, quàm veræ, quàm firmæ, quàm salutares: quæ sine vllo partium colloquio, sed tantùm consensione in nouos nescio quos articulos, ab hominibus compositos, & ad caussam de qua est controuersia, nihil aut parum facientes, fieri aliquando solent: idque tantùm vt errores non reuocentur, sed dissimulentur: reipsa videmus & experimur. Non potest, non potest verè tolli vlla de religione controuersia: nisi demonstratis priùs ex verbo Dei, deinde etiam condemnatis & reuocatis erroribus. Sic semper solitæ fuerunt tolli in primitiua Ecclesia & in veris legitimisque Concilijs. est enim pluris semper facienda veritas, Deique gloria & Ecclesiæ salus; quàm omnium hominum quantumuis charissimorum, adeoque & propria cuiusque nostrûm existimatio, & verò etiam vita. Et in religione nulla vnquam probanda est dissimulatio. Quare Consilium Thomanum non potuit nec debuit aliter sese gerere in nostra controuersia tollenda, quàm se gessit: aduersarios videlicet vrgendo, vt hominem ab se accusatum hæreseos, hæreseos etiam conuincerent; idque vel coràm per colloquium aut disputationem, vel datis in scripto non tam suæ sententiæ probationibus, quàm etiam argumentorum aduersæ partis refutationibus: id quod cùm perpetuò fecerit, euincitur nullam in eo hæsisse culpam quo minùs controuersia fuerit composita.

De reo autem, hoc est, de me, mallem certè ab alijs & quidem ab ipso Consilio scribi quomodo me gesserim in caussa, quàm à me ipso. Quia tamen propter nouas criminationes pro me dicere cogor: rogo te, Illustrissimè Princeps, & quotquot hanc legerint Epistolam, vt me habeant excusatum, si de me & hìc & infrà, ea retulero, quæ non tantùm ad meam defensionem, sed etiam ad laudem aliquam faciunt. cogor enim id facere: sicut etiam Apostolus à suis aduersarijs nonnunquam coactus fuit multa de se prædicare. Sed non referam nisi certissima atque verissima, quæ etiam ex Actis demonstrari, & ab omnibus Collegis meis, qui me ex continua annorum x I. familiarissima consuetudine, optimè norunt; quique omnia quæ sunt acta in mea caussa, apprimè tenent: possunt confirmari. Hoc igitur in præsentia dico: sicut à me non fuit excitatum dissidium (vt ante etiam demonstraui:) sic neque per me fuisse continuatum. Cæterùm si illi propriè dicuntur dissidia excitare in religione, qui non contenti doctrina à Prophetis & Apostolis in S. literis tradita, & à Patribus explicata, & ab Ecclesia Dei recepta, noua etiam dogmata vel à se excogitata, vel ab alijs hominibus accepta, veteri autem Ecclesiæ inaudita, tanquam ad salutem necessaria populis obtrudunt: illi autem dissidia continuare, qui pertinaces in suis sententijs, nullam volunt admittere disceptationem, aut collocutionem, qua veritas discussa innotescat, & refutatis damnatisque erroribus, in sana do-

ctrina, vera ſolidaque conſenſio fiat: ſed ſimpliciter volunt & iubent, vt alij omnes ſuæ ſubſcribant doctrinæ, id quod proprium eſt Antichriſti: rogo, Tu ipſe iudices, Illuſtriſſime Princeps, vtrùm Zanchius diſſidij Argentinenſis fuerit autor & continuator, an verò illius accuſatores. De primo facilè fieri poteſt iudicium ex qualitate meæ doctrinæ quam illi damnarunt hæreſeos: hoc eſt, ex meis tum theſibus, tum lectionibus, tum ad calumnias reſponſionibus, quæ in hoc habentur libro. De ſecundo verò, ex ijs quæ partim retuli, partim referam ex noſtris Actis. Ac proinde patefiet, quàm verum ſit illud quod poſt factam vtcunque compoſitionem, mihi publico in loco & multorum conſeſſu obiectum fuit: me videlicet nouum indicere bellum pro meo ingenio: & illud quod alter in me nuper ſcripſit conuitium, me hominem eſſe ἐριστικόν. Principiò conſtat apud amicos permultos, cùm primùm eos vidi quibuſcum colueram amicitiam & familiaritatem annos non paucos, poſt & propter ſuppreſſionem Heshuſiani libelli, ſtatim à me fuiſſe ita abalienatos, vt obliti omnis veteris amicitiæ, ſocietatis, ſodalitij, pietatis, aliorum etiam tam Dominorum & ciuium, quàm meorum auditorum & collegarum animos, à me quotidie abalienarent: partim calumnias contra me ſpargendo: partim doctrinam etiam ſanam damnando: Conſtat, inquam, quantum animo dolorem perceperim ex illa, tum animorum abalienatione, tum ſanæ doctrinæ oppugnatione, id quod etiam vnum eſt ex præcipuis meæ Narrationis capitibus; de quibus expoſtulo cum meo aduerſario; quòd videlicet ſine vlla legitima cauſſa, pacem & concordiam multorum annorum, vno momento violarit. Conſtat deinde ex Actis, cùm Herlinus cauſſam retuliſſet ad Conſilium: me & gauiſum fuiſſe, & gratias illi pro hoc officio egiſſe, & tum etiam paratum fuiſſe ſtatim totum negotium Conſilio exponere: vſque adeò optabam, controuerſiam à Conſilio cognoſci, atque componi. Neque illud eſt obſcurum, nihil à me Conſilium pro cognitione & compoſitione diſſidij petijſſe, in quo non ei libenter obtemperauerim. Petijt vt vterque ſuam cauſſam in alterius præſentia Conſilio exponeret, & eidem vt arbitro, componendam permitteret: vtrique petitioni libenter ego aſſenſus fui, & vt ita fieret, rogaui. Iuſſit me reſpondere ad poſtulata aduerſarij & ad propoſitiones mihi obiectas, an pro meis agnoſcerem nécne: vtrunque feci. Iuſſit ſibi dari concluſiones meæ Narrationis, quòd ad eas vellet reſpondere aduerſarius: dedi. Iuſſit deinde dari etiam totam Narrationem: non recuſaui. Poſtulauit lectiones meas de fine ſeculi, de Perſeuerantia Sanctorum, & ſcriptum de Euchariſtia, vt exhiberentur accuſatori: attuli. Dedit mihi lectiones aduerſarij contra doctrinam de Perſeuerantia Sanctorum: atque vt ad omnia illius argumenta & autoritates reſponderem, mandauit: reſpondi. Quòd autem petij, vt prima oratio aduerſarij mihi daretur refutanda; hoc feci coactus & illius exemplo prouocatus; alioquin non petiturus, ne cognitio cauſſæ in longũ protraheretur. Cùm verò illas duas contumelioſas aduerſarij orationes quas petieram, quò me poſſem purgare, Conſilium denegaſſet pro eo tempore, idq; ne acceſſus ad cauſſam impediretur: acquieui eius voluntati. Quoties verò ego ſponte petierim vt tandem ad cauſſam veniretur, & ordo in agendo ſeruaretur, ne vlla oriretur confuſio: ſatis etiam liquet. Per totum illud tempus quo cauſſa fuit in Conſilio, ego bis tantùm pro me dixi: cùm aduerſarij perpetuo ibi contra me agerent, meque & in concionibus ac Scholis, meo tamen ſuppreſſo nomine, traducerent. interim æquo animo omnia tuli, & tacui, ne cauſſæ cognitio, mea culpa impediretur. Quoties autem petierim non tantum de principiò, ſed deinceps etiam vſque ad finem, vt diſputatio haberetur, aut ſaltem amicum colloquium, imò quoties etiam obtulerim priuatam cum vnoquoque collocutionem: notum eſt collegis omnibus, & Acta prorſus non tacent. Taceo hìc reliqua quæ poſt tranſlatam à Conſilio ad Dominos cauſſam, egi, quò lis omnis, ſalua

tamen

tamen vera doctrina, tolleretur. Testimonia etiam Consilij non tantùm de bonitate meæ causſæ, sed etiam de reliqua doctrina, & de meo ingenio, de moribus & vita, quæ decreueram hîc recitare: differo in alium locum. Satis est nunc demonstrasse, id quod etiam de Consilio antè concluſi; nimirum sicut per me non fuit accensum dissidium, sic etiam non stetisse, quò minùs statim fuerit extinctum. Consilium, huius quod de me concluſi, apertum dat mihi testimonium in Actis, & in suis tum responsionibus ad orationes aduersariorum meorum, tum supplicationibus ad Senatum. Eant igitur & dicant, Zanchium ingenij esse contentioſi & bellum indixisse. Si hoc, est bonam causſam & sese defendere, ad falsas accusationes respondere, ad disputationem aut colloquium inuitare, conuitia & calumnias depellere: fateor quod dicunt. sin verò est, falsò aliquem accusare, sanam doctrinam damnare, de rebus non necessarijs litem mouere, ac denique conuitijs & calumnijs lacesſere: iudicium esto penes eos qui me & meos aduersarios, meam & illorum causſam, meas & illorum actiones, meum & illorum ingenium norunt.

Nunc igitur à Consilio vnà cum causſa egressus, transeo ad progressum quem illa fecit extra Consilium.

Translata causſa ad XIII Viros, aduersarij quidem pergebant doctrinam controuersſam, tanquam iudicatam, ad plebem è suggestis inuidiosè proponere atque damnare: ita vt animi ciuium in dies magis ac magis à me abalienarentur. Tredecim verò, quinque viros doctos & rerum peritos delegerunt: qui & Acta perlegerent, & quid ad componendum hoc dissidium facto opus esset, suam quisque sententiam dicerent. Etsi autem tum Consilij antea audiuissent & sententiam & petitionem, tum etiam quid horum quinque doctorum virorum pars maior atque sanior consuluisset, intellexissent, nimirum instituendam aut esse disputationem aut saltem amicam collocutionem: non visum est tamen ipsis nec reliquo postea Senatui, illud vnum optimum audire Consilium. id quod tamen non dubito illos facturos fuisse, si animaduertissent aduersarios meos hoc cupere, aut saltem non recusare. Quæ enim alia compendiosior via excogitari poterat ad finem illis molestijs imponendum: quàm si iuberet, vt iuxta consuetudinem Scholarum, rem ipsi inter nos professores & collegæ aut in Schola, aut in Consilio decideremus ac componeremus? Ego ab amicis aliquot solicitabar, vt redirem in Scholam, ita tamen vt de controuersſa doctrina, initiò nihil verborum facerem: quòd si postea alius de eadem re occurreret locus, mihi non prohiberi, quin pergam in mea tractatione, modò rem ipsam tantùm modestè tractem, in personas autem non inuehar. Scholarchis enim & Dominis satis perspectam esse meam causſam. Hîc respondi: si hoc nomine Scholarcharum aut Dominorum mihi significetur; facturum id me perlibenter, & mihi nihil esse optatius. sin minus: non facturum; quòd nollem si de controuersſa doctrina loquerer, vel in Dominos peccare, vel occasionem dare aduersarijs mei de nouo crimine accusandi: si verò tacerem, nollem silentio meo committere vt vel prodere veritatem, vel illam non audere defendere, vel sententiam mutasse viderer. Interim non solùm ego ipse in Consilio cùm dabatur occasio, sed etiam extra Consilium per amicos rogabam aduersarios, vt mecum vellent de rebus controuersſis amicè vbiubi liberet, colloqui. me sperare, si boni viri essent, & nihil aliud quàm veritatem quærerent, futurum, vt ex familiari colloquio intelligant, doctrinam quam defendo non esse, vt ipsi putabant, impiam & hæreticam. Viuunt adhuc illi qui hæc norunt, & quorum opera ad id obtinendum vtebar.

Cæterùm cùm vidissem mihi nihil responderi, ac proinde colloquium tacitè denegari: profectus per Germaniam ad alias Ecclesias atque Academias, & quidem adhibito delectu; ex quo nihil aliud quàm veritatem & pacem me quæsiuisse o-

mnes intelligerent: contuli cum pijs Theologis & alijs viris doctis, de hac controuersa doctrina, atque exhibitas theses rogaui diligenter examinarent; ac si quid in illis minùs orthodoxum deprehendissent, me vt fratrem, sepositò omni humano affectu admonerent. sin verò quæ docui, consentanea esse S. literis iudicassent, ne grauarentur testimonium, & quidem scriptum, dare veritati: idque partim vt meus Magistratus perspicuè videat, á me nihil in sua Schola impium atque hæreticum traditum fuisse: partim vt delecti à Magistratu, siue arbitri, siue iudices, ex multis certisque piarum Ecclesiarum & celeberrimarum Academiarum iudicijs, tuta conscientia & sine vllo iustæ reprehensionis metu, de tota nostra causa iudicare & pronuntiare liberè possint. Secutus sum autem hac in re exempla aliquot Patrum, Basilij, Athanasij & aliorum: qui cùm de doctrina accusarentur, persecutionémque à tyrannis paterentur; conferebant se ad Ecclesias alias: & illarum iudicia exquirebant & audiebant. Quid dico exempla Patrum? Imò Pauli exemplum imitatus sum: quem Paulum ad Apostolos Hierosolymam profectum fuisse legimus, vt cum illis de suo Euangelio conferret: non quòd de eo ipse dubitaret, sed vt illud testimonio etiam reliquorum Apostolorum comprobatum, faciliùs à Gentibus & Iudæis reciperetur. Illi itaque Academiarum & Ecclesiarum patres tum diligenter examinatis Thesibus, tum attentè perlectis quibusdam meis scriptis: illa tandem dederunt testimonia quæ hîc inserui, atque tandem euulgari maxima necessitate coactus curaui.

Dum ego cum Theologis per Germaniam communico doctrinam controuersam, & illorum iudicia exquiro: Argentinæ Senatus id dant operam, vt Acta & vtriusque partis scripta (erant autem hæc non pauca) à delectis ad hoc munus, diligenter legantur, summa referatur, & quid quisque ipsorum sentiat, factuque necessarium pro componenda controuersia iudicet, significetur. Delecti strenuè suum faciunt officium. Accusatores autem, sicut à principio cœperant, sic etiam pergunt. Quibuscunque possunt modis, priuatim & publicè, verbis & scriptis controuersam doctrinam, impietatis atque hæreseos damnant; & hominem accusatum, inuisum, odiosum atque execrabilem omnibus reddunt. Atque hunc stilum & sonum ad extremum vsque, hoc est, vsque ad tempus compositionis continuant. Licet enim post meum reditum, cùm sparsa iam esset fama, doctrinam meam ab Academijs & Ecclesijs aliquot fuisse comprobatam, cœperint eorum nonnulli dicere, tolerabiles esse theses: aiebant tamen adhuc lectiones ipsas esse intolerabiles, & in eis latere venenum. Ac proinde licet Senatus non semel & iterum iussisset eos modestiùs agere, doctrinam traditam per Bucerum non damnare, neminem etiam nisi apertè hæreticum, & omnium verarum Ecclesiarum iudicio damnatum, perstringere, omnes potiùs sermones ad concordiam & ædificationem accommodare: illi tamen ab instituto non destiterunt. Ego verò cùm hæc partim audirem, partim viderem, & cuperem causam cognosci atque componi: principiò rogaui Dominos, efficerent vt veniremus ad aliquam amicam collocutionem: sperare me futurum, vt intra horam agnoscant aduersarij, doctrinam quam damnant, non esse, vt ipsi putant, hæreticam aut nouam: eos idcircò hallucinari, quòd me meamque doctrinam non intelligant: non dubitare me, si boni sint viri, quin posteaquam me audierint, aliam de me concipiant opinionem, & doctrinam quam malè intellectam damnant, eandem explicatam probent. Deinde idem supplicaui cuidam magno, & magnæ non tantùm potentiæ atque autoritatis, sed etiam prudentiæ & virtutis Principi; curaret apud Senatum, vt colloquium institueretur, me nihil aliud cupere, quàm vt veritas cognoscatur. Quin & theologum quendam magni nominis, qui cum illo erat Principe, non semel per Christum rogaui, vt suam vellet interponere autoritatem, quò causa componeretur, & dissidium tollere-

Dux Virtemb.

Ioh. Brent.

tolloretur; me illum deligere arbitrum: deligant & aduersarij quemcunque velint alium. vsque adeò fidebam bonitati causſæ. Atq; hoc contigit menſe Februario anno M. D. LXII. Tandem menſe Martio, obtuli Supplicationem Magiſtratui, eamq; Latinam & Germanicam. Quidam enim fratres eam conuerterunt in linguam popularem, propter Senatores illos qui Latinè non intelligebant. In ea Supplicatione, explicaui primùm, quantum dolorem animo perceperim ex illo diſſidio, tum propter veritatem oppugnatam atque damnatam, tum propter Scholam vulneratam, amicitiam inter collegas violatam, Magiſtratum noſtris contentionibus perturbatum, deniq; etiam propter læſam meam meiq́ue miniſterij exiſtimationem. Deinde etiam quæ me in illis animi moleſtijs recrearent atq; reficerent, bonitas cauſſæ, teſtimonium bonæ conſcientiæ, æquitas Magiſtratus, placiditas populi Argentinenſis, communis ſors rectè docentium, teſtimonia collegarum & omnium bonorum virorum, qui me intus & in cute ex longa multorum annorum conſuetudine norant. Tertiò LXII. calumnias ex libro contra me ab aduerſarijs ſcripto, mihi verò nunquã ab ipſis communicato, Magiſtratui autem, vt antè dictum eſt, clam me exhibito, à me ſemel per quandam occaſionem intra noctem vnã perlecto, excerptas refutaui. Poſtremò petij atq; rogaui, quod ad conuitia atque contumelias & calumnias attinet, curarent vt ea omnia aduerſarij mihi probarent, idq; coram Dominis, quò poſſem me defendere. Quòd ſi illi vel nolint, vel non poſſint præſtare; curent igitur Domini, vt mea mihi exiſtimatio reſtituatur, declareturq́ue, me talem non eſſe qualis per vrbem fui traductus. Me enim propter muneris mei rationem pluris facere nomen & exiſtimationem meam quám diuitias multas, vitamq́ue ipſam. Quod verò attinet ad eam doctrinam quam fateor me in Schola docuiſſe, quęq́ue quatuordecim theſibus comprehenſa eſt: hæc in verba meum feci poſtulatum: *Quoniam propter illam doctrinam vocarunt me Anabaptiſtam, Catharum. Schvuenkfeldianum, Nouatianum, hominemq; plenum hæreſeon: peto ſecundo loco, vt aduerſarij ſiſtantur, & mihi probent, talem doctrinam eſſe hæreticam, & deinde me eſſe hæreticum. Neque enim ſatis eſt dicere. ſed oportet dicta confirmare. alioquin ſi ſatis ſit accuſare, nemo poterit eſſe innocens. Neq; ſatis eſt dicere, Probauimus Dominis, tum verbis, tum dato libro: ſed oportet etiam probare mihi, vel ſaltem propoſitiones mihi dare, vt me defendere queam. Quod ſi hoc noluerint, aut non potuerint præſtare: proteſtor, doctrinam quam docui, eſſe orthodoxam: ac proinde magnam mihi factam eſſe ab aduerſarijs iniuriam quòd talibus me affecerint calumnijs atq; conuitijs. Quamobrem obſecro Dominos, vt & Chriſti doctrinam iniquè damnatam vindicent, inq; ſuam & Scholam & Eccleſiam reſtituant, & meam innocentiam declarent, atq; defendant ſua ſententia aut quacunque fas erit ratione.* His tum verbis Senatui ampliſſimo ſupplicaui, quibus etiam hoc adieci: *Peto præterea vt neque iuxta librum aduerſariorum, quem contra omnes Theſes ab ipſis mihi obiectas ſcripſerunt, ego iudicer. Non eſt enim æquum, vt iuxta tantum aduerſariorum ſcripta de me iudicium fiat, antequam illa videam ad eáq; reſpondeam. Ad hæc præter quam quòd infinitas continet calumnias liber ille, debet etiam vobis eſſe ſuſpectus, tum quòd Capitulo relinquere examinandum noluerunt, tum quòd nullum ad me miſerunt exemplum, vt viderem & reſponderem. Certè ſi veris & ſolidis rationibus meas theſes refutaſſent, & ipſi ſuam doctrinam contra meam ſatis confirmaſſent, non grauati fuiſſent illum dare & mihi & Capitulo: id quod amor veritatis poſtulabat. Poſtremò in eo apertè damnant Auguſtinum in doctrina de Prædeſtinatione, & fatentur meam doctrinam eandem eſſe cum Auguſtini doctrina. Oro itaque vt illius libri mihi copia fiat.* Hæc etiam ibi ad verbum. Ad extremũ petij diſputationem aut collocutionem, aut ſaltem vt mihi liceret aut verbis in Schola, aut ſcriptis extra Scholam, meam cauſſam modeſtè & Chriſtianè defendere, in hæc planè verba: *Quòd ſi hæc non ſunt ſatis ad iuſtificandam doctrinam hanc propter quam hæreſeos accuſor, curetis vt mecum veniant in collocutionem, coram doctiſs. quibuſque huius ciuitatis hominibus. Eſt petitio hæc iuſtiſſima. Ea enim antiquiſſima omnium ſcholarum & Academiarum per totum terrarum orbem conſuetudo eſt: vt ſi quid altercationum de doctrina inter profeſſores oriatur, illud in Scholis ipſis*

disputando discutiatur. Quòd si altera pars disputationem detrectet aut diu subterfugiat, illa tanquam tacitè euicta & superata damnatur. Hoc si in hac quoque vrbe principiò quo excitata fuit hæc controuersia, sicut petieram, factum fuisset; non fuisset huc vsque extracta hæc plus quàm hostilis perniciosáque contentio, non tot tantásque molestias Domini mei perpessi fuissent, non tam diu dissipata fuisset Schola, non tantæ exortæ fuissent inter multos inimicitiæ, non denique tot tantáque negotia toti ciuitati facta fuissent. Peto itaque, curetis, vt tandem aliquando publica disputatio instituatur, cui intersint Domini & doctissimi quique ciuitatis: est enim necesse, vt tandem huc veniatur. Qui secus consulunt, nec veritatem nec vestram existimationem amant. Peto postremò, vt dum lis pendet, efficiatis, vt aut sicut ego cogor tacere, sic etiam vestri concionatores de ijs rebus controuersis taceant: aut si vultis liberè illis licere sententiam nostram publicè, additis etiam conuitijs, impugnare: mihi quoque liceat sine conuitijs vel verbis in Schola, vel scriptis extra Scholam: non meam, sed tot tantarúmque Ecclesiarum doctrinam, quam esse Christianam & orthodoxam profiteor: propugnare. Nequaquam enim æquum est, vt accusatoribus liceat pro sua libidine calumniari: reo autem non liceat calumnias depellendo, se & suam innocentiam defendere atque tueri. Hortor ergo & obsecro: cogitetis diligenter, quale initium & quales progressus habuerit hæc controuersia, qualémque habitura sit exitum, nisi vos vestra prudentia ac potestate fortiter quod pium & iustum est, defendatis, & quæ possunt inde consequi mala, maturè auertatis. Hæc sunt, Domini mei clementissimi: quæ pro me in hac controuersia semel tandem dicere & vobis supplicare constitui. Nihil narraui quod non possim probare. Proinde poteritis pro vestro arbitratu, hæc cum ipsis etiam Pastoribus communicare. Nihil enim in tenebris: sed omnia in luce volo agere. nam nihil magis odi quàm tenebras. Rogo boni consulatis meam in dicendo cùm libertatem, tum prolixitatem. Hæc fuit summa meæ ad Senatum Supplicationis, vnà cum Iudicijs Academiarum & Theologorum, exhibitæ die XXII Martij, anno M.D.LXII. Ad hæc tandem responsum fuit nomine Senatus: in hanc sententiam. *Senatui vehementer dolere, tam grauem inter suos ciues, Doctores præsertim & Professores ortam esse controuersiam, curæ etiam sibi esse doctrinam pietatis & omnium suorum ciuium ac professorum existimationem, nec permissurum vt cuipiam vlla fiat iniuria. in hoc negotium versari, vt caussa cognoscatur & componatur. iubere igitur me quiescere & bono esse animo, donec id quod breui futurum sit, finis controuersiæ imponatur.*

Non ita multò post exhibitam meam supplicationem, Ioannes etiam Sturmius, Rector Scholæ & præpositus Collegij, iudicium suum de ratione qua possit dissidium componi: Dominis qui illud petierant, exhibet, die nimirum XXVI Martij eiusdem anni M.D.LXII. Cuius Iudicij præcipuum caput hoc fuit: *Se in hac esse sententia, non posse componi hoc dissidium, nisi veniatur vtrinque in collocutionem, & eam quidem eiusmodi quæ deceat Christianos homines, paucis ex Senatu prudentibus & doctis viris adhibitis, idque ob graues caussas quæ ibi explicantur. Hanc viam sibi videri & facilem & æquam.*

Aduersarij post exhibitum longè anteà librum contra omnes meas theses: de quo antè non semel mentionem fecimus: Apologiam etiam quandam offerunt Senatui, & post eam, minorem, vt ipsi vncant, Confessionem, eámque Latinam, XXIIII. Iunij, anno M.D.LXII. Illam non legi, hanc tandem paulò antè quàm Argentina discederem, vidi ac perlegi. In ea principiò agunt de Cœna, & nominatim damnant tum Bullingeri librum de Multis mansionibus: tum Martyris dialogum Pantachum, cum Bezæ explicatione de Cœna: quæ in Summa Christianæ religionis Synodo Gallicanæ anno M.D.LX. exhibita, continetur. Contendunt autem corpus Christi verum & ore corporis percipi, & ab ipsis etiam Indignis, hoc est, vt ibi explicant ipsi, impijs & nulla vera fide præditis, manducari. Et hanc iactant fuisse sententiam Buceri, Capitonis & omnium suorum in Ecclesia Argentinensi

nensi prædeceſſorum. Deinde agunt de Prædeſtinatione, atque hìc initiò doctrinam Gulielmi Holbrachi tunc temporis Eccleſiæ Gallicanæ quæ Argentinæ erat, Paſtoris digniſſimi, in certas redigunt propoſitiones, atque eas nunquam cum ipſo autore communicatas, damnant: & vocant errores tetros, blaſphemos, atque furores. Poſtremò iuuehuntur denuò in omnes meas illas theſes quæ ſunt de Prædeſtinatione & de Vinculis, de Perſeuerantia, & de Promiſſionibus. In horum autem refutatione, multa iterum per calumniam inſerunt iniurioſa & contumelioſa, non tam contra me, quàm contra omnes eos qui mecum bonam cauſſam defendebant.

Horum occaſione permoti Rector, Viſitatores & alij Profeſſores (nouerant enim qualia ab aduerſarijs ſcripta exhibita fuiſſent Magiſtratui) ipſi quoq; offerunt Supplicationem, menſe inſequenti, nempe Iulio. In ea principiò dolent, diſſidium ab aduerſario meo contra me (ſic enim omnes fatentur) excitatum, nunquam potuiſſe intra annum & ſextum menſem componi, neque à Conſilio, nequé à XIII Viris. Deinde conqueruntur de autore diſſidij, quòd reliquos aduerſarios in eam conſpirationem pertraxerit, quòd grauibus calumnijs Capitulum & Scholam clàm opprimere conatus ſit, quòd nullum modum ſuæ iniuriæ & intolerabilis poteſtatis teneat, quòd eò deuenerit audaciæ, vt antequam cauſſa iudicata ſit, pro ſuo arbitratu in quos vult, animaduertat: quòd ex duobus Collegijs propter hanc controuerſam cauſſam, ignorantibus Scholarchis, aliquos ſtipendijs fundatorum ſpoliarit atque eiecerit: quòd non contentus Confeſſione Magiſtratus Argentinenſis quam Cæſari anno XXX. obtulit: non contentus etiam illis loquendi modis quibus Bucerus eſt vſus: non contentus Confeſſionibus alijs Maiorum Eccleſiæ Argentinenſis, vt illa quam conſcripſerũt anno M.D.XXXIII. & quam anno XXXIX. & quam anno XLIIX. eijciat qui in ſua de Cœna Domini non iurent verba: quòd ipſe cum alijs ſuis conſtituerit Diaconum quendam ſenem, doctum, pium, quia nobiſcum eandem defendat cauſſam, ab Eccleſiaſtico conuentu excludere; & alius in animum induxerit, cum eo in Cœna Domini non communicare. Hoc Conſilium atq; inſtitutum, cupiditatem atque audaciam & violentam poteſtatem, iam ampliùs neq; à Capitulo, neque à Viſitatoribus, neq; à Profeſſoribus ferri poſſe. Tertio loco, aliquot graues calumnias, circiter nouem, contra ſe ab aduerſarijs ſparſas, iniuriaſque factas commemorant, atque vt ſe ab ijs Senatus defendat, dum eas probare accuſatores non poterunt, poſtulant. Quarto loco, & de multis accuſant aduerſarios, tam in actionibus quàm in doctrina: & contrà, doctrinam quam in me illi damnarunt, contendunt conſentaneam eſſe ſcriptis Prophetarum, Apoſtolorum, Auguſtini, Lutheri, Buceri, Capitonis: & Confeſſionibus ciuitatis Argentinenſis. Quinto loco, offerunt ſuam Confeſſionem etiam non requiſiti: atque eam quidem ipſiſſimam quam compoſuerat & conſcripſerat Bucerus anno XXXIX: Capito autem & Hedio & Zellius ſua ipſorum manu notauerant & comprobauerant. Continet autem illa Confeſſio ſummam doctrinæ de Prædeſtinatione, eoque & de Perſeuerantia, & de Cœna Domini. Αὐτόγραφον verò erat tum Argentinæ apud optimum virum, verum & fidum Buceri diſcipulum, amanuenſem, ſymmyſtam & amicum, Cunradum Hubertum. Poſtremò hæc à Magiſtratu petunt & orant: primùm agant cum aduerſarijs, quò contenti ſint quatuor vrbis Confeſſionibus: vna Magiſtratus quam Auguſtæ anno XXX Cæſari obtulerunt, & quã Elector Saxoniæ, Tu Princeps Lantgraui, & Legati Principum, Veſtræ Confeſſioni conſentaneam eſſe dixiſtis atque approbaſtis. altera quam Paſtores, Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, cæterique parochi & miniſtri anno XXXIII. contra Hofmannum & hæreticos illius temporis propoſuerunt. tertia quam ediderunt an. XXXIX. in minori Synodo: quæ fuit conceſſa à Senatu, vt ſexto quoque anno haberetur, ad retinendã puritatem & diſciplinam Eccleſiæ. quarta, quã inuulgarũt

anno

anno XLVIII. cùm adhuc Bucerus adesset & viueret Hedio, cui etiam ipse aduersarius noster subscripsit. Alterum etiam petunt, nempe, vt si aliquod dubium oriatur in Confessione Augustana Principum: illius dubij non cogantur responsionem accipere ex libris Heshusij, Vvestphali, aut ex sensu & vtilitate aduersariorum nostrorum, sed ex S. literis, ex Patribus, ex scriptis, disputationibus, lectionibus Maiorum nostrorum, & ex quatuor vrbis Confessionibus: præsertim ex Apologia Confessionis quatuor ciuitatum. Tertium, vt disputationes Collegio restituat: & aduersarij vel disputent nobiscum: vel desinant in concionibus de ijs quæstionibus dicere quæ falsissima sunt: neque magnos viros, aliasque innumeras nationes quæ Euangelium profitentur, propterea damnent, quòd aliter quàm ipsi, de Cœna & de Prædestinatione sentiant atque doceant. Quartum, vt decretum Senatus quod anno superiore fecerat: aduersarij seruent: hoc est, vt nihil decernant, aut noui aliquid instituant absque scitu Presbyterorum: neque hi aliquid absque consensu Magistratuum: & vt conuentus Ecclesiasticus reuocetur ad antiquam suam formam. Hæc enim decreuerat Senatus, & decretum legi iusserat in conuentu: sed aduersarij noluerunt ei obtemperare. Postremum postulatum: ita habet ad verbum: *Vt quoniam in Capitulo librum ostenderunt contra conclusiones Doct. Zanchij, quem recitare quidem in Capitulo præcipitanter parati erant: sed relinquere Capitulo, vt diligenter examinaret, noluerunt: & quoniam Confessionem Senatui his diebus obtulerunt: Rogamus Dominos nostros, vt vtrunque scriptum nobis exhibeant: quo de vtroque positmus nostram explicare sententiam. Quod ita faciemus, vt & rationem constituendæ concordiæ, & veritatis, & obedientiæ erga Magistratum nostrum, summam videamur habuisse. Et quoniam duas orationes aduersus Zanchium habitas nos neq; Zanchio ostendimus, concordiæ spe, neque nostram de his exposuimus sententiam in Actis nostris: si neque colloqui, neque disputare volunt: vt nobis liceat ad has respondere, & huiusmodi responsionem, cùm absoluta erit, ad Acta illa adijcere. Et quoniam ipsi Acta quædam sua XIII Viris tradiderunt, quæ nos non vidimus, & illa liceat nobis cum nostris conferre Actis, quæ dicimus esse verissima, absque vna commutata sententiola. Atque istud postremum propterea petimus: quòd absque hoc caussam nostram non posse commodè iudicari arbitramur. Non pigebit nos huius laboris atque scriptionis: si vobis Dominis non displicebit nostra petitio, quibus omnem in nostro ministerio diligentiam, studium solicitudinem, obseruantiam pacem atq; concordiam pollicemur, quanquam isto postremo labore non esset opus, neq; Magistratui in cognoscendo, neq; nobis in scribendo, si conceditur collocutio & disputatio, sine qua non videmus quomodo componi istud dissidium possit: vt veritas retineatur, & doctrina pura in Schola maneat.* Hæc fuit Professorum Scholæ Supplicatio. Senatui exhibita, vt antè dixi: Mense Iulio M. D. LXII.

XVII. Octobris, noua excitatur controuersia in Thomano Consilio: vbi eramus plerique omnes collegæ. Occasionem huic nouo dissidio dedit examen, quo duo ibi iuxta leges Consilij erant cùm de rebus alijs, tum de religione in primis examinandi. Erat autem scriptum in legibus, examen esse faciendum iuxta nostram Augustanam Confessionem. Maior igitur pars per *Nostram*, intelligebamus Confessionem Argentinensem, quam Cæsari exhibuerant anno XXX. Aduersarij verò interpretabantur Confessionem Principum, & iuxta hanc examen esse faciendum contendebant: minimè verò standum Confessioni Argentinensium, quòd ab hac (sic enim aiebant) recesserint, cùm illam alteram receperunt. Nos contrà, cùm illa Principum minimè pugnet cum hac Argentinensium, id quod nos demonstraturos pollicebamur, in dogmatibus fidei: non dicebamus, consequi Argentinenses à sua defeciisse, propterea quòd alteri subscripserunt: quare vtramque esse retinendam, & nobis licere breuiorem & obscuriorem, per eam quæ fusior est atque clarior, interpretari. Quare si quis examinatus de Prædestinatione, & de Cœna, & de Perseuerantia, respondeat iuxta explicationem quæ traditur in Confessione cum

sua

ſua Apologia Argentinenſium, præſertim ſi addat, ſe Auguſtanam quoque Principum orthodoxè intellectam, admittere: eum non eſſe reijciendum. Examinatores igitur omnes, numero quatuor, excepto quinto qui erat ex aduerſarijs, in ipſo Conſilio, præſentibus Scholarchis, propter voculas quaſdam contra ſe, & maiorem melioremque Conſilij partem in vulgus proiectas, proteſtati ſunt ea quæ iamiam ſubijciam. cui proteſtationi, ego quoque cum reliquis collegis ſubſcripſi: eaque Senatui poſteà exhibita fuit. Summa autem proteſtationis hæc fuit. *Nos proteſtamur, ita nos retinere Confeßionem Auguſtanam noſtræ ciuitatis, Cæſareæ maieſtati oblatam anno* XXX. *vt etiam Auguſtanæ Confeßioni Principum ſubſcribamus: imò pollicemur, eam orthodoxè intellectam, nos vnà cum noſtra defenſuros contra Pontificios, contra ſectarios, contra omnes hoſtes Euangelij & veritatis.* Deinde addiderunt: Quòd Argentinenſi Confeſſioni nominatim vellent examinandos adſtringere: id ſe facere multis ijsque grauiſſimis de cauſſis: inter quas hæc vna quoque fuit: quòd ex Actis liquidò conſtaret, legatos Argentinenſes cùm Auguſtanæ Confeſſioni Principum Schvuinfurti ſubſcripſerunt, anno XXXII. proteſtatos fuiſſe nomine ciuitatis, ſe ita Confeſſioni Principum ſubſcribere, vt à ſua minimè recedant: atque hanc proteſtationem ab altera parte, hoc eſt, à Legatis Principum conceſſam fuiſſe. Cùm itaque Senatus hanc formam examinis iuxta ſuam Confeſſionem, Thomano Conſilio & alijs Collegijs omnibus de principio præſcripſerit: ſe non poſſe, niſi cum iniuria Senatus ab illa recedere, quando neque Senatus ſine dedecore infamiæ, à ſua Confeſſione recedere poteſt. Ad hæc proteſtantur, ſe non improbare modos loquendi Eccleſiarum Saxonicarum, *In pane Corpus Domini ſumi, in calice ſanguinem Domini bibi:* ſed ita, vt Lutherus ſe explanauit: vt iſte cibus non ſit cibus ventris, neque panis vertatur in Corpus Chriſti, neque corpus Domini localiter includatur in pane, vel lateat in pane: & vt manducatio quæ fit ore corporis, pani propriè competat; corpori verò Domini, non niſi ob Sacramentalem vnionem tribuatur, & huic Sacramento nihil ex opere operato concedatur. Proteſtantur etiam ſe ſic examinaturos ſecundum Confeſſionem vrbis, vt nihil contrarium ſtatuere velint vtrique Confeſſioni & Principum & Vrbis: nihil etiam præſcripturi Senatus voluntati & poteſtati. id verò quod in omnibus minoribus iudicijs licitum eſt facere: id ſe ſibi aſſumere, vt ſcilicet iudicent ſecundum ſuam conſcientiam. Huic Examinatorum proteſtationi, noſtrûm plerique omnes propria etiam manu ſubſcripſimus. Deprecabamur verò hoc vniuerſi vnum, propter quod ortum fuerat diſſidium: vt ne cogeremur Auguſtanæ Confeſſionis interpretationem ab aduerſarijs noſtris, partim diſcipulis, partim condiſcipulis accipere. Hoc autem petebamus, rogabamus, orabamus, obſecrabamus, vt in ea doctrina manere nobis liceret, in qua Capito, Zellius, Hedio, mortui ſunt: & quam Bucerus quoque ad annum vſque XLIIX. quo diſceſſit in Angliam, docuit, illuſtrauit, defendit, nec mutauit per reliquum vitæ ſpatium: & contrà, ne paterentur Domini eam doctrinam, quam maiores noſtri publico decreto ex ea vrbe electam voluerunt, & quæ electa fuit quando vixerunt Capito, Zellius, Bucerus, Hedio, nunc denuò reuocari: & concederent, vt illam quam eodem decreto mandauerant in templis doceri, & incorruptam retineri: retineremus & doceremus. Decretum autem illud mox ſubijcitur Germanicè, ex libro qui inſcribitur *Ordinatio & Ceremoniæ Eccleſiæ Argentinenſis.* Demonſtratur etiam luce clariùs in ea proteſtatione contra accuſatores, Senatum Argentinenſem à ſua Confeſſione minimè receſſiſſe. Sunt & alia in illa proteſtatione: ſed hæc eſt ſumma eorum quæ hìc commemorari operæ pretium, imò neceſſarium fuit. Ex ijs enim perſpicuum fit, quàm falſa fuerint illa quæ aduerſarij in vulgus ſpargebant, quæ ad aures vſque Principum & magnorum virorum peruenerunt: Stur-

mium, Zanchium, & ſuos, Auguſtanam Confeſſionem non agnoſcere, imò impugnare, & inimicos eſſe doctrinæ Argentinenſis. Auguſtanam enim veſtram Confeſſionem, Princeps Illuſtriſſime, ſemper amplexi ſumus: & obtulimus nos ipſi ad defendendam illam contra omnes aduerſarios, tantùm de intelligentia quorundam locorum fuit diſceptatio. Illi ſuam obtrudebant interpretationem, nos dicebamus petendam illam eſſe cùm ex ſcriptis doctiſſimorum Patrum in Germania: tum præſertim ex libris Buceri & aliorum Eccleſiæ & Scholæ Argentinenſis antehac Doctorum atque Paſtorum: eámque eatenus admittendam, quatenus conſentanea eſſet S. literis. Speciatim verò de doctrina Eccleſiæ Argentinenſis, quid opus eſt longa Apologia, cùm de ea re conqueſti ſimus perpetuò, quòd in nobis eam damnent doctrinam, quam apertè Bucerus & alij Eccleſiæ Argentinenſis Patres, vno & perpetuo conſenſu, & tradiderunt voce in Scholis ac templis: & libris editis confirmarunt, & ad abſentes transmiſerunt atq; poſteros? Propterea in Supplicationibus & Proteſtationibus illud ſemper vrſimus: liceret nobis eam defendere doctrinam, quam Maiores noſtri nobis ſcriptam reliquerunt, & in qua ipſi mortui ſunt: & contrà, quam illi, vt impiam, damnarunt; eam reuocari in vrbem ne paterentur. Quid apud ipſos Compoſitores, cùm in eo laborarent vt nos conciliarent, aliud vrſimus quàm hoc: Curate, vt aduerſarij concedant nobis doctrinam Apoſtolorum in articulis controuerſis, iuxta explicationes Buceri & Maiorum noſtrorum, & facta eſt pax? Sed ad inſtitutam narrationem redeo.

XXII. eiuſdem menſis Octobris, obtuli ego Senatui meam, ſicut petierant, de tribus articulis, Prædeſtinatione, Perſeuerantia, Cœna, confeſſionem, tam Germanicè quàm Latinè ſcriptã. In ea probaui meã ſententiam teſtimonijs Scripturarum, deinde Patrum, poſtremò doctorum noſtri ſeculi, atq; inprimis Lutheri & Buceri, Confeſſionibus etiam Eccleſiæ Argentinenſis & Paſtorum. Atq; vt ſummam illius complectar, luculentiſſimè demonſtraui, de Prædeſtinatione quidem & Perſeuerantia me nihil docuiſſe, quod non ante me Apoſtoli primùm atq; Prophetę, deinde Auguſtinus & alij multi Patres, demũ Lutherus & Bucerus (vt ne alios commemorem omnes) ſcriptum reliquiſſent; ac proteſtatus ſum, me non aliter ſentire quám illi docuiſſent, & iſti explicaſſent. De Cœna verò, idẽ planè me ſentire ac docere, quod Eccleſia Argentinenſis in ſua, imò quatuor Ciuitatum Confeſſione & Apologia docet: ac proinde nihil diſſentaneum à Confeſſione Auguſtana Principum profiteri. Veſtri enim Legati, Princeps Illuſtriſſime, anno XXX. in Comitijs Imperij Auguſtanis, viſa atq; perlecta Confeſſione, quam à Capitone, Bucero, atq; Hedione compoſitam, Iacobus Sturmius, & alij Argentinenſes Legati, Cæſari exhibuerunt: apertè dixerunt Argentinenſibus, illam cum ſua in omnibus dogmatibus reipſa conuenire. Præterea vt omnis dubitatio tolleretur, demonſtraui, eandem doctrinam confirmatam fuiſſe in Synodo Argentinenſi anni XXXIII. item in Confeſſione anni XXXIX. poſt ipſam etiam concordiam factam inter Lutherum & Bucerum & alios: nécnon in Confeſſione Buceri de Cœna, quam anno XLIV. in Schola dictauit, & ad cuius finem hæc adiecit verba: *Martinus Bucerus, ita in Domino ſentio, & in hac ſententia opto venire ad tribunal Dei.* deinde in ipſo etiam compendio religionis & doctrinæ Paſtorum Argentinenſium, edito anno M.D.XLIIX. vt Confeſſionem quam Bucerus in eadem re ex Anglia miſit in Germaniam, omittam. imò planè idem docui quod Brentius in ſua exegeſi in Ioan. cap. 6. in tractatiuncula de Cœna Domini. Proinde obſecraui Dominos, curarent vt doctrina ſuarum Confeſſionum & Apologiæ, in ſua Eccleſia & Schola retineretur. Me enim cognoſcere illã pro Chriſtiana, & vt Chriſtianam amplecti. Quòd ſi aduerſarij contẽdere adhuc velint, doctrinam tam de prædeſtinatione quàm de Cœna, quæ habetur in confeſſionibus & Apologia ciuitatis, eſſe erroneã: cogãt illos venire in diſputationẽ. Me enim & meos collegas con-

contrarium defensuros, & doctrinam veterem illius Ecclesiæ piam esse demonstraturos. Ad extremum, obtuli me, si quæ dedi, non satisfacerent, ad maiorem illorum trium articulorum explicationem; quando, vbi, & quomodo, Domini iussissent. Sperabam itaque breui futurum, vt tandem aliquando vel crimine hæreseos per Senatus sententiam liberarer: vel cogerentur aduersarij in disputationem aut amicum colloquium venire: vel saltem mihi concederetur, vt possem ipse mihi bona & honesta aliqua ratione, labem illam hæreseos in Schola & apud Ecclesias abstergere.

Ceterùm cùm vna ex parte viderem, procurrente iam ad exitum anno ab excitata controuersia altero, totam illam meam spem inanem prorsus esse ac desperatam: altera verò ex parte audirem, aduersarios minimè desistere à semel suscepto impunè instituto: consulo amicos quid facto opus sit. Illi arbitrantur omnino necessarium esse, vt quando voce non licet; scriptis in lucem emissis, & caussam bonam, & me meosque defendam, ac crimine hæreseos liberem. Senatum enim nunquam, quæ sua est in politicis rebus prudentia, sumturum sibi vllum de religione iudicium; in hac præsertim caussa, quæ non inter vnum & alterum, sed inter professores Scholæ & Pastores Ecclesiæ tamdiu est disceptata, & adhuc disceptatur. Eundem etiam, vt me ipse & caussam in Schola defendam, non concessurum; quòd maiores metuat tumultus. Iussurum verò, vt veniatur in collocutionem aut disputationem non debere me adduci, vt sperem: cùm non semel animaduerterit, partē aduersam hoc subterfugere. Nullam etiam spem esse futuræ alicuius in Germania pro hoc tempore Synodi; in qua hæc caussa cognosci & componi queat. Nullam igitur aliam superesse, suo iudicio, rationem defendendæ bonæ caussæ, quàm vt scripta quæ ad illius defensionem faciunt, inuulgem. Facilè se perspicere, eorum qui fauent aduersarijs, consilium esse, vt tota caussa silentio sepeliatur. Sic autem non consuli neque gloriæ Dei, neque veritati, neque Ecclesiæ Christi, neque existimationi multorum & magnorum virorum. Senatum porrò iure non posse conqueri de me, quòd mea euulgem, cùm neque ipse velit caussam iudicare, neque vt disputatione, vel colloquio discutiatur, iubere, neque vt à me in Schola defendatur, permittere. Tum ego ijs victus rationibus, ea quæ mihi visa sunt magis ad caussæ defensionem pro eo tempore necessaria, collegi, & typographo imprimenda dedi: nempe Iudicia Ecclesiarum de thesibus, prælectiones aliquot meas, vnde sumtæ theses, & calumniarum quarundam depulsionem.

Dum verò hæc cuduntur, protestantur contra Consilium nostrum Thomanum, principiò quidem primarius accusator: deinde quatuor alij Canonici, secessione facta à Consilio. Erant autem ij quinque tantùm in toto collegio mihi in hac caussa aduersarij. Protestati verò fuerunt, cùm alijs de rebus ad Consilium pertinentibus, tum de examinatione facta iuxta Confessionem Augustanam Argentinensium, de qua ante dixi.

De hoc verò importuno schismate & intempestiua protestatione, Consilium conquestum est apud Senatum die IV. Ianuarij anni M.D.LXIII. deinde ad illam scripto responderunt. Summa responsionis, quantum attinet ad caput protestationis de Examine, ac proinde de religione, hæc est: Protestantes ipsos facere iniuriam toti Ecclesiæ, nedum Senatui Argentinensi, dum aiunt, illos à sua Confessione quam obtulerant Cæsari Augustæ: recessisse; quòd hoc nihil aliud sit, quàm dicere, illos à religione quam professi sunt in Comitijs Augustanis, & in qua tot præclari viri mortui sunt, turpiter defecisse. Deinde luculentissimè permultis rationibus demonstrant, Argentinenses à sua Confessione, etiam in articulo de Cœna nunquam recessisse, idq; faciunt partim ex ijs quæ transacta fuerant Augustæ inter Principum & Argentinensis Reipublicæ Legatos: partim ex ipso municipali

examine: partim ex decretis aliquot Senatus, etiam post exhibitam Carolo Confessionem, factis: partim denique ex varijs Synodis, Disputationibus, Actis Argentinensibus in caussa religionis: & testimonijs Buceri confirmant. Falsum igitur esse crimen aduersarij: Examinatores & reliquum Consilium mutasse aut infirmasse examen municipale. Deinde ostendunt Confessionem Christophori Stipitij & Doctoris Massarij, quorum occasione excitatum fuerat illud nouum dissidium, omnino consentaneam esse cum Confessionibus Capitonis & reliquorum Argentinensium doctorum. Quantum autem attinet ad caput de corrupta ab ipsis doctrina, in hæc verba respondit Præpositus:

Quantum verò ad id caput attinet de corruptione doctrinæ: fatetur Præpositus, hanc querelam ad se pertinere, & se dixisse fatetur, Concionatores aliter & alia docere de Cœna Domini & de electione Sanctorum, quàm Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, omnes Pastores & Diaconi docuerint, legerint, scripserint, disputarint. Imò amplius addit: & dicit eos in quæstione de Prædestinatione docere contraria. & respondet, si hoc illi credere nolunt, subscribant articulis doctrinæ Ecclesiæ Argentinensis, quam, Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, Theobaldus Nigri, Ioannes Lenglinus, cæteriq; anno XXXIX. *tertiò post Concordiam ediderunt: subscribant summario doctrinæ Ecclesiæ Argentinensis, quod factum est anno* XLIX. *subscribant Retractationibus Buceri quas Lutherus probauit. Subscribant his quæ Bucerus scripsit in octauum & nonum caput Epist. ad Roman. quæ consentiunt cum ijs quæ Lutherus scripsit in præfatione Epist. ad Roman. & contra Erasmum Roterodamum, & Augustinus & alij Patres antiqui contra hæresim Pelagianorum. Dicant, Dominos non recessisse à Confessione & doctrina sua, neque Augustæ in comitijs anno* XXX. *neque Schwuinfurti anno* XXXII. *neque vllo pòst tempore. Si hæc dicant, vult culpam deprecari, & se errasse confiteri. dum autem sic agunt vt agunt, non se posse aliud credere.* Senatum verò in hunc rogant modum. *Credimus*, inquiunt, *nos ad omnia respondisse, clarissimi Domini: & quanquam omnia diligenter cognosci & iudicari à vobis postulamus: tamen nihil peræquè cupimus considerari, atq; illam quæstionem quæ est de Confessione & doctrina Maiorum nostrorum. Si vos iudicabitis Senatum & Legatos Ciuitatis recessisse à sua Confessione, hoc est, doctrina: quod factum est, irritum nos facere non possumus: sin verò in eadem mansisse: petimus, vt in hac nobis manere & hanc defendere liceat. De his duobus cognoscere atque iudicare, vestræ est autoritatis atque potestatis.* Ad extremum verò, ijs verbis compellant primarium aduersarium. A. D. M. *postulamus vt respondeat, veráne an falsa doctrina Maiorum nostrorum fuerit. Si vera, cur non subscribit? & cur vexat nos? si falsa, cur non colloquitur? cur non disputat? Item illud rogamus, si veram esse doctrinam Maiorum nostrorum putat: an nos intelligere Maiorum nostrorum doctrinam arbitretur, nécne intelligere? Si intelligere, cur non idem loquitur quod nos? si non intelligere, cur nobis non explicat, vt intelligere possimus? Si ad hæc nobis respondere recusat, nos protestamur, id nos feciss̃e & facere, quod viros bonos & memores suorum præceptorum fecisse & facere decet, & id pati, quod collegæ à collega pati non deberent, & id passuros retenta veritate, quod homines constantes & Christianos pati decet.*

Hic est progressus, quem communis caussa posteaquam à Consilio Thomano ad Senatum fuit translata, ante compositionem fecit. Ex ijs autem omnibus, facilè potes, Illustrissime Princeps, videre, grauissimam fuisse multis nominibus controuersiam, ac proinde grauem etiam postulasse cognitionem ac dijudicationem.

Cùm verò neque Senatus vellet vllum sibi de illa sumere iudicium: neque aduersarij vllam vellent admittere disceptationem, aut amicam collocutionem, neque etiam ego vellem silentio caussam sepeliri: Coactus tandem aliquando fuit Senatus, nempe biennio pòst ab excitato dissidio, aliunde viros accersere, partim Theologos, partim legum & rerum peritos: qui caussam & diligenter cognoscerent, & sapienter componerent. Venerunt igitur Argentinam circa medium mensem Februarium anni M. D. LXIII. alij Tubinga, alij Biponte, alij Basilea: Theologi

quatuor

quatuor, & politici totidem, honorificentissimè à Senatu excepti, magnificè per mensem & ampliùs tractati, ac tandem etiam liberaliter dimissi. Designatum illis fuit proprium & honorificum domicilium, atque eò omnia Acta, scriptáq; in caussa iussu Dominorum perferuntur, vt ea legant & causſam cognoscant.

Dum verò in ijs perlegendis occupantur arbitri: fit mihi à Sturmio certa spes futuræ disputationis. se enim accepisse à viris fide dignis: Senatum constituisse, vt tandem veniatur ad disputationem, vel saltem ad amicam collocutionem coram ijs Theologis, ac designatum etiam esse locum vbi id fiat, & viros qui debeant interesse. debere igitur me ad illam me præparare. Tum ego gratias agere Deo, quòd tandem aliquando nos exaudierit: & tum mihi gaudere, tum Scholæ & Ecclesiæ gratulari, quòd illis grauiter vulneratis, bonam tandem Dominus faciat Medicinam. Si enim disputatio instituatur, veritatem vicisse. Magno igitur desiderio disputationem expecto, & me ad illam diligentiùs præparo.

Ceterùm cùm iam multi præterijssent dies, & nullum interim institueretur colloquium: scribo Epistolam ad duos ex compositoribus amicos. Quòd eos non inuisam: id à me fieri bonis de causſis. Quòd verò colloquium non instituatur, me mirari, & quid in causſa sit, ignorare. Cùm verò audirem, nullum omnino futurum colloquium, sed iudicaturos arbitros tantùm ex Actis & vtriusque partis scriptionibus: dedi ad illos omnes Epistolam, cuius hæc fuit summa: *Scripta aduersariorum duplicis esse generis: alia quæ meas coniunctas habeant responsiones: alia ad quæ nunquam respondi, idque propterea quòd partim sint Germanica: partim quòd nunquam fuerint ita mihi communicata, vt ad illa respondere licuerit: & quæ illa sint, ostendo. Ex prioris generis, iudicium vt concipiant, mihi placere, imò & vt faciant, rogare: ex posterioris non posse fieri: ipsos quoque (quæ sua est prudentia) videre. Statum verò principalis causſæ facilem esse ad cognoscendum & iudicandum, qui hic est: vtrùm doctrina quam aduersarius accusauit nouitatis & hæreseos, & quam ego profiteor me in Schola tradidisse, sit noua ac portentosa & hæretica, & proinde an ego fuerim turbator Scholæ nécne.* Scripsit ad eosdem etiam Sturmius Epistolam valde grauem & prudentem: qua suam explicat sententiam, quomodo possit firma ac diuturna constitui concordia, ita vt & salua maneat bona doctrina, & integra omnibus sua cuique seruetur existimatio. Non possum illius summam paucis complecti, totam autem hîc inserere non expedit, & res nimis esset prolixa. Qualia etiam dogmata ex aduersariorum scriptis collecta idem ad eosdem retulerit, & quid responsum tandem fuerit: non refero, vt multorum parcam existimationi.

At verò arbitri perlectis Actis, incipiunt cum vtraque parte seorsum agere. Quid egerint cum aduersarijs, me latet. Mecum verò quatuor illi Theologi conferunt primo quidem die de Prædestinatione & de Perseuerantia. In quorum vtroque articulo cùm vidissent sibi à me non tantùm scriptis, quæ antè legerant, sed etiam voce fuisse satisfactum: dixerunt inter aduersarios & me hos duos articulos facilè conciliari posse: quòd ipsi quoque non improbent Augustinum, Lutherum, Bucerum in hac doctrina. Altera die meam voluerunt coràm audire sententiam de Cœna. Non contenti enim mea Confessione, in qua satis fusè atquè perspicuè meam de ea explicaueram fidem, quatenus ea S. literis niti potest: interrogarunt etiam de præsentia. quibus in hunc modum respondi: *De præsentia corporis Christi in Cœna, me non libenter disputare, idq; propterea quòd nullum de ea verbum in sanctis literis legam. Audire quidem me, cùm Cœna fit, hæc Christi verba: (Accipite, comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur:) Item Paulum hæc verba Christi interpretantem ac dicentem, panem quem frangimus, esse κοινωνίαν corporis Christi: sed nullibi legere, aut illum dixisse, Hic est corpus meum, aut istum docere, Corpus Christi in eo esse loco vbi frangitur panis. Interim tamen si aliquid sit dicendum de præsentia, me ita sentire, corpus Christi*

esse præsens, non corpori, sed Spiritui meo, quòd nullis sensibus corporis mei illud percipiam, mente autem maximè, quòd illud animæ & menti meæ se verè communicet, atque ab hac verè percipiatur. Nam & oculis mentis à me videri, & manu Spiritus contrectari, & ore animæ atque fidei edi, mihiq; incorporari, & illius effecta in me sentire. Præsens igitur esse animæ atque menti, me non posse inficiari: at verò præsens esse corpori, admittere me non posse, totumq; hoc simili satis accommodato planum atque perspicuum feci. quibus auditis, Profectò, inquit illorum vnus, *vos idem sentitis quod & nos. Quid sentiam,* respondi ego, *audiuistis, si autem eadem est vestra etiam sententia: gratulor Ecclesiæ.* De dicto, Corpus Christi manducari ore corporis, ita conuenit: Non posse id propriè dici, cùm corpus Christi non tangat corpus aut os nostrum in Cœna, sed tantùm propter Sacramentalem vnionem vsurpari. De impiorum, vt vocant, Manducatione, non potuit conuenire. De hoc verò, an Augustana Confessio in articulo de Cœna sit admittenda: sicut cum nemine vnquam disceptaui, sic neque tunc cum ipsis Compositoribus contendi. de interpretatione tantùm semper fuit disceptatio. Cùm igitur vidissent me libenter & anteà semper consensisse, & tunc etiam consentire in Augustanam Confessionem, sed orthodoxè intellectam: iudicarunt, facilè posse fieri inter nos conciliationem. Ita discessum fuit valde amicè. Ego verò tum ex hac actione, tum ex illis quæ non semel ex duobus Compositoribus audieramus, Sturmius, ego & alij nostrûm non pauci, putabam rem optimo esse loco. id quod mox ad Holbrachum Ecclesiæ Gallicanæ Pastorem retuli, idque vt particeps fieret meæ lætitiæ, & gratias simul Domino ageremus.

Ecce verò dum in hac bona spe viuimus, futurum videlicet, vt & nos & doctrina liberemur crimine hæreseos: quiddam præter omnem expectationem contingit, Ioanni Sturmio primùm, deinde mihi, articuli quidam de Prædestinatione, ab ipsis Compositoribus concordiæ gratia concepti atq; conscripti exhibentur legendi: & significatur, si in hos consentiamus, compositum esse dissidium. Debere igitur nos statim & simpliciter, probentúrne an improbentur, & an velimus subscribere nécne, respondere. Neque enim expectandam nobis esse cum aduersarijs disceptationem, quòd non expediat: neque definitiuam ab arbitris sententiam, quòd non venerint ipsi iudicatum caussam, sed tantùm amicè controuersiam compositum: neque etiam nobis licere in oblatos articulos diu multumq; commentari, quòd Compositores non possint diutiùs Argentinæ commorari, sed domum redire quamprimùm cogantur. Ego posteaquam vix tandem aliquando impetrassem, vt illos articulos domi mecum diligenter expenderem: & posteaquam etiam formam docendi de Cœna, seorsum paulò pòst exhibitam percurrissem: in hanc sententiam respondi tam arbitris quàm collegis: Articulos & scriptum de Cœna, mihi quidem, quod ad doctrinam attinet, non improbari, propterea quòd neque ipsi neq; forma docendi de Cœna, si æquum habeant interpretem, impium aliquid continere videantur: vt ijs tamen simpliciter subscribam, & huic docendi formæ me adstringam, nullo me adduci posse modo, propter multas easque grauissimas caussas: quòd articuli non sint de rebus controuersis, ac proinde nihil faciant ad compositionem controuersorum: quòd licet non sint per se impij, quidam tamen malè sonent, ac proinde indigeant explicatione: quòd metuam multorum piorum hominum, quorum maximè habenda est ratio, offensionem, itaque hanc ob caussam non posse me sine exceptionibus subscribere: quòd item fuerim ad plebem ab aduersarijs traductus, quasi quædam ijs articulis contraria docuerim, vereri igitur, ne mea ceu hominis qui sententiam mutarit, subscriptione, priores confirmentur calumniæ: quòd metuam etiam iniquos aduersariorum triumphos, quasi Zanchius retractarit doctrinam tamdiu à se defensam: quòd denique si subscribam citra vllam exceptionem, mihi ipse laqueum inijciam, quo aduersarius pro sua libidine col-

lum

lum mihi premere posſit: Esse enim mihi iam satis perspectum hominis ingenium. Me igitur petere & rogare, vel vt ne istis articulis subscribere cogar, vel vt si omnino subscribendum sit, cum exceptionibus subscribere liceat: præsertim verò vt liceat tam articulos de Prædestinatione, quàm doctrinam de Cœna interpretari iuxta explicationes Buceri & Confessiones nostræ ciuitatis: & harum exceptionum fiat in subscriptione aliqua mentio. Fuit mihi ad hæc responsum, hosce articulos non proponi, nisi vt finis aliquis controuersiæ imponatur, controuersos non esse iudicatos nec iudicari, neque ab ipsis Compositoribus iudicatum iri: hanc tantùm esse formulam quam deinceps sequamur in docendo, quo pax seruetur in Schola: non debere me ampliùs ab aduersario mihi metuere: illum posthac non ausurum aliquid contra me: fuisse hoc dissidium potiùs ex animorum exacerbatione, quàm ex magna diuersitate doctrinæ profectum: reconciliatis animis, fore mihi liberum docere ita liberè, vt etiam antè licuerat: nullam verò piorum offensionem esse metuendam: aut verendum ne ab aduersarijs spargatur me retractasse sententiam. Mihi enim primùm licere voce protestari: deinde ipsos quoque arbitros & Consilium daturos mihi semper cùm opus fuerit, testimonium constantiæ in recta sententia: licere etiam tam Articulos quàm Confessionem Augustanam iuxta explicationes Buceri & Confessiones Ciuitatis interpretari: Ceterùm vt horum mentio fiat in subscriptione, non posse certis de caussis concedi: satis mihi esse debere, quòd mearum exceptionum testimonium mihi daturi sint, & Compositores ipsi cùm opus fuerit, & nostrum Consilium cùm voluero. Nihil igitur esse cur debeam grauari post factam coram omnibus protestationem, simpliciter pacis & concordiæ gratia subscribere: Esse verò non paucas neque leues caussas cur illud debeam sine vlla deinceps cunctatione, citraque vllum metum præstare: nos enim habere quod desiderauimus: quòd scilicet aduersarij concedant nobis doctrinam de Prædestinatione & de Perseuerantia, Augustini, Buceri: de Cœna, explicationes Buceri & Confessiones vrbis. facturos nos Senatui & Principibus rem cum primis gratam, Scholæ vtilem atque Ecclesiæ: magno æstimandam esse hanc pacem. Cogitandum etiam, si non subscribam: mihi omnino esse discedendum, & ipsam Ecclesiam Gallicam euertendam. Hæc ad me allata sunt partim ab arbitris, partim à collegis, atque amicis. Ac quò magis permouerer: Ioannes Sturmius Præpositus Collegij & Rector Scholæ, qui caussam in primis constantissimè atque fortissimè mecum à principio ad finem vsque defenderat: Epistolam scribit ad Compositores, nomine Consilij, in qua hoc etiam inerat, antequam articulis Concordiæ subscribat, velle vt sibi liceat interpretari iuxta declarationes, retractationes, hoc est, clariores explicationes, & libros Buceri aliorumque nostrorum Præceptorum, ab anno XXXVII. vsque ad annum XLIX. editos, cum ea protestatione & testificatione, vt nihil imminutum esse velit hac exceptione temporis, doctrinæ & autoritati eorundem Præceptorum: quam doctrinam & ante annos XXXVI. tradiderunt, & post abitum Buceri retinuerunt & defenderunt: & hoc quod attinet ad doctrinam de Cœna Domini: idem etiam de Prædestinatione absque vlla exceptione se postulare. Hanc igitur Epistolam ad illos misit per Conradum Hubertum. Hoc verò retulit postea etiam in Consilio: cùm scriptum hoc accepissent arbitri, duos illorum, nempe Iacobum Andreæ & Simonem Sulcerum ad se veniſſe, & suo aliorumque Compositorum nomine ita respondisse, se libenter nobis concedere interpretationem Articulorum secundum doctrinam Ecclesiæ Argentinensis & nostrorum Præceptorum, quæ apparet in declaratione, retractationibus, Confessionibus & libris, cum illa etiam testificatione, quòd neque ipsi velint quidquam derogatum esse hac formula, Confessioni fidei & religioni nostri Magistratus & nostrorum Maiorum, idque non solùm sibi

respondisse semel & iterum, sed etiam idem confirmasse præsente Hieronymo Zanchio, & Theobaldo Theodorico Quæstore Thomano. eosdem etiam permisisse vt hæc in Acta referrentur. illud præterea promisisse, quoties opus nobis fuerit testimonio suo, testes se nobis fore harum rerum omnium. & quod de Cœna Domini concesserunt, idem etiam de Prædestinatione absque vlla exceptione concedi. Hæc omnia Sturmius in ipso Consilio dixit, & vt in Acta referrentur iussit XVII. Martij M. D. LXIII. Mox Collegæ, sicut anteà plerique illorum priuatim, sic tunc vniuersi & singuli publicè & enixè me rogare, vt velim secum articulis concordiæ, pacis gratia, simpliciter subscribere. Tunc ego in hæc verba respondi, *Protestor, me non detrectare ipsis articulis subscribere: quatenus ad doctrinam ipsam attinet, si habeant æquum interpretem: sed me recusare subscribere simpliciter sine illa exceptione quam indicaui: nempe ne quidpiam mea subscriptione derogetur meis lectionibus, confessionibus, & testimonijs quæ ab Academijs attuli, idq; nō propter meam gloriolam, sed propter conscientiam.* Hæc ego in Consilio. Tum præpositus Ioannes Sturmius, auditis omnium sententijs: iterum me rogat velim subscribere: etiamsi non possit impetrari ab arbitris, vt aliqua meæ exceptionis mentio fiat in subscriptione, pro hoc tempore velim esse contentus promissione Consilij: se daturum mihi testimonium, cùm voluero, exceptionis meæ. In hunc modum egerunt mecum optimi amici & charissimi Collegæ: quòd persuasi erant, nihil nostra subscriptione derogari sanæ & à nobis defensæ doctrinæ, & secum, iuxta prouerbium, Cum bonis bene agier, ab omnibus bene agi. Hoc apud me omnem extra se controuersiam, Sturmium, vt de hoc vno speciatim id quod est, dicam, fuisse persuasum, nihil hac nostra subscriptione detrahi de nostra caussa, déque sana doctrina, & nihil falsorum dogmatum concedi aduersarijs: imò tacitè nobis, vt orthodoxa, confirmari quæ anteà damnabantur hæreseos: talem verò futuram inter nos pacem atque concordiam, vt nihil contra nos deinceps moturi essent turbarum aduersarij in ijs controuersis quæstionibus: alioquin hominem non fuisse subscripturum, neque alijs, vt subscriberent, autorem futurum persuasissimum habeo. expetebat ille quidem pacem: quis hoc improbet? sed scio hoc cum primis summæ curæ illi fuisse, vt sana vetusque doctrina in Schola retineretur. cuius rei fidem mihi facit, & facere omnibus debet, patrocinium quod ille suscepit, & fortiter ad finem vsque sustinuit veritatis. verùm sperabat nostra subscriptione se vnà cum pace, illud etiam suum desiderium, atque votum omnino consecuturum. hinc illæ ad subscribendum exhortationes, persuasiones, obsecrationes. Ego verò etsi in ipsis articulis nihil per se impium agnoscebam: quia tamen in diuersa à Sturmij eram sententia, & multa mala videbar ex nostra simplici subscriptione exoritura videre: Iccircò non poteram adduci vt simpliciter subscriberem. cupiebam quidem & ipse pacem, & amicis, quod rogabant, denegare mihi permolestum erat & graue: sed contra etiam conscientiæ stimulos hominibus morem gerere, sicut impium est, sic etiam prorsus erat intolerabile. Discessimus igitur omnes ex Consilio tristes: illi quòd non poterint à me quod petierant, impetrare: ego verò, quòd non potuerim illis vt desiderabant, salua conscientia gratificari. Venerant eodem die in Senatum ciuitatis Compositores, & suum de vtriusque partis perlectis scriptis auditisque sermonibus iudicium retulerunt: ac quod ad meas attinet scriptiones, se nullam in eis hæresim deprehendisse. Tunc nobilis vir Præfectus vrbis atque primarius Scholarcha, honorificæ memoriæ, Petrus Sturmius ad reliquos Senatores conuersus, præter alia, *vbi nunc*, inquit, *tot hæreses quæ Zanchio obijciebantur?*

Die insequenti, quæ fuit XVIII Martij, qua die instituta fuerat articulorum subscriptio, iterum me aggrediuntur amici, partim ante, partim etiam post prandium, cùm iam hora instaret subscribendi, & precibus atque rationibus multis mecum agunt, vnà cum reliquis, propositis articulis sine vlla tergiuersatione

subscri-

ſubſcribãm, ac præter alios vnus, Cùm tu, inquit Zanchi, probes Auguſtanam Confeſſionem orthodoxè intellectam, eiq; & tu & Martyr de principio ſubſcripſeritis; cùm articulos Concordiæ inter Lutherum & Bucerum, ſi rectè explicentur, non damnes: cùm hoſce etiam oblatos à Compoſitoribus non improbes, ac ſæpius faſſus ſis, nihil in eis impium, ſi æquum habeant interpretem, contineri; cùm admiſſa ſit noſtra totius Conſilij proteſtatio, nobiſque concedatur, vt & Auguſtanam Confeſſionem & articulos iſtos interpretemur iuxta explicationes & ſcripta Buceri, aliorúmque maiorum noſtrorum, & iuxta Confeſſiones Apologiámque Ciuitatis: cùm ipſi etiam aduerſarij iam admittant doctrinam Auguſtini, Lutheri, Buceri, de Prædeſtinatione, & de Perſeuerantia: cùm iſta noſtra ſubſcriptione nullum fiat præiudicium cauſſæ noſtræ, vt ipſi quoque fatentur arbitri: cùm tibi etiam liceat publicè, antequam ſubſcribas, excipere, & huius tuæ exceptionis, licet mentionem fieri nolint in ſubſcriptione: teſtimonium tamen daturi nos ſimus cùm volueris: Quid tandem cauſſæ eſt, cur tamdiu detrectes propoſitis articulis citra mentionem tuarum exceptionum ſubſcribere? Itáne concordiam ac pacem Scholæ atque Eccleſiæ contemnis? Non detrecto, reſpondi ego, ſubſcribere, quòd non amem atque percupiam pacem & concordiam inter nos bonam iniri atque firmari, tu noſti quàm huius ſim percupidus: ſed duo ſunt, quemadmodum antè etiam non ſemel ex me audiuiſti, quæ me ab hac ſimplici ſubſcriptione propellunt, offenſio piorum, & confirmatio errantium in ſuo errore. Nam audita aut etiam lecta mea cum aduerſarijs in hanc docendi formulam citra vllam exceptionem conſenſione: vereor ne & illi exiſtiment me à priori ſententia eaque verè Chriſtiana receſſiſſe: & iſti mea abutantur ad ſuos confirmandos errores ſubſcriptione. At facilè, inquit ille, ijs poteſt occurri incommodis, nimirum teſtimonio Conſilij, & tua explicatione, quorum exempla poterunt multa quocunque volueris, transmitti. Si verò non ſubſcribas, multò grauiora ſequentur incommoda, & ea tu accipies vulnera, quibus haud facilè bona poterit fieri medicina. Tibi enim omnino deferenda erit tua ſtatio: quam ob cauſſam verò, & quo tempore, & quibus, ac proinde qua conſcientia, tu ipſe perpende. itáne prodis hanc Scholam? Iis atque alijs efficaciſſimis rationibus victus, conſtui tandem ſubſcribere, pacis & concordiæ gratia: ſed præmiſſis priùs exceptionibus: deinde verò illa conditione, vt ſi quem de me ſiniſtrum fortè ſermonem ſpargi audirem, primo quoque tempore rationem meæ ſubſcriptionis explicare, eamque explicationem primò offerre Magiſtratui, deinde ſi probaretur, in vulgus mittere: ſin minùs, teſtimonium ſaltem mearum exceptionum à Conſilio, vti promiſerat ſe daturum, poſtulare, acceptumque in diuerſas regiones atque vrbes transmittere, & vt per amicos vbique ſparger. tur, curare mihi liceret: quò omnes intelligerent, me pacis quidem gratia oblatos articulos admiſiſſe, ſed ita tamen vt à recta priori ſententia tam de Cœna quàm de Prædeſtinatione & Perſeuerantia minimè deflexerim.

Cùm itaque ad ſubſcriptionem ventum eſſet, prælectaque omnibus fuiſſet illa doctrinæ formula cui erat ſubſcribendum: interrogatus à Compoſitoribus, vellémne & ego huic formulæ ſubſcribere: reſpondi: quoniam in ea, ſi æquum habeat interpretem, nihil per ſe impium aut pugnans cum ſacris literis agnoſco, iccircò pacis & concordię gratia me ſubſcripturum: ſed certis de cauſſis me priùs hæc proteſtari. Principiò, me nolle hac mea ſubſcriptione vllum fiat præiudiciũ alijs Eccleſijs & Academijs quæ mihi dederunt teſtimonia: deinde ne aliquid derogetur doctrinæ quam hactenus docui Argentinæ, quæque in meis lectionibus,

Con-

Confessionibus, Disputationibus continetur: postremò vt liceat mihi hanc doctrinæ formulam interpretari iuxta regulam verbi Dei, & doctrinam Augustini, Lutheri, Buceri. Verbum *Protestari*, admirati sunt nonnihil Compositores: at vbi illud explicui, & me non vt Iurisperitum, sed vt Theologum locutum esse, & Protestari pro excipere vsurpasse: desierunt mirari. Ceterùm exceptiones ipsas sicut non responderunt se admittere: ita neque dixerunt se reijcere. Tantùm ad tertiam exceptionem hoc responderunt: si velint permittere, vt suo quisque iudicio interpretetur articulos & Confessionem, nullam futuram inter nos concordiam. Ad hoc, me nolle, respondi, vt mihi liceat iuxta meum iudicium, sed iuxta regulam verbi Dei, Doctrinam Augustini, Lutheri, Buceri, illa interpretari. Hîc tacitum est. Ego verò iuxta illam legem, *Qui tacet affirmat*, illorum silentium pro assenerationе accepi, & omnino accipiendum iudicaui. Itaque bona conscientia accessi atque subscripsi: neque id simpliciter, sed quatenus ego formam illam, piam esse iudicabam: idque feci in primis propter aduersarios: nimirum ne simplex subscriptio posset aliquando mihi apud illos esse fraudi: & vi meæ nudæ subscriptionis cogerent illi me aliquando ad suas interpretationes, pro ipsa Augustana Confessione & articulis concordiæ, recipiendas, sicut etiam anteà conati fuerant. Vt igitur hac in re mihi cauerem, in hæc verba subscripsi: *Hanc doctrinæ formulam, vt piam agnosco, ita etiam recipio.* Quis in hac mea subscriptione non videat expressam conditionem? nempe eatenus me illam doctrinæ formam recepisse, quatenus etiam piam esse illam, non mei aduersarij, sed ego ipse agnoui atque agnosco. Deinde etiamsi non fuisset expressa: omnino tamen esset & necessariò subintelligenda. Impius enim est, qui aliquid vt pium recipit, quod tamen pium esse non nouit. piam autem semper noui & agnosco Augustanam Confessionem, etiam in articulo de Cœna, cùm ait Præsens esse corpus Christi, modò explicetur quibus & quomodo sit præsens, animis nimirum nostris (hoc est, fidelium) fide actuali illustratis, & ex hoc mundo subductis, id quod fit sine vlla locali corporis vel Christi vel nostri mutatione. Certè præsens fuit Stephano, cùm accepta noua, hoc est, cælesti oculorum acie, dixit, *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextra virtutis Dei.* Corpus tamen Christi supra cælos fuisse, ibique, non infrà, à Stephano conspectum: ipsius Stephani verba luculenter demonstrant. Aduersarij autem mei ita intelligunt: Corpus Christi præsens esse non tantùm nostris, sed etiam infidelium corporibus in Cœna, vt nostri corporis manibus contrectetur, & ore tangatur ac comedatur. Ergo ne quispiam putaret, me Augustanæ Confessioni & illi doctrinæ formulæ iuxta horum hominum Papalem intelligentiam subscripsisse; de industria non simpliciter, sed conditionaliter subscripsi in eam quam supra retuli formam. Atque hæc subscriptio facta fuit, vt antè dictum est, die XIIX. Martij Anni M. D. LXIII.

Die insequenti conuenimus ijsdem in ædibus Compositorum, omnes, vt quando iam consensum fuerat ab omnibus in eandem doctrinæ formulam, omnium etiam offensarum fieret condonatio, & animorum conciliatio. In condonandis iniurijs, illisque multis & maximis (quas quia condonatæ sunt, commemorare nolo) haud me præbui difficilem, imò palàm protestatus sum, me iam inde ab initio illas condonasse, id quod inde omnibus luculenter constabat, quòd cùm potuerim cum aduersario, magno eius periculo, ante Magistratum, illarum agere iniuriarum, nolui tamen, sed vt Christianum decebat hominem, propter Christum omnes deuoraui. Ceterùm cum à me peteretur, vt dexteram darem aduersarijs, ibi nonnihil hæsi, idque nulla alia de causa, nisi quòd sciebam ex S. literis, non esse dandas societatis atque amicitiæ dexteras, nisi vbi apparet consensio in sana doctrina. damnata autem ab aduersarijs fuerat hęreseos, certa & sana Christi doctrina. Ego igitur compositoribus dicere, me non posse bona conscientia manum dare aduersarijs, nisi priùs

priùs in articulis etiam controuersis appareat consensio. Tum illorum vnus ex hypocausto egressus seorsum ad me, Duabus tantùm de caussis, inquit, à vobis petitur vt detis mutuò dexteras, nimirum vt hoc signo testemini, vos ex animo tum in articulos à nobis propositos consensisse, tum offensas inuicem condonasse. Quod verò attinet ad articulos controuersos, illi non sunt iudicati, sed in suo adhuc manent statu. Tum ego, Si ita res habet, minimè grauabor data etiam manu, hæc duo confirmare. id quod mox factum à me fuit. Atque in hunc modum se habuit nostra compositio

Eam verò compositionem quæ sint consecuta, nunc operæpretium, necessariumque est explicare, ea nimirum, quæ ego longè antè vt consequerentur metueram. Mox enim pij pleriique omnes, præsertim qui meas Consilijque exceptiones ignorabant, offendi: aduersarij autem exsultare vt victores, ac triumphare, & laureatas spargere literas: ipsi etiam articuli subscripti, sed citra illam nostrarum exceptionum mentionem, in diuersas Germaniæ partes disseminari: varij rumores spargi & voculæ, quasi succubuerimus, quasi in aduersariorum castra transierimus, quasi priorem mutauerimus sententiam. In balneis etiam Heluetiorum, quas vulgò Badenas vocant, & ad quas me contuleram tum animi, tum valetudinis gratia: diuersis ex locis ab amicis accipio literas, multò verò plures cùm redirem ex finibus Italiæ: quibus literis, turpis accusabar inconstantiæ. Domum quoque reuersus, complures reperio eiusdem argumenti Epistolas, ac præsertim vnam è Saxonia à magno viro ad me scriptam: qua monebar, aduersarios meos laureatis literis, & victoriæ suæ fama totam ferè Saxoniam, imò Germaniam repleuisse. Eam Epistolam ostendi amicis aliquot: quorum nonnulli consulebant vt exhiberem Magistratui, quò videret placida, quietaque meorum aduersariorum ingenia. Sed ego ne me autore, facta pax turbaretur, illud facere recusaui: & malui supplicationem componere, quam cogitabam Senatui exhibere, & in ea nouis istis calumnijs me purgare, meam subscriptionem explicare, & in quem sensum, quóue animo, quibúsue exceptionibus in articulos compositionis consenserim, declarare: ac demum petere vt mihi liceret modestis scriptis meam defendere existimationem atque doctrinam: malui, inquam, supplicationem componere, in qua me simpliciter purgarem, quàm vllum accusare, & hac ratione pacem interturbare. Ceterùm posteaquam re diligentiùs perpensa animaduertissem, fieri posse vt hac etiam ratione, firmata iam pax rumperetur, perfectam iam & absolutam supplicationem retinui apud me: & mutata priore sententia, decreui has etiam nouas maleuolorum calumnias, & inanes glorioforum hominum voculas, falsasque otioforum scriptitationes potiùs contemnere, quàm me intempestiuè defendendo vllam violandæ iterum pacis cuipiam dare occasionem: sperans fore vt post falsos rumores, ipsa etiam veritas bona aliqua ratione tandem patefieret, & pijs hominibus omnis tolleretur offensio. Hanc meam Supplicationem, propter articulorum quam continet, explicationem, iudicaui haud facturum me rem viris bonis ingratam, si cum reliquis hisce Miscellaneis imprimendam inuulgandamque curarem. Hanc igitur adieci huic libro. Vrgebatur per id temporis ipse etiam Gulielmus Holbrachus Ecclesiæ Gallicanæ Pastor, vt articulis subscriberet. Consuluerat autem ille antea per literas Ioannem Caluinum, quid ea in re sibi esset faciendum. Caluinus verò in hæc verba ad eum respondit: *Quòd sententiæ quæ malo & captioso artificio ad obscurandam veritatis lucem composita est, hactenus subscribere non ausus es: Cordatè feciſti. præcisè tamen vt recuses, non consulo. De Prædestinatione nihil palàm impium protulerunt arbitri: tantùm vt illiberali assentatione placarent Marbachium: tenebras claræ luci obduxerunt. De Cœna verò ita pronuntiarunt, vt docendi libertas tibi sit erepta: nisi velis quotidianis calumnijs te sponte obijcere. Nunc ergo exceptiones interponere necesse erit,*

quæ

quæ te moleſtia liberent. ſi admiſſæ fuerint, quoad fieri poterit dandam operam cenſeo, vt tua moderatione Eccleſiam tuam conſerues, cuius diſſipationem moliuntur: idque vt facere contendas, etiam atque etiam rogo. Hanc Caluini, honorificæ memoriæ, hominis (vt tota nouit Europa) non ſolùm præſtanti pietate & maxima eruditione, ſed etiam ſingulari in rebus omnibus iudicio clariſſimi, Epiſtolam cùm legiſſem, vidiſſémque, me & id præſtitiſſe quod ille conſulebat Holbracho, & in eum finem præſtitiſſe, propter quem illud dabat Holbracho conſilij: lætior factus quòd viderem me nihil Chriſtiano homine indignum egiſſe: firmiùs in animum induxi meum, omnium eorum quæ per ora hominum de noſtra ſubſcriptione falſò ferebantur, vanitatem contemnere, illudque Ἀνέχου καὶ ἀπέχου, omnino in ea re obſeruare: & dum Deus ipſe, id quod breui futurum ſperabam, meam patefaceret innocentiam, atque cauſſam, forti animo expectare. Obuerſabatur enim mihi perpetuò ante oculos totus ille Pſalmus XXXVII. *Ne ſuccenſeas propter malos, &c.* præſertim illa verba, *Deuolue ſuper Iehouam vitam tuam, & ſpera in eo: & ipſe faciet, & educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicia tua ſicut meridiem. Tace Iehouæ: & præſtolare eum.* Neque certè fefellit me hæc ſpes, quam in Domino collocaueram. Commodum enim accidit, idque ſingulari Dei prouidentia, vt die XIV. Iulij Anno M.D.LXIII. in pleno Conſilio Thomano noſtro, interrogatus de quorundam Confeſſione fidei: ita extempore ſententiam meam liberè dixerim, vt omnes intellexerint, me articulis Concordiæ ita ſubſcripſiſſe, vt tamen neque priore cauſſa ceciderim, neque à ſana veterique & ad extremum vſque haud malè defenſa doctrina, vel latum vnguem diſceſſerim. Referam ad verbum totam illam hiſtoriam, quemadmodum Ionas Bytnerus Argentinenſis ciuis, Profeſſor Scholæ, collega chariſſimus, homo pius iuxtà & doctus, eam literis commiſſam Scholarchis & alijs à Senatu ad hanc rem cognoſcendam delectis, exhibuit. fuerat enim & ipſe inter reliquos à Dominis iuſſus, quomodo ſe res habuiſſet, liberè & fideliter explicare. In hunc igitur modum ſcripto reſpondit: *Doctor Hieronymus Zanchius die XIV. Iulij, cùm interrogatus fuiſſet à Doctore Marbachio Decano (vt moris eſt) de Confeſſione duorum, quorum vnus creandus erat Canonicus, alter Vicarius: coram Dominis Scholarchis, toto Capitulo, & omnibus ferè profeſſoribus, Paſtoribus etiam & Diaconis permultis: in hæc propè verba extempore reſpondit: Quia interrogor ſententiam meam: credo mihi licere eam dicere liberè & ſecundum meam conſcientiam. nam in hunc finem interrogantur ſingulorum ſententiæ. Eò libentiùs verò hoc faciam, quòd nolo vt meum ſilentium poſſit alicui eſſe fraudi, & mihi coram Deo ad condemnationem. Nihil autem habeo quod opponam, ſed tantùm quædam quibus explicem quomodo poſſim quædam capita Confeſſionis iſtorum duorum probare. Dicam autem ſine vllius præiudicio aut condemnatione. Rogo vt candidis & amicis animis omnia accipiatis. Quod attinet ad noſtram conſenſionem: in huiuſmodi articulos & formulas doctrinæ, ſemper cum conditione vel expreſſa vel tacita eſt conſentiendum, nempe quatenus conſentaneæ ſunt S. literis. Ita etiam ego ſerio pacis & concordiæ ſtudio adductus in illam formulam conſenſi cum conditione, quatenus ſcilicet ego agnoſco eam doctrinam eſſe piam, me illam admittere: & hanc etiam ob cauſſam præmiſi meas exceptiones, quæ fuerunt hæ. Prima, Me nolle vt mea illa ſubſcriptione vllum præiudicium fiat alijs Eccleſiis, à quibus meæ doctrinæ acceperam teſtimonia: & ipſi veritati. Altera, vt nihil derogetur doctrinæ quam docui hic per octennium, & Confeſſioni quam exhibui. Poſtrema, vt mihi liceat totam illam formulam interpretari iuxta regulam verbi Dei, doctrinam Auguſtini, Lutheri & Buceri. Et hanc meam ſubſcriptionem cum illis exceptionibus factam; confirmo & ratam eſſe volo. Si itaque & ipſi interrogati admittant eam compoſitionem, quatenus ſecundum ſuam conſcientiam & intelligentiam, agnoſcunt eam eſſe piam (vt credo eos feciſſe) & conſentaneam ſanctis literis: probo & iudico illos eſſe dignos qui admittantur. Quòd verò ſpeciatim attinet ad diuiſionem peccati in Veniale & Mortale: ego illam diſtinctionem non improbo. Sed quia peccatum poteſt dici Mortale, aut*

quia

quia ſuapte natura dignum eſt morte: aut quia imputatur reipſa ad mortem & condemnationem: iccircò quod attinet ipſos Impios, probo eorum reſponſionem: omnia videlicet peccata in illis eſſe mortalia, quia omnia non ſolùm digna ſunt morte, ſed etiam ad mortem æternam imputantur. Quantum autem attinet ad Renatos: ſentio quidem in illis omnia peccata eſſe mortalia, hoc eſt, digna morte in ſeſe (quanquam etiam inter ipſorum renatorum peccata quædam ſunt leuiora, quædam grauiora, vt ſunt illa quæ admittuntur ex aliquo conſenſu) ſed quia longè aliter peccant piÿ quàm impiÿ, nempe quò ad modum & animum quo peccant: (impiÿ enim peccant tota voluntate, piÿ ſemper ex imbecillitate fidei aut ignorantia) quia inquam electi renati ſemper peccant ex imbecillitate fidei aut ignorantia, nunquam autem plena voluntate aut deſtinata malitia, & nunquam reiÿciunt verbum ex corde, Domino in illis ſemper ſemen fidei, quod eſt Verbum Dei, retinente & conſeruante: iccirco non poſſum concedere Sanctos electos penitùs amittere fidem, ac proinde neque peccata in illis eſſe mortalia, hoc eſt, imputari ad condemnationem; quia etſi peccata per ſe digna ſint morte, quia tamen perſonæ gratæ ſunt Deo propter fidem qua adhuc ſunt prædita in Chriſtum, licet imbecillam: peccata fiunt illis venialia, ſicut etiam explicaui in mea Confeſſione. Si itaque ipſi etiam interrogati intelligunt ſuam reſponſionem ad hanc quæſtionem, in hunc ſenſum, hoc eſt, quatenus conformis eſt Verbo Dei, probo illorum Confeſſionem, quantum etiam attinet ad hunc articulum. De Cœna etiam duo dixerunt. Primùm, Corpus Domini in Cœna verè & ſubſtantialiter exhiberi. Deinde ſumi verè ab omnibus, etiam indignis. Ego non improbo hanc reſponſionem: ſi intelligatur (quemadmodum intelligenda eſt) iuxta regulam Verbi Dei, & quemadmodum ego etiam explicaui coram Dominis Compoſitoribus, quibus etiam probata fuit mea explicatio: ea autem hæc fuit, Corpus Domini in Cœna præſens eſſe verè & ſubſtantialiter ipſis fidelium mentibus, non autem corporibus. non corporibus: quia illud eis non communicatur, neque ab ipſis percipitur. Fidelium autem mentibus maximè: quia ipſis verè communicatur, & ab ipſis verè percipitur. Eatenus igitur eſt præſens, quatenus percipitur & communicatur. aliqua enim res dicitur nobis eſſe præſens, quando nobis aliquo modo communicatur & percipitur. Exemplum quod coram Dominis Compoſitoribus attuli: hîc etiam coram vobis adferam. Dominus Decanus præſens eſt, & præſens eſſe dicitur omnibus nobis, tam illis qui ſunt ad portam (licet magis procul ab eis diſtet, quod ad locale ſpacium attinet) quàm mihi qui ſum propius illum. Quamobrem? quia tam illi quàm ego, eum vident & loquentem audiunt. Aliud ſimile adfero. cùm ſol eſt ſupra noſtrum hemiſphærium: qui communicat nobis ſuum verum & ſubſtantiale corpus viſendum, & per corpus calorem & lucem, & à nobis participatur: dicimus illum eſſe præſentem & adeſſe, & quidem verè ac ſubſtantialiter. Cùm verò progreſſus eſt ad aliud hemiſphærium: quia non ampliùs illum percipimus, dicimus eum eſſe abſentem ſeu abeſſe. Ita dico de corpore Chriſti, illud non eſſe præſens corporibus noſtris, quia eis non communicatur aut ab eis percipitur. nam neque oculis videmus, nec manibus tangimus, nec vllis corporis ſenſibus percipimus corpus Chriſti. Præſens autem eſſe dico mentibus noſtris, quia illis communicatur & ab ipſis percipitur. oculis enim mentis videmus, & eiuſdem ore comedimus corpus Chriſti; atque ita comedimus, vt ipſius etiam effecta, hoc eſt, virtutem redemtionis peractæ in illo corpore in animis noſtris ſentiamus: ita vt hæc vis redundet in ipſum etiam noſtrum corpus, ad maiorem ſui ſanctificationem & ad glorioſam reſurrectionem. Sic ſentio & ſic explicaui meam ſententiam de reali ac ſubſtantiali præſentia corporis Chriſti in Cœna coram Dominis Compoſitoribus, & ea fuit admiſſa. Ita hoc argumento ducto à definitione præſentiæ & à coniugatis ſimul: confirmo Confeſſionem Auguſtanam & Apologiam de reali & ſubſtantiali præſentia, hoc modo. Verum & ſubſtantiale corpus Chriſti communicatur fidelium mentibus, & ab illis percipitur: ergo fidelium mentibus verè & ſubſtantialiter adeſt. Et hoc modo etiam Confeſſionem horum duorum probo. Quod etiam dixerunt illud manducari ab Indignis: non improbo, ſi nomine indignorum non intelligantur homines prorſus impiÿ, & ſpiritualiter omnino mor-

tui. non enim est mortuorum comedere, sed viuentium. Si autem nomine Indignorum, intelligantur homines qui præditi quidem sunt vera fide, sed imbecilliori, & qui vitæ sunt solutioris quàm deceat Christianum hominem: concedo ab illis percipi, sed non tamen ita manducari ad salutem sicut à dignis. Dignos autem intelligo eos, qui viua & actuali fide & vera resipiscentia accedunt ad Cœnam. Hoc modo Confessionem etiam istorum de manducatione Indignorum probo. Quare dignos iudico qui admittantur. Hîc nemo respondit, sed Dominus Decanus perrexit interrogare sententias. Cùm verò ventum fuit ad M. Melchiorem Speccerum: ipse ita respondit. Viri clarissimi & Collegæ obseruandi: video interrogari sententiam meam de tribus: de electione déque creatione horum duorum, alterius in Canonicum, alterius in Vicarium: postremò de Confessione quam ediderunt. Quod priora duo attinet: ego probo iudicium Capituli. Quod verò attinet ad ipsorum Confessionem: quia Zanchius liberè dixit suam sententiam: dicam & ego meam liberè. Ego simpliciter probo hanc Confessionem: quia est conformis Verbo Dei & secundum Augustanam Confessionem. Sed D. Zanchius pro suo ingenio, nunc nouum nobis indicit bellum, contra compositionem factam. renouat enim ea quæ fuerunt composita: & vt video, vult ille omnia sua esse integra. Quorsum igitur opus fuit compositione? Est apertè inter articulos nostræ compositionis etiam articulus, quòd Renati quoque peccant contra conscientiam, & quòd amittant prorsus fidem & Spiritum sanctum: & est ibi particula prorsus. Vos tamen audiuistis eum aliter nunc dicentem: nimirum quòd Electi renati non amittant fidem & Spiritum sanctum. Est falsum quod dicit. peccatum enim mortale non potest stare cum fide. Adfert etiam quasdam suas exceptiones, quas dicit se fecisse coram Dominis Compositoribus: nos autem hæc ignoramus. Sic de Cœna explicat suo modo Confessionem Augustanam. Et quod in Examine iterum atque iterum dicitur nostra Confessio: se Melchior ait intelligere Augustanam Principum: & veteres potiùs quadam incuria & negligentia vocem NOSTRAM addidisse, quàm voluisse aliquid hic singularis Confessionis significari. Sed hic locum non esse plura dicendi & Zanchio respondendi. se cupere tamen aliâs de ijs quæ Zanchius hîc dixit, colloqui & disserere. Hæc Melchior. Zanchius autem tunc noluit respondere Melchiori, ne impediret continuationem interrogationis Domini Decani. Cùm autem singuli dixissent suam sententiam: Zanchius surrexit, & conuersus ad Dominos Scholarchas, Præpositum & Decanum: petijt vt sibi liceret duo verba facere. Hîc fuit iussus tacere, non enim congregatum esse Capitulum vt disputetur. Respondit ille, se non disputandi gratia iam hoc petere: sed quia si taceret prorsus, quæ aduersus se dicta essent videretur confirmare: ideò se petijsse facultatem loquendi. in summa se petere vt sibi liceat cum isto homine disputare, sin minùs, se petere cum bona venia missionem. Non fuit responsum. Ita res habet, & agnosco mea ipsissima verba.

Neque verò temerè eo in loco & tempore meam ita liberè, fusè, perspicuè, explicaui tum de illa Confessione sententiam, tum meæ subscriptionis rationem: sed graues caussæ me vt id facerem, compulerunt. Principiò Christianus sum. tenebar igitur veritati Christianæ dare testimonium, vbicunque & coram quibuscunque necessitas postulabat. Deinde sum Theologus, & tunc quidem apud Argentinenses S. literarum Professor. mea igitur conditio requirebat, vt veritatem explicarem coram Dominis & fratribus. Eram etiam Canonicus, vt vocant, illius collegij: cùm autem aliquis fit Canonicus, iureiurando promittit se semper suam dicturum sententiam liberè & ex conscientia: si quid faciat ad gloriam Dei & ad honorem vtilitatemq; Consilij. tenebar igitur iuxta nostrum iusiurandū, meam interrogatus sententiam, liberè & ex conscientia quid de illa confessione sentirē, dicere: & quatenus posset admitti aut non admitti, rotundè explicare. Primus etiam post Præpositum, interrogabar sententiam, quia Theologus. oportuit igitur me, vt Theologum, alijs si qui fortè id cuperent, quid de ea doctrina sentiendum esset, quod mei erat officij præmonstrare. Doctrina etiam controuersa, testimonium acceperat á multis Ecclesijs, Academijs, Theologisque doctissimis. cogebar igitur ita respondere, vt mea respon-

ſponſione omne tolleretur præiudicium: quod mea diſſimulatione fieri potuiſſet tum veritati, tum etiam illis Academijs atque Eccleſijs. Conſenſio quoque noſtra in articulos Concordiæ id vt facerem, flagitabat. Conſenſeram enim in illos articulos, non iuxta cuiuſque hominis interpretationem, ſed quatenus conſentaneos eſſe iudicaueram verbo Dei. Oportuit igitur me ita Confeſſionem illam probare, quatenus cum vera articulorum intelligentia nihil pugnaret. Fueram etiam traductus, quaſi mea ſubſcriptione mutaſſem doctrinam. ſi ſimpliciter confeſſionem illam probaſſem: tacitè etiam confirmaſſem rumorem illum contra me ſparſum. Coactus igitur fui ita reſpondere, vt palàm omnes intelligerent, me nihil in doctrina per illam articulorum ſubſcriptionem mutaſſe. His omnibus accedebat, quòd tum ex callida examinandi ratione, tum ex accommodata ad examinatoris doctrinam reſponſione, ſubodoratus fueram, aduerſarium captare triumphi de oppreſſa veritate agendi occaſionem. Coactus igitur fui tam iniuſto triumpho maturè occurrere. Olfecerunt idem & alij: ac Caluinus cùm audiuiſſet factum, hoc apertè ad me ſcripſit ijs verbis: *Tempeſtiuè*, inquit, *accidit, vt te balbus, diſertum redderet. neceſſe enim fuit quod tibi extorſit, ingenuè ſemel profiteri. Qualiſcunque ſequetur euentus: non eſt tamen cur te importuni hominis vel proteruiæ vel verſutiæ obuiam iuiſſe pœniteat, ne de oppreſſa veritate triumphum ageret, quod certum eſt ex ſilentio tuo captaſſe.* Hæc ad me Caluinus. Hoc verò iudicium tum Caluini tum meum, illud etiam confirmat: quòd cùm pridie illius diei, quo habendum erat examen, præmonitus fuiſſet à Sturmio aduerſarius, ne in examine interrogaret de articulis controuerſis, quòd nihil facturum hoc eſſet ad pacem, & ille promiſiſſet ſe de illis articulis non interrogaturum: promiſſum tamen non præſtitit. quam obſecro ob cauſſam, niſi quòd (vt antea dictum eſt) ſuis callidis interrogationibus venabatur de oppreſſa veritate triumphum: aut ſaltem, ſi illum non poſſet conſequi, prouocandi mei occaſionem? Proinde Sturmius ei in faciem poſt habitum examen, Conſiliumque dimiſſum: *Quid iſtis tuis interrogationibus*, inquit, *de ijs rebus, de quibus vt taceretur, conſtitutum erat: aliud effeciſti, quàm quòd Eridis pomum in conuiuium Deorum proieciſti?* Liquet igitur, non ſolùm commodum, ſed etiam neceſſarium fuiſſe, me ita reſpondere: vt anſam præriperem aduerſario & iniuſtè agendi triumphum, & iuſtam contra me inſtituendi actionem. Nam meo, opinor, reſponſo, & veritas defenſa fuit: & nihil tamen in factam compoſitionem à me peccatum fuiſſe, perſpicuum eſt omnibus rectè iudicantibus: cùm nihil aut in ea damnarim, aut conceſſum reuocarim, ſed tantùm quomodo eſſet intelligenda, declararim. Legantur articuli, legatur meum reſponſum, & iudicium eſto omnium bonorum virorum. Proinde conſtat, inſignem mihi factam fuiſſe iniuriam in ipſo Conſilio, ab eo qui dixit, me meo reſponſo nouum ſibi & ſuis indixiſſe bellum, contra compoſitionem factam, & renouaſſe ea quæ fuerant compoſita. Supra demonſtratum eſt, & teſtimonio Conſilij confirmatum, prius bellum non fuiſſe à me, ſed contra me ab alijs excitatum. Nouum etiam vter indixerit, egòne qui ſine vllius iniuria, meam de Confeſſione illorum duorum examinatorum ſententiam modeſtè dixi, & quid mihi à Compoſitoribus conceſſum fuerit, bona fide retuli, quibùsue exceptionibus in propoſitos articulos conſenſerim, ſimpliciter, idque (vt antè viſum eſt) coactus narraui: an verò alter ille, qui me, nulla laceſſitus iniuria, præter decorum atque honeſtum, in frequenti Conſilio, coram ipſis etiam Scholarchis, accuſauit violatæ pacis & perfidiæ: iudicent omnes viri boni & rerum periti. Certè in eo quod ipſe aſſeuerauit, eſſe inter articulos noſtræ compoſitionis etiam articulum, *Quòd renati quoque peccent contra conſcientiam, & quòd amittant fidem & Spiritum ſanctum: & quòd ibi ſit particula* PRORSVS: turpiter ſe dedit: cùm apertè conuictus ſit falſi. Legantur articuli: & vter verum dicat, quiuis perſpiciet. Quòd verò di-

xit, sibi videri, me velle omnia mea esse integra: in eo certè falsus non est. Quid ni enim illud voluerim & adhuc velim: cùm nemo vllius me conuicerit in hanc vsque diem erroris: cùm ipsi etiam compositores apertè dixerint, se nullam in meis scriptis deprehendisse hæresin: cùm tamen de multis accusatus fuissem? Quòd si non omnia quæ ipse & alij contra me scripserant, manserunt integra: non propterea sequitur mea non mansisse integra. Ad historiam verò vt redeam: animaduerterunt omnes, renouatum esse dissidium. Et alij quidem, vt aduersarij & malè erga me affecti, transferebant culpam in meum responsum. Alij viderunt apertè, renouatum fuisse culpa tum vafri examinatoris, tum iniurioſi illius in me criminatoris. Senatus itaque voluit rem cognosci, & si fieri posset, componi.

Dum noua tentatur compositio, venit ab Ecclesia Clauennensi, quæ est in foribus Italiæ, sub ditione Rhetorum: nuntius, qui & mihi significet, me ab Ecclesia in Pastorem esse electum, idque in locum demortui Augustini Mainardi: &, si assentiar vocationi, supplicet Senatui vt mihi det veniam hanc alteram recipiendi conditionem. Fuerat Mainardus vir admodum pius & doctus, acutus disputator, & vitæ honestissimæ atque inculpatæ: primusque illam collegit instituitque Ecclesiam, & aduersus multos hæreticos, fanaticos & turbatores homines, eam fortiter annos XXI. defendit, conseruauit, gubernauit: scripsit lingua populari pium libellum de satisfactione Christi: & alterum de Missa, cui titulus est Anatomia Missæ. annum verò cùm ageret octuagesimum primum, sub finem Mensis Iulij, anni M. D. LXIII. concessit ad Dominum.

Senatus cùm audiuisset nuntium, me accersit, & rem in hanc sententiam per duos Senatores proponit: Venisse Legatum ab Ecclesia Clauennensi, qui narrarit, nuper defunctum esse illius Ecclesiæ Pastorem: in huius verò locum me fuisse electum: rogasse nomine Ecclesiæ me sibi concedat: iudicare enim multis de caussis meum ministerium multò magis necessarium esse illi Ecclesiæ, quàm sit nostræ Scholæ opus: facturum Senatum rem admodum gratam nationi Italicæ, si in hac iusta & Christiana petitione ei morem gerat. Senatum itaque ijs à nuntio auditis, grauari quidem suis professoribus Scholam priuari, sed tamen etiam cupere gratificari Italicæ nationi, in re præsertim tam honesta, atque vt orator aiebat, necessaria. cupere igitur de me quæ mea sit voluntas, intelligere. Ad hæc ego in hanc sententiam: Quæ mea sit erga Scholam voluntas, hinc Senatum facilè & perspicuè posse colligere, quòd non semel & iterum à mea Natione in Pastorem electus, modò illius quæ Geneuæ est Ecclesiæ, modò eius quæ erat Lugduni: ad Scholas etiam & Academias celeberrimas in Germania: honorificis conditionibus, & honestis stipendijs inuitatus, idque non solùm ante accensum dissidij ignem, cùm læti tutam tranquillamque pacem traheremus, sed etiam postea cùm optimam haberem occasionem discedendi cum honore, & scriptis meam caussam defendendi: nolui tamen vnquam Argentinensem Scholam sponte deserere, tantisper dum nossem meam operam tam Scholæ vtilem, quàm Senatui gratam esse, & dum spes fuit, tranquillam posse me Argentinæ, maximè cum collegis, vitam traducere: atque hac de caussa me toto hoc dissidij tempore, multa contra me dicta & facta toleraſſe, multa incommoda atque damna pertulisse, in nouos denique articulos consensisse: quòd in spe essem, fore vt post hanc consensionem, ita ad pristinam rediretur amicitiam, pacem ac concordiam, vt nulla deinceps futura esset contentio: & mihi tamen liceret, sicut etiam anteà, quibus vocatus fueram conditionibus, vti, frui: &, si ego neminem iniuria afficerem, alij etiam abstinerent ab iniurijs: eandem mihi adhuc manere voluntatem. Ceterùm vt reipsa maneam, vereri me vt id fieri possit. Nullam enim iam ampliùs spem

ostendi

ostendi futuræ me inter & aduersarios, firmæ pacis atque concordiæ: posteaquam iterum proteruè, idque in pleno Consilio nostro, cœpta sunt iaci in me probra & noua inferri crimina. Quamobrem autem id factum sit, facilè posse fieri iudicium. certè quale fuerit meum in Consilio de illa Confessione responsum, modestúmne an immodestum, liquidò constare: interim tamen eum qui me iniuria affecit, innocentem quo iure quáue iniuria haberi velle: ac me contrà, omnium criminum reum. Haud difficilè me hinc prospicere, nihil posthac vnquam à me dici aut fieri posse, quod apud istos homines queat carere culpa: ac proinde quomodo ampliùs pacificè cum ipsis possim viuere & docere: me non videre. Vidit & Senatus perspicuè, non minùs quàm ego, fore ἀδύνατον, vt pacificè inter nos viueremus, & consentienter doceremus: quòd licet omnes in certos articulos consensissemus, vtraq; tamen pars mordicus suam interpretationem ac doctrinam retineret. Proinde iudicauit fore consultius & mihi & Scholæ, vt si nollem in omnibus & per omnia (vt loquuntur) cum suis consentire, & consentienter docere: ego vnus cederem, & Clauennensem acciperem conditionem. Assensus sum, neque enim poteram salua conscientia cum aduersarijs in illis consentire rebus, & ita consentienter docere, in quibus rebus animaduertebam eos non consentire cum Prophetis atque Apostolis, neque cum pijs Patribus, neque etiam cum doctissimis huiusce ætatis doctoribus, atque in primis cum Bucero. Ergo propter conscientiam & pacem, posteaquam annos vixissem Argentinæ fermè XI. actis Senatui gratijs pro suis in me beneficijs, & resignato in manus Scholarcharum Canonicatu, relicta etiam ibi vxore charissima, & quatuor liberis suauissimis, defunctis hac vita: & valere iussis amicis, neq; id sine dolore, multas ob causas, & maximè quòd viderem quo in statu relinquerem Scholam & Ecclesiam Gallicam, ejecto iam pastore Gulielmo Holbracho, viro optimo atque doctissimo, idque eandem ob causam, propter quam etiam ego discedebam, nimirum quòd noluisset contra conscientiam in omnibus & per omnia cum aduersarijs consentire, & consentienter docere: tandem ad finem Nouembris, anni M. D. LXIII. discessi Argentina, vnà cum fido non tam famulo, quàm amico & fratre, Friderico Syllæpurgio Hesso, municipe tuo, hoc est, tuæ gentis tuique populi, iuuene bonarum literarum studioso, & sanæ doctrinæ amanti.

Porrò Clauennam cùm peruenissem, non ita multò pòst quàm cœpissem concionari: id quod fuit initio Ianuarij, anni M. D. LXIV. grauis pestilentia inuasit oppidum: ac mense quidem Martio cœpit ita palàm & crudeliter grassari, vt intra menses circiter septem, sustulerit ex paruo isto oppido mille circiter & ducentos homines. Prædixerat hanc calamitatem sæpe numerò Mainardus vir Dei, tum propter pertinaciam Papistarum in suis idololatrijs: tum propter ingratitudinem nostrorum erga Euangelium. Sed, vt contigit etiam Prophetis, illius comminationes ab impijs & impœnitentibus contemnebantur. Cùm verò cernerent & reipsa sentirent, impleri vaticinium: tum omnes meminisse verborum viri Dei, & palàm fateri, illum Dei virum, Spiritu diuino afflatum, vera prædixisse. Vrgebamus pœnitentiam & fidem, & tam diu fecimus officium, dum & locus fuit vbi conueniremus, & qui audirent non defuerunt. Cùm verò alijs peste sublatis, alijs propter imminens periculum, deserto oppido, ceu fracta naui, diuersos ad portus elapsis, vidissemus paucos admodum fratres nobiscum in oppido mansisse, atque hos etiam tum propter sæuitiem pestis quasi consternatos, tum in curandis ægrotis & oppido custodiendo occupatissimos: hosce paucos post mensem & ampliùs quàm locus vbi solitæ erant haberi conciones, fuisset infectus, quid facto opus esset consuluimus. Illi consultius esse censuerunt, vt nostro discessu, in aliud tempus Ecclesiæ nos seruaremus, quàm vt temerè & sine vllo fructu, in tam aperto vitæ discrimine permaneremus. Iudicauimus igitur, nos bona conscientia posse ad tempus, loco

cedere: ſuffragantibus noſtro iudicio non paucis & Scripturarum & Patrum auctoritatibus atque exemplis. Me igitur cum tota familia contuli in ſublimem quendam montem: non admodum quidem procul ab oppido, ſed tamen ab hominum conſortio, omniq́ue ſtrepitu remotum, eoq́ue ad philoſophandum accommodatiſſimum. Hîc ſolitarius vitam traduxi meam in lectione Scripturarum, meditationibus, precibus, ſcriptionibus, ſumma cum voluptate ſpiritus atque animi: optima ſemper Dei beneficio valetudine, menſes tres cum dimidio. Hîc etiam cœpi, cùm aliquod otij ab ordinarijs ſtudijs ſuppeditabatur, hiſtoriam hanc conſcribere: partim vt ne excideret memoria, partim vt ſi quando ab aduerſarijs meis prouocarer ad ſcribendum: id quod facilè futurum præuidebam: eam in lucem darem. Neque enim mihi animus erat illos prouocare: quemadmodum etiam in priorem controuerſiam non ego illos, ſed illi me inuitum pertraxerunt. Hoc liquet ex hiſtoria: illud fit hinc perſpicuum, quòd totum hoc biennium & amplius, ex quo diſceſſi Argentina, nihil contra meos ſcripſi aduerſarios: cùm tamen non defuerint, qui me ad id ſolicitarent atque extimularent. Ceterùm dum ab amicis obſeruatur diligenter in nundinis, an aliquid contra noſtram cauſſam, aut contra me ſcriptum prodeat in lucem: ecce librum de Cœna, Germanicè à meo primario accuſatore compoſitum. Hunc ad me miſſum cùm ego propter ignorationem linguæ non poſſem legere, nedum intelligere: do cuidam amico Germanicæ linguæ perito, legendum: ac mihi ſignificet, rogo, & quæ ſumma ſit illius libri, & quibus nitatur argumentis, & an aliquid contra me ſcribatur. Vix tres horas potuit vir ille bonus & alioquin patientiſſimus, legere in eo libro: tum propter plus quàm Papalem (vt dicebat) doctrinam ac faſtum: tum quòd iactaret eam fuiſſe doctrinam Buceri: mei tamen nullam ſe vidiſſe fieri mentionem. Contemſi igitur librum; præſertim quòd non dubitabam non defuturos, qui librum illum (vt dicebat) inſulſum refutarent. Die verò Septembris XIII. huiuſce anni M.D.LXV. accepi alium librum; Latinè & Græcè exaratum: nimirum Valentini Erythræi Lindauienſis, Ethici in Schola Argentinenſi profeſſoris, & mei olim Collegæ. Titulus eſt, Auguſtana Confeſſio, tabulis delineata & reſoluta. Acceptum librum video, percurro, lego. Tandem inuenio, meum etiam de Cœna iudicium, ab iſto cenſore damnari, & me multis variisq́ue conuitijs proſcindi: quemadmodum etiam anteà fecerat eius gentilis, alter videlicet Lindauienſis. Mirabar quî fieret, vt hoc hominum genus, qui corpus Chriſti tam mitis, modeſti atq; humani, manibus contrectant, oraliter comedunt, & in ſtomachum traijciunt, non poſſint ſcribere ſine maledictis & contumelijs. Nam quæ ille prior Lindauienſis in me dixerit & ſcripſerit probra atque conuitia, non commemoro, quia (vt antè dixi) condonaui. Iſte alter duabus paginis quas aduerſus me exarauit, plus conuitiorum quàm argumentorum complexus eſt. principiò appellat me ἐφεκτικὸν, fanaticum, furioſum, impudentem & blaſphemum, nugatorem ac ſcurram: hominem malè ſanum. deinde quæ ſcripſi de Cœna in meo iudicio, ait diabolica eſſe portenta: atque hoc in primis quod dixi, corpus Chriſti non manducari à nobis propriè ore corporis, horribile eſſe clamat: Conſecutionem meam qua infero, Si corpus Chriſti propriè ore corporis manducetur, conſequi, illud dentibus conteri, in ſtomachum traijci, & per ſeceſſum ire, eſſe diabolicam: me & meos gregales vafrè quibuſdam vti verbis ad ſimplices circumueniendos, noſtrorum libros eſſe blaſphemos. Sic noſter Ethicus, politis ſcilicet præditus moribus & ſingulari modeſtia atque prudentia. Ego ſilebam, quieſcebam, dormiebam, & multorum exiſtimationi parcebam. Sed ecce hominem qui me vellicat, à ſomno excitat, & ad certamen prouocat, idq́ue contumelijs, nullo vnquam ipſe à me laceſſitus verbulo. Hæc verò ſine ſodalium ſuorum conſenſu ab ethico fieri, cùm iudicatum fuerit meridie non lucere, tum certò credemus. Ergo ſi ego etiam

inci-

incipiam contra meos scribere aduersarios, mei & sanæ doctrinæ defendendæ gratia: quis meritò me accusèt turbarum, rixarum, contentionum? Apparet iam qui sint turbatores, & dissidiorum autores, atque continuatores: apparet qui nouum pro suo ingenio indicant bellum: apparet deniq; qui sint ἐριστικοὶ δεισιδαίμονες. Quid hîc opus est argumentis & testibus, quibus illas depellam calumnias? Iam res ipsa loquitur. Scripseram quidem ego, & importunitate amicorum dederam imprimendum illud meum de Cœna iudicium: sed id feceram ante compositionem, & partim vt vtriusq; partis Ecclesias aduersus Episcopi cuiusdam iudicium defenderem: partim, vt quo pacto posset hoc tam exitiosum incendium tandem aliquando extingui, meam indicarem sententiam: & scripsi modestè, cum vtriusque partis laude. At verò nunc post compositionem, surgit iste noster Ethicus, & pacificus collega: & vt se insinuet in numerum Theologorum, censorem agit omnium Theologorum, qui hue vsque scripserunt de Cœna Domini. nec contentus censura, quam sibi vltrò assumit, ipsos etiam quos vult Doctores, quibuscunque lubet conuitijs ac contumelijs lacerat, condemnat, deuouetque diris. Ego verò minimè miror hæc ab isto homine, & tanta immodestia scribi. noui enim quæ scribat Salomon in Prouerbijs de stultis, atque stultitia, quæ etiam αὐτόχθων est, & domicilium habere solet, in nimium crassis capitibus. Sed miror sanè vehementer, potuisse ab eo Senatu, qui semper habitus fuit in Germania, & extra Germaniam, ac meritò quidem, prudentissimus, pacis amantissimus, concordiæ inter discordes studiosissimus, & puræ religionis custos vigilantissimus, permitti, vt contumelioſi isti libri, qui nihil aliud sunt quàm esca incendiorum, imò faces iam accensæ ad omnes Ecclesias nouis dissidiorum & inimicitiarum flammis, concremandas, in ea imprimantur vrbe, quæ tempore Buceri solebat esse ceu mater Ecclesiarum omnium in religione, & mediatrix inter dissidentes ex inferiori, & ex superiori Germania doctores: quæ denique cùm primùm alicubi aliquod excitabatur incendium, prima omnium ad illud restinguendum accurrebat. Eò verò magis miror Senatum permisisse vt hæc in me scripta ederentur, & maximè Argentinæ: quòd & sciat quoties petierim, efficeret vt veniretur ad disputationem aut ad amicam collocutionem: & noluerit aduersarios, cùm ad neutram sponte venirent, ad alterutram saltem cogere. An hoc satis æquum est, vt cui præsenti per biennium nunquam concessa disputatio cum aduersarijs fuit: aduersus eum absentem ab ijsdem aduersarijs & in eadem vrbe scribatur, idque tam contumelioſè? Cur cùm ibi essem, non fui conuictus errorum, hæresium, blasphemiarum? cur non fuit instituta disputatio? cur non colloquium? aut cur saltem post compositionem & condonatas iniurias, permittitur tam barbarè contra me scribi? Sed non dubito hæc omninò insciо Magistratu scripta tam in alios quàm in me ab Erythræo fuisse. Veruntamen si semel vnum aut alterum incendiarium coërceret Magistratus, nec tam diu sineret illos sua abuti patientia atque clementia: discerent illi & reliqui meliùs sapere, & pacatiorem haberent ciuitatem. Ergo si ad certamen prouocatus, me meamque causſam, quacunque possum bona ratione defendam, ne miretur Senatus; neque propterea quispiam me vocet eristicum. non enim eristicus est, qui se suamque causſam aduersus iniquos criminatores, modestè defendit. hoc enim speciatim Senatui illo ornatissimo, & omnibus pijs bonisque in ea vrbe viris polliceor, me non conuitijs aut contumelijs, vt mei faciunt aduersarij, sed Scripturis, sed argumentis, sed Patrum tam veterum quàm recentiorum, atq; inprimis piæ memoriæ Buceri, patris illius Scholæ atq; Ecclesiæ, testimonijs: denique etiam confessionibus illius vrbis, meam defensurum causſam. Scio enim hoc proprium esse cùm rusticorum, tum imperitorum hominum, vt cùm desunt rationes & argumenta, recurrant ad conuitia. Scio & illud Salomonis, nõ esse stulto iuxta stultitiam suam, respondendum. Hoc idem norunt Argentinenses obseruatum à

me fuisse in priori mea defensione: quemadmodum Acta quæ apud illos sunt, testificantur: ac norunt quale discrimen sit inter mea & aduersariorum scripta, qui illa legerunt aut legi audiuerunt. Agnoscent etiam omnes, me non esse neque eristicum (nisi ἐριστικὸς ille esse definiatur, qui accusatus de grauissimis criminibus conatur se defendere) neque blasphemum hominem: nisi blasphemus ille sit, qui quæ tradunt S. literæ, & quæ sanctorum Patrum testimonijs confirmari possunt, defendit: quæ verò neque Scriptura apertè tradit, neque cum illa sunt consentanea, reijcit: & qui denique semper paratus est meliora doceri.

Nunc vt ad id quod principiò constitui demonstrare, reuertar: potes, Illustrissime Princeps, quæ tua est singularis prudentia, atque non solùm in re militari, sed etiam in religione & politicis negotijs sapientissimum iudicium: ex ijs omnibus quę narraui, quæ retuli, quæ dixi, facilè caussas colligere, propter quas Miscellanea hæc non solùm cùm Argentinæ essem, ante compositionem cudenda, sed etiam nunc recudenda, & totam hanc historiam euulgandam curauerim. Tametsi enim quæ nunc aduersus me scripsit aduersarius Erythræus, ea me non permouerunt tantùm, sed etiam coëgerunt vt non solùm meum defendam de Cœna iudicium, sed etiam totam nostri prioris dissidij, deinde & compositionis, & eorum quæ compositionem secuta sunt, historiam, vnà cum meis hisce Miscellaneis, tandem in lucem emittam: idque quò appareat toti orbi, an talis sim nécne, qualem & alij aduersarij anteà prædicarunt, & iste denuò, edito etiam libro, apud omnes mortales traduxit: nempe non hæreticum tantùm, sed etiam blasphemum: tamen ipsa quoque historia multas alias demonstrat caussas, propter quas æquum omnino, imò necessarium erat, vt tandem aliquando tam ipsa, quàm suppressus liber in lucem prodiret. Nam doctri-
1. na quæ fuerat hæreseos damnata: nunquam fuit iudicata: neque spes vlla est fore, vt in aliqua Synodo legitimè iudicetur. Est igitur necesse (nisi velimus maneat condemnata) vt omnium Ecclesiarum iudicio subijciatur. Quòd liber meus fuerit
2. suppressus, iudicare multi possent, illud propterea fuisse factum, quòd aut aliquam saperet hæresin: aut in aliquem esset contumelioſus. Prodeat igitur in medium necesse est, quò omnes, qualem contineat doctrinam, & an in quempiam sit contume-
3. lioſus nécne, videant. Accusati fueramus ego & qui à me stabant Argentinæ, quòd Augustanam Confessionem oppugnaremus: quòd ego contra illam docerem, adeóque quòd contrà meum fecerim (vt vocant ipsi) compromissum. oportuit igitur
4. historiam quæ nostras continet Apologias, cognosci. Conscriptus fuit contra me liber plenus infinitis calumnijs: isque non solùm Magistratui exhibitus, sed cum multis etiam alijs communicatus: meam autem ad illas responsionem non omnes viderunt, qui illum legerunt. fuit igitur operæprecium vt illarum etiam depulsio
5. appareret. Mirati fuerunt omnes, dissidium nostrum tam diu durasse, & nunquam intra biennium potuisse componi. cur non æquum sit, vt in quibúsnam hæserit culpa, agnoscatur: De meis quibusdam prælectionibus quid sparsum fuerit in vulgus,
6. anteà dictum est, latere videlicet in illis venenum. Vt igitur venenum hoc agnoscatur, coactus fui eas in lucem dare. Contenderunt aduersarij, Senatum populumque Argentinensem recessisse à priori doctrina, cùm Augustanæ Confessioni ve-
7. stræ subscripsit. falsum hoc esse, historia docet. cur igitur non eam inuulgem, vt Senatus totaq; illa inclyta vrbs hac infamia ei à parum gratis ciuibus inusta, liberetur?
8. De compositione multi sinistri sermones fuerunt in vulgum sparsi, præsertim contra me & Ioannem Sturmium. fuit igitur plus quàm necessarium, vt quomodo hæc facta sit, & quas præmiserimus exceptiones, & quibus subscripserimus articulis, to-
9. ti orbi edita historia declararetur. Quæ mihi falsò fuerint obiecta crimina post compositionem, in pleno Consilio, propter quam caussam, & quid inde secutum tandem sit, nimirum meus, præter alia, à mea statione & ab vrbe charissima discessus,

paulò

paulò antè dictum est. Renouationem dissidij & meum discessum intellexerunt omnes; at vtriusque caussam non omnes norunt: neque etiam noua illa controuersia fuit vnquam aut legitimè cognita, aut iudicata, aut etiam composita. Erat igitur necesse propter dignitatem & autoritatem mei ministerij, vt quo se modo res habuerit, & cur Argentina discesserim, tandem vulgata ista historia explicaretur. Sunt omnes hæ caussæ tanti ponderis, vt etiamsi nulla alia accessisset; accusari tamen iure non potuerim, si tantùm propter has aut etiam propter ipsarum aliquam, librum hunc meum antea etiam vulgassem. Nunc autem accedit illa postrema omnium grauissima, quam Erythræi liber attulit. Hac enim ita cogor (vt antè dixi) me meamque caussam defendere, vt nisi id faciam, proditor sim veritatis, negligens bonæ existimationis, ideoque in perpetuum infamis. Maledictum certè pronuntiat Salomon qui negligit famam suam: quantò magis si illa etiam cedat in infamiam ipsius ministerij & Euangelij & Christi? Spero itaque (opto quidem certè) me satis 10.
luculenter, Tibi, Princeps Illustriss. & omnibus bonis hac narratione demonstrasse, neque me talem esse qualem aduersarij prædicarunt & voce & scriptis: id quod meliùs patefiet, lectis hisce Miscellaneis: neque sine iustis & necessarijs caussis, curasse vt hic Liber vnà cum historia in lucem emissus, si non in promiscui vulgi, saltem in literatorum virorum manus perueniret.

Nunc autem quibus de caussis rudes hasce meas lucubrationes Tibi tam magno Germaniæ Principi ego homo Italus dedicare ausus fuerim, paucis aperiam. Si quibus de religione libri sunt dedicandi: dedicari omnino debent non tam Principibus Illustribus & potentibus, qui suo splendore & potentia, aliquid gratiæ illis concilient: quàm viris optimis: pietate inprimis & Christianæ religionis studio, doctrinæque salutis cognitione, deinde iustitia, prudentia, fortitudine, clementia, cæterisque Christianis virtutibus clarissimis: quique tum id genus libros intelligere atque tueri, tum etiam autores librorum defendere non tantùm possint, sed etiam velint: qui denique de Christiana religione deque literatis & pijs hominibus sint bene meriti.

Ego verò quæ sit tua pietas, Princeps Illustrissime, quod studium religionis, quæ peritia rerum Christianarum, quæ constantia atque fortitudo in defendenda doctrina salutis, protegendisque doctrinæ Christianæ Professoribus: non nunc primùm disco, sed iam olim in Italia adolescens adhuc, ex certis hominum sermonibus intellexi: quos sermones verissimos etiam fuisse, ex constanti deinceps omnium fama, & ex certissima Ioannis Sleidani incomparabilis viri historia deprehendi. Est enim certissimum: Te á prima adolescentia, nec periculis, nec laboribus, nec sumtibus vllis, pro instauranda religione, peperciss̀e: Te Martinum Lutherum sanctissimæ memoriæ, & alios fideles Ecclesiæ ministros, fortiter semper defendisse: Te facinora Thomæ Monetarij, cuius seditiosis concionibus per totam ferè Germaniam plebs erat ad arma concitata, repressisse: Lutherum atque Zvuinglium, & aliquot alios ex præcipuis Germaniæ Theologis, vt glisc̀ens de Cœna Domini penè iam exitiale dissidium, sub ipsa initia maturè sopiretur: Marpurgum prudenter vocasse, ac liberalissimè tractasse: Te inter multos alios, qui curabant vt Carolo V. Imperatori anno M. D. XXX. fidei Confessio exhiberetur: qua Confessione libertas deinceps religionis, Germaniæ obtineretur: non postremum autorem fuisse: Te vt cognatum illum tuum Principem, qui omnibus bonis spoliatus fuerat, patriæ restitueres, fortiter, celeriter atque etiam feliciter curasse: Te furorem & insaniam Anabaptistarum, quorum inaudita scelera vtinam possent perpetua obliuione sepeliri: in Monasterienssi bello fregisse: Te grauissimam illam & periculosissimam litem (vt alias omittam) quæ inter Ioannem Fridericum Electorem, & Mauricium exorta, ad ciuile bel-

bellum omnino ſpectabat, tuo pio & prudenti interuentu, cum magno totius Saxoniæ commodo, compoſuiſſe: Te multorum puræ religionis hoſtium petulantiam fortiter repreſſiſſe, atque inter alios, fortiſſimum quendam & potentiſſimum ſed doctrinæ Euangelicæ hoſtem crudeliſſimum Principem tua incredibili prudentia, celeritate, virtute, eò redegiſſe anguſtiarum, vt tandem inſtar catelli non ſine lacrymis in tuam ſeſe vnà cum filio dediderit poteſtatem: Te præcipuum autorem eundemque & defenſorem fortiſſimum pij & ſancti fœderis, non contra Cæſarem, ſed contra hoſtes Chriſti, ad tuendam veram religionem & Germaniæ libertatem, inter Germanos Principes atque Reſpublicas initi, fuiſſe: Tu huiuſce religionis atque libertatis gratia, fortunas omnes, liberos, vitam denique ipſam, omnibus periculis expoſuiſſe: futurum etiam ea in re feliciſſimum, non dicam ſi penes Te vnum tota fuiſſet belli adminiſtratio (id quod tunc paſſim pro certo ferebatur, & nunc peritus quiſque rei bellicæ, & illius hiſtoriæ non ignarus, meritò affirmare poſſet) ſed dicam ſicut Chriſtianus homo ſentire & loqui debet: niſi Deus exercituum, omniumque rerum moderator ſapientiſſimus Dominus Ieſus Chriſtus aliter in cælo conſtituiſſet: Te denique, etſi in multa propter Euangelium incurriſti incommoda atque aduerſa, omnia tamen, vt Chriſtianum decebat Principem, heroica fortitudine ſuſtinuiſſe, ita vt idem clementiſſimus Chriſtus, cuius cauſſa illa omnia ſuſtinuiſti, tuæ te libertati tandem etiam aliquando reſtituerit. Cuius beneficij Te nunquam immemorem aut ingratum fuiſſe: pij omnes atque inprimis ipſa Germania atque Gallia, certiſſimum dant Tibi teſtimonium. Sed quid ego omnia à te præclarè geſta commemorem? Certè hæc pauca quæ breuiter narraui luculentiſſima ſunt teſtimonia eximiæ tuæ pietatis, maximarumque virtutum. Cur igitur tam pio tamque magno Principi, non me meamque commendem cauſſam? Sed accedunt aliæ cauſſæ quæ me, vt hunc tibi librum dedicarem, permouerunt; quarum hæc non eſt poſtrema, quòd ſciam quanta beneuolentia & reuerentia proſecutus fueris ſanctæ memoriæ Martinum Bucerum, & quàm illius conſuetudine propter pietatem ſingularem, eruditionem, virtutem, delectatus fueris, ita vt an doctrina tam de Prædeſtinatione & Perſeuerantia, quàm de Cœna Domini, quam in ijs meis αὐτοσχεδίοις trado, & contra aduerſarios defendo, fuerit etiam antè tradita atque defenſa à Bucero nécne, iudicare facilè poſſis: agnitam verò non vereor quin defenſam velis. Huic proximè adiungitur & iam alia, quòd Tu ſolus & alter, ex illis principibus qui Confeſſionem illam fidei, quam nunc Auguſtanam vocant, Carolo V Auguſto, Auguſtæ exhibuerunt, ſuperſtites eſtis. Nemo igitur meliùs quàm Tu, an doctrina de qua accuſor, tam de Perſeuerantia quàm de Cœna, cum Auguſtana pugnet Confeſſione nécne: videre poteſt. Sed & hac de cauſſa Tibi potiſſimùm dicandus erat hic liber, quòd tu omnium optimè iudicare poſſis, vtri ſint turbulenti homines; egóne qui de Cœna docui ſicut antè á me explicatum fuit, Verum Chriſti corpus in Cœna ſumi, & verum item eius ſumi ſanguinem, ſed id fide & á fidelibus tantùm; & ab alijs inutilibus abſtinui quæſtionibus: an verò mei aduerſarij, qui non contenti ea Confeſſione, niſi etiam fateamur illud vbique eſſe, ore corporis edi, & ab ipſis etiam infidelibus manducari: hæreſeos nos damnant & blaſphemos appellant. Tu enim in colloquio cum Cæſare demonſtraturus, nullum amplius inter noſtros eſſe diſſidium de cœna, hac vſus es argumentatione. Fatentur omnes, in cœna corpus atque ſanguinem Chriſti verè percipi. nullum igitur ampliùs eſt inter noſtros diſſidium. *De Cœna Domini*, inquit ad Cæſarem, *fuit quidem inter eos*, id eſt, noſtros Theologos, *contentio. verùm ea nunc eſt conſopita. nemo enim eſt, qui non fateatur, ibi corpus atque ſanguinem Chriſti verè percipi.* His verbis ſatis perſpicuè tuam ſignificaſti ſententiam, ſi omnes confiteamur, Corpus Chriſti in Cœna verè percipi, debere nos eſſe contentos: & proinde eos

eſſe

esse turbulentos homines, qui non hac contenti Confessione, quæstiones præterea mouent nouas atque inutiles, ne dicam pernicioſas: & hæreſeos damnant omnes qui non ſecum fateantur vbiquitatem, oralem manducationem & manducationem Impiorum. Tu cùm dimitteres conuentum Marpurgenſem, præter alia dixiſti illis Patribus: Quando in præcipuis dogmatis idem ſentirent, abſtinendum eſſe deinceps ab omni contentione. Prudens & prudentiſſimo Principe dignum conſilium. At nunc iſti noui Patres, & (ſi Deo placet) Te prudentiores, longè aliter & ſentiunt & agunt. Hæc verò alia prætereunda non eſt, quòd qui primi meis hiſce Theſibus teſtimonium dederunt, ij fuerunt docti & pij in tua Marpurgenſi Academia atque Eccleſia doctores atque Paſtores, quorum ſapientiſſimum iudicium alij quoque quàm plurimi non vulgares Theologi ac miniſtri verbi, ſecuti ſunt. Erat autem æquum, vt Tu, quodnam & quale iudicium tui Theologi de Theſibus mihi obiectis fecerint, quantique ab alijs Theologis factum id fuerit, videres. Ad extremum dicam id quod eſt, liberè. Cùm, neſcio quo pacto, certè propter tuam virtutem & pietatem, maxima ſim affectus erga te obſeruantia & gratificandi voluntate: nolui concedas ad ſuperos antequam aliquid huius mei erga te animi teſtimonium accipias.

Non defuerunt ergo cauſſæ, quæ vt hæc Theologorum iudicia & mea ἀπολογίαι Tibi, Princeps Illuſtriſſime, iudicanda, & ſi probentur, tua autoritate protegenda traderem ac commendarem; me ita permouerunt vt compulerint. Quare te etiam atque etiam reuerenter rogo & obſecro, Generoſiſſime Princeps, vt velis & præſentem libellum tuo nomini dicatum amanter amplecti, & meum erga Te tuoſque liberos omnes, atque in primis erga verè Illuſtriſſimum non ſanguine tantùm & nobilitate, ſed pietate etiam ſingulari, ſed literatura, ſed inuicta animi fortitudine, ſed prudentia, ſed æquitate atque iuſtitia, alijſque innumeris & excellentibus virtutibus Principem Gulielmum, cui etiam & me & meam cauſſam commendatam velim, amorem, obſeruantiam, animum, gratum habere.

Illud verò non ſolùm Te & Gulielmum Principem, ſed quotquot hunc legerint librum, viros pios & doctos per Ieſum Chriſtum obteſtor, vt ſi quid in ijs meis prælectionibus repererint, quod non vſquequaque dictum fuiſſe orthodoxè iudicent; illud mihi amicè & Chriſtianè, ſiue coràm, ſi fieri poſſit, ſiue per literas ſignificent. Omnium enim piarum Eccleſiarum & verè piorum doctorumque virorum, hoc eſt, totius Eccleſiæ verè catholicæ & Apoſtolicæ iudicio hæc omnia ſubmitto: quidquid erratum eſt (ſi quid erratum eſt) emendaturus, modò mihi veritas amicè atque Chriſtianè è S. literis perſpicuè demonſtretur. Neque enim pudebit me ab eruditioribus diſcere; & ſi quid erroris vel didici vel docui (quod tamen nondum agnoſco) illud dediſcere & dedocere: præſertim cùm ingenuè profitear me eſſe in Schola Chriſti, vbi nemo præter doctorem Chriſtum tam doctus eſt, cui non ſit quotidie magis ac magis in cognitione veritatis proficiendum. Illud tantùm admonitos velim omnes pios, ne illa nuda propoſitione quæ eſt de Perſeuerantia Sanctorum, vllo modo offendantur: vel quòd eum ea multi loci Scripturarum pugnare videantur, vel quòd etiamſi vera ſit, nullum tamen eius cognitio fructum hominibus ſatis ſuapte natura ſecuris, adferre videatur. Nam cùm mihi inchoatam tractationem in Schola abſoluere non licuerit: ego neque Scripturarum loca in ſpeciem pugnantia conciliare, neque quo pacto propoſitio illa eſſet intelligenda, declarare: neque denique vſum illius doctrinæ explicare tunc potui. Ceterùm Deo fauente, totam illam tractationem alijs quàm plurimis tum Scripturarum, tum Patrum, tum doctiſſimorum noſtri temporis virorum adiectis teſtimonijs, omnibus in ſpeciem pugnantibus locis conciliatis, omnibus aduerſariorum argumentis diſſolutis, & huius ſalutaris doctrinæ vſibus explicatis:

catis: ita perficiam, vt nemo nisi plane perditus & in sensum reprobum traditus, doctrinam hanc tanquam veram, certam, piam, salutarem, imò cuique etiam pio necessariam cognitu: non sit probaturus. Interim nemo damnet quod non intelligit: sed suum saltem iudicium, dum vel me planè audierit, vel perfectam tractationem legerit, suspendat. Est enim illud Menandri sapientissimè dictum, probè memoriæ retinendum omnibus qui sapientes & esse & videri volunt: ὁ προκαταγιγνώσκων πρὶν ἀκοῦσαι σαφῶς, Αυτὸς πονηρός ἐστι πρὸς ὀλίγας κακῶς. Neque etiam illud Siracidæ Consilium aut negligendum aut contemnendum est, Βιβλίου πολλὰ μὴ τοῦ λέγειν ἢ πιεῖν τι. ὑγιὲς ἔξεις ἄσκεπτον ἀνακαλέσασθαι τὰ λεχθέντα ἢ πραχθέντα. Dominus Iesus Te Tuósque liberos omnes in vera pietate custodiat promoueatque, diu nobis conseruet, fortunas quoque ipsas feliciter in omnibus dirigat. Ego enim vt cum Diuo Ioanne loquar: περὶ πάντων εὔχομαί σε εὐοδοῦσθαι καὶ ὑγιαίνειν, καθὼς εὐοδοῦται σου ἡ ψυχή. Clauennæ XV. Octob. Anno M. D. LXV.

EPISTOLA

EPISTOLA, AD LECTOREM tum scripta.

MIRABERIS, scio, cur has meas prælectiones non expoliuerim priùs quàm in lucem darem: sed ita rudes & eodem planè stylo, hoc est, scholastico, quo etiam in Schola à me habitę fuerunt, emiserim. Sed si caussam huiusce facti audieris, pones admirationem. Ea autem hæc fuit: nimirum ne quispiam possit calumniari, me alia & aliis verbis in Schola docuisse, quàm modò in medium vulgus proferam. Multa quidem in iis libenter mutassem & correxissem: non quòd impium aliquid in eis agnoscam: sed quòd quædam potuissent meliùs disponi, & explicari. Sed quia (vt dixi) quæstio est, quid & quomodo docuerim: mihi non licuit neque in sententiis neque in verbis quidpiam mutare. Qua de caussa omnes doctos rogo atque obsecro, vt quidquid in hisce meis paucis αὐτοσχεδίοις deprehenderint vel superuacaneum, vel nimis concisum, vel minùs elaboratum: illud totum mihi condonent, limatiora alia posthac (si Domino placuerit) & castigatiora foras paulatim daturo. Cogor enim (vt quisque videre potest) non sine magno animi dolore hos meos immaturos & nondum bene formatos fœtus ante tempus edere, & quasi abortare. Ceterùm modò nihil in iis aut monstrosum aut inanimum, hoc est, quod non sit & antiquum in Ecclesia & orthodoxum, inueniatur: satis mihi in præsentia fuerit. Quanquam illud etiam excusare me debet apud viros bonos, quòd ipse Moses narrat, Dominum Deum cùm crearet cœlum & terram, principio materiam quandam rudem, informem atque impolitam creasse, quam propterea Moses *Tohu vabohu* & Poëtæ Chaos appellarunt, deinde illam creata luce illustrasse, postea paulatim variis rerum formis distinxisse, expoliuisse, exornasse, donec omnia feciſſet perfecta atque absoluta, qua de caussa totam hanc machinam κόσμον ab ornatu Gręci appellarunt. Si igitur imitatus exemplum Dei optimi maximi, post hoc meum χάος, si non elaboratissima & politissima (quod non valeo) saltem limatiora dedero: non deerit viris bonis cur me nunc excusatum habere debeant. Vale. Clauennæ 15. Octobr. 1565.

AD IOHANNEM VVOLPHIVM Tigurinum Epistola.

TV scis, doctissime Vvolphi, boni viri, multò verò magis verbi Dei Professoris esse, ita se & in officio et in sermonibus totaq; vita gerere, vt eum nemo vel de vllo facinore, vel etiam de alicuius facinoris suspicione accusare meritò possit. Quæ enim Apostolus ad Timotheum & ad Titum de Ecclesiastici præconis (quo nomine non tãtum Pastores, sed Doctores quoq; & omnes verbi Dei ministros atq; interpretes intelligo) scribat officio: optimè nosti. quid dico nosti? imo tu ipse me tua elegãtissima oratione in ea Apostoli verba 2. Timot. 2. Stude teipsum probatum exhibere Deo, docuisti. Illud quoq; te non latet, eiusde viri boni esse, si sentiat se siue ἀπὸ τῶν κρείττονων, vt ait Chrysost. siue ἀπὸ τῶν ἐλαττόνων, siue ἀπὸ τῶν σωστῶν, siue ἀπὸ τῶν ἀσωτῶν immeritò atq; falsò traduci (quanquam reuerà omnis calumniator ἀσώτος est) sese suamq; existimationẽ, & ministerium, si quod obeat, tueri atq; defendere. Quoties enim Apostolus a suis aduersariis pseudoapostolis, pigris ventribus & inflatis vtribus, traductus, & variis grauissimisq; criminationibus affectus, sese & suum ministerium defenderit, nouimus omnes. Sed vt id a nobis fiat cum modestia, idẽ Apostolus docet suo exemplo: & Salomon confirmat, cùm inquit Prouerbiorum cap. XXVI. Ne responde stulto iuxta stultitiam suam: ne fortè similis ei fias etiam tu. Proinde elegãter & pie (vt omnia) Chrysostomus inquit: Τὸν πρεσβύτερον siue in Ecclesia, siue in Schola: δεῖ πρὸς ἅπαντας, περὶ ὧν ἐγκαλῶσι διαλύεσθαι, μετὰ πολλῆς τε ὀπιεικείας καὶ πραότητος, συγγινώσκοντα μᾶλλον αὐτοῖς τῆς ἀλόγου μέμψεως ἢ ἀγανακτοῦντα καὶ ὀργιζόμενον.

Ergo quod ego quoq; multas in me, ideoq; in meum ministerium sparsas criminationes, calumnias, ὕβρεις τε καὶ ἐπηρείας καὶ μέμψεις non prorsus contemnam, sed meam existimationem, meumq; ministerium, quo ad eius fieri potest, & qua possum modestia, defendam, curemq; vt non solùm falsa crimina depellam, sed etiam criminum suspicionibus me liberem: nullus, credo, vir bonus & iudicio præditus mirabitur. Εἰ γὰρ ὁ μακάριος Παῦλος (inquit Chrysostomus) μὴ κλοπῆς ὑπόνοιαν λάβῃ παρὰ τοῖς μαθηταῖς, ἔδεισεν, καὶ διὰ τοῦτο προσέλαβε καὶ ἑτέρους εἰς τὴν τῶν χρημάτων διακονίαν, ἵνα μή τις ἡμᾶς μωμήσηται (φησὶν) ἐν τῇ ἀδρότητι ταύτῃ τῇ διακονουμένῃ ὑφ' ὑμῶν· πῶς ἡμᾶς ὑ δεῖ πάντα ποιεῖν, ὡς τε τὰς πονηρὰς ἀνελεῖν ὑποψίας, κἂν ψευδεῖς, κἂν ἀλόγιστοι τυγχάνωσιν ὄσαι, κἂν σφόδρα τῆς ἡμετέρας ἀπέχωσι δίξης. In hunc finem mitto ad Te, mi cariß. Vvolphi, has meas prælectiones: vt eas communices cum Domino Bullingero nostro, Petro Martyre & reliquis doctis piisq; patribus & fratribus: & rogo, vt, sicut etiam feciſtis de Thesibus, eas ad Lydium lapidem S. Scripturarum diligenter examinetis: atque si quid in eis deprehenderitis, quod non sit consonum S. literis, illius me liberè admoneatis. Si verò omnia vobis orthodoxa esse videbũtur: id ipsum quoque mihi significetis per Epistolam: vt vestro de iis meis lectionibus iudicio Dominis ostẽso, finis tandem aliquando huic nostræ controuersiæ imponatur. Neq; enim videtur amplius quæstio esse de Thesibus, sed tantum de iis prælectionibus: quod has quidam dicant esse prorsus intolerabiles, cum Theses vtcunq; tolerari possint. Ergo si etiam lectiones vobis & aliis doctis Theologis probatæ fuerint (dico quod ad substantiam doctrinæ attinet. nam quod ad stylum, rerum dispositionem, & argumentorum explicationem: ego quoq; multa in eis desidero, sed quia quæstio de illis est vt in Schola a me habitæ fuerunt: præsertim de illis quas annis abhinc sex circiter de Prædestinatione habui: iccircò nihil in eis potui aut debui pro hoc tempore immutare: immutaturus alioquin multa et elimaturus, si mihi licuisset:) Si igitur quod ad substantiam attinet doctrinæ, hæ quoq; lectiones vobis probatæ fuerint: spero breui & Dominos nostros in primis, & deinde nos reliquos omnes, magnis liberatum iri molestiis. quod vt Dominus faxit, etiam atq; etiam rogo, & verò etiam eum facturum cõfido. Neq; enim potest Ecclesiam suam deserere: quanquam ad tempus permisit Sathanæ vt cribraret nos. imò spero hanc cribrationem futuram & Scholæ & Ecclesiæ vtilissimam. cribratione enim non perditur, sed purgatur frumentum.

Quæ autem ad Te mitto, hæc sunt: Tractatio de fine seculi: Inchoata tractatio de Perseuerantia Sanctorum in fide. non enim licuit mihi (vt scis) in Schola eam absoluere: sed absoluam aliàs Deo fauente. Has ego ipse Consilio nostro Thomano, cum ibi causa nostra agitaretur, sicut sunt, & sicut in Schola à me habitæ fuerunt: legendas & examinãdas exhibui: quoniam de principio hæ duæ tantum ab amico in Schola & in Consilio, damnatæ fuerunt: & controuersia nostra ab his duabus initium sumsit. Mitto deinde tractatiunculam de libro vitæ: item tractationem de Prædestinatione. Has duas habui annis abhinc sex aut septem, cùm Iesaiam interpretarer. Nunc primùm autem, nimirum post excitatam hanc controuersiam: eas accusatores mei ex commentariolis studiosorum describendas curarunt (sed qua fide aut illi scripserint, aut alij descripserint: nouit Dominus) atq; Dominis nostris 13. Viris, causa iam à Consilio nostro Thomano ad illos translata, tanquam impias, legendas dederunt. Mitto præterea caput vnum cuiusdam meæ tractationis, quam nuper cum Epistolam Ioannis interpretarer: habui de Christo aduocato nostro, hoc est, electorum. Item caput vnum ex tractatione de remissione peccatorum, quam habui in caput primum eiusdem Epistolæ Ioannis, excerptum. Hæc etiam duo capita, tanquam absurda atq; impia

piam doctrinam redolentia, aduersarij mei Dominis exhibuerunt. Ego verò certis de caussis adiẽci primùm tractatiunculam de Gratia: deinde tractationem de excæcatione Impiorum: tertiò tractationẽ de redemtione Ecclesiæ per Christum: postremò initium meæ interpretationis in 2. cap. epist. Ioan. cum παρεκβάσει de studio vitandi peccata, in illa verba: Τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε. Cur adiecerim tractationẽ de redemtione Ecclesiæ: caussa hæc est præcipua, quia traductus fui quòd de Prædestinatione docuerim atq; doceam vt homines adigam ad desperationẽ, quòd nesciant an ipsi ex illorum sint numero quos doceo esse ad vitam æternã prædestinatos, nescne. Contra hãc calumniam est septimũ caput de redemtione Ecclesiæ. Etsi enim nego omnes in vniuersum homines esse ad æternam salutẽ Prædestinatos: & affirmo certũ esse numerum electorum & certũ reprobatorũ, & quidẽ pauciores esse electos quam sint reprobi, idq; iuxta Scripturas: non doceo tamen hæc ita, vt homines adigam ad desperationẽ: cùm doceam etiam neminem debere de sui per Christum salute, ac proinde neq; de sui in Christo ad salutem, aternamq; vitam electione dubitare: imò omnes teneri credere se esse ex numero electorũ. Quoniam autem hoc cùm alibi sapius, tum speciatim & ex professo in illo septimo capite de redẽtione Ecclesiæ demonstraui: iccircò vt illa me calumnia cùm apud Dominos, tum apud omnes pios purgarẽ: tractationem hanc aliis de prædestinatione scriptis volui adijcere. Quæ verò est de excæcatione impiorũ: iccircò adiunxi, quòd infamatus fuerim quòd docerem, Deum homines pro suo tantùm arbitrio, non propter illorum scelera excæcare. Contra hanc calumniam est caput illius tractationis tertium: vbi caussas cur Deus quos excat, excæcet, explico: atq; doceo, caussam impulsiuam, seu à qua (vt ita loquar) mouetur Deus ad excæcandos quos excæcat: duplicem esse. Vnam in ipsis hominibus qui excæcantur: et hanc esse illorum scelera atq; in primis peruicaciã contra Deum. Alteram in Deo: & hãc esse liberam ipsius voluntatem: qui cùm posset iure omnes excæcare (in omnibus enim inuenitur caussa excæcationis) non omnes tamen excæcat, sed certos quosdam, nẽpe quos vult: sed id semper iustissimè, tum quia ipsius voluntas iusta semper est: tum quia qui excæcantur, iustissimã Deo suæ excæcationis caussam præbuerunt. Interpretationẽ porrò sectionis 1. cap. 2. Epist. Ioan. contra aliam calumniam adiunxi. quidam enim sparserunt, me de Sanctorũ fide & in ea Perseuerantia ita docere, vt sentiam & dicam, Peccatũ regnans stare cum fide, h.e. postquam semel quis accepit veram fidem à Deo, & semel fuit iustificatus, etiamsi postea admittat quæuis scelera, legemq; Dei seruare contemnat: nunquam tamen eum amittere fidẽ, sed semper manere fidelem, iustum et sanctũ. Contra hanc grauissimam horrendamq; calumniam, sunt multæ meæ prælectiones quas in lucem proferã Deo volente, suo tempore: sed in præsentia volui contẽtus esse iis quæ docui in ista verba Ioannis: Τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε. item, Ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτὸν, ἐὰν τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηρῶμεν. vbi doceo, duo esse studia in quæ Christiano homini perpetuò sit incumbendũ: studium sanctitatis seu vitandi peccata ac seruandi legem Dei: & studium pietatis seu fidei de remissione peccatorum in Christum, & per hunc in Patrem collocandæ & firmandæ, & hæc duo studia ita simul esse coniuncta, vt alterum ab altero separari non possit. Quare qui iactant se fidem habere in Christum, & interim non student lege Dei seruandæ, sed vltrò sese in omne genus flagitia proijciunt, in iisq; perseuerant: eos iuxta Apostolum mentiri: propterea quòd fieri nullo modo possit, vt fides vera à studio seruandæ legis Dei separetur: id quod idem est ac si dicas, fidem cum peccato regnante non posse consistere. peccatum enim in illis est, et dicitur propriè regnans, qui sine vlla contradictione aut repugnantia, ex animo & plena voluntate, illius concupiscentiis tanquam mandatis regiis obtemperant, & obtẽperare semper parati sunt: id quod certè in electos & verè sanctos nunquã cadit. Postremò adieci tractationẽ de Gratia: hac de caussa, vt omnib. pateſiat, etsi doceo, totã salutem nostrã ex sola Dei gratia pendere: me non tamen excludere à salute nostra, multa variaq; media quib. hæc Dei gratia vtitur ad salutẽ vitamq; æternam nobis communicandã: ac proinde me non esse Sacramentorũ, Ecclesiastici ministerij, deniq; bonorum omnium contemtorẽ. Posui verò ad calcem summã cuiusq; tractationis atq; lectionis, certis thesibus cõprehensam: vt qui nolũt vel non possunt omnia illa legere: saltẽ ex istis Thesibus, qualis sit mea doctrina de his articulis, citò & perspicuè possint cognoscere. Mitto ad extremũ depulsionẽ multarũ calũniarũ non tantum voce contra me sparsarũ, sed etiam scripto comprehensarũ, & Dominis meis exhibitarũ, aliisq; nonnullis communicatarum. Habes, mi doctissime frater, quæ nã ad te mittã, & quib. mittã de caussis. Etsi verò dolendum est vehemẽter tales inter nos excitatas & huc vsq;, h.e. vsq; in menses 17. protractas fuisse controuersias: iraſci tamen nobis minimè debetis, sed potiùs pro nobis Deum orare, vt post hac tantã Sathanæ vexandi nos autoritatẽ, sicut his 17. mensibus fecit, ne permittat nostros etiam affectus, corda & corpora in sui amorẽ atq; obsequium magis ac magis refingat, ita vt nihil nisi ipsius gloriam & Ecclesiæ salutẽ curemus. Si enim hæc duo tantum spectaremus semper omnes: procul dubio vel nulla vnquã orirentur inter nos dissidia: vel exorta statim amicis colloquiis tollerentur. Quòd si Deus velit his rationibus & veritatẽ suam illustriorẽ reddi, & nos in id genus pugnis exerceri, donet nos saltẽ Spiritu suæ sapientiæ & fortitudinis, h.e. tanta sapientia fortitudine atq; constãtia, vt veritatẽ ipsam quæ est Christus, non tantum velimus, sed etiam sciamus & possimus non minus sapienter quàm fortiter, aduersus carnem & sanguinem, imò aduersus principes & potestates tenebrarum harum, defendere: atq; ita defendere, vt ea tandem expugnatis hostibus omnibus, sola vbiq; triumphet. Vale.

H. ZANCHII

SVPPLICATIO QVAM POST COMPOSITIONEM, REVERSVS EX FINIBVS ITALIAE, AMPLISSIMO SENATVI OFFERRE DECREVERAT: SED POSTEA NE DENVO PAX TVRBARETVR, NON OBTVLIT: CVM EXPLICATIONE ARTICVLORVM CONCORDIÆ.

QVANTA fuerit ab eo tempore quo veſter ſum ciuis, mea erga vos, clariſſimi Domini, obſeruantia: quantúſue meus erga Scholam veſtram amor: ſi non aliunde, hinc ſaltem colligere poteſtis: quòd cùm multæ, eæque honorificæ conditiones mihi non ſemel oblatæ ſint, tam in Germania, quàm extra Germaniam: vos tamen ſemper omnibus alijs prætuli. Et licet ſæpenumero multa nimis grauia incommoda, quæ hîc paſſus ſum: inuidiæ etiam, & odia multorum hominum, quæ hîc ſuſtinere coactus fui, me aliò propellerent: nunquam tamen vos, Scholamq; veſtram deſerere potui. imò cùm potuerim cum honore & magno commodo meo, omnibus ijs animi moleſtijs me liberare, & aliò, quò ſcilicet vocabar, cõcedere, ſcriptisq; & me, & exiſtimationem meam defendere: nolui tamen, cùm propter honorẽ ciuitatis, tum propter amorem Scholę quidpiam horum efficere. Ceterùm æquum etiam eſt, vt qui vos amant, à vobis redamentur: & quibus veſter honor cordi eſt, eorum etiam exiſtimationem vos defendatis, aut ſaltẽ ab ijs quorũ intereſt, defendi ſinatis: cùm in hunc præcipuè finem datus ſit vobis à Deo gladius, vt innocẽtum non minùs dignitatẽ & famã, quàm vitã & facultates defendatis. Nũc quorſum hæc, benignè, rogo, audiatis.

Inter redeundum ex finibus Italiæ, partim ex auditis multorum ſermonibus, partim ex lectis amicorum literis: deprehendi duo præcipua calumniarum genera, poſt & propter compoſitionem illam quæ inter Paſtores & Profeſſores veſtros proximo menſe Martio facta fuit, cùm de alijs meis collegis, tum ſpeciatim de me, per Germaniam atq; Heluetiam ſparſa fuiſſe: nimirum me, & illa cauſſa, quæ biennium controuerſa fuerat, tandem cecidiſſe: & à priori, eaque recta, cùm de cœna Domini, tum de Prædeſtinatione & Perſeuerantia Sanctorum ſententia, hac in articulos nouos conſenſione receſſiſſe: ita vt quidam auſi fuerint dicere, mihi opus eſſe non noua explicatione, ſed aperta & publica retractatione. Ego verò etſi non parum dolebam has in vulgus ſpargi calumnias: confidebam tamen fore, vt ſicut multas alias voculas, ſic etiam has duas, meras fuiſſe calumnias, omnes tandem apertè cognoſcerent.

Ac quod primum calumniæ genus attinet: ago gratias Deo optimo & maximo, quòd cùm multi alij tum vos prudentiſſimi Domini mei, optimè noſtis, de mea doctrina quid doctiſſimum noſtrum Thomenſe Conſilium ſenſerit: quid multæ celeberrimæ Academiæ: piæque Eccleſiæ iudicarint: quid denique ipſi etiam compoſitores, ad vos totumque Senatum retulerint: eam nimirum neque nouam eſſe neque hæreticam. Quomodo verò tandem cecidi cauſſa: cùm de ea neque vllum vnquam habitum fuerit inter partes colloquium aut diſputatio: neque vllum factum ſit à Compoſitoribus iudicium, aut pronuntiata ſententia?

Quòd

Quòd autem nihil horum, quæ non ſolùm ſemper deſideraui, verùm etiam non ſemel poſtulaui, nimirum vt doctrina controuerſa aut Scholaſtica diſputatione diſcuteretur, aut amico colloquio explicaretur, aut ſapientum arbitrorum iudicijs definiretur, aſſequi potuerim: hoc ipſum non ita ægrè fero, vt de Dominis meis vllo modo conqueri aut velim aut poſſim. Noui enim veſtram, & totius Senatus pietatem, noui prudentiam: noui denique veſtram erga miniſterium Eccleſiaſticum reuerentiam: ita vt ſit apud me extra controuerſiam, Senatum non ſine rationabili cauſſa noluiſſe vt aut partes committerentur: aut certa ſententia de rebus controuerſis pronunciaretur.

De conuitijs in me dictis & ſcriptis, deque factis iniurijs, quòd nullam vnquam quæſierim vindictam neque priuatam, neq; publicam: non eſt, cur ideò quiſpiam me vilem, honoriſque mei neglectorem appellet: cùm hoc potiùs mihi maximæ ducam laudi, quòd exemplo cæleſtis Patris, iniurias omnes de principio propter Chriſtum condonarim. non enim iubet Apoſtolus nos eſſe imitatores mundi, ſed Dei, qui propter Chriſtum noſtra nobis peccata non imputat. Nihil igitur eſt (vt vos videtis) cur quiſpiam iactet, me cauſſa cecidiſſe, quæ nunquam fuit aut diſputata aut iudicata.

Quod autem attinet ad alterum calumniæ genus, nempe, me mea ſubſcriptione, à recta priori ſententia receſſiſſe: principiò gratias ago Deo, quòd neminem hîc latet quantum & quamdiu, nimirum verè ad extremum vſque, reſtiterim ne propoſitis articulis ſubſcriberem: idque non propterea quòd articulos illos, omnino impios eſſe iudicarem (imò non ſemel teſtatus ſum, ſi habeant æquum interpretem: nullius apertæ impietatis damnari poſſe) ſed alijs multis ijſque grauiſſimis de cauſſis: quarum non poſtrema hæc fuit, quòd metuebam ne hac mea ſubſcriptione multi pij offenderentur, non pauci imperiti in ſua imperitia confirmarentur: & alij ad me (quemadmodum iam reipſa experior) infamandum, alij ad ſimpliciores ſeducendos abuterentur. Deinde verò quòd tandem ſubſcribere non recuſarim: proteſtor, me id non feciſſe quòd vllus mihi animus fuerit, à priori, eaq; recta ſententia vel latum vnguem diſcedere: ſed tantùm ſincero pacis atque concordiæ ſtudio adductum, ſubſcripſiſſe. malui enim aliquam etiam fortè meæ exiſtimationis apud vulgus & homines malè iudicantes, iacturam facere, quàm Scholæ atque Eccleſiæ pacem communionemque ego vnus inter tot tantoſque viros, qui huius pacis atque concordiæ gratia ad ſubſcribendum acceſſerant, impedire. Ad hoc verò illa me animabant, quæ à Dominis compoſitoribus non ego ſolus, ſed alij quoque nonnulli mei collegæ non ſemel audiueramus, partem aduerſam, totam quidem de Prædeſtinatione deque Perſeuerantia doctrinam, quam poſt S. literas D. Auguſtinus, Lutherus, Bucerus tradiderunt, admittere: ita vt nihil in ea ſupereſſe diſcordiæ inter nos, iudicarent: de Cœna verò eam quam poſt concordiam Bucerus ſcriptam reliquit, minimè reijcere: nullum etiam hac ſubſcriptione, doctrinæ controuerſæ præiudicium fieri. mihi quoque licere coram omnibus proteſtari: & ſe ſemper, cùm opus foret, daturos teſtimonium meæ proteſtationi. Porrò ipſa proteſtatio quam palàm coram omnibus ad compoſitionem deputatis, alijſque multis grauiſſimis viris feci: ſatis luculenter docet, me à priori doctrina nihil receſſiſſe. fuit autem hæc. I. Me nolle vt hac mea ſubſcriptione vllum fiat alijs Eccleſijs atque Scholis ipſique veritati, præiudicium. II. Ne quidpiam derogetur doctrinæ quam ego per octennium in hac Schola docui, quæque in meis lectionibus, diſputationibus, confeſſionibus continetur. III. Poſtremò, vt mihi liceat tum hos articulos, tum Confeſſionem Auguſtanam, Apologiam, & articulos concordiæ, quorum omnium in formula illa doctrinæ mentio fit: interpretari & explicare iuxta regulam verbi Dei, doctrinam Auguſtini, Lutheri, Buceri. Hæc fuit

mea protestatio, quam etiamnum confirmo, & ratam esse volo. Postremò formula meæ subscriptionis, ánnon satis liquidò indicat, vtrùm à priori piaque sententia cùm de Prædestinatione & de Cœna Domini, tum de alijs articulis doctrinæ Christianæ discesserim, nécne? Subscriptionis formula hæc fuit: *Hanc doctrinæ formulam, vt piam agnosco, ita etiam recipio ego Hieronymus Zanchius.* Hac vsus sum subscriptionis formula, non astuta malitia aut dolo: sed tantùm vt indicarem, me non aliter formulam doctrinæ recipere, nisi quatenus ego ipse piam esse illam iudicarem. Etsi enim subscribebam Confessioni Augustanæ, Apologiæ & Articulis: non subscribebam tamen iuxta aliorum, sed iuxta meam, quam etiam veram ac piam esse censeo, interpretationem: eademque planè est hæc subscriptio (ad sensum quod attinet) cum illa qua etiam aliâs subscripsi Augustanæ Confessioni, cum hac exceptione: *Modò orthodoxè intelligatur:* id quod quiuis vel mediocriter doctus, facilè videre potest. Eò autem libentius hac subscriptionis forma vsus sum, quòd illa iudicaui, tum conscientiæ meæ satis fuisse consultum: tum omnibus pijs, si qui fortè (vt fieri in ijs rebus solet) sinistri sermones de me spargerentur in vulgus, satisfieri: tum denique calumniatoribus omnibus ora occludi facilè posse. Ac reuera contigit id quod longè antè præuideram: multos scilicet offensum iri hac mea subscriptione, multos etiam sinistros de me sparsum iri rumores. Sunt enim qui putent me contra conscientiam subscripsisse: sunt contrà, qui iudicent, me verè priorem sententiam mutasse. Etsi igitur mea subscriptio satis apertè indicat, me à priori sententia non deflexisse, ac proinde minimè etiam contra conscientiam subscripsisse: cogor tamen apertiùs eam explicare: vt si non omnibus in præsentia, vobis saltem & toti amplissimo Senatui, si qui fortè sint, qui aliquid sinistri de me sunt suspicati: quod in me est, satisfaciam: & non solùm qua conscientia & mente, sed etiam in quem sensum illam doctrinæ formulam admiserim, aperiam: ac proinde vos ipsi intelligatis, etsi quemadmodum hactenus feci, sic etiam posthac à quæstionibus inutilibus abstinere mihi animus est: doctrinam tamen aliam me non traditurum, quàm hucusque etiam tradiderim: doctrinam inquam è sacris Scripturis haustam, Patrum testimonijs confirmatam, & cum aliorum præclarissimorum nostri temporis hominum, tum beatæ memoriæ, Martini Buceri, & aliorum huius Scholæ doctorum, Commentarijs explicatam, & vestris Confessionibus consentaneam. Neque verò est cur doctrinam mutem: cùm quòd doctorum virorum iudicio, aut nouum aut hæreticum meritò appellari possit, nihil in ea adhuc sit deprehensum. Accipite igitur meæ subscriptionis explicationem.

Explicatio subscriptionis.

Hanc doctrinæ formulam, hoc est, eam de religione doctrinam, quæ in Augustana Confessione eiusque Apologia, quæve in articulis Concordiæ inter Lutherum & Bucerum: quæ denique in articulis nostrorum Compositorum de Prædestinatione traditur: *vt piam agnosco*, hoc est, quemadmodum ego illam agnosco & iudico esse piam: *Ita etiam recipio*, hoc est, ad eundem modum & sensum illam recipio, secus verò minimè. Agnosco autem & iudico ego eam esse piam, si ita intelligatur quemadmodum mox explicabo. In eum igitur sensum, & non alium, doctrinam illam recipio & admitto.

Ac primùm quidem, quod attinet ad doctrinam Augustanæ Confessionis, eiusque Apologiæ de omnibus dogmatibus, & articulorum Concordiæ inter Lutherum & Bucerum de Cœna: totam illam piam esse iudico, si isti obscuriores loci, quos

ci, quos mox subijciam, ita explicentur vt deinceps videbitis. Quod verò attinet ad partem Confessionis Augustanæ de cæremonijs, seu externis ritibus: sicut eam maiores vestri non receperunt, ita neque ego recepi aut recipio.

ARTIC. V.

Damnantur item fanatici spiritus qui fingunt, Spiritum sanctum dari, aut efficacem esse sine verbo Dei.

Si aliquis hoc dictum ita intelligat vt in vniuersum neget, cuipiam mortalium Spiritum sanctum contingere sine verbo audito: non recipio, quòd pugnet tum cum S. literis, vbi legimus nonnullos antequam audire possent verbum, fuisse in vteris etiam matrum sanctificatos: tum cum fide Christiana, qua credimus, infantes electos cùm baptizantur, non aqua solùm baptizari, sed etiam Spiritu regenerationis donari. Si quis autem intelligat dictum hoc de adultis hominibus, & ordinariè, ijs scilicet Spiritum S. non contingere, sine verbo Dei externo audito: pium agnosco, & vt pium recipio. est enim fides ordinariè, & in adultis, ex auditu: auditus autem, per verbum Christi, Rom. 10. Proinde iure damnantur qui aliter docent: præsertim verò qui docent, Spiritum S. contingere hominibus per ipsorum præparationes & opera: vt habet alia editio.

ARTIC. IX.

De baptismo docent, quòd sit necessarius ad salutem, tanquam (vt alia addit editio) *ceremonia à Deo instituta.*

Hic articulus si ita intelligatur, quasi nemo prorsus saluari queat nisi aqua baptizetur: non agnosco pium, quòd pugnet cum Sacris literis, historijsque Ecclesiasticis. Si verò intelligatur aquæ Baptismus ita necessarius esse, vt qui illum contemnit, atque reijcit, saluari nequeat: articulum hunc pium esse agnosco. Cùm enim sit ceremonia à Deo instituta, & Christus mandarit, omnes baptizandos: qui Baptismum respuit, mandatum Christi contemnit, & sciens ac volens peccat: stipendium autem peccati, mors est. Neq; aliter intelligi debet articulus iste, si de singulis hominibus sit sermo. Quòd verò ad vniuersam Ecclesiam attinet: simpliciter necessarium illum esse agnosco: cùm sine baptismo Ecclesia esse non possit.

ARTIC. X.

De Cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis Christi verè adsint & distribuantur vescentibus in Cœna Domini, & improbant secus docentes.

Item alia editio.

De Cœna Domini docent, quòd cum pane & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Christi vescentibus in Cœna Domini.

Apologia verò sic:

Decimus articulus approbatus est: in quo confitemur nos sentire ⌣, quòd in Cœna Domini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & verè exhibeantur cum illis rebus quæ videntur, pane ⌣ & vino, his qui Sacramentum accipiunt. Hanc sententiam constanter defendimus, re ⌣ diligenter inquisita & agitata. Cùm enim Paulus dicat, Panem esse participationem corporis Domini: sequeretur, panem non esse ⌣ participationem corporis, sed tantùm Spiritus Christi, si non adesset verè corpus Domini. & comperimus, non tantùm

Romanam Ecclesiam affirmare corporalem præsentiam Christi: sed idem & nunc sentire, & olim sensisse Græcam Ecclesiam: id enim testatur Canon Missæ apud illos: in quo apertè orat sacerdos, vt mutato pane ipsum corpus Christi fiat. Et Bulgarius, scriptor (vt nobis videtur) non stultus, disertè inquit, Panem non tantùm figuram esse, sed verè in carnem mutari.

Post recitatam Cyrilli sententiam, subdit:

Hæc recitauimus, non vt hic disputationem de hac re institueremus (non enim improbat hunc articulum Cæs. Maiestas) sed vt clariùs etiam perspicerent, quicunque ista legent, nos defendere receptam in tota Ecclesia sententiam, quòd in Cœna Domini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi: & verè exhibeantur cum his rebus quæ videntur, pane & vino: & loquimur de præsentia viui Christi. scimus enim quòd mors ei vltrà non dominabitur.

In articulis verò Concordiæ sic legimus.

1. *Confitentur, iuxta verba Irenæi, constare Eucharistiam duabus rebus: terrena & cæleſti. Itaque sentiunt & docent, cum pane & vino verè & substantialiter adesse & exhiberi & sumi corpus Christi & sanguinem.*

2. *Et quanquam negant fieri Transsubstantiationem, nec sentiunt fieri localem inclusionem in pane, aut durabilem coniunctionem extra vsum Sacramenti: tamen concedunt, Sacramentali vnione, panem esse corpus Christi: hoc est, sentiunt porrecto pane, simul adesse & verè exhiberi corpus Christi: nam extra vsum, cùm asseruatur in pyxide, aut ostenditur in processionibus (vt fit à Papistis) sentiunt non adesse corpus Christi. (Quomodo igitur semper vbique præsens est?)*

3. *Deinde hanc institutionem Sacramenti sentiunt valere in Ecclesia, nec pendere ex autoritate ministri aut sumentis. Quare sicut Paulus ait, etiam Indignos manducare: ita sentiunt, porrigi verè corpus & sanguinem Domini, etiam indignis, & Indignos sumere vbi seruantur verba & institutio Christi. Sed tales sumunt ad iudicium, vt Paulus ait: quia abutuntur Sacramento, cùm sine pœnitentia & sine fide eo vtantur. Ideò enim propositum est vt testetur, illis applicari beneficia Christi, & fieri eos membra Christi, & ablui sanguine Christi, qui agunt pœnitentiam & erigunt se fide in Christum.*

Duo sunt præcipua capita in verbis tum Confessionis Augustanæ, tum Apologiæ, tum articulis concordiæ inter Lutherum & Bucerum de Cœna Domini, mihi, quomodo ea probare, aut non probare possim, explicanda: Vnum est de Præsentia corporis Christi in Cœna, alterum, de Manducatione Indignorum.

Ad primum quod attinet: ego articulum Augustanæ Confessionis de præsentia corporis Christi in Cœna, quatenus à Papistis (vt refert Apologia) confirmatus fuit: nullo modo probare possum, propterea quòd articulum illum non alia de causa probarunt Papistæ, quàm quòd iudicarunt ibi statui eam corporis Christi præsentiam quam & ipsi fingunt, nempe quæ fit per mutationem substantiæ panis, in substantiam veram corporis Christi. Proinde quòd etiam Apologia probare videtur sententiam præsentis Romanæ & Græcæ Ecclesiæ de corporali præsentia Christi: Ego minimè probare possum, quòd vtraque sentiat non aliter corpus Christi esse præsens, quàm per transsubstantiationem. Quare non immeritò mentio canonis, vbi sacerdos orat vt panis fiat corpus Christi: & sententia Bulgarij quæ dicit Panem in carnem mutari: in posterioribus Apologiæ editionibus sublatæ sunt. Deinde etiam non probo neque pium esse agnosco, si quis talem præsentiam corporis Christi imaginetur, vt illud dicat sua naturali substantia, seu (vt loquuntur Scholastici) secundum suum Esse naturale, aut esse vbique diffusum atque extensum, aut è cælo

in

In locum vbi celebratur Cœna, descendere, & se pani ita vnire, vt verè localiter, inclusiuè, aut vlla alia ratione physica, in pane, sub pane, vel circa panem esse dicatur: quòd hæc crassa præsentia pugnet cum natura corporis Christi, & cum articulo fidei, *Ascendit ad cœlos*. Si quis verò verba Confessionis Augustanæ & Apologiæ de Præsentia corporis Christi in Cœna, ita interpretetur, vt sentiat corpus Christi ideò verè & substãtialiter dici adesse seu esse prẹsens in Cœna, non solùm, quia mentibus fidelium præsens est, dum ab illis verè & realiter, fide percipitur: sed etiam, quia vnà cum Symbolis, in rei veritate omnibus offertur: articulum Confessionis & Apologiæ de Præsentia corporis Christi vera & substantiali, pium esse agnosco, & vt pium recipio. Rem enim aliquam tunc dicimus esse nobis prẹsentem, cùm sese nobis aliquomodo communicandam præbet, & à nobis participatur, etiamsi non paruo loci interuallo à nobis distet: quemadmodum in Sole videre est. Cùm suprà nostrum hæmisphærium est, tum dicimus eum nobis, hoc est, sensibus nostri corporis, verè & substantialiter esse præsentem. quamobrem? quia suum verum & substantiale corpus, & per illud suum splendorem atque calorem nobis communicandum præbet, & nos reuera participes illius simus. cùm verò ad aliud hæmisphærium progressus, nobis seipsum non ampliùs communicat: tum dicimus, illum abesse & absentem esse. Et concionator dicitur præsens esse omnibus illis, à quibus videtur & auditur, tam illis qui propius, quàm illis qui magis è longinquo illum vident atque audiunt. Quibus exemplis perspicuum fit, magnum esse discrimen inter alicuius rei præsentiam aut absentiam: & inter eiusdem rei localem propinquitatem aut longinquitatem. Præsentia, est ipsa rei quæ præsens esse dicitur, communicatio, siue res illa sit propinqua loco, siue procul distet ab eo cui communicatur. Absentia, est priuatio communicationis alicuius rei, etiam si loci interuallo propinqua sit ei, cui non communicatur. Est autem extra controuersiam, verum & substantiale corpus Christi non solùm mentibus fidelium in Cœna communicari, & ab ipsis sua manu atque ore, hoc est, fide, recipi & manducari, tametsi cœlo non moueatur: verùm etiam omnibus cœna communicantibus, verè & secundum suam substantiam offerri.

In hunc igitur sensum inficiari non possum, quin corpus Christi in Cœna sit verè & substantialiter præsens. Hoc etiam modo meam de Præsentia corporis Christi sententiam coram ipsis quatuor Theologis compositoribus explicaui, eaq; recepta fuit. Tametsi igitur in caussa religionis abhorream à locutionibus & vocibus exoticis, hoc est, quæ in Scripturis non vsurpantur: propter concordiam tamen non damno has voces & locutiones, quibus tum confessio Augustana, tum ipsa Apologia vtuntur: nempe corpus Christi *verè* (vt habet confessio) *& substantialiter* (vt addit Apologia) adesse, seu præsens esse in cœna dũmodo eo quem declaraui, modo, explicetur. Sic etiam Bucerus post concordiam, cùm alibi tum in confessione de cœna, dictata in hac Schola Argentinensi anno 44. hunc Augustanæ Confessionis de Prẹsentia corporis Christi vera & substantiali, in Cœna, articulum interpretatus est.

Ac primùm non esse præsentem, quatenus eius corpus sit vbique diffusum, docet Propositio vigesima: DEFINITVM *autem corpus Domini, & non vbique diffusum, credere & fateri Scriptura præcipit, quæ verum hominem prædicat, & ascendisse supra omnes cœlos, & ita rediturum, vt ascendit.*

Deinde non esse præsentem, quatenus corpus in locum vbi celebratur cœna, è cœlo descendat, & ita se vniat pani, vt sit in pane, circa panem, sub pane: docet Propositio decima octaua: ABSVRDA, inquit Bucerus, & dissentanea fidei quæ hìc occurrunt, suggesta à ratione carnis: sic repello, Corpus & sanguinem Domini, Dominum ipsum, ita in sancta Cœna exhiberi, percipi, adesse: vt nec moueatur loco, nec includatur loco, nec distrahatur locis, nec commisceatur

aut

aut alligetur Symbolis vlla ratione huius seculi, nec attingatur sensu vel ratione: non fiat cibus ventris: non patiatur aliquid huius Mundi. Ad ipsum enim, in se, sola mens subleuata fide, pertingit. His postremis verbis docet etiam illud quod suprà dixit, Corpus Christi in Cœna præsens esse non corporibus aut sensibus nostris: sed tantùm fidelium mentibus, quòd ipsæ solæ suo ore, hoc est, fide illud percipiant.

Postremò, ideò dici verè adesse, quia & omnibus in Cœna verè comedendum offertur, & à fidelium mentibus verè percipitur: docet propositio 22. VERVM quia etiam satisfaciendum est omnibus Christianis: quod me attinet, de mea circa hoc mysterium fide, si incido in aliquem qui veretur me non satis plenè confiteri exhibitionem & præsentiam Domini in Cœna: Ego illi simpliciter expono quod sentio, VERE AC REIPSA dari ac percipi hîc, eoque verè adesse corpus & sanguinem Domini: ac verum corpus, id scilicet quod traditum est pro nobis, & verum sanguinem, nimirum qui pro peccatis nostris effusus est, si quidem ex institutione Domini, celebretur Cœna sacra, & verbis quibus sese exhibet, fides solida habeatur.

Alibi quoque eadem tradit, in Confessione anni 50. proposit. 20. *Est enim præsentia hîc Christi (siue verbo ea tantùm, siue etiam Sacramentis offeratur aut testificetur) non loci, non sensus, non rationis, non terræ: sed Spiritus, fidei, cælorum: quatenus in hos per fidem subuehimur, & collocamur cum Christo: eumq; in cœlesti sua maiestate apprehendimus & complectimur, vtcunque speculo & ænigmate verborum & Sacramentorum sensibilium, indicatum & oblatum.*

Item prop. 22. *Doceantur igitur dociles, præsentiam Christi in Cœna nullam haberi, nisi in legitimo eius vsu, & quæ fide sola tum apprehenditur, tum tenetur.*

Item prop. 33. *Desinio igitur præsentiam. quæcunque à nobis percipitur vel Sacramentis, vel ex verbo Euangelij, tantùm esse apprehensionem & fruitionem Christi Dei & hominis, vt nostri capitis regnantis in cælis, & manentis atque viuentis in nobis: quam nulla ratione huius seculi, sed fide percipimus ipsam, & fruimur oblatam verbo & Sacramentis: præsens enim dicitur secundum aliquam eius cui quis præsens dicitur, perceptionem.*

Item prop. 39. *Si quis vellet per ‿Adesse‿ Dominum realiter & substantialiter, intelligere‿, eum percipi fide‿, reipsa, & substantiam eius: darem: sin aliquid præsentiæ huius seculi vellet ijs vocibus admiscere‿, negarem: reliquit enim Dominus mundum hunc.*

Iuxta has Buceri explicationes, articulum de vera & substantiali præsentia corporis Christi in Cœna: pium agnosco, & vt pium recipio. Sum autem protestatus, me velle, vt mihi liceat Augustanam Confessionem & Apologiam, & articulos Concordiæ, interpretari iuxta regulam verbi Dei, & explicationes cùm Augustini, tum etiam Buceri.

Denique ita interpretati etiam nuper mihi esse videntur Illustrissimi Principes & Status Imperij, Numburgi, in Præfatione ad Cæsar. Maiestatem. ibi enim ad verbum sic habetur. *‿Ac ne in suspicionem apud quenquam veniamus, quòd reiecta transsubstantiatione, veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna, negemus: testamur, non esse aliam sententiam nostram, quàm quòd in Cœna Domini nostri Iesu Christi exhibeatur & sumatur verum corpus & verus sanguis Christi, iuxta verba Euangelij, Accipite comedite: hoc est corpus meum: & quòd Christus in instituto Cœnæ suæ vsu, verè viuus, realiter & substantialiter præsens sit, & cum pane & vino iuxta institutionem suam nobis Christianis suum corpus & sanguinem exhibeat.*

Notandum quod aiunt Christum præsentem esse in vsu Cœnæ à se instituto. Ergo docent, præsentiam Christi in Cœna pendere ab vsu seu à perceptione, & in

vsu

vsu, seu in ipsa perceptione positam esse: ac proinde Christum eatenus esse præsentem, quatenus eo vtimur, hoc est, illum percipimus. percipimus autem fide: hic est enim vsus Cœnæ institutus à Christo, vt scilicet cùm accedimus ad mensam, non solùm panem manu accipiamus: sed simul etiam fide vera credamus, corpus Christi traditum esse pro nobis, & sanguinem fusum in remissionem peccatorum: & illud corpus, illumque sanguinem nobis fruendum offerri & exhiberi: iuxta verba, Accipite, comedite: & hoc credentes, ipsum corpus & ipsum sanguinem Christi fide percipiamus & nobis incorporemus, nosque vicissim illi: nam qui accedunt sine vera fide ad Cœnam: non ea iuxta institutionem Christi vtuntur, sed abutuntur. Si autem est præsens in vsu Cœnæ suæ à se instituto & non in abusu: non est ijs igitur verè præsens, qui etsi ad mensam accedunt, & panem accipiunt, fide tamen vera prædíti non sunt, ideoque corpus Christi non recipiunt. Iccirco prudenter in articulis Concordiæ dicitur: *Patres illos non sentire, quòd extra vsum adsit corpus Christi.* Qui ergo Cœna abutuntur, non habent propriè corpus Christi præsens. Ac certè videntur mihi, Illustrissimi Principes illa sua explicatione ita sentire: eatenus præsens nobis esse corpus Christi in Cœna, quatenus nos Christi Cœna vtimur, non abutimur: hoc est, quatenus non tantùm panem accipimus, sed etiam iuxta institutionem Christi, corpus ipsum Christi, & sanguinem, pro nobis mortuum & effusum, fide apprehendimus & nobis applicamus. Si ita intelligant: iuxta hanc explicationem, articulum de reali, vera & substantiali præsentia corporis Christi, pium agnosco.

Ad alterum caput quod attinet: Augustana Confessio tantùm habet, quòd corpus & sanguis Christi verè cum pane & vino distribuantur vescentibus in Cœna. Hæc verba ita interpretor: quemadmodum cum verbo Euangelij verè omnibus qui illud audiunt, exhibentur à Christo inuisibiliter ea quæ verbo significantur, licet nullo loco moueatur: ita cum pane & vino in ipsa Cœnæ actione, ea quę ijs repræsentantur, corpus scilicet & sanguinem Christi, licet loco non moueantur: verè tamen à Christo ipso omnibus qui pane Cœnæ vescuntur, inuisibiliter exhiberi. Sed quemadmodum in prædicatione Euangelij, licet omnibus qui verbum audiunt, res ipsæ percipiendæ exhibeantur, non omnes tamen res ipsas percipiunt, sed illi tantùm qui vera fide verbo credunt: ita in actione Cœnæ, licet omnibus qui signa percipiunt, res per illa repræsentatæ, offerantur participandæ: non omnes tamen, sed illi tantùm, qui vera fide prædíti ad mensam accedunt, res ipsas, hoc est, corpus & sanguinem Domini percipiunt, & verè comedunt. Et iuxta hunc sensum, articulum hunc pium agnosco.

Apologia idem planè habet: corpus nimirum & sanguinem Christi, verè cùm illis rebus quæ videntur, pane & vino exhiberi *Iis qui Sacramentum accipiunt.* Non ait percipi ab ijs omnibus qui Sacramentum accipiunt: sed *Exhiberi.* Discrimen igitur facit inter Exhiberi, hoc est, offerri percipiendum, & inter Percipi.

In articulis autem concordiæ scribitur: *Etiam indignos sumere & manducare* (nempe corpus Christi) *sed tales sumere ad iudicium: quia sine pœnitentia & fide Sacramento vtantur.*

Quatuor sunt hominum genera, qui ad mensam Domini accedere possunt. Quidam sunt planè impij & infideles. Si quis igitur nomine Indignorum intelligat homines planè infideles atque impios: & hos, si ad mensam Domini accedunt, sentiat, cum pane verum etiam Christi corpus accipere & manducare: doctrinam hanc probare non possum, quòd de ijs nullo modo loquatur Apostolus, cùm ad Corinthios Christianos scribens, ait, *Qui manducat indignè: iudicium sibi manducat.* Si quis tamen hos dicat manducare corpus Domini, quatenus panis Cœnæ, quem manducant, propter vnionem Sacramentalem corpus etiam Domini

appel-

appellatur: locutionem hanc impiam esse, minimè agnosco. Sunt alij contrà planè pij & verè fideles, qui etsi labuntur nonnunquam in peccata: dolent tamen & resipiscunt, studentq; perpetuò sanctitati & innocentiæ, neque accedunt ad mensam Domini nisi & cum vera resipiscentia & conscientia probata & fide excitata, menteque attenta, hos verè accipere & manducare corpus Domini, idque ἀξίως & ad salutem: extra controuersiam est. Sunt alia duo hominum genera media. Quidam sunt, qui cùm fidem tantùm habeant vel planè mortuam, vel temporariam, etsi illa fide vtcunque videntur credere tum toti verbo Dei, tum speciatim verbis Cœnæ: verè tamen non credunt, cùm & flagitijs vel manifestis vel occultis scateant, & pœnitentiam non curent. Si quis igitur nomine indignorum hos intelligat: ac sentiat, hos sua mente & per suam illam non veram fidem corpus Christi vtcunque accipere & vtcunque manducare, hoc est, in os mentis ponere & degustare: non autem in ventriculum cordis ad salutem traijcere ac retinere, ideoque iudicium potiùs, quàm corpus Christi propriè sibi manducare: doctrinam hanc haud agnosco esse impiam: cùm & Apostolus de omnibus qui erant in deserto, scribat, omnes eandem escam spiritualem, nempe Christum (iuxta multorum interpretationem) manducasse, nimirum sua quenque fide, qui vera, eos verè & ad salutem: qui non vera, eos non verè, ideoque Sacramento tenus (vt loquitur Augustinus) & ad condemnationem manducasse. ac proinde etiamsi omnes eandem escam spiritualem, sed diuerso fidei genere manducarunt: non omnes tamen probatos fuisse Deo. Si de ijs quis velit intelligere articulum hunc, cùm dicitur in articulo concordiæ, istos sine fide vti Sacramento: intelligendum est, sine fide vera & viua. Postremò sunt qui etsi verè pij sint, veraque & viua fide præditi, crassioribusque vitiis & grauioribus sceleribus non se facilè sinant contaminari: in reliquis tamen peccatis vitandis, & Christiana vita traducenda, remissiùs agunt: & cùm in leuiora labuntur peccata, non admodum illis punguntur: proinde cùm accedunt ad mensam Domini, accedunt quidem cum fide vera, sed non satis excitata, nec satis discussa conscientia: neque satis attenta mente considerant quid illud sit quod accipiunt, & in quem finem Sacramentum illud sit institutum, nimirum non ad alendum corpus, sed ad fidem in Deum, & charitatem in proximum excitandam, conseruandam, augendam: id quod Paulus vocat *Non dijudicare seu discernere corpus Domini*, hoc est, non satis dignè æstimare dignitatem, vsum, finem illius Sacramenti, in quo corpus Domini exhibetur. Si quis igitur nomine indignorum hos fideles intelligat, sentiatque hos verè accipere & manducare verum corpus Christi, sed ad iudicium, hoc est, non ad condemnationem quidem æternam, sed ad castigationem temporariam: articulum hunc pium esse agnosco. de iis enim propriè loquebatur Apostolus, cùm dixit inter Corinthios esse, qui indignè manducent: ac proinde illos à Deo iudicari, hoc est, puniri & castigari: ne cum hoc mundo damnentur. vbi apertum facit discrimen inter κρίμα & κατάκριμα, atque inter κρίνεσθαι & κατακρίνεσθαι, cùm ait: κρινόμενοι ὑπὸ κυρίου παιδευόμεθα, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν. Et pœnarum aliquot species enumerans, quibus illos qui edebant indignè, Deus Corinthi castigauerat: nullam ponit pœnam æternam, sed tantùm temporariam, dicens, *Ideo inter vos multi imbecilli & inualidi: & dormiunt multi.* Nomine igitur indignè sumentium, Apostolus non intellexit homines planè impios aut hypocritas: nam omnes isti condemnantur cum hoc mundo: sed intellexit fideles, verùm solutioris vitæ. Proinde si de illis intelligatur articulus, cùm ait, *Hos sumere quidem & comedere corpus Domini: sed ad iudicium, quòd sine pœnitentia & sine fide vtantur Sacramento:* intelligo, non absolutè sine vlla omnino pœnitentia, & sine vlla omnino fide: sed sine actuali & digna pœnitentia, sineque actuali & satis excitata, exercitataque fide.

Sic

Sic etiam præter alios Bucerus interpretatus est hunc articulum cùm alibi, tum in Confessione anni 44. dictata in hac Schola. cùm concluſiſſet, ijs ſolis præſens esse corpus Domini, qui fidem ſolidam habeant verbis Chriſti: mox ſubdit propoſitione 23.

23 *Qui enim inſtitutum & verba Domini reijcit: is etiam exhibitionem Domini reijcit. At quia etiam ij qui verbis Domini credunt, alij Chriſtum Dominum religiosè accipiunt, alij ſecus: fit vt Sacramenta alij etiam vt Sacramenta, atque ideo Dominum ipſum percipiant dignè: alij indignè, vt Corinthij, quos Apoſtolus correptos propterea à Domino morbis & morte teſtatur.*

24 *Impiorum rationem haberi hic reijcimus: quanquam Deus admirabili ſuo iudicio nonnunquam impios etiam ad tempus fide donet, vt Chriſtum in ænigmate percipiant, & deguſtent vt Euangelium, ita etiam Sacramenta ipſa, Matth. 13. Hebr. 6. At qui prorſus nihil habent fidei: ijs verba Domini quibus ſe in Cœna exhibet, ludibrio ſunt. Vt ergo illi nihil adferunt ad hæc, quàm ſenſum & rationem, quæ adiſta myſteria non pertingunt: ita nihil quoque cernunt, nihil attingunt in hoc ænigmate & ſpeculo huius Sacramenti, præter hoc quod ſenſibus patet.*

Item in altera Confeſſione, propoſitio. 49. QVI planè impij ſunt, eos nihil Chriſti ſumere ex ſacra Cœna, dico. Qui credunt, nec tamen rectè dijudicant hunc cibum: (vt Corinthij quidam ab Apoſtolo culpantur) vt hos non poſſum negare Chriſtum fide quam habent, in Cœna percipere: ita non dixerim, eos Chriſtum manducare: poſtquam fidem non ritè hic exercent ſuam, religioſa tantorum myſteriorum dijudicatione, quæ eſt ſpiritualis cibi huius manducatio. ſimiles enim tales ſunt ijs, qui ſumtum ore cibum vel non mandunt & in ventriculum demittunt: vel demiſſum in ventriculum, non concoquunt, aut mox vel paulò pòſt reijciunt.

Neque aliter Illuſtriſſimi Principes mihi explicare videntur articulum hunc in Præfatione ad Cæſa. Maieſtatem: ſic enim ſcribunt: *Et quod Chriſtus cum pane & vino iuxta inſtitutionem ſuam nobis Chriſtianis ſuum corpus & ſanguinem exhibeat.* Non aiunt omnibus, etiam planè impijs: ſed *Nobis Chriſtianis corpus Chriſti exhiberi.* Quatenus igitur Chriſtiani ſumus: verè exhibetur, & nos verè percipimus ac manducamus: ſi non veri, neque verè (hoc eſt efficaciter) aut ille exhibet, aut nos recipimus. Iuxta hos ſenſus, etiam ab indignis corpus Chriſti ſumi & manducari, agnoſco piam eſſe Doctrinam.

Quia verò nulla mentio fit vel in Confeſſione, vel in Apologia, vel in articulis Concordiæ, Oralis (vt quidam vocant) manducationis: iccircò neque ego illam admitto. Si quis tamen propter Patres qui aliquando his locutionibus vſi ſunt, dicat verum corpus Chriſti manibus tangi, & ore etiam corporis manducari: & explicet id dici propter vnionem Sacramentalem, qua fit, vt, quod propriè conuenit pani, attribuatur etiam impropriè corpori Chriſti: (ſicut etiam per communicationem *ἰδιωμάτων*, dicimus, Deum eſſe paſſum) cum hoc non ego contendero, neque talem locutionem vt planè impiam damnauero, modò (vt dixi) addat explicationem. Iuxta hanc meam explicationem, doctrinam de Cœna quæ tam in Confeſſione Auguſtana, & Apologia, quàm in articulis Concordiæ habetur: piam eſſe agnoſco, & vt talem recepi, atque recipio.

ARTIC. XI.

Damnant etiam Anabaptiſtas, qui negant, ſemel iuſtificatos iterum poſſe amittere Spiritum ſanctum.

Hic articulus, si de Electis, vereque iustificatis, deque totali (vt ita loquar) Spiritus regenerationis amissione intelligatur: doctrinam hãc admittere non possum, quòd pugnet cum S. literis, Patribus etiam, Luthero, Bucero, & alijs nostri seculi doctissimis viris, quemadmodum satis copiosè atque perspicuè in mea Confessione vobis exhibita, demonstraui. Si verò intelligatur de Electis quidem & verè iustificatis, & de amissione Spiritus, sed non totali: non improbo: sum enim ingenuè in mea Confessione fassus, in Electis verè iustificatis, cùm peccant ex aliquo consensu, langueſcere & labefactari fidem, & alia dona Spiritus sancti: quanquam nunquam penitus ea deficiat, aut prorsus extinguatur. Si autẽ de Reprobis ac temporarijs, qui & ipsi ob temporariam fidem iustificati esse dicuntur, sermo hîc fiat: doctrinam hanc simpliciter admitto, eos scilicet tandem omnem, etiam quam videntur habere fidem, penitus amittere, iuxta illud: *Ei qui non habet, etiam id quod videtur habere: auferetur.*

ARTIC. XII.

De confessione peccatorum docent, quòd absolutio priuata in Ecclesiis retinenda sit.

Hunc articulum sicut non damno: sic neque simpliciter probo. Improbo verò si quis sentiat necessarium esse, vt in Ecclesijs omnibus retineatur priuata absolutio.

ARTIC. XX.

Quod ibi scribitur *Promissiones gratiæ esse vniuersales:* si intelligatur quo ad prædicationem, quòd scilicet omnibus prædicentur & prædicandæ sint, & nemo per verbum Dei à promissionibus excludatur, imò quòd quisque illas fide amplecti iubeatur: doctrinam hanc, vt piam recipio. Si verò quis ita intelligat, Promissiones esse vniuersales quo ad propositum Dei, & quo ad illarum complementum: non accipio, quòd pugnet cum verbo Dei. Apostolus enim docet in Epistola ad Roman. non omnes esse filios promissionis, neque omnes vocari secundum propositum Dei: sed tantùm Electos: neque omnium esse fidem, sed tantùm Electorum. Non igitur complementum promissionis ad omnes: sed tantùm ad fideles pertinet. Fides autem vera datur à Deo gratis, Electis tantùm. Quare ad Electos tantùm pertinent promissiones.

Quod ibi etiam scribitur de *Peccato mortali*, & alibi sæpiùs ea vox repetitur: etsi non libenter vtor hac Scholastica voce, propterea quòd omnia peccata suapte natura sunt mortalia, hoc est, adferunt mortem, pijs autem omnia sunt venialia propter fidem in Christum, qua præditi sunt, quia non imputantur illis ad condemnationem: tamen non damno simpliciter hanc vocem: sed ad eius vocis vsum adstringi nolo.

Quod etiam ibi in capite De bonis operibus, habetur: *Qui non repugnant vitiosis affectibus: sed obtemperant eis contra mandatum Dei, & admittunt actiones contra ipsam conscientiam: ij sunt iniusti, & neque Spiritum sanctum: neque fidem, id est, fiduciam misericordiæ retinent. Nam in ijs qui delectantur peccatis, nec agunt pœnitentiam: ne potest quidem fiducia existere quæ quærat remissionem peccatorum.* Hoc dictum si quis fortè interpretetur de Electis & verè iustificatis, veraque & iustificante fide præditis, idque asseueranter, quasi id quod hîc scribitur, ipsi quoque Electi admittant, ideoque penitus fidem amittant: non agnosco pium esse dictum: quòd Electi verè iustificati semper aliquo modo repugnant affectibus vitiosis, neque delectantur peccatis, semperque cùm labuntur, labuntur per infirmitatem: & mox etiam post lapsum, dolent se esse lapsos, & resurgunt, agunt-

guntque pœnitentiam: proinde non amittunt penitus fidem, propter huiuscemodi lapsus & peccata ex infirmitate admissa.

Si verò de non electis, neque verè iustificatis, quique non habent veram & iustificantem fidem, intelligatur: vt piè dictum recipio, quanquam admitto etiam, in verè pijs, cùm peccatum ex aliquo consensu, licet per infirmitatem admittunt (vt Petro contigit, cùm volens negauit Christum) etsi fides non penitus deficiat: illam tamen mirum in modum languefieri. Est autem de omnibus piè dictum, si conditionaliter accipiatur, sicut reuera accipiendum est.

Hæc in parte Augustanæ Confessionis prima, quę est de dogmatibus & doctrina fidei. Quod in epilogo primi exemplaris, editi anno 31. continetur, *Nihil esse doctrinæ apud nos, quod discrepet ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est: sed dissensionem esse de quibusdam abusibus:* non recipio. Est enim dissensio de multis præcipuis capitibus Christianæ religionis.

Quod attinet ad ipsam Apologiam: præter ea quæ suprà notauimus in articulo de Cœna, in articulo etiam de iustificatione, in responsione ad argumenta aduersariorum cum explicatur locus Pauli, *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam*, ita legitur, *Quare si quis dilectionem abiecerit, etiamsi habet magnam fidem: tamen non retinet eam: non enim retinet Spiritum sanctum:* si affirmatiuè de fide temporaria & de ijs qui eam habent, intelligatur dictum illud: vt pium agnosco ac recipio: secus, si de vera & iustificante fide. Qui enim hanc habent, non abijciunt prorsus dilectionem, ideoque nec fidem. Conditionaliter tamen verum est dictum illud in omnibus.

ARTIC. IX.

Nonus articulus approbatus est, in quo confitemur, quòd Baptismus sit necessarius ad salutem.

Quia idem articulus est in ipsa Augustana Confessione: ita hìc sicut & illìc interpretor.

Neque verò pertinet promissio salutis ad illos qui sunt extra Ecclesiam Christi, vbi nec verbum, nec Sacramenta sunt: quia regnum Christi tantùm cum verbo & Sacramentis est.

Si quis articulum hunc ita intelligat, quasi promissio salutis nullo modo pertineat ad eos, qui licet sint è numero electorum, tamen baptizati non sunt, neque verbum audierunt: doctrinam hanc non recipio. pertinet enim promissio ad Electos omnes: vnde & filij promissionis appellantur, Rom. 11.

Si verò ita, vt dicamus, pertinere quidem ad Electos in ipsa electione, sed nondum reipsa, seu nondum ipsa promissionis consecutione: admitto.

Item quod ait, *Regnum Christi cum verbo & Sacramentis tantùm esse*: si ita intelligatur, vt nullo modo ad regnum Christi pertineant Electi, qui nondum verbum audierunt, nec Sacramenta perceperunt: non agnosco doctrinam hanc vt piam. Sed si ita, vt de promissione salutis etiam dixi: admitto.

De confessione & absolutione.

Quare impium esset, ex Ecclesia priuatam absolutionem tollere. Neque quid sit remissio peccatorum aut potestas clauium, intelligunt, si qui priuatam absolutionem aspernentur.

Si quis hæc verba ita accipiat, vt sentiat illas Ecclesias quæ priuatam absolutionem in templis non retinent, impiè agere: non subscribo. neque enim assentior, necessarium esse vt talis priuata absolutio in Ecclesijs habeatur aut retineatur. Si quis verò ita intelligat, non eam esse omnino damnandam, aut ex Ecclesijs vbi iam obtinet, tollendam: sententiam hanc minimè improbo.

De Missa.

Initiò hoc iterum præfandum est, nos non abolere Missam, sed religiosè retinere ac defendere.

Quia (sicut initiò etiam ego præfatus sum) in eam partem Augustanę Confessionis & Apologiæ, quæ est de Ceremonijs, non consensi prorsus: iccircò hic articulus de Missa nihil ad me pertinet.

De vocabulis Missæ.

Scimus veteres loqui de oratione pro mortuis: quam nos non prohibemus.

Ego orationes pro mortuis, simpliciter probare non possum, quòd nullum testimonium aut exemplum in Scripturis habeam: præsertim si vocem orationis propriè accipias, non autem pro gratiarum actione.

Consensus inter Theologos & Professores in Ecclesia & Schola Argentinensi: factus anno Domini M. D. LXIII. die XIIX. Martij.

Duo sunt præcipuè capita controuersiæ inter Pastores Ecclesiæ, & Professores Scholæ Argentoratensis exortæ: alterum de Cœna Domini, alterum de Præscientia & Prædestinatione Dei.

Quod ad Cœnam Domini attinet: pius consensus constitutus est, vt pariter in Schola & in Ecclesia conformiter alijs pijs Ecclesijs & verbo Dei, iuxta Augustanam Confessionem anno 1530 Imperatori Carolo V. à Principibus & alijs quibusdam Imperij Rom. ciuitatibus exhibitam, & adiunctam Apologiam, Numburgi ab Electoribus & Principibus Imperij denuò subscriptam, doceatur. Eáque sit norma & regula totius doctrinæ non tam de Cœna Domini, quàm & reliquis articulis omnibus, ex verbo Dei sincero & incorrupto, in Scholis & Ecclesijs docendi.

Ad tollendam verò de sententia commemoratæ Confessionis in negotio Cœnæ dissensionem: cùm vtraque pars veram & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi credat & confiteatur, quæ cum pane & vino exhibentur, & in Cœna vescentibus distribuuntur: ne diuersitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat: placuit vt formulam Concordiæ inter Martinum Lutherum, & Martinum Bucerum piæ memoriæ, Saxonicarum & superioris Germaniæ Ecclesiarum ministros initam, omnes in docendo sequantur.

Quod initiò huius consensus habetur, vt Augustana Confessio sit norma & regula totius doctrinæ: intelligo vt sit norma totius doctrinæ de Articulis qui ibi explicantur, & Carolo V. Imperatori fuerunt propositi: ne scilicet aliquid diuersum ab illis rectè intellectis doceatur. Ceterùm hîc non prohibetur quin ipsa sacra Scriptura, sicut in se est, sic nobis debeat esse sola regula totius Christianæ doctrinæ de omnibus articulis, qui in Ecclesia & Schola Christi proponi debent. Eodem modo intelligo id quod ibi sequitur: formulam scilicet de Cœna docendi eam sequendam esse, quæ fuit facta inter Martinum Lutherum & Martinum Bucerum. Hoc ita intelligo, vt (quo ad eius fieri potest) ijs vtamur locutionibus: sed in eum sensum, quem exposui, intellectis & explicatis. Neque aliter interpretor eam, quæ de Prædestinatione formula sequitur: vt videlicet secundùm illam iuxta sacras Literas explicatam, pariter in Schola & Ecclesia doceatur. Sic autem ego illam piam esse iudico, si ita explicetur quemadmodum sequitur.

De præscientia & de prædestinatione Dei, secundum formulam sequentem pariter in Schola & Ecclesia doceatur.

De Prædestinatione.

I. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Rom. 15.

Hic est vnus finis cùm conditarum rerum omnium, tum reuelatarum Scripturarum: salus scilicet Electorum: sed alter, isque precipuus, est gloria Dei, quemadmodum Paulus alibi docet. Proinde in primis semper tum cùm docemus, tum cùm scribimus, tum cùm aliquid aliud agimus: quærenda est gloria Dei: secundo verò loco, salus Electorum: etiamsi inde reprobi maiorem sumant sibi occasionem sese perdendi. Neque enim doctrina, qua gloria Dei illustratur, ideo dissimulanda est, quia illa reprobi magis atque magis indurantur & pereunt: cùm etiam ipsorum perditio ad Dei gloriam faciat. Neque aliter docuit Paulus. Quanquam hoc etiam verissimum est: nihil in Scripturis de Reprobis dici, quod sicut ad gloriam Dei, sic etiam ad salutem Electorum non faciat: vt etiam Rom. 11. patet. Quare verum est simpliciter: *Quæcunque scripta sunt: ad nostram, nostrùm scilicet Electorum, doctrinam scripta esse.*

II. Omnis igitur docendi ratio cùm in Schola, tum in Ecclesia ita instituenda est, ne aut cum doctrina pœnitentiæ pugnare, aut conscientijs afflictis consolationem & spem suam adimere videamur.

Doctrina sacrarum Literarum, sicut de reliquis articulis: ita etiam reuera de Prædestinatione Sanctorum, & Impiorum reprobatione: minimè pugnat cum pœnitentia: nec afflictis conscientijs veram adimit consolationem. imò maximè & illam confirmat, & hanc affert. Est igitur tota S. literarum doctrina ita tradenda atq; explicanda, sicut etiam est à Spiritu sancto tradita in sacris Biblijs, vtut reprobi ea offendantur. quia semper electis prodest. Quantum verò nobis salua doctrinæ veritate licet: semper ita sermo instituendus est, vt hic articulus docet.

III. Constat autem ex verbo Domini, æternam Dei esse præscientiam: qua res omnes præsentes habeat. coram ipso enim nihil præteryit aut futurum est. Ita est.

IV. Sic quoque est æterna Dei Prædestinatio, quæ ad Electos pertinet: facta priùs quàm mundi fundamenta iacerentur. Rom. 9. Ephes. 1.

PRAEDESTINATIO propriè de Electis dicitur: sed quin etiam æterna reproborum ad suum finem destinatio, Prædestinatio dici possit: articulus non negat, cùm Augustinus & alij post illum Patres in hunc sensum ea voce sæpenumerò vtantur.

V. Hæc autem cùm sit abyssus, & extra Christum considerata in præcipitium inferni ducat: non nisi in Christo quærenda est, sicut scriptum est: Elegit nos in Christo, priùs quàm mundi fundamenta iacerentur. Ephes. 1.

Hoc ita certum est, vt qui vnquam id negauerit, sciam inter Christianos neminem.

VI. Eo igitur modo quærenda est, quo nobis à Christo reuelata est.

Hoc etiam est ita perspicuum, vt id negare nemo possit.

VII. Est autem in verbo Euangelij reuelatum æternum Dei decretum, Sicuti vniuersum humanum genus per peccatum in iram Dei & indignationem incurrit: ita quotquot in Christum Filium Dei & hominis pro peccatis totius mundi passum credunt, gratiam Dei & vitam æternam consequantur.

Hìc non definitur illud æternum Dei decretum de certis hominibus in Christo saluandis, quod Prædestinationem appellamus, & de quo Rom. 8. Ephes. 1. & alibi (in illo enim ipsa quoque fides, & quidquid ad salutem pertinet, continetur) sed

explicatur decretum de modo quo voluit & vult Deus vt Euangelium prædicetur: & sic docuit Christus atque Apostoli, & inter alios Paulus prioribus quinque capitibus ad Romanos: de decreto verò quod est Prædestinatio, cap. 8. 9. 11.

IIX. Promissiones igitur cùm sint vniuersales, quibus Deus hanc gratiam suam offert: ideo nemo seipsum excludat: sed cùm pariter omnes peccauerimus, omnes ex æquo salutem oblatam apprehendamus.

Vniuersales sunt promissiones: quia vniuersis hominibus ex æquo proponuntur & proponendæ sunt. Ideo autem vniuersaliter proponuntur & proponendæ sunt, vt vniuersi fide illas recipiant: & quidem illas fide amplecti vniuersi & singuli homines iubentur. Si quis igitur se ab istis, quasi ad se non pertineant, excludat: suo id facit vitio & peccat. Non negat tamen articulus quin ad solos electos reuera pertineant promissiones de æterna vita: quia ipsi soli reipsa eas fide à Deo donati, tanquam ad se pertinentes recipiunt: vt Paulus docet ad Rom.

IX. Verissima & summa afflictarum conscientiarum consolatio, eaq; vnica, in ijs promissionibus comprehensa est: Viuo ego, nolo mortem peccatoris. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Ezech. 18. Et Christus: venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Matth. 11.

Vnica appellatur consolatio: quia in hoc summa Euangelij posita est: quòd Deus in verbo reuelato nolit mortem peccatoris (qui se agnoscit peccasse, & cupit salutem) sed magis vt conuertatur, nempe ad Christum: & viuat, nimirum per Christum. Non negat autem articulus quin Deus velit mortem etiam peccatorum, eorum qui vel se nunquam agnoscunt peccatores: vel, si aliquomodo agnoscant, non sitiunt tamen salutem, ideoque nec conuertuntur ad Christum. Soli autem electi conuertuntur: & quidem Dei gratia: soli reprobi non conuertuntur: & quidem suo vitio. Deus autem ab æterno vtrunque præuidit. Non negat igitur Articulus, Deum ab æterno electorum tantùm voluisse salutem: impiorum verò iustum interitum.

X. Fides autem qua oblatam Dei hanc gratiam vniuersaliter omnibus promissam accipimus: gratuitum Dei donum est, mera Dei misericordia, nullo operum nostrorum respectu data: sicut scriptum est, Vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis: sed etiam vt pro illo patiamini. Philip. 3.

Quidquid autem nunc dat Deus vel non dat: ante mundi constitutionem se daturum vel non daturum præsciuit ac præfiniuit. Deum igitur ante mundi constitutionem, constituisse, fidem dare quibusdam, hoc est, illis quibus dat, & quibusdam non dare, illis nimirum quibus non dat: negari minimè potest. Quare iste articulus statuit certum numerum Electorum, quibus donanda erat fides, & per fidem vita æterna: & certum numerum reproborum, quibus fides non erat donanda, ideoq; nec vita æterna.

XI. Quòd autem hæc gratia, siue hoc donum fidei non omnibus à Deo datur, cùm omnes ad se vocet, & quidem pro sua bonitate seriò vocet, Venite ad nuptias, omnia parata sunt: arcanum est soli Deo notum, nulla ratione humana peruestigabile: mysterium tremendum & adorandum: sicut scriptum est, O altitudo diuitiarum, Rom. 11. Et Christus gratias agit Deo Patri, quòd hæc abscondiderit à sapientibus, & reuelarit paruulis. Matth. 11.

Duo hîc sunt explicanda: Et quòd Deus omnes seriò vocet: Et quòd causa, cur Deus, cùm omnes vocet, non omnibus tamen dat fidem, arcana sit & soli Deo nota. Ad primum quod attinet: quanquam illud *Serio* in Scripturis non inuenio: non tamen damno, sed intelligo (sicut intelligendum est) quo ad voluntatem reuelatam: quatenus scilicet externa Euangelij prædicatione ita omnes ad se vocat Deus, vt neminem excludat, neminique illudat: quasi verò aliquem vocet quem posteà, si vocanti assentiatur, nolit ad se atque in gratiam suam recipere. Ceterùm quoad arca-

arcanam voluntatem: non omnes eodem proposito & in eundem finem à Deo vocari, negari non potest, nisi quis velit contra Apostolum negare, quosdam & non omnes vocari secundum propositum. cùm enim ait Apostolus Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti: duplicem esse docet Dei vocationem, vnam secùndum propositum, & hac vocari electos: alteram non secundùm propositum, & hac vocari etiam reprobos: & illos quidem, vt salui fiant, hos verò, vt reddantur inexcusabiles, cùm & ipsi ita externa prędicatione vocentur, vt si vocanti non assentiantur & ita non seruentur, id suo ipsorum planè fiat vitio.

Quod verò ad alterum attinet: illud intelligo de remota & vltima causa. nam quo ad causam proximam & immediatam: ea manifesta est in Scripturis: nempe ideò, licet omnes vocantur, non omnibus tamen donari fidem, quia non omnes sunt electi, neq; omnes sunt ex Deo. *Multi enim sunt vocati, at pauci electi. &, Qui ex Deo est, verbum Dei audit. Propterea vos non auditis: quia ex Deo non estis. Item, Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.*

Ceterùm quia specialis causa, cur hos elegerit, & illos non elegerit, soli Deo nota est: cur autem detur alicui fides, & alicui non detur, id pendet ab electione: Iccircò articulus ait, Causa cur donum fidei non omnibus detur à Deo, cùm tamen omnes vocentur: arcanam nobis esse, soli verò Deo notam, & mysterium tremendum. Et in hunc sensum, dictum illud pium agnosco, & vt pium recipio.

XII. Interim afflictæ conscientiæ in voluntatem Dei in Christo reuelatam respiciant, qui omnes peccatores ad se vocat.

Hoc certè officium est nostrum: vt, cùm vocamur, minimè quænam de nobis sit voluntas Dei arcana, inuestigemus: sed in voluntatem reuelatam intenti, vocationem sequamur, certi ac persuasi, nos seriò, hoc est, secundùm propositum, & sine vlla illusione ad salutis in Christo communionem vocari: alioquin iniuriam Deo insignem fecerimus ni ita credamus.

XIII. Neque verò propterea dicendus est Deus velle peccatum: dum peccatorum voluntatem & viam non semper impedit, sed permittit eos in peccatis perseuerare. Verè enim Deus odit peccatum: cuius autor est diabolus: qui in veritate non permansit. Ioan. 8.

Illud *velle* pro approbare, & de voluntate reuelata intelligendum esse: docet ratio quæ subditur: *Verè enim Deus odit peccatum.*

Ceterùm peccatum contingere contrà absolutam Dei voluntatem, quasi inuito Deo aliquid fiat: articulus non docet: imò contrariam veramque sententiam confirmat, cùm ait, *Deum peccatorum voluntatem & viam non semper impedire.* non impedit igitur, quia nō vult impedire. ac proinde nihil fit contra omnipotentissimam eius voluntatem: licet multa fiant contra illam Dei voluntatem, quæ nobis semper in omnibus actionibus spectanda est atque sequenda.

XIV. Deus autem horribiliter peccato irascitur, prohibet, & iram suam omnibus transgressoribus Legis suæ minatur. Non es Deus volens iniquitatem. Odisti omnes qui iniquitatem operantur. Psal. 5.

Hoc est certissimum. proinde semper cauendum est ne peccemus. & ad hoc studium vocant nos omnes Scripturæ. *Hæc scribo vobis* (inquit Ioannes) *vt ne peccetis.*

XV. Ea autem est Dei bonitas: vt malo quod permittit, bene & ad nominis sui gloriam vti possit: sicut scriptum est: In hoc excitaui te: vt ostendam in te virtutem meam: & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Rom. 9. Exod. 9. Item quando peccatum peccato punit. Rom. 1.

Duo hic tradit articulus. I. quòd Deus mala permittat. II. Quòd illis bene vti possit pro sua bonitate. Quod primum attinet: intelligo, Deum non ita permittere mala quasi otiosus tantùm sit spectator eorum quæ fiunt: sed ita permitte-

re, vt ipſe ſua omnipotente manu omnia in omnibus operetur: vt Scriptura docet: non quidem quatenus mala, hoc eſt, peccata ſunt, ſed quatenus actiones quædam ſunt, & pœnæ aliorum peccatorum: hominibus, bonas Dei in ſe actiones, ſua malitia contaminantibus, & in peccata ſibi vertentibus. Et ſic eſſe intelligendum hunc articulum: docet tum locus Pauli de Pharaone: tum illud dictum, Quòd Deus puniat peccata peccatis.

Quod ad alterum: intelligo, Deum ita poſſe vti malis ad ſuam gloriam, vt reipſa ſemper vtatur. Quare non loquitur articulus de potentia Dei otioſa, ſed de potentia actiua, hoc eſt, qua reipſa agit & moderatur omnia.

XVI. Neque verò peruersè quis colligat inde, ſeſe vas iræ eſſe à Deo ad interitum formatum & præparatum, qui deceptus à Sathana & carne ſua ſeſe multis peccatis polluit: quin potiùs illud Apoſtoli conſideret, Si quis emundarit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile domino, ad omne opus bonum paratum. 2. Timoth. 2.

Hunc articulum ita intelligo, & ita intellectum probo: quòd nemo, etiamſi videat ſe labi in peccata, debeat exiſtimare ſe eſſe vas iræ aptatum ad interitum, & ideo peccare, quaſi ſit tale vas: hæc enim opinio & impia eſt & perniciosa: Impia, quia è Scripturis, quæ ſolæ ſunt ſpectandæ, nemo colligere poteſt, ſe eſſe vas iræ aptatum ad interitum: proinde qui ita cogitat, peccat in verbum Dei. Perniciosa, quia & licentiam & deſperationem adfert, ideoque ad interitum ducit. Sed contrà debet quiſque ſibi perſuadere, ſe eſſe prædeſtinatum vt ſit vas in honorem: ac proinde pro viribus conari ne ſe peccatis polluat, ſed totus in hoc incumbat, vt imaginem Dei perditam, quæ poſita eſt in iuſtitia & ſanctitate vera, recuperet: atq; hac ratione debet tum ſibi tum alijs apertè declarare, ſe vas eſſe honoris & non contumeliæ. Eſt igitur cuique vitanda dubitatio de ſui electione, multò magis pernicioſa & impia opinio quòd ſit ex numero reprobatorum.

XVII. Nec ſibi quiſque propter electionis gratiam, quam in ſe ipſo ſenſerit, ita adblandiatur, vt in peccata & ſcelera contra conſcientiam ruat: ſed Apoſtoli admonitiones ſemper ob oculos poſitas habeat: Si ſecundum carnem vixeritis: moriemini. & iterum, Nolite errare: Neque ſcortatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt. 1. Corinth. 6. Gal. 5. Huc eiuſdem Apoſtoli dictum pertinet. Qui exiſtimat, ſe ſtare, videat ne cadat. 1. Corinth. 10. Et iterum, Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore vt obediatis concupiſcentijs eius. Rom. 6.

Hic articulus prudenter ſuperiori fuit annexus. ſicut enim abigenda eſt impia dubitatio de ſui electione: ita etiam vitanda eſt pernicioſa carnis ſecuritas: quam ſecuritatem noſtræ carnis ingenium (quod rebus omnibus bonis in Spiritus perniciem, quo ad eius poteſt, abuti ſolet) concipit nonnunquam ex pia cogitatione, de noſtri electione ac ſalute. Eſt igitur cum certitudine noſtræ ſalutis & electionis coniungendus timor de nobis ipſis: & in arcem ſecuritatis Spiritus, vbi tuti in promiſſionibus Dei conquieſcimus, præcludendus eſt aditus ſecuritati carnis, quæ nos in omne genus flagitia noſtrapte natura nimium propenſos, præcipitare nonnunquam ſolet. Articulus igitur iſte, etiamſi prohibeat ſecuritatem carnis: non damnat tamen ſecuritatem Spiritus & fidei. Atque hoc modo doctrinam hanc vt piam, agnoſco atque recipio.

XIIX. Qui enim concupiſcentijs obediunt: fidem, quæ fiducia eſt in miſericordiam Dei per Chriſtum & in Chriſto promiſſam, excutiunt, & Spiritum ſanctum amittunt: ac tam diu ſub tyrannide peccati ſunt, donec pœnitentiam agant, & per Spiritum Chriſti iterum erigantur.

In priori exemplo, quod mihi fuerat legendum, antequam ſubſcriberetur, exhibitum: ita habebat ad verbum, vti hîc eſt deſcriptum: proinde cùm etiam reprobi

probi multi fide quadam donentur simili admodum fidei Electorum, articulum hunc tam de Electis, quàm de Reprobis intelligebam. Si igitur hæc propositio tam de Electis, quàm de Reprobis conditionaliter intelligatur: sicut reuera conditionalis est: simpliciter verissima est atque certissima, nimirum, quòd si quis (quisquis ille sit, siue elèctus, siue reprobus) verè & iuxta propriam verbi significationem, obedit concupiscentijs, hoc est, ex animo, destinataque malitia peccat: amittit fidem; & Spiritum sanctum, à quo sanctificabatur, penitus excutit: idque propterea quòd fides cum huiusmodi flagitijs nullo modo consistere potest. Cetertùm non hinc consequitur, sicut reprobi temporarij huiusmodi scelera admittunt: ita electos eadem quoque admittere. Si verò asseueranter intelligatur, posse nimirum tam Electos quàm reprobos concupiscentijs obedire, fidem amittere, & Spiritum sanctum excutere: veram quidem esse affirmo: sed non eodem modo de vnis, quo de alteris intelligendam esse dico: cùm magnum discrimen sit, primùm inter fidem qua Electi, & inter eam qua reprobi à Deo donantur: deinde discrimen cùm sit inter peccata in quæ labuntur Electi: & inter illa quæ admittunt reprobi: seu inter illorum, & istorum obedientiam, qua dicuntur obedire concupiscentijs: ac proinde postremò, maxima cùm sit differentia inter illam amissionem qua Electi, & inter illam qua reprobi dicuntur amittere fidem & Spiritum sanctum. Ac primùm quidem fides Electorum, est vera & viua, ideoque & perpetua: Reproborum verò etiamsi nonnunquam similis admodum fidei Electorum esse videatur, temporaria tamen est (vt in Euangelio docet Christus) ideoque nec vera nec viua. Et Electi donantur Spiritu verè regenerante: reprobi verò primitijs quibusdam huius Spiritus: sed nunquam verè & perfectè regenerantis.

Deinde impij reprobi verè obediunt concupiscentijs peccati in se regnantis: quia illud amant, illi sine vlla contradictione obtemperant, eoque planè delectantur, vt ideò cupiãt æternùm viuere (vt ait D. Gregorius) quo possint sine fine peccare, seu peccato in æternum seruire: Electi verò etiamsi nonnunquam admittant ea ad quæ à peccato inhabitante impelluntur, idque ex aliquo consensu: minimè tamen propriè peccati concupiscentijs obedire dici possunt. peccatum enim non amant, sed odio habent, illique semper repugnant Spiritu: atque ita repugnant, vt perpetuum sit eis bellum cum peccato, vt Paulus docet, perpetuam esse pugnam in pijs inter carnem vbi inhabitat peccatum, & inter Spiritum vbi inhabitat Spiritus Christi & regnat. Proinde verbum illud *Obedire concupiscentijs*, cùm ad electos transfertur: καταχρηστικῶς intelligendum est: peccato enim obediunt vt tyranno, non vt regi, ideoque partim volentes, partim nolentes obediunt. Postremò Electi nunquam penitus amittunt fidem, hoc est, illam vim à Spiritu sancto infusam, qua tum toti verbo Dei, tum speciatim Euangelio Christi credunt, eoque fiduciam de certa peccatorum propter Christum remissione, concipiunt: non amittunt inquam penitus: quòd Deus in illis perpetuò semen fidei conseruet: tum propter promissiones suas hac de re factas, tum propter precationem Christi: amittunt autẽ ex parte nonnunquam: nempe cùm actu peccant: præsertim ex consensu, licet non pleno. quomodo? quatenus per consensum, in peccatum, cùm ille actus fidei seu fides actualis, quæ fiducia est de remissione peccatorum omnium, planè è mente expellitur & euanescit. tum ipsa virtus fidei concutitur & languescit, atque infirmatur: quemadmodum cùm à terræ motu & fulmine, tum tectum domus decidit, tum fundamentum concutitur & debilitatur. Reprobi verò omnem penitus fidem illam quam habent, temporariam, amittunt: iuxta illud, *Et qui non habet, etiam id quod videtur habere, auferetur*. Quatenus igitur articulus iste de reprobis intelligitur: nomine fidei & fiduciæ intelligo fidem & fiduciam temporariam: ideoque non veram. Nomine verò Obedientiæ: intelligo propriè obedientiam illam, qua ex animo & tota

volunta-

voluntate concupiſcentijs peccati tanquam mandatis proprij & amati regis ſine vlla repugnantia obtemperatur: ac proinde etiam nomine Amiſſionis fidei, intelligo totalem totius fidei amiſſionem. Atq; iuxta hunc ſenſum piam eſſe propoſitionem, ſicut ſemper docui, ita etiam nunc fateor.

Quatenus verò de Electis intelligi poteſt: piam eſſe agnoſco iuxta hunc ſenſum, quòd cùm peccant, præſertim ex conſenſu, fidem, hoc eſt, actualem (vt explicat articulus) fiduciam amittant, cùm actus peccati ex conſenſu admiſſi, conſiſtere nequeat cum actuali fiducia de remiſſione peccatorum: fidei autem vim non penitus quidem amittant, ſed tamen ita concutiant & labefactent, vt nonnunquam penitus extincta ferè eſſe videatur, hæc verò denuo excitatur ad nouum fiduciæ actum noua verbi prædicatione, & Sacramentorum adminiſtratione, alijſque medijs, quibus vtitur Deus ad excitandam in cordibus Electorum fidem. Atque iuxta hunc ſenſum propoſitionem hanc, etiam cùm de Electis intelligitur, piam eſſe, vt ſemper noui, ita etiam nunc agnoſco, & vt piam recipio.

Quia verò primo exemplari horum articulorum poſtea additæ fuere hæ duæ voces, *viua & vera* (id quod, cùm ad ſubſcriptionem accederetur, me prorſus latebat) & ita legitur, *Fidem quæ eſt fiducia viua & vera amittunt:* in ſolis autem Electis vera & viua poteſt eſſe fides: iccirco de Electis tantùm, hunc articulum video eſſe intelligendum. Quomodo autem ſi de Electis intelligatur, agnoſcam illum eſſe pium: iam antè explicatum eſt: primùm quidem, ſi conditionaliter intelligatur: deinde ſi etiam ſine conditione, quatenus Electi propter actualem conſenſum in peccatum tum actualem fiduciam de remiſſione peccatorum planè excutiunt: tum ipſam fidei virtutem, etſi non penitus amittant, ita tamen concutiunt, vt mirum in modum debilitetur & langueſcat. Ita verò intelligendum eſſe articulum: docet etiam poſtrema particula: *Et tamdiu manent ſub tyrannide peccati, donec per Spiritum Chriſti iterum erigantur.* Intelligit igitur, Electos vnà cum ſua fide, cùm peccant, concidere quaſi in lucta cum peccato, atque ita concidere vt reſurgere nequeant, niſi per Spiritum ſanctum denuò erigantur. Sic etiam Lutherus loquitur: *Obtinente fide peccatum* ſcilicet actuale *euaneſcere: obtinente verò peccato fidem iacere*, nimirum quaſi vulneratam atque proſtratam. In hunc igitur ſenſum articulum hunc, vt pium recepi.

XIX. *Cum autem duplex finis ſit doctrinæ & diſputationis de Prædeſtinatione, alter, vt gratia Dei, qua iuſtificamur ſola, contra vires humanas & liberi arbitrij aſſeratur, in quam ſententiam D. Auguſtini, Lutheri, & Buceri ſcripta extant: alter, vt in lucta carnis & Spiritus firmam conſolationem afflictæ conſcientiæ habeant, videlicet ſalutem non in ſuis ipſorum, quibus facilè excuti poſſet, ſed Chriſti manibus conſiſtere: ſicut ſcriptum eſt, Oues meas nemo rapiet è manu mea: Ita in vtroque oratio componenda eſt, ne aut altius euolemus quàm reuelata in Chriſto voluntas Dei permittat: aut nimium eam deprimamus, quò viribus humanis vel modiculum tribuatur.*

Totum hunc articulum ſimpliciter, vt pium agnoſco: & vt pium recipio: præſertim ſi nomine reuelatæ voluntatis nil aliud intelligatur, quàm (ſicut intelligendum eſt) ipſum Dei verbum in Scripturis reuelatum. Atque eò magis pium agnoſco, quòd probant D. Auguſtini, Lutheri, & Buceri ſcripta de Prædeſtinatione.

XX. *Quapropter phraſes duriores, in Scripturis non vſurpatas, quibus partim etiam Eccleſiaſtici Scriptores veteres & neoterici vſi ſunt: vel declinemus prorſus, vel ita temperemus, ne in commemoratos ſcopulos, Pelagianiſmi, aut Epicureiſmi impingamus*

Salutare conſilium. Neque ego aliter vnquam faciundum eſſe iudicaui.

XXI. *Parcè etenim & admodum ſobriè hoc ſummum ſalutis noſtræ myſterium in Scriptura traditur. paſſim verò & in omnibus locis reuelata voluntas, quæ abſconditæ contraria non eſt, proponitur: ad quam omnes homines reuocantur, in qua etiam tutiſſimum eſt acquieſcere.*

Di-

Dictum hoc intelligo comparatiuè: doctrinam nimirum de Prædestinatione, parcè in Scripturis tradi, prout reuelata voluntas, hoc est, doctrina legis, & veræ, quam à nobis Deus exigit, pœnitentiæ, inculcatur. Ceterùm non totam de Prædestinatione, Reprobatione, Prouidentiaque Dei doctrinam, quæ in S. literis traditur, his articulis contineri: manifestum est. Si igitur aliquid præter hos de Prædestinatione articulos è S. literis docuero: minimè contra hanc formulam me docuisse, testatum volo.

Habetis hîc obseruantissimi Domini: non tam subscriptionis meæ, quàm totius illius doctrinæ, in quam nuper consensi, explicationem & confirmationem. Ex quibus facilè vobis patet, me noua illa subscriptione neque priori causſa cecidisse, neque priorem sententiam tam de Cœna Domini, quàm de Prædestinatione & Perseuerantia Sanctorum, mutasse: neque quidquam contra propriam conscientiam fecisse.

Ego verò principiò vobis testor, me serio pacis studio adductum, cum illis tribus exceptionibus quas paulò antè commemoraui: in hanc quam modò explicaui, doctrinæ formulam, ex animo consensisse: quòd, si æquum habeat interpretem, nullam mihi sapiat hæresin aut impietatem: ac proinde illam denuo subscriptionem meam eadem ratione confirmo. Deinde promitto, me (quemadmodum hactenus etiam feci) & vsurum ea diligentia simul & dexteritate in docendo, quæ Christianum Theologum decet: & veræ paci atque concordiæ pro mea parte eam daturum operam, quam non tantùm vos, sed Dominus ipse Iesus Christus à me postulat. Atque ita vtrunque promitto, vt etiam paratus semper futurus sim pœnas libenter dare, nisi & doctrinæ à me traditæ, & totius officij mei, vbicunq; opus fuerit: rationem reddidero. Tantùm hoc à Vobis peto, vt mihi per vos liceat liberè tum S. literas interpretari: tum Christiana dogmata quæcunque occurrerint, explicare: tum meas tam interpretationes quàm dogmatum explicationes in Scholis (vt semper moris fuit) publicis disputationibus defendere: & si quidem contrà sentiant alij, iubeantur priùs amicè mecum agere, explicationesq; & rationes meas audire, quàm ad accusationes decurrãt: & si accusent, cogantur accusationes probare, & mecum aut in amicam collocutionem, aut in Scholasticam disceptationem venire: neque permittantur quæ in Schola sunt inter doctos discutienda, ea ad indoctam plebem indiscussa deferre, odioscè proponere, & tanquam iudicata damnare: & erga nos idem vsurpetur, quod etiam maiores vestri aduersus Papistas statuerunt anno M. D. XXIIX. (vt certissimus rerum vestrarum testis piæ memoriæ Ioannes Sleidanus scriptum reliquit libro suæ historiæ sexto) nimirum vt qui alterum improbet & impia docere dicat, neque causſæ cognitionem admittat, hoc est, neque in colloquium, neq; in disputationem venire velit cum aduersario: is docendi munus posthac ne exerceat. Sunt hæc omnia quæ peto & rogo (vt videtis) iustissima atque æquissima. Quæ si à vobis impetrem: & ego libenter vobiscum manebo, & vos (vt confido) vel nulla posthac, vel certè non diuturna videbitis inter vestros professores dissidia. Si verò non possim hæc impetrare: quia per conscientiam non possum alia ratione hîc esse: cum bona vestra venia, actis priùs gratijs pro vestra erga me beneuolentia atque humanitate, multisque præstitis beneficijs honestam peto missionem. Dominus Iesus vos suo Spiritu sapientia & fortitudinis atque iustitiæ semper regat.

H. ZANCHII

MISCELLANEORVM

LIBER SECVNDVS.

THESES ALIQVOT HIERONYMO ZANCHIO, Argentinæ, cùm ibi Theologiam profiteretur, à quibusdam obiectæ, atq; partim vt nouæ, partim vt hæreticæ damnatæ: ab Academijs verò & Ecclesijs aliquot, doctisq; & pijs Theologis in Germania, partim vt probabiles, partim vt piæ & orthodoxæ, datis & scriptis suis iudicijs comprobatæ.

PRIMA.

De fine seculi.

QVoto die, vel quoto mense, vel quoto anno, vel quoto seculo futurus sit finis Mundi, & rediturus Dominus: neq; vlla certa scientia, neque vllis certis coniecturis cognosci ab vllo mortalium potest.

SECVNDA.

De Antichristo.

Etsi reuelatum est iampridem regnum Antichristi: quique in illo primatum tenet, & regnat, verus est Antichristus: dicere tamen, sub finem seculi insignem quendam, & omnium iniquitate excellentissimum, verum & perfectum Antichristum, qui etiam miracula edat, venturum esse: non pugnat cum Sacris literis.

TERTIA.

De signis finis seculi.

Dicere, pro conciliatione loci Luc. 18: Putas cum veniet filius hominis, inueniet fidem in terra? cum loco Pauli Rom. 11, Nolo vos ignorare mysterium hoc, quòd cæcitas etiam ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium aduenerit, & sic omnis Israël saluus fiet: dicere inquam, pro conciliatione horum duorum locorum, quòd, dum regnabit ille summus & vltimus Antichristus, propter ipsius tyrannidem parum fidei reperietur in terra: sed post illum occisum Spiritu oris Christi, copiosa Iudæorum multitudo ad Christum sit conuertenda (id quod fit per fidem) & quòd tunc futura sit multa fides in terra: non est contra verbum Dei.

QVARTA.

De Prædestinatione.

Certus est apud Deum tum electorum ad vitam æternam, tum reprobatorum & ad interitum prædestinatorum, numerus.

QVIN-

QVINTA.

Sicut electi ad vitam, perire non possunt, ideoque saluantur necessariò: ita quoque, qui ad vitam æternam prædestinati non sunt, saluari non possunt: ideoque necessariò damnantur.

SEXTA.

Qui semel electus est, non fit, nec fieri potest reprobus.

SEPTIMA.

De vinculis quibus colligamur Christo & Ecclesiæ.

Duo sunt vincula, quæ ad hoc, vt Christo & Ecclesiæ verè colligemur, prorsus necessaria sunt: vinculum æternæ electionis in Christo, & vinculum Spiritus Christi: ideoque fidei in Christum. Atq; hæc duo primò interna sunt & inuisibilia, deinde indissolubilia.

OCTAVA.

Duo vincula sunt, quibus Ecclesiæ (quod ad externam eius faciem attinet) coniungimur: professio doctrinæ Christi, & participatio Sacramentorum. atque hæc primùm externa sunt, & visibilia, deinde dissolubilia: quatenus potest quis & ipsam doctrinam reijcere, & ipsa Sacramenta respuere.

NONA.

De fide.

Electis in hoc seculo semel tantùm vera fides à Deo datur: & qui ea donatus est (præsertim de adultis loquor) eam in seipso sentit: id est, certò cognoscit, & sentit, se verè credere.

DECIMA.

Electi, semel vera fide donati, Christóque per Spiritum S. verè insiti, fidem prorsus amittere, Spiritum S. omnino excutere, & á Christo excidere penitus non possunt: idque tum propter promissionem Dei, tum propter Christi precationem. neque tamen hinc sequitur, vel pœnitentiam negari, vel licentiam concedi.

VNDECIMA.

In electis regeneratis duo sunt homines, interior & exterior. Ii cùm peccant, secundum tantùm hominem exteriorem, id est, ea tantùm parte qua non sunt regeniti, peccant: secundum verò interiorem hominem nolunt peccatum, detestantur peccatum, & condelectantur lege Dei: quare non toto animo, aut plena voluntate peccant.

DVODECIMA.

Petrum, cùm negauit Christum, defecit quidem fidei confessio in ore: sed non defecit fides in corde.

DECIMATERTIA.

De Promissionibus.

Promissiones de gratuita Dei misericordia, deque certa & æterna salute, etsi vniuersaliter omnibus proponuntur, & prædicandæ sunt: ad ipsos tamen tantùm electos reipsa pertinent.

DECIMAQVARTA.

Quare cùm Paulus ait, Deus vult omnes homines saluos fieri, si quis illam vocem Omnes restringat ad electos, in quocunque hominum ordine sint: item si illud 1. Ioan. 2. Christus est propitiatio pro peccatis totius Mundi, interpretetur pro electis vniuersis, per totum orbem dispersis, aut dispergendis: non deprauat Scripturas.

ACADEMIAE ET ECCLESIAE MARPVRGENSIS, CVM DE OMNIBVS hiſce Zanchij Theſibus in genere, tum ſpeciatim de illis quæ ſunt de Fide, deque Perſeuerantia Sanctorum in fide, Iudicium.

THESES.

De fide Electorum.

1 ELECTIS *in hoc ſeculo ſemel tantùm vera fides à Deo datur. Et qui ea donatus eſt (præſertim de adultis loquor) eam in ſeipſo ſentit: id eſt, verè cognoſcit & ſentit ſe verè credere.*

2 *Electi, ſemel vera fide donati, Chriſtoq; per Spiritum verè inſiti: fidem prorſus amittere, Spiritum S. omnino excutere, & à Chriſto excidere penitus non poſſunt: idq; tum propter promiſſionem Dei, tum propter Chriſti precationem. Neque tamen hinc ſequitur, vel pœnitentiam negari, vel licentiam concedi.*

3 *In electis regeneratis duo ſunt homines, interior & exterior. Iidem cùm peccant, ſecundum tantùm hominem exteriorem, id eſt, ea tantùm parte qua non ſunt regeniti, peccant. ſecundum verò interiorem hominem, nolunt peccatum, deteſtantur peccatum, & condelectantur legi Dei: quare non toto animo, aut plena voluntate peccant.*

4 *Petrum, cùm negauit Chriſtum, defecit quidem fidei confeſſio in ore: ſed non defecit in corde.*

ACADEMIAE ET ECCLESIÆ Marpurgenſis

De hiſce Theſibus Iudicium. Auguſt. 15. Anno 1561.

OBSERVANDVM *ante omnia, in humanæ ſalutis negotio Deum hoc progredi ordine.*

1. *Primùm, antequam iacerentur fundamenta mundi, ſemel elegit ſeu prædeſtinauit in Chriſto, quos voluit: ſolo adductus beneplacito voluntatis ſuæ, vt laudetur gloria gratiæ ſuæ. Epheſ. 1.*

2. *Semel ab æterno electos, Deus, vbi nati ſunt, quocunque vitæ tempore ipſi viſum fuerit, vocat, & quidem per verbum: quo ratio conſequendæ per Chriſtum ſalutis proponitur. Quæ vocatio itidem contingit non propter opera noſtra, ſed ſecundum Dei propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis per Ieſum Chriſtum ante tempora æterna. 2. Tim. 1. Præcedens ab æterno electio, vocationis in tempore cauſſa eſt.*

3. *Verbo de ſalute per Chriſtum: quicunque toto aſſentiuntur animo, ij dicuntur credere, & fidem habere. Rom. 10. Sed hæc ipſa fides, vera inquam, atque firma, donum Dei eſt. Epheſ. 2. Non enim omnium eſt fides. 1. Theſſal. 3. Sed verè credunt, quotquot ad vitam æternam ſunt ordinati. Actor. 13. Itaque ex electione ab æterno facta, etiam fides perfecta pendet.*

4. *Hac fide homines iuſtificantur: idq; iterum gratis, per Dei gratiam, per redemtionem quæ eſt in Chriſto Ieſu: quem propoſuit Deus reconciliatorem per fidem, interueniente ipſius ſanguine.*

5. Eadem fide, & in ea iustificatione accipiunt electi Spiritum sanctum: qui ipsos sanctificat, singulari modo gubernat ipsorum actiones: denique certiores facit, quòd sint filij Dei, ac proinde hæredes Dei, & cohæredes Christi. Rom. 8. Ephes. 1.

6 Porrò iustificati, atque donati Spiritu S. postremùm gloriam adipiscuntur æternam. Quæ omnia breuissimè notauit Apostolus Rom. 8. Quos Deus prædestinauit, eosdem & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, eos & glorificauit.

Iam verò quæstio est: An tales, quando in hoc vitæ cursu peccant, fidem illam veram, qua in vocatione pridem sunt donati, prorsus amittant? An acceptum Spiritum S. à se excutiant: denique, an à Christo omnino excidant? De hac quæstione difficili sanè, vt pro modulo nostro quàm simplicissimè, & quoad eius dabitur, secundum mentem Scripturarum respondeamus, necesse est à nobis expendi:

1. Qualia in electis deprehendantur peccata: & quomodo ÿdem ad peccandum inducantur.

2. Qualia sint admissorum peccatorum in electis effecta.

Quod ad priorem partem attinet, extra controuersiam est, electos atque sanctos, quantumlibet Deo chari sint, frequenter tamen peccare. Rom. 3. Psal. 24. 53. Rom. 4 Psal. 31. 1. Ioan. 1. Prouerb. 24. Liquidò insuper constat, contra vtramque Decalogi tabulam ab electis peccata fœdissima designari. Petrus, quando post promissam & tactatam constantiam in confessione, Christum non semel & apud plures, vixque vllo adhuc ante oculos posito periculo negauit: in legis diuinæ priorem Tabulam deliquit grauissimè. Dauid posterioris Tabulæ præcepta plura transgreditur, dum & longo tempore perstat in adulterio, & circumspectione quo pacto scelus suum posset tegere, euocatum Vriam ad vxorem accedere iubet. Cùm autem & hac parte se falli cerneret, innocentem hominem & fidum ministrum curat interfici. Hæc peccata si quis extenuare quouis modo conetur, vehementer & is peccauerit.

Sed enim si, quomodo electi ad peccandum adducantur, libet inquirere, magnum discrimen inter electos, & eos qui non sunt de electorum numero, comperiemus. In eum namque qui non non est electus, nec verè regeneratus, quamuis externa confessione doctrinæ atque communi Sacramentorum vsu sit insitus Ecclesiæ, semper aliquod ius habet princeps huius seculi, Spiritus malus. Quamobrem & facilè impellit eum ad omnis generis flagitia, vt seruiat concupiscentijs carnis: & quæcunque carni ac menti libent, magna alacritate perficiat. Ephes. 2. Itaque Iudæ, auaro alioqui, & furi, suggessit, & citò persuasit, vt Dominum ac Seruatorem suum hostibus proderet. Ioan. 13. Atqui in electo ac regenerato, quem Christus ex potestate diaboli eripuit, longè aliud spectare nos oportet. Siquidem in regenerato Apostolus Rom. 7. (vbi omnes eruditi consentiunt, Apostolum de seipso proferre exemplum: aut certè, in persona pÿ & electi cuiuspiam dicere omnia) duos ait consistere homines: internum, qui est à regeneratione: externum, qui fuit ante regenerationem, ac pòst etiam manet. Quandocunque igitur electus ad peccandum siue à Satana, siue à propriæ carnis concupiscentia tentatur: statim duo illi in ipso homines certamen acerrimum ineunt. atque internus homo, quoniam habet Spiritum S. ac delectatur lege Dei, hortari & extimulare hominem non desinit, vt legi Dei vsque seruiat, neque membra sua iniustis actionibus vnquam accommodet. Ex aduerso externus homo, quoniam habet carnem, ac delectatur lege peccati, quæ est in membris, homini interno atque Spiritui omnibus viribus repugnat, & nihil non molitur quò hominem ad peccandum impellat. In hoc igitur certamine, quando electus homo peccatum committit, tum externus eius homo aduersus internum, quantumlibet reluctantem, præualet. Hinc verò perspicuum fit, electum hominem, quomodocunque labatur, non tamen peccare toto animo, tota mente, ac plena voluntate: quandoquidem (vti Paulus disertè ait Roman. 7.) quod agit malum, neutiquam probat. Nec enim quod vult, hoc facit: sed quod odit, hoc agit: atque consentit interea legi Dei, quòd bona sit. Ex quo insuper sequitur, vt non ipse illud perpetret, sed inhabitans in ipso peccatum. Nam in externo homine, atque in carne, bonum non habitat. Vellet quidem internus homo nihil nisi bonum fieri: at, quò minus pro voto possit, impeditur ab ho-

mine externo. Itaq; mente quidem seruit electus homo legi Dei, carne verò seruit legi peccati, cui per legem membrorum tanquam venundatus atque captiuus addicitur. Adhæc Gal. 5. apertè dicitur, Spiritum & carnem sic perpetuò inter sese pugnare, vt pij non quæcunque voluerint, faciant. Ergo si peccata quæ ab electis designantur, respicimus: sunt, quod ad Spiritum attinet, peccatis reproborum paria. Sin consideramus modum, quo ad peccandum inducuntur: non eadem ratione, qua reprobi, huc perueniunt: vtpote qui nunquam toto animo, plenaq; voluntate consentiunt. Neque enim sic delectantur peccatis, vti reprobi: non intendunt insuper animum & curam ijs quæ sunt carnis: non habent adfectus eodem modo peccatis addictos & implicitos: non delinquunt vt inimicitiam cum Deo volentes exercere. Quæ studia debere in peccatis reproborum, secundum carnem ambulantium, notari, non abs re monet Rom. 8. Apostolus. Addamus & hoc: in electis quidem animaduerti vim peccati inhabitantis: at non peccata regnantia. in reprobis verò, non modò peccatum inhabitans: verùm etiam peccata regnantia, seu dominantia. de quo discrimine Rom. 6. 7. Ex quo palàm est, electos non tantùm alio peccare modo, quàm quo peccant reprobi: verùm etiam peccata vtrorumque, prorsus aliter se habere: atque eiusdem speciei peccata, non idem posse in electis, quod in reprobis.

His ita expositis, procliue erit iudicare, qualia nam sint peccatorum in electis effecta: & vtrum per peccata sua fidem prorsus amittant, Spiritum S. omnino excutiant, & à Christo penitus excidant. Et quò cuncta euadant magis dilucida: consultò in collatione electorum cum reprobis persistamus.

Primum igitur atque præcipuum effectum peccati, est mors, siue condemnatio sempiterna: Rom. 5. 6. Reprobos autem, quandocunque peccant, æternùm ob crimina sua damnari: nemo non intelligit, & confitetur. Atqui in electos, etiamsi peccarint, mors seu damnatio æterna non cadit. Necesse namque est, quos Deus semel elegit, tandem glorificari. Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Rom. 8. Ac disertè eiusdem capitis initio: Nulla nunc est condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu: qui non iuxta carnem versantur sed iuxta Spiritum. Nam lex Spiritus vitæ per Christum Iesum, liberum me reddidit à iure peccati & mortis. Quo loco notandum, prudenter dictum ab Apostolo: electos esse liberos factos non simpliciter à peccato & morte, sed à iure peccati & mortis, quo perdendi ac damnandi potestas significatur. Omnia item peccata, grauiss. commerentur pœnas, quas Deus, quoniam videt sua contemni præcepta, seueriss. infligit. Exod 20. Ceterùm reproborum scelera puniuntur tum in hoc seculo, tum in futuro: electorum autem peccata tantùm punit Deus in præsenti, quamuis etiam acerbissimè. quod testantur calamitates tam publicæ quàm priuatæ, propter Dauidis peccata immissæ.

Ex quo apertè colligitur, hisce quæ de bonitate Dei erga electos dicuntur, peccandi licentiam minimè concedi.

Quin etiam si considerentur diuersæ rationes, quibus Deus in puniendis peccatis vtitur, magnum apparebit discrimen. Etenim in reprobis plurimùm punit Deus peccata nouis peccatis, atque indurat eos, excæcat, in reprobum sensum tradit. Rom. 1. In electis tantum abest vt peccata puniat peccatis, vt ad agnitionem peccati potiùs celeriter eos inducat, vt ad humiliationem animi, ad veram inuocationem, ad petitionem veniæ, ad implorandum cæleste auxilium excitet, atque ita peccata ab ipsis prorsus transferat. Iam si post scelera perpetrata, agitur de pœnitentia: Deus reproborum pœnitentiam minimè recipit, neq; fructum ex ea illi percipiunt. Exemplo sunt, Esau, Hebr. 12. Iudas, Matth. 27. Pœnitentiam verò electorum Deus acceptam habet, & citò condonat eis peccata: quod in Dauide & Petro licet cernere. Proinde & electos, vbi peccarint, vel maximè decet pœnitentiam agere.

Vt porrò ad institutum veniamus principale: Reprobi, quando peccant, atque peccatum in ipsis dominatur, fidem citò amittunt. siquidem quam ore fuerant professi, nunquam vera & perfecta fides fuit: sed tantùm temporanea, infrugifera, mortua. de qua Matth. 13. Luc. 9. 1. ad Timoth. 1. Iacob. 2. Quando autem electi peccant, non est vero consentaneum, eos omnem prorsus fidem amittere, quantumuis exiguam, debilem, infirmam, & mortuæ similimam esse

oportet

oportet eam, quæ relinquitur. Petrus negauit Christum: sed quis propterea dixerit, insignem illam fidem, quam olim fuerat confessus, quamq; Christus ipse vehementer prædicarat, prorsus fuisse extinctam? maximè cùm Christus pridem pro Petro orasset, ne fides ipsius vnquam deficeret, Luc. 22. Itaque quæ audita est foris ex illius ore negatio, ab externo homine profecta, impugnabat & vulnerabat: non tamen interficiebat occultam confessionem cordis, quam internus homo, quantum in ipso erat, tuebatur. Accedit his, quòd Petrus statim post abnegationem factam, ingenti fletu dolorem testatus sit, ac pœnitentiam. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Si autem in Petro vera fuit pœnitentia, sicut dubio procul fuit: oportet sanè in illo semper etiam aliquam superfuisse fidem. Nec potest fides vera perfectaq; intelligi res fluxa & volubilis, quæ momento temporis & auferatur & restituatur. Sed perspicuè docet nos Scriptura, esse constantem, immobilem, inuictam, nullis machinis expugnabilem. Talis namque fides Abrahami, Rom. 4. Talis fides multorum aliorum describitur Hebr. 11. Ideoq; Christus fidem cum petra, super quam Ecclesiæ ædificium queat extrui, Matth. 16. comparat. Quin etiam perfectè credentem, similem esse ait homini qui domum ædificat super petram, vbi neque imbres, neque flamina, neque ventorum potestates eam subuertant. Matth. 7. Luc. 6. Quid quòd omnium credentium fides precatione Christi fulcitur? quandoquidem pro omnibus credentibus ardentissimè orauit, siue tunc cùm orauit pro Petro Luc. 22. siue quando aliàs pro vniuersis orauit, qui per Apostolorum sermones ad fidem adducerentur, Iohan. 17. ac dubio procul est à Patre exauditus: Hebr. 5. Legimus denique in Epistola Iudæ, fidem sanctis semel dari. si semel tantùm datur, quomodo ea amittetur, & aliquanto pòst dabitur iterum? Relinquitur ergo, fidem semper aliquantam in electorum manere cordibus, nec prorsus eripi. Quam nisi etiam sentirent electi, ac modò quidem debilem, modò verò firmam: de fide sua testimonium edere nulli certum possent: minùs etiam appositè Apostolus 1. Timoth. 1. fidem cum conscientia coniunxisset. ad hæc, non rectè postulassent Apostoli à Christo, vt fidem ipsorum augeret. Luc. 17. Frustrà insuper Christus toties increpasset quosdam ὀλιγοπίστους, Matth. 6. 14. 16. Luc. 12. Rursus frustrà in aliquibus fidei prædicasset magnitudinem.

Rursus quando peccant reprobi, amittunt Spiritus S. dona, si quibus ornati fuêre. Enimuerò Spiritum S. quem nunquam acceperunt, quis dicat eos amittere? Itaque de donis Spiritus ademptis ipsi Sauli, est illud 1. Sam. 16. Spiritus Domini recessit à Saul, turbauitq; eum Spiritus malus à Domino. Intelligimus autem dona prophetiæ, gubernationis, & si quæ similia, quibus Saulem iustè spolianit Deus.

Ceterum electos, quando peccant, Spiritum S. omnino amittere, non est quod temerè definiamus: sed rectiùs cum Apostolo dicemus, eos tunc vehementer Spiritum S. contristare. Ephes. 4. Scriptura non vno loco inculcat, Spiritum S. electis datum, inhabitare eorundem corda. Si autem inhabitat: igitur domicilium, fixamq; sedem ibi deligit. neque imaginabimur, eum excurrere, vagari, redire: quod malum Spiritum facere consueuisse, Christus Matth. 12. testatur. Nec prætereundum quod Scriptura etiam refert, Spiritum S. in electis agere: siue electos Spiritu Dei agi atque duci. Rom. 8. Quandocunque igitur agit, ac vires suas in electis exerit Spiritus S. facilè est colligere, eum ibi habitare, præsentemq; esse. At verò si non agitur, nec se argumentis vllis demonstrat (quod nimirum fit, quia ob peccata hominis tristatur, atque luget) non protinus sequitur, eum ibi non amplius habitare.

Vbi porrò electi post lapsum resipiscunt, tum Spiritus S. iterum in eis excitatur, seseq; velut gaudio gestiens dignatur rursus ostendere, & validiùs quàm antea ipsos fulcit. Quocirca Dauid Psalm. 51. cùm reprehensus à Nathan propheta peccatum suum confiteretur, ita orabat: Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in intimo meo. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum S. tuum ne tollas à me. Restitue mihi lætitiam salutis tuæ, & Spiritu viuifico suffulci me.

Ad hæc datur electis Spiritus S. vt arrhabo hæreditatis cælestis: Ephes. 1. Nemo autem qui promissis pactisue vult stare, arrhabonem reposcit: quin potiùs in hoc totus est, vt promissa siue pacta præstet: ne tum quidem, vbi illa præstiterit, arrhabonem repetiturus. Con-

sequitur ergo, & Spiritum S. apud eum cui semel datus est, relinqui. Quod eo quoque comprobatur, quòd Ephes. 4. dicuntur credentes, per Spiritum S. in diem redemtionis obsignati. Quamuis fieri interea potest, vt homo non tam honorificè, quàm par est, datum arrhabonem seruet: quo nomine eum qui arrhabonem dederat, offendit multò grauissimè.

Sic deinde Apostolus Rom. 7. disserit, vt clarè demonstret, vnum eundemq; electum perpetuò duos homines, internum inquam & externum, in se circumferre: neq; vnum absque altero posse dimoueri. Id verò si datur, operæprecium est statuamus, quamdiu adest homo internus, tamdiu etiam adesse Spiritum S. vtpote sine quo internus homo subsistere nequeat.

At si posueris, Spiritum aliquando tolli: eadem opera largiaris oportet, etiam luctam illam Spiritus cùm carne in hac vita tolli: immò aliquando absente Spiritu, carnem posse statim in toto homine electo dominari: qua occasione etiam peccata regnantia locum in eodem habebunt. quo quid absurdius dici queat? Ita præterea ibidem depingit Apostolus hominis interni & externi actiones, vt quamuis contrariæ sint, tamen esse coniunctæ, & eodem tempore simul exerceri videantur. Non quod volo (inquit) hoc facio: sed quod odi, hoc ago. Iterum: Non quod volo, facio bonum: sed quod non volo, malum, hoc ago. &: Delectat me lex Dei secundum internum hominem: sed video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati quæ est in membris meis. Et idem: Ego mente quidem seruio legi Dei, carne verò legi peccati. Quæ omnia perinde sonant, atq; si diceret Apostolus: Quo tempore ipse impulsu carnis & externi hominis malè facio, eodem etiam Spiritus S. interiori homini adhuc assistit, & legem Dei approbat: veruntamen propter molestias & insultationes carnis contristatur. suasq; vires non ita, vti alias, exerit.

Sed enim quæ Apostolus ibi de seipso affert, ea vera esse vnusquisque electus procul dubio in proprijs tentationibus, atque luctis spiritualibus experitur. Itaque tam in ipsis certaminibus, quàm cùm externus homo siue caro apparet superior, & internus & homo & Spiritus in electo adhuc residet: quamuis propter carnem ferocientem & immodicè exultantem, ægrè aliquid de actione & vi Spiritus percipitur.

Iterum verò, quando reprobi peccant, à regno Christi prorsus excidunt. 1. Corinth. 6. An nescitis, quòd iniusti regni Dei hæreditatem non consequentur? Ne erretis: neque scortatores, neque cultores simulachrorum, neque adulteri, regni Dei hæreditatem accipient. Verùm electi, quamuis aliquando inuiti, & à carne vexati, circumuentiq; labuntur: non tamen ideo à Christi regno prorsus excidunt. Christus namque Ioan. 10. de electis inquit: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequentur me: & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea. Electi igitur à Christo non auelluntur: aut profectò, si contingeret eos aliquando astu & calliditate diaboli de manu Christi eripi, euinceretur, diabolum esse Christo potentiorem ac fortiorem: quod vel cogitare nefas grande est. Rursum Christus Matth. 24. Surgent Pseudochristi & ψευδοπροφῆται, & dabunt signa magna & prodigia: ita vt in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi. Ex quibus verbis non obscurè colligitur, electos seduci atque à Christo prorsus abduci nullo modo posse. Quòd si item excidere prorsus à Christo electos fatemur, quomodo obsecro interpretabimur verba illa Rom. 5. quæ perspicuè astruunt electos stare, siue persistere in gratia? Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem & contigit nobis, vt fide perduceremur in gratiam hanc, in qua stamus. Quid item dicetur ad illa verba Rom. 8. electis propriè accommodata: Persuasum habeo (inquit) quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque vlla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro?

Postremò, si electi non stant in gratia, Christoq; adiuncti manent: tum cogentur omnes homines perpetuò de Dei gratia dubitare: neque vnquam certò statuere poterunt, se Deo placere. A quo quantopere sit abhorrendum, edocti ex Scripturis abundè scimus.

Quòd

Quòd si quisquam contendere pergat, electos, quandocunque peccant, saltem ad tempus fidem prorsus amittere, omnino excutere Spiritum S. penitus à Christo excidere: sanè haud scimus an circumspectè satis loquatur, cùm præsertim necesse sit non pauca inde oriri incommoda. Si fidem prorsus amittunt electi, sequetur planè, omnem fidem, etiam electorum, temporaneam atque fluxam existere. Quod aduersatur ijs omnibus quæ de fide firma, stabili & ad finem vsque perseuerante, passim in Scripturis inculcantur. Si excutitur Spiritus S. quomodo consistet quod Scriptura sæpius exprimit, eum in electorum habitare cordibus? Si denique ad tempus à Christo excidunt: falsum erit quod Christus ait, electos seduci non posse: semper cogentur lapsi dubitare, an & quando iterum inserantur Christo. Adde quòd diabolus semper apparebit Christo potentior, & Christi victor. Etenim si electos ad illud tempus, quo peccant, è manu Christi eripit Sathanas: profectò cùm nullum dari tempus queat, quo non peccent aliqui ex electis: conficeretur, nullum etiam tempus esse, quo diabolus non Christum debellet atque vincat. Sed ex ijs quæ in præcedentibus sunt exposita, non erit difficilè & alia incommoda excerpere.

Quæ cùm ita se habeant, nequaquam ducimus eum protinus damnandum, qui asserit, electos vera fide donatos, Christóque per Spiritum S. verè insitos, quando peccarint, fidem non prorsus amittere, non omnino excutere Spiritum S. non penitus à Christo excidere. Ac præter illa quæ ex Scripturis hucusque depromsimus, possemus nonnulla partim ex priscis Patribus, partim ex huius ætatis eruditissimis quibusque scriptoribus firmamenta congerere: sed temporis angustia facere id prohibet. Quæ res etiam in caussa est, cur de reliquis Thesibus conscriptis, nimirum de Fine seculi, de Antichristo, de Signis finis seculi, de Prædestinatione, de Vinculis quibus colligamur Christo & Ecclesiæ, de Promissionibus, non arbitrati simus aliquid adijciendum: maximè cùm nonnullæ de earum sint genere, de quibus non est necesse operosè disceptare: omnes verò pariter tales censeamus, quas, adhibita commoda interpretatione, admittere absque periculi metu liceat. Demiramur autem, & dolemus non parum, de Capitibus antè expositis certamina eo moueri loco, in quo vir Dei D. MARTINVS BVCERVS *multos annos, eadem omnia, non minùs sinceriter quàm perspicuè tradidit. Cùm autem nos semper malimus audire aliorum de rebus ambiguis & intricatis sententias, quàm ipsi pronunciare, & à contentionibus suprà quàm dici queat abhorreamus: petimus, hæc qualiacunque benignè accipi ab omnibus.*

Quod reliquum est, optamus, omnes vbique verbi Dei interpretes concordiam colere, atque idem sentire in Domino. Quod & speraremus posse faciliùs, quàm nunc fit, vsuuenire, si primùm omnes ea deligeremus argumenta præ cæteris discutienda, quæ vtilitatis plus habent, quàm subtilitatis, & sint omnium ordinum hominibus cognitu necessaria: deinde verò, inter explicandum ea potissimùm consectaremur, quæ ad amplificandam Dei gloriam, & totius Ecclesiæ ædificationem conducunt.

Doctores & Professores Facultatis Theologicæ, Scholæ Marpurgensis.

Andreas Hyperius sst.
Ioannes Lonicerus sst.
Ioannes Garnerius sst.
Vvigandus Orthius sst.
Nicolaus Rodingus Marpurgensis Ecclesiæ pastor sst.
Iohannes Pincier Veteranæ Ecclesiæ in Euangelio Christi minister sst.
Ioannes Pistorius Niddanus, Niddanæ Ecclesiæ in Euangelio Christi minister sst.

De iisdem Thesibus, Scholæ & Ecclesiæ Heidelbergensis Iudicium.

QVANQVAM *ex his quæ à doctissimis Scholæ Marpurgensis Professoribus, aliysq; viris clarissimis ex sacrarum literarum fontibus diligentissimè collecta, artificiosissimè disposita, & eruditissimè fuere conscripta, facilè cognosci possit, quid de Thesibus ipsorum scripto præfixis, pium quemque iudicare atque sentire oporteat: ne tamen nos vel præiudicijs, vel priuatis quibusdam studijs adducti, de ijs sententiam dixisse nostram videremur, etiam rationes nostras, quibus mouemur, à superioribus minimè alienas, attexere nobis visum fuit.*

1. *Principiò quidem pulcherrima illa gradatio, seu cathena, qua Apostolus Rom. 8. est complexus gradus omnes salutis electorum, ab æterno illo & immutabili consilio Dei, & decreto velut iugi fonte fluentis, non sinit vt eos qui semel Christo à Patre in suam velut possessionem atque tutelam traditi, ipsiq; vt radici ac vitali trunco insiti, & denique ei velut suo capiti agglutinati sunt, ab ipsius manibus seu potestate subduci, patrocinio ipsius destitui, quasi arescentes ramos amputari, siue vt corrupta membra à suo corpore auelli posse aut cogitemus, aut dicamus. Nam eum qui id in animum suum induxerit, de Christi, optimi pastoris, fidelissimiq; custodis fide, diligentia atque potentia malignè sentire apparet. Siquidem ab eo tales abduci non possent, nisi is sempiterni sui hostis Satanæ vel arte falleretur, vel potentia superaretur: ac ita aut negligentiæ ei qui est vigilantissimus, aut infirmitatis ei qui est potentissimus, nota inureretur. Atqui istud non tantùm est absurdum, sed etiam ex diametro pugnat cum his quæ Christus ipse clarissimè est testificatus de sua cura, studio ac diligentia erga suæ fidei creditos: & ea Ioan. cap. 5. 10. 17. sui Euangelij, non minùs disertè, quàm fusè commemorat.*

2. *Deinde, vis illa Spiritus S. quæ se exerit in regenerandis ad vitam æternam electis: seu semen illud Dei, cuius meminit Iohannes, semel admissum, si postea prorsus amitteretur, seu euelleretur, planeq; interiret, esset de integro induendum homini, videreturq; regenerationis Symbolum omnino esse repetendum: quando id quod Symbolo adumbratur, tertiò atque quartò, immò sæpè foret donandum. Verùm vt aliter & sentiamus & loquamur, non tantùm publicus piorum iam inde à iactis Ecclesiæ fundamentis consensus: sed etiam quæ Paulus Roman. 6. de Christi morte, sepultura, resurrectione ad æternam vitam, & baptismi mysterio disserit, & quæ autor Epistolæ ad Hebræos constantissimè asseuerat, rem se aliter habere euidenter conuincunt.*

3. *Accedit & perelegans illa arrhabonis methaphora, qua Apostolus Paulus semel & iterum vtitur, de Spiritu S. quo autore regeneratio fit, loquens. Nam si electi semel in gratiam recepti, ab ea postea excciderent: ademta ipsis omni salutis spe, & ex libro vitæ (vt ad formas Scripturis familiares alludamus) velut expunctis, nequaquam esset Spiritus S. firmum & certum salutis pignus: esset q; eius testimonium (cuius Paulus Rom. 8. meminit) infirmum ac dubium: nutaretq; spes, quam instar anchoræ firmæ haberi vult autor Epistolæ ad Hebræos. Equidem labi electos, atque etiam subinde sic cadere, vt denuo erigendi sint, scimus: & id per resipiscentiam (electis etiam ipsis in hac carnis fragilitate omnino necessariam) fieri non dubitamus. Verùm ista ratio seu via est admodum diuersa à prima illa vocatione, seu insitione, per quam electi Christo (vt cum Paulo loquamur: incorporantur. Tale inter vtramque discrimen statui posse nobis videtur, quale est inter mortuum, vitaq; omni destitutum corpus: & illud, quod morbo seu leuiore, seu grauiore ac lethali affectum est. Illud sanè vitali vi (vt ita dicamus) opus habet: hoc verò solum desiderat, vt quæ adhuc in eo residet vita, labefactata illa quidem & infirma instauretur, recreetur, refocilletur.*

4. *Istam quoque sententiam mirificè confirmabit electorum, tantisper dum in isto exilio agunt, conditio: si eam, qualem literæ Sacræ describunt, & omnes sani esse fatentur, atten-*

attentè considerare volumus, vt debemus: hoc est, si seriò cogitemus eos semper gestare carnem, & illa corruptione ⌣, quæ ab Adamo est inducta & deducta, circumcingi, & originalis illius morbi vires nondum esse in ipsis extinctas: ita vt electi etiam ipsi & foris insidiantem, obsidentemq; ipsos, aduersarium habeant: & domi coniuratum circumferant hostem: nempe illud domesticum peccatum, quod assiduè hospiti suo negotium exhibet, & debellare, adeóque ex insidijs confodere nunquam non conatur. Vnde apparet, quàm verè meritoq; dicatur, vitam piorum perpetuam esse luctam, assiduumq; certamen. Id quod etiam præter experientiam ipsam, stultorum (vt dicitur) magistram, literæ sacræ passim docent: nominatim autem Paulus Rom. 7. assiduum regeneratorum omnium exercitium non tam descripsisse, quàm expressisse, ab omnibus pijs atque doctis creditur.

5. Iam verò, cùm in tali conflictu nunquam non versentur filij Dei: fieri non potest (quæ ipsorum est imbecillitas, & aduersarij potentia) quin subinde grauia vulnera accipiant. non est tamen verisimile, tali tantaq; infirmitate, & lapsibus illis crebris sic offendi Spiritum S. & abalienari ab eis, vt iratus abscedat, domiciliumq; deserat suum: qui in hoc præsertim datus est electis, vt infirmitatem, qua sunt onerati & premuntur, fulciat, & aduersus impetum & robur hostis eos muniat: Rom. 8. Ergo eum non secedere decet, sed potiùs manere ⌣: vt vel labentes retineat, vel lapsos erigat, & denique ne eos opprimi ab hoste sinat: quod, tali custode ⌣ remoto, ipsi esset minimè difficile ⌣.

6. Ad fidem etiam electorum quod attinet, eam talibus congressibus mirè concuti: non est dubium. At si vera, si germana, si fixa (qualis esse scribitur cùm passim, tum Matth. 7.) non omnino succumbit, non frangitur, aut deficit. Nam, quam temporariam vocare possumus, quæ cedit aduersario, ab hoc ordine esse concludendam: parabola, quæ apud Matth. 13. extat, non obscurè demonstrat. Fiducia piorum, quæ Dei donum est, vt Spiritus S. afflatu concipitur, ita & retinetur: quare ⌣ etiam sepulta viuit, & deiecta se erigit, excitataq; vim suam rursum exerit.

7. Porrò, non videmus quid causæ sit, cur dicatur Spiritum S. grauiore siue atrociore ⌣ flagitio potiùs quàm leuiore irritatum; abscedere, sese subducere, pristinum domicilium deserere, quasiq; præsidium suæ fidei commissum aduersario tradere. Certè si peccatorum naturam nudam seu per se spectare placet, omnia displicent, omnia odit, omnibus offenditur Deus. Et profectò rectissimè dici, scribi, tradiq; solet, omnia peccata ex se esse mortalia: hoc est, morte ⌣ digna, & quæ isti inferendæ abundè sufficiant, quamlibet leuia sint. Igitur sua natura omnia Spiritum S. explodunt, diuinum fauorem excludunt, & fidem extinguunt. Venialia tamen (vt receptam vocem retineamus) esse dicuntur, quæ alioqui mortalia sunt. Sed id fieri, defenditur à doctis omnibus, non peccatorum respectu: verùm personarum in quibus sunt, & à quibus admittuntur, ratione. Ita fit, vt quæ in reprobis (vt dici solet) sunt mortalia, in electis ac regeneratis venialia reddantur: quippe quòd persona, Deo, in filij sui gratiam, placeat: & in ipso ad salutem electa, & ad vitam æternam destinata sit. Sic lapsus quotidiani, qui alioqui damnationem inferrent, non imputari, sed tegi, hoc est, condonari dicuntur. Iam verò adesse, iuuare, tueri aliquem in leuioribus periculis, & curatu faciles morbos tollere: in grauioribus verò se subducere, & maximè opem auxiliumq; desiderantem negligere, nedum deserere: neque fidelis amici, neque boni peritiq; medici officio fungi esset. An non prorsus absurdum foret, id de Dei Spiritu sentire, quod de viro bono ne suspicari quidem licet?

8. Vt sanè de eo tale quiddam suspicemur, nedum credamus, nequaquam patiuntur multæ promissiones cùm pijs quibusdam priuatim, tum omnibus in Ecclesiæ persona factæ. Siquidem Dei dona & vocationem esse ἀμεταμέλητα, disertè pronunciat Christi Apostolus.

9 Præsidium autem suum perpetuò suis adfuturum, maxima cum asseueratione pollicetur Deus: & eos abs se aliquando iri desertum, constantissimè negat. Quæ etiam ad aberrantes & peccantes protendi debere, manifestè demonstrat illa Prophetæ promissio: cum ceciderint, non collidentur, quia Dominus sustentat manu sua.

10 *An idest instar irati secedere? Quid? etiam peccata electis fore adiumento in bonum, ex Apostoli sententia Rom 8. docti ac pij scriptores colligunt. quod etiam plerig, non rarò experiuntur. Quod si id est verum, vt esse apparet: cui id ferri acceptum poterit, nisi paternæ beneuolentiæ atque prouidentiæ ista omnia moderanti, & ad tum suam gloriam, tum suorum salutem conuertenti? quod in diuersum spectabat? Nunc verò si suos electos peccantes desereret, destitueret omni ope, prorsusq; abijceret: illud qui fieri posset? Qui hæc attentè considerare volent, certò conficiagnoscent, Deum vt optimum parentem, filijs suis etiam grauiter peccantibus adesse, ne prorsus concidant: & sedulò cauere, ne prorsus confringantur.*

11 *Id nisi faceret, nunquid idem ipsis accideret, atque ijs, quos vt deploratos deserit prorsus, & abijcit? Illud autem quid aliud est, nisi (vt sacra oracula testantur) in reprobam mentem delabi, & in quæuis scelera ruere præcipitem, denique peccatis peccata cumulare? Quæ omnia non tantùm sunt horrenda cogitatu, sed etiam dictu fœda. Sinit quidem Deus (quæ ipsius est sapientia) sanctos suos non tantùm identidem vacillare, sed etiam non rarò turpiter labi. At labentes manu sua (sic enim loquuntur Prophetæ) sequitur, aut veriùs præit, quò deiectos ab hoste erigat, & attollat, luctamq; cum aduersario (velut in palæstra aut certamine non rarò fieri videmus) redintegrent, & (iuxta prouerbium) fugientes denique pugnent. alioqui semel prostrati iacerent æternùm, libidini atque tyrannidi hostis expositi & subiecti. Non est itaque quòd aut credamus, aut dicamus, hunc ἀγωνοθέτην à suis in dura ac difficili palæstra siue arena decertantibus oculos auertere, manúmque retrahere: hoc est, aut Spiritum S. reuocare, aut fidem repetere, & denique omni præsidio spoliare, cùm deijciuntur ab Antagonista: immò etiam prostratos & suo clypeo protegit (vt Propheta scitè loquitur) & alarum suarum vmbra tuetur.*

Hæc & huius generis plurima, quæ passim recitantur in scriptis Propheticis atque Apostolicis, dum attentè consideramus: non possumus non iudicare, quæ in superioribus Thesibus proposita sunt, de electorum Dei per Spiritum S. defensione & custodia perpetua, deq; fidei ipsorum constantia, esse pia atque Christiana: vt etiam esse iudicamus, quæ in alijs Thesibus de Antichristo, Seculi fine ac eius signis, de Sanctorum Prædestinatione, & geminis cùm Dei ipsorum vinculis, asseruntur. De his verò vt aliquid adferremus, non putauimus esse opus, partim quòd obscuritatis nihil habere nobis videantur: partim quòd candidis & veritatis studiosis siue auditoribus siue lectoribus aliquid offensionis allaturas esse, nobis persuadere non possimus. Denique, doctrinam illam totam dignam esse censemus, quæ in pijs Christianis q; scholis exponatur, atque tradatur: modò id & dextrè & sobriè fiat. Ideo vehementer doluimus, cùm audiremus, non deesse qui eam explodendam esse censerent ab ea Schola, in qua eam quidam nostrûm non ita pridem didicêre, tradente & docente viro doctissimo & pijssimo, felicis memoriæ, D. Bvcero.

Neque est quòd quenquam huius doctrinæ vel pudeat, vel pœniteat: cùm ea sit scriptis Propheticis & Apostolicis consentanea, atq; optimorum quorumq; interpretum siue veterum siue recentiorum confirmata consensu.

Datum Heidelbergæ, Augusti 25. Anno 1561.

Academiæ Heidelbergensis Theologi.

D. P. Boquinus subscr.
D. Immanuel Tremellius subscr.
D. Gaspar Oleuianus subscr.
Michaël Dillerus concionator Aulicus Heidelb. subscr.

IVDI-

Iudicium Scaphusianæ Ecclesiæ, de iisdem Thesibus.

PErlectis & perspectis Thesibus, à Clarissimo & Doctissimo viro D. D. Zanchio oblatis, nihil omnino in illis inuenire potuimus (si modò ad regulam verbi Dei, à viris veritatem amantibus examinentur) quod pugnet cum Sacris literis, scriptis videlicet Prophetarum & Apostolorum: & quod non sit orthodoxum. Profitemur itaque, & testamur, doctrinam D. D. Zanchij in his, non solùm ei quæ in nostris Ecclesiis traditur atque proponitur doctrinæ, quam indubitatam esse asserimus (donec ex verbo Dei erroris conuicti, & meliora edocti fuerimus) verùm etiam ei quam viri eximij, insigni pietate atque eruditione præditi, beatæq; memoriæ professi sunt, aliiq; adhuc profitentur, non solummodo in Schola & Ecclesia Argentinensi, sed etiam alijs multis in locis, consonam esse. Ideoq; damnandam illam ita temerè, & exibilandam minimè iudicamus: & eum, qui ita sentit, nemo pius eiyciet, neque oppugnabit, nisi expugnatum, Scripturisq; diuinis conuictum. Hanc nostram sententiam, quò & alijs commodiùs patêret, breui hoc scripto sumus complexi. Noluimus enim singulas Theses excutere ordine: cùm id ante nos fecerint, & facturi adhuc, viri pijssimi doctissimiq;. Deus optimus maximus, adsit Ecclesiæ suæ afflictæ, & misereatur nostri.

Ministri Ecclesiæ Scaphusianæ.

Sebastianus Grubel.
Iacobus Ruger.
Blasius Bouillus.

Ecclesiæ Scholæque Tigurinæ, de iisdem Thesibus Iudicium.

Dilectis in Christo fratribus, ad quos eæ nostræ literæ peruenerint, gratiam & pacem à Deo Patre, per Dominum nostrum Iesum Christum.

COntvlit se ad nos hisce diebus D. D. Hieronymus Zanchius, vir egregia doctrina ac pietate clarissimus: qui non sine dolore tum suo, tum nostro, exposuit quædam suæ doctrinæ Capita, iam ab aliquot mensibus non solùm in dubium vocari, sed etiam (quod ipsi grauius erat) hæreseos accusari. Nam si tanti sceleris accusaretur, non tantùm eius animi salus in discrimen veniret, quod horribiliter expauendum est: sed etiam de omni existimatione eius actum esset, idq; cum suo & vxoris liberorumq; maximo detrimento. Quare per eam pietatem atque misericordiam, qua tum veritati, tum etiam innocenti fratri periclitanti subueniendum est, nos rogauit: vt dogmata sua, quæ ab aduersarijs ipsius tam atrociter impetuntur, diligenter & accuratè perpenderemus, idque ad libram & normam diuinarum literarum: nostróque tandem iudicio & censura decerneremus, an ea quæ docuit, vel probanda, vel improbanda viderentur. Hæc ille à nostro conuentu non minùs modestè quàm grauiter petijt: & vnà suæ doctrinæ capita, quæ ante omnia suggillant, legenda & cognoscenda tradidit. Nos verò, qui nihil quod ad Christianam charitatem pertineat, à nostra Ecclesia putamus alienum, iustæ illius postulationi annuendum censuimus. Capitibus autem doctrinæ attentè ac dextrè perpensis & excussis, nihil ibi deprehendimus aut impium,

aut

aut pugnans cum diuinis literis. Quocirca illa dogmata, de quibus inter ipsum & aduersarios eius orta est controuersia, modò pia commodáque interpretatione accipiantur, approbamus, commendamus & amplectimur: atque illum non pœna vlla, sed laude non vulgari dignum existimamus. Et ne temerè id statuisse videamur, singulis eius Thesibus argumenta seu testimonia diuinarum literarum subiiciemus.

1 Primùm, ignotum esse tempus aduentus Domini ad iudicium, Sacræ literæ perspicuè docent. Illum enim furi conferunt, qui nocte & de improuiso consueuit adesse: quin tam angeli, quàm etiam filius hominis, illum dicuntur ignorare. Christus item affirmauit, Apostolorum non fuisse, tempora & momenta nosse, quæ Pater in sua potestate posuit. Hæc ex diuinis literis habemus: contra quæ, nec Helianæ scholæ responsa, neque ἀπόκρυφα vlla oracula recipienda censemus.

2 Secunda Thesis non potest vt hæretica explodi, cùm admodum sit probabilis. omnes enim fermè Patres in ea sententia fuerunt. Vt autem patet quàm manifestissimè, probabile id est, quod pluribus, & præsertim sapientioribus visum fuerit. Neque autor negat, immò fatetur, permultos esse (sicut Ioannes ait) Antichristos: Mahumetem, Iudæos, & Papas, qui se doctrinæ Christi opponunt: denique omnes qui idem, tam extra Papatum, quàm in Papatu, faciunt. Sed cùm indies malicia crescat, & sine modo augeatur: nil obstat, quò minùs κατ' ἐξοχὴν aliquis ad extremum sit venturus, qui cæteros Euangelij hostes impietate sua longissimè superet, quémque Dominus Spiritu oris sui omnino sit profligaturus. Nam & Apostolus qui ait, Antichristi multi sunt: idem priùs dixit, Antichristus ἐξοχήν: vnum simul & multos fore indicans.

3 Tertia, duo loca Scripturæ componit: quæ prima fronte videntur inter se pugnare. Id verò nihil quod literis diuinis aduersetur, continet. Quamobrem autoris industria & studium potiùs laudanda sunt, quàm traducenda. Multa quippe in Sacris literis passim occurrunt, quæ primo aspectu videntur sibi mutuò esse contraria. Doctoris autem pij est, illa pro suo ingenio & prudentia conciliare: ne lectores vel impingant, vel de veritate sanctæ Scripturæ ambigant. Vnde ijs qui hoc præstant, gratiæ sunt agendæ: tantum abest vt ista de caussa sint vel damnandi, vel accusandi.

4 Quarta, certum esse quendam numerum apud Deum, tam prædestinatorum ad æternam vitam, quàm reproborum: citra controuersiam est. Nam qui seruandi sunt gratia, fide atque Spiritu: oportet vt diuinitus instruantur. Proinde cùm Deus istorum bonorum sit autor: illum necesse est apud se constituisse ab æterno, quibus ista velit elargiri, quibúsue dare nolit. nisi eum velimus existimare vel casu vel temerè agere. Id autem, vt absurdissimum, reijciendum est. Nam si duo passeres absque voluntate patris non cadunt, nec citra eiusdem voluntatem vlli vel seruabuntur, vel deserentur: cùmque voluntas Dei non sit noua, sed æterna, nec ipse mutetur, vt qui sit prorsus immutabilis: consectarium est, numerum vtriusque ordinis iam apud eum esse constitutum. Huc deinde accidit: etiam capillos nostri capitis esse numeratos. Quare multò magis Deo constare necesse est, numerum seruandorum. Paulus præterea inquit, solidum firmumq; stare fundamentum, Quòd Deus nouerit qui sint sui. Mentionem quoque faciunt diuinæ literæ, libri vitæ. dixitq; Christus Apostolis: Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.

5 Quinta, electos perire non posse, asseritur: ac eos necessariò seruari. Hoc idem Christus dixit, quando ait: Se oues habere, quas nemo possit rapere de manu sua. nec non, Omne quod dat mihi Pater, ad me venit: & eum qui ad me venerit, non eijcio foràs. Et Paulus, vt prius, testatur firmum stare fundamentum. Qui etiam ad Romanos catenam connectit indissolubilem, scribens: Quos præsciuit, hos & prædestinauit: quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit: quos iustificauit, hos & glorificauit. Iccirco fieri non potest, quin electi denique seruentur: cùm Dei voluntas inuicta sit, & omnino insuperabilis. E diuersò autem cùm reprobi sint vasa iræ, aptata in interitum, seruari non possunt. Nam ad salutem & Spiritus & fides requiruntur, quæ nequaquam omnibus promiscuè dantur, cùm ad

Rom.

Rom. habeatur: Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Quia itaque Deus constituit iudicio suo, semper vtique iusto, non autem semper manifesto, hæc dona eis non attribuere: procul dubio perdentur ac damnabuntur. Liquidum præterea id est: neminem venire ad Christum, nisi Pater eum traxerit. Is autem non trahit, nisi quos voluerit. abscondit enim à prudentibus & sapientibus huius mundi, quæ paruulis patefecit: quòd ei sic libuerit, vt Christus fassus est, cùm illi hac de re gratias egit. Neque hoc nomine autorem βέσεων accusandum putamus, quòd Necessitatis vocabulum vsurparit: quia (vt ipsemet fatetur) necessitatem coactionis explodit, & illam quam inserit ἀναγκαίως esse affirmat: eam verò Scholastici consequentiæ appellare consueuerunt. Deinde necessarij definitionem huc accersit: Necessarium videlicet id esse, quod se aliter habere non potest. Scripturæ autem diuinæ quàm manifestissimè docent, fieri non posse vt electi pereant. Nam de suis ouibus Christus ait: Nemo potest eas rapere de manu mea. Et de tentationibus extremi seculi scribitur: Vel ipsos electos tunc seductum iri, si fieri posset. Vnde colligitur, eos qui electi fuerint, minimè seduci posse. Præterea si quis hoc inficietur, salutis certitudinem prorsus auferet.

Sexta traditur, ordinem diuini propositi non posse mutari: ita vt electus fiat reprobus, & vicissim reprobus euadat electus. Id autem non opus habet discussione, cùm voluntas Dei (vt dictum est) sit immutabilis: & firmissimum stet, quod in mente diuina constitutum fuerit. Ego sum Deus, apud Prophetam inquit, & non mutor. Ideo hæc de diuina electione secundum propositum firmissima sunt. At si loqueremur de illa electione, quæ secundum præsentem iustitiam in Ecclesia & videri & iudicari potest: non negat autor, quin electus fieri queat reprobus, & ediuerso reprobus electus. 6.

Septima & Octaua comprehenduntur veræ caussæ atque principia, quibus & Christi & Ecclesiæ κοινωνίας verè participes reddimur. Eorum alterum æternum est. nam dicitur ad Ephes. nos electos fuisse ante iacta fundamenta mundi. Et ad Tim. habetur, Sanctos gratiæ diuini fauoris ante secularia tempora fuisse participes. Alterum verò, nimirum Spiritus & fides, electis in tempore contingunt. nam Deus ea, cùm visum fuerit, elargitur. Vinculorum autem vocabulo non intelligit autor vllam coactionem: sed tantùm iuncturas & nexus, quibus & Christo capiti: & reliquis membris eius conglutinamur. Nec diuinæ literæ à nomine vinculorum abstinuerunt. nam ad Ephes. 4. scribitur, Seruandam esse vnionem Spiritus in vinculo pacis. Et ad Coloss. charitas vinculum perfectionis appellatur. Interna verò dicuntur hæc priora vincula: quoniam electio diuina in sua natura ignoratur: sed eius testimonium in animo nostro, non exterius, habemus. Fides autem & Spiritus hærent in corde nostro. Dicuntur item inuisibilia: quoniam aspectu externo cerni minimè possunt. Indissolubilia etiam sunt: quoniam electus non fieri potest reprobus, neque reprobus vnquam euadet electus: & insitus in Christo, nunquam ab eo potest penitus excidere, & Spiritum ac fidem iam acceptam funditus amittere: vti postea suo loco dicetur. Alia verò duo vincula, cùm externa sint & visibilia, vtique dissolui possunt. multi quippe à professione doctrinæ, atq; Sacramentorum participatione sæpe deficiunt. 7. & 8.

Nona semel tantùm dari fidem electis, affirmatur: verùm non asseritur, eam non habere suas accessiones & imminutiones. Deinde, sermo instituitur de fide vera, qua iustificamur: alioqui fides temporaria & abire & redire potest. Quodq; attinet ad electos & renatos, de quibus modò agitur, scripsit beatus Ioannes 1. Epist. 3, eos non peccare. atque mox rationem subijcit dicens, Quòd in ipsis maneat semen Dei. Vocabulo autem seminis, verba diuinæ promissionis intelligimus: quæ in filijs Dei manere non possunt, nisi fides quæ apprehendat ea, illis affuerit. Et quia fides citra Spiritum non consistit: conficitur, fidem & Spiritum in Sanctis, quando labuntur, consopiri & hebescere: non autem prorsus auferri, alioqui semen in eis non maneret. 9.

Decima, caussa redditur, cur semel data fides, ob lapsus consequentes prorsus non excidat. Ea verò duplex est: promissio in quam Dei. nam pollicitus est, se affuturum perpetuò suis. Pro altera verò caussa, Christi preces assignantur: qui non tantùm pro suis Apostolis, verùm 10.

etiam pro omnibus qui crediturì erant, Patrem, orauit. nec preces eius irritæ fieri potuerunt. Deinde, cùm in sanctis lucta Spiritus aduersus carnem sit perpetua, consequitur, Spiritum in eis perpetuò manere: quamuis pondere carnis aliquando vincuntur. nisi enim maneret, quomodo posset carni reluctari? Manet itaque fides in electis, etiam quando labuntur: sed propter peccata langueſcit, & consopitur. & ideò, quemadmodum Apostolus meminit, excitanda est.

11. *Vndecima non opus habet declaratione, cùm seipsam interpretetur. Quia renatos adserit ideo non peccare toto animo & toto corde, quoniam ijs peccatis quæ interdum committunt, reluctantur, faciuntq; malum quod nollent, & bonum quod vellent non faciunt. Quare vnà cum Apostolo exclamant: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore, &c? Et quamuis peccato seruiunt, lege tamen Dei mente delectantur. Deinde peccata electorum vel ex ignoratione proficiscuntur, vel ex infirmitate. Paulus certè (vt ipse testatur) ignorans fecit, cùm Christianos vastaret. Petrus verò ex infirmitate negauit. Ergo neuter eorum toto corde, totoq; animo peccauit: quia neuter eorum plenam voluntatem suo peccato impendit. nam ea partim ex ignorantia, partim ex infirmitate imminuit.*

12. *Duodecima traditur, Petrum ore negasse Dominum, sed animo & corde fidem erga illum retinuisse. Id autem potest ex eo confirmari, quòd Christus ait: Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Exauditus porrò est filius Dei: quapropter fides eius non prorsus defecit, quamuis labefactam esse, atque non nihil imminutam confitemur. Et hanc sententiam complures amplexati sunt: nimirum Tertullianus in libro de Fuga, Augustinus de correctione & gratia, Chrysostomus item & Theophylactus in ea verba Christi Luc. 22. Benrhardus quoque de natura & dignitate diuini amoris, cap. 6.*

13. *Decimatertia, Promissiones, quoad gratuitam Dei misericordiam, certam & æternam salutem, docetur solùm ad electos pertinere. Nam hæc reuera sunt occulta fidei, nec possunt aliter quàm fide percipi. Quare tantùm eorum sunt, qui fide diuinitùs ornantur. Fidem autem non esse omnium, neque omnibus dari, ex sacris literis & experientia notissimum est. Nemo venit ad me (inquit Dominus) nisi Pater traxerit eum. Cur verò, adiecit Augustinus, hunc trahat, & illum non trahat: noli iudicare, si non vis errare. Sunt quidem promissiones huius generis omnibus prædicandæ, quoniam verbi ministri electos secundum propositum non agnoscunt, cumq; plebem habeant ex reprobis & electis conflatam, Dei promissiones promiscuè omnibus inuulgant: quæ tantùm in illis facultate Spiritus Dei redduntur efficaces, qui cœtui electorum accensentur. Quare non absque ratione Christus pronunciauit, Multos esse vocatos electos verò paucos. Nec dubium est, Paulum ad Rom. docuisse, promissiones minimè pertinuisse ad omnes qui erant ex Abrahamo secundum carnem: sed tantùm ad illos, qui filij promissionis essent.*

14. *Decimaquarta docet, quo pacto Deus velit omnes homines saluos fieri, & Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi. Atq; ostenditur, si hæc dicta contrahantur ad electos, cuius cuius ordinis fuerint: hac interpretatione Scripturas minimè deprauari. Nos profectò sumus in eadem sententia, nec eam expositionem salua conscientia reijcere possumus: quam & congruam esse agnoscimus, & ab Augustino, Patre omnium laudatissimo, non semel allatam: cuius interpretationis ergò à nemine vnquam est hæreseos damnatus.*

De sententijs itaq; seu Thesibus Doctoris Zanchij (viri cùm eruditione, tum pietate ornatissimi) nos re maturè ac bene considerata, pronunciamus, nihil in eis contineri vel hæreticum, vel absurdum. Immò eas amplectimur, partim vt necessarias, partim vt probabiles, quæq; diuinis literis minimè repugnent.

Nec ignoramus, illas habuisse assertores non modò antiquos Patres, verùm & reformatores Ecclesiarum nostri temporis, Lutherum, Capitonem, Bucerum, Brentium, & plerosque alios Euangelicæ doctrinæ illustres propugnatores. Iccirco ne resistamus Dei præcepto, quod Prouerb. 24. habetur, quo mandatur, ne illi desimus qui versatur in summo discrimine, ac ne veritatem deseramus, patiamúrue vnà cum hoc Doctore tot præstantissimos viros, &

de

de Ecclesiis filij Dei bene meritos damnari: visum est nobis omnibus, illi hoc suo tempore, nostro testimonio adesse. in cuius firmam solidamq; fidem, vnanimi consensu & voluntate omnes huic iudicio atque censuræ manu propria subscripsimus.

Datum Tiguri, 29 Decembris, 1561 Anno.

Pastores & Professores Ministri Ecclesiæ Tigurinæ:

Heinrychus Bullingerus.
Rodolphus Gualtherus.
Ioannes Vvolphius.
Petrus Martyr Tigurinæ Scholæ Professor.
Iosias Simlerus.
Ludouicus Lauaterus.
Vvolphgangus Hallerus.
Ioannes Iacobus Vvickius.
Hulderychus Zvinglius F.

Ecclesiæ & Academiæ Basilienſis de iisdem Thesibus Iudicium.

Martinus Borrhaus, suo & sacri Euangelij Doctorum & Ministrorum nomine, eximia eruditione & pietate, & de literis optimè merito viro, D. IOANNI STVRMIO, eiusque venerandis collegis, amicis & fratribus in Christo dilectis, S.D.

CVM his diebus ad nos, IOANNES STVRMI, vir clarissime, Hieronymus Zanchius, sacrarum literarum apud vos professor, venisset: quasdam nobis de doctrina, quam in Schola vestra sparserat, propositiones, de quibus post alios doctos & eruditos viros nostram sententiam exponeremus, proposuit. Nos verò, cùm non exiguam discordiam ob eam doctrinam inter ipsum Zanchium, & quosdam Euangelij ministros excitatam intelligeremus, ita de Thesibus istis iudicare statuimus: vt tu & collegæ tui cognosceretis, Primò, nos propensos paratósque esse, ad reddendum cuiuis de vera doctrina testimonium: à qua Zanchij (clari eruditione & pietate viri) propositiones minimè dissentire iudicamus. Deinde, vestram Ecclesiam, quæ cum nostra semper arctissima amicitia coniuncta fuit, dissidijs scindi, lacerari ac dissipari cœpisse, magnum nobis dolorem adferre: vt solent omnia amicorum, præsertim istorum, quos cælestis amoris Domini nostri Iesu Christi Spiritus conciliarit, communia esse, prospera & aduersa, gaudia & luctus. Demum, vt sciretis nos vehementer cupere (quod vos facere non dubitamus) à vobis operam dari, vt quoad fieri posset, discussa perniciosæ discordiæ nebula, salubris concordiæ lux resplendeat. Quod futurum arbitramur, si quæ aliæ excitati dissidij caussæ, quæ nobis notæ non sint, fuerint, è medio tollantur: & Zanchij doctrina ita explicetur, vt offensi fratres intelligant, eam non dissidij tanquam in re noua, sed veritatis quærendæ studio, studiosis auditoribus ad iudicandum propositam. Nam has propositiones tales esse censemus, quarum quædam aperto sacrarum literarum testimonio comprobentur: quædam cum illis non pugnent: nullæ conscientiam, si rectè exponantur, lædant: quas etiam à veteribus Theologis tractatas constat. Et quoniam semper alia docendi ratio in Scholis, alia popularium concionum ad vulgus fuit (quarum altera, auditorum animi ad grauius sacrarum rerum iudicium formantur: altera indoctus & rudis populus, ad simplicem Christi, quam capiat, cognitionem eruditur) speramus, vtraque ratione consideratа, fore, vt vos pro prudentia vestra, qua polletis, facilè, magna Ecclesiæ vestræ salute, & nostro gaudio, concordiam inter Zanchium & fratres sarciatis. Quod vt fiat, faxit ve-

ræpacis arbiter, & omnium quæ cælo & terra continentur per sacrosanctum sanguinem suum pacificator IESVS CHRISTVS. *Vale, vir ornatissime, cum toto Collegio: Anno* M.D.LXII. *6. Ianuarij.*

De iisdem, Doctorum virorum Epistolæ.

Clarissimo & eruditione & pietate viro, D. Ioan. Sturmio, Rectori Scholæ Argentinensis, præceptori suo charissimo, & perpetua reuerentia colendo.

GRATIAM *& pacem à Deo Patre nostro, per* IESVM CHRISTVM, *in Spiritu sancto. Reuerendissime vir, charissime præceptor, clarissime Sturmi: Fuit apud nos Doctor Zanchius, vir eruditione & pietate clarus, nostris admodum gratus hospes: verùm caussas eius aduentus dolemus. Non enim libenter audiuimus, doctrinam Christi à sancto viro D. Martino Buccro, piæ memoriæ, firmissimis testimonijs Scripturæ & argumentis confirmatam, & à vestris magno applausu tum susceptam, in vestra eadem vrbe nunc condemnari. Qua de re, etsi non libenter nos immiscemus dissidijs, multò minùs fouere studemus: tamen nostram sententiam ei communicare, an dissidium hoc apud vos sopiri possit, non grauati sumus. nec dubitamus, Senatum vestræ vrbis & Scholæ, à Deo pietate & eruditione & prudentia præ multis ornatum, suo loco & tempore curaturum, vt illi morsus Sathanæ curari queant, & sanari: sat hostium externorum habemus, satis digladiatum & pugnatum est à nostris, non sine grauissimo vulnere Ecclesiarum nostrarum, & cæterarum Christi. Tempus esset, vt illud Pauli rectè perpenderemus: Quòd si inuicem mordetis, videte ne inuicem consumamini. Spero Doctorem Marbachium ea prudentia præditum, vt intelligat, quem fructum reportarint nostris Ecclesiis, nostrorum Theologorum disceptationes: eaq; de caussa facilem se præbiturum, vt ista Tragædia sepeliatur. In Scholis licet de multis veris rebus disputare cum fructu, quæ suggestui non conueniunt, neque cum fructu sparguntur in aures vulgi. Candor deest nobis: quo amica collatione priùs omnia tentare deberemus, quæ pacem & concordiam spectant, quàm turbas excitare. Sed hisce de rebus satis. Non dubitamus enim, vestra interpositione in optatum finem perduci posse, quæ Sathan in dissipationem & Scholæ & Ecclesiæ vestræ excitauit. Gaudeo & congratulor tuæ humanitati, quòd alijs tuis præclarissimis prælectionibus adiunxeris libros Chrysostomi, de officio & dignitate ministerij verbi in Ecclesia Christi differentes. Vtinam Ecclesia videat aliquando hosce libros tuis Scholijs illustratos: & orabo Deum, vt cor tuum Spiritu suo extimulet, quo in cæpta professione pergas. Mira enim & iucunda de te audiuimus à D. Zanchio. Hisce iam valeat tua humanitas in Domino* IESV *quàm felicissimè, vnà cum tota domo, Ecclesia & Schola. Oro autem, vt meam audaciam boni consulas, quòd meis illiteratis literis tuam humanitatem alioquin occupatissimam onerarim. Si quid in hac terra est, quod mihi dolorem augeat: est certè dissidium piorum & doctorum virorum in nostris Ecclesiis, eundem Christum confitentium. Raptim, ex Echselio: 18 Augusti, Anno Domini 1561.*

Ioannes Pistorius Niddensis, tuus totus.

Clarissimo doctrina & virtute viro, D. Ioanni Sturmio, amico suo, S.D.

QVOD *tuis literis ad me petijsti, audiui clarissimum virum D. Zanchium. Etsi autem cupiebat mihi non tantùm historiam rei, verùm etiam vniuersam* **disputationem commemorare: tamen, quia absente, & nondum audita altera parte (scis enim illud, μήτε δίκλω) non sumo mihi de hac controuersia iudicium & cognitionem. non potui ei præsertim aliò vocantibus negotijs, hac in re omnino gratificari. Præstiti, quod in præsentia, & in huius caussæ ambiguitate potui. Quædam vtiliter dicit, si æquum habuerint interpretem: quædam probare nondum possum. Et tamen existimo rem non sic deploratam, vt consilio bonorum virorum, quos vestra Resp. insignès habet, non posset componi. Quod igitur vnum licet, oro Deum, vt ostendat vobis rationem, qua istud dissidium, nec Scholæ nec vobis vtile, tollatur. Bene ac feliciter vale. Studgardiæ, die 13 Decembris.*

* *Fuit controuersia: sed sine vlla disputatione. illam enim impetrare nunquã potui: imò nec amicum colloquium.*

Ioannes Brentius.

Ambrosius Blaurerus, Doctori Hieronymo Zanchio.

THESES *hasce tuas, quas non absque magna voluptate legi, mi venerande charissime q; Zanchi, sic totis animis probo, complector & exosculor, vt magis non possim: vtq; valde mecum demirer, inueniri vsquam posse inter puioris religionis, vel nullo, vel ciuno adeo iudicio Theologos, qui ijs suum calculum addere, ac summa consensione subscribere nolint: quibus & Dei gloria maximopere illustrari, & parta nobis per Christum salutis gratia rectè commendari simul, & fluctuantium afflictarumq; conscientiarum tranquillitas & consolatio vnicè, nec vlla alia ratione solidè firmiterq; constare vnquam poterit.*

Excellentissimum virum D. Ioannem Sturmium, Scholæ, adeoq; totius Reip. vestræ incomparabile decus & columen, meis verbis quàm potes honorificè, in solida salute nostra Christo, saluere iube.

Vituduri, 24 Decembris. 1561.

Clarissimo viro D. Ioanni Sturmio, Scholæ Argentinensis Rectori, Domino suo colendissimo S. D.

EVIT *hisce diebus, vir clarissime, apud nos, communis vtriusque nostrûm summus amicus, Doctor Zanchius. à quo cùm audierim, eius caussæ tam longam dilationem: non potui non vehementer dolere, ac sum illius ex animo ac impensè misertus: qui hoc tempore tam incommodo, nec sine magnis sanè sumptibus, præsertim innocens, cogatur oberrare. Nobis quidem fideliter exposuit tum tuam, tum etiam Capituli suæ caussæ iustam & fortem defensionem. Qua de re tibi, atq; tuis venerandis collegis maximas ago gratias. Retulit item, quinque optimis viris consularibus negotium suum & cognoscendum, & definiendum esse commissum: vt auditis nonnullis doctorum virorum sententijs, quid videretur de tota re, denique pronuncient. Sed interea nihil esse actum: & se vereri, ne cunctatio propterea interponatur, quòd iudices delecti, cùm interioris Theologiæ non sint admodum periti, metuant, ne religionis capitibus definiendis*

nonnullorum hominum reprehensionem incurrant. Proinde quamuis non dubitat præclaros illos viros, scriptis vtriusque partis diligenter perlectis, cognitáque vestri Capituli grauissimæ sententia, & duarum Academiarum præclaro iudicio, iam tandem intelligere, neque suam doctrinam esse impiam, neque ipsum pro hæretico habendum: attamen pro charitate Christiana requisiuit à nobis, vt sua dogmata seu θέσεις graui, seueraq; censura examinaremus: & si quid minus orthodoxum in eis deprehendissemus, omni humano affectu seposito, illum vt fratrem admoneremus: sin verò ea quæ docuit vera & sana censeremus, testimonium, & quidem conscriptum, veritati dare non grauaremur: idq; in eum finem, vt Magistratus Argentinensis intelligat, se in sua Schola nihil impium docuisse: ac delecti iudices queant libera tutaq; conscientia, & sine vllo iustæ reprehensionis metu, de tota doctrina iam controuersa, ex multis certisq; Ecclesiarum diuersarum & Euangelicæ Theologiæ Doctorum iudicijs liberè statuere, atque apertè pronunciare. Huic autem non minùs docti quàm pij viri iustissimæ petitioni, per conscientiam, & eam fidem qua veritati sumus obstricti, non potuimus non assentiri. & quamuis nos haudquaquam latet, vt aduersarij nostra testimonia sint pro nihilo habituri, quòd ab illis in caussa Sacramentaria dissentiamus: non tamen absterreri potuimus, quin veritati laboranti opitularemur. Neque nos ita in odio esse arbitramur, vt putemur in gratiam vnius hominis, quantumuis chari atque amici, doctrinam impiam & hæreticam voluisse probare. Immò sumus vehementer admirati, quare ministri Ecclesiæ vestræ hanc doctrinam ausi fuerint damnare: cùm illam, præsertim quo ad Prædestinationem, Ecclesiæ nexus, Perseuerantiam Sanctorum, & promissiones æternæ vitæ, professi fuerint tum Lutherus, tum etiam Bucerus, Euangelij filij Dei concionatores celeberrimi. Et quia verisimile non est, vestros ministros in libris tantorum virorum non esse versatos: reddunt se suspectos, ne potiùs odio personæ, quàm studio veritatis adducantur, cùm doctrinam bonam ceu impiam, & veterem ceu nouam damnant. Quamobrem Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ardentissimis votis oro: vt nos omnes aliquando tandem charitatis mutuæ vinculo coniungat. Te deinde, præstantissime vir, etiam atque etiam rogo, vt quemadmodum cœpisti, bonam caussam tueri pergas: & pro viribus cures, autorq; sis pio & æquiss. Magistratui, vt pura sanaq; doctrina vigeat, in Schola retineatur, nec innocenti homini patiatur iniuriam fieri. Hæc de amici nostri caussa: quæ, te precor, vt in bonam partem accipias, boniq; consulas. Nunc id restat, vt cùm iam acceperim, te animum prorsus appulisse ad sacra studia, vt istam voluntatem plurimùm tibi gratuler: atque horter, vt hunc diuinum instinctum omnibus modis amplectaris. nihil enim Deo gratius, nihil te dignius, nihilq; accommodatius Ecclesiæ necessitatibus moliri potes. Quanta enim sit penuria ὀρθοτομούντων, ipse intelligis. Vtinam cœtus fidelium tandem aliquando sentiat, quantum possis. Vale clariss. vir. Dominus te omnium bonorum genere augeat. Pridie Kalendas Ianuarij, 1562. Tiguri.

Tuus ex animo Petrus Martyr.

Multæ aliæ tum ad Ioannem Sturmium, tum ad ipsum D. Zanchium, doctorum virorum Epistolæ omittuntur: quòd præter probationem huius doctrinæ priuata etiam negotia contineant.

H. ZANCHII

PRÆLECTIONES ALIQVOT,

De fine seculi, in ea 1. Ioan. 2. verba: παιδία ἐσχάτη ὥρα ἐστὶν, &c.

CÆTERVM quia præsens locus, vt aliquid de fine seculi dicam, postulare videtur (nam qui de fine seculi scripserunt, hunc etiam locum adducunt) & hæc quæstio multos vexauit, & adhuc vexat: idcirco quid de ea sentiendum sit, paucis aperiam. Quæstionem autem hanc sex capitibus explicabo. Primū erit: An mundus hic habiturus tandem sit finem. Alterum, An certò à nobis sciri possit, quando futurus sit finis huius seculi. Tertium, an liceat homini Christiano indagare, quando futurus sit finis seculi, & rediturus Dominus. Quartum, quæ sit causſa cur Dominus tempus hoc noluerit, & nolit à nobis sciri. Quintum, de signis quæ præcessura sunt finem seculi: & an ex illis colligi possit certum tempus, quo venturus sit Dominus. Sextum, de officijs Christiani hominis in hac quæstione de fine seculi.

QVod ad primum caput attinet, Tria hominum genera negarunt mundum hunc, finem habiturum. Primi fuerunt philosophi, præsertim Peripatetici. Ii enim senserunt, Mundum hunc & nullum vnquam initium habuisse, & nullum finem habiturum: & ideò humanum genus eo tenore & cursu, quo etiam nunc, sic perpetuò in mundo victurum. Sed ij idcirco ita senserunt, quia destituti lumine verbi Dei, cæca tantùm carnis sapientia, in inquirenda veritate vsi sunt. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Dei. Horum rationes refellere, operæprecium non est. Nihil enim negotij nobis est cum ijs philosophis. Alij, qui negant mundum hunc, finem aliquando habiturum, sunt quidam ἄθεοι, & rerum diuinarum illusores, de quibus Petrus: Illud primùm scitote, venturos in extremis diebus illusores: qui iuxta proprias concupiscentias ambulent, & dicāt, vbi est pollicitatio aduentus eius? si quidem ex quo die patres dormierunt, omnia sic permanent, vt ab initio creationis erant. Sed horū inscitiam, vel insaniam potiùs, refellit certitudo verbi Dei. *2. Petr. 3.*

D. Augusſt. Tom. 2. in Epiſt. 42. ad fratres Maudarenſes, sic ratiocinatur: Omnia alia, quæ futura prędixerat Spiritus S. in Scripturis, euenerūt, vt de aduentu Christi primo, de destructione Hierosolymæ, &c. Idem Spiritus prædixit etiam futurum finem seculi huius, & Christum secundò rediturum. Ergo certò eueniet. Illorum verò illusorum ratiocinationem sic refellit Petrus: Nam hoc nesciunt volentes, « quòd cæli iam olim fuerint, & terra ex aqua, & per aquam consistens Dei sermone, « per quæ mundus, qui tunc erat, aqua inundatus perijt. Qui autem nunc sunt cæli « & terra, eiusdem sermone repositi sunt: & seruantur igni in diem iudicij & perdi- « tionis impiorum. Hæc Petrus: quorum verborum sensum nunc planum faciam. « Quia illusores à diuturno mundi statu, ipsius perpetuitatem probare nituntur, & verbum Dei deridēt: Petrus illorum ratiocinationē refellit hoc argumento: Mundus, sicut sermone Dei ex aquis & per aquas constabat: sic etiam eiusdem Dei sermone, cùm scilicet Domino visum fuit, ijsdem aquis inundatus perijt, finemque habuit: & deinde eiusdem Dei sermone repositus fuit. Historia hæc apertissima est, & fuit res toti orbi notissima, & certissima. Ergo eiusdem Dei sermone, sicut prima vice per aquas, sic secundò per ignem, cùm scilicet Domino visum fuerit, poterit dissolui, & finem habere. Prædixit autem Dominus, futurum finem seculi, & se se-

cundò rediturum. Ergo seculum hoc habebit finem, & Dominus redibit. Seruantur enim nunc isti cæli & terra igni ad diem iudicij, & perditionem impiorum. A diuturno igitur mundi statu, non valet consequentia, mundum esse incorruptibilem, & nunquam finem habiturum: Quia etiam ante diluuium diu durauerat, & tamen postea etiam perijt: & quidem illis rebus, à quibus originem habebat, & sustinebatur, id est, ab aquis. Sic igne, alio mundi elemento, idem mundus peribit. Tertij perpetuitatis mundi assertores: sunt quidam, neq; puri philosophi, qui destituti sint sacris literis: neque etiam illusores, & contemtores rerum diuinarum: sed & Dei timentes, & in sacris literis doctissimi: qualis fuit, præter alios, Philo Iudæus. Is libellum scriptum reliquit, cui titulus est περὶ ἀφθαρσίας τοῦ κόσμου. In eo libello multis argumentis probare conatur, mundum esse incorruptibilem. Ceterùm, si Philo intellexit mundum esse incorruptibilem, quia neque prorsus in nihilum redigetur, neq; etiam in deterius mutabitur: nos quoque cum illo consentimus. Fatemur enim ex verbo Dei mundum renouatum iri: & futurum cælum nouum, & terram nouam. Et certè videtur ita sensisse Philo ex declaratione, qua explicat quid intelligat nomine φθορᾶς. Sic enim habet in initio libri, pag. 645. λέγεται μὲν δὴ καὶ φθορὰ, ἡ πρὸς τὸ χεῖρον μεταβολή. λέγεται δὲ καὶ ἡ τοῦ ὄντος ἀναίρεσις παντελὴς, ἰοῦ καὶ ἀνύπαρκτον ἀναγκαῖον λέγειν. ὥσπερ γὰρ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος οὐδὲν γίνεται (scilicet naturaliter) οὕτω δὲ καὶ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεται. Legerat etiam Philo Psalmos & Prophetas, qui hac de re scripserunt. Sed si secus intellexit: pij Christiani non consentiunt. Testimonia enim Scripturarum apertissima sunt de fine seculi huius. Psalmus 102. Initiò terram fundasti, & opus manuum tuarum sunt cæli: illi peribunt, tu autem permanebis. Omnes illi sicut pannus veterascent: sicut indumentum mutabis illos, & mutabuntur: tu autem ipsemet, & anni tui non deficient. Matth. 5. Vsque dum præterierit cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege. 2. Pet. 3. Veniet autem noctu sicut fur, dies ille Domini: quo cæli cum stridore præteribunt, elementa autem æstuantia soluentur: & terra, & ea, quæ in ea sunt, exurentur. Item: Cæli conflagrantes soluentur, & elementa æstuantia liquescent: sed cælos nouos, & terram nouam secundum promissum expectamus. Hæc Petrus. Hoc igitur primum Caput retinendum est, mundum hunc, qualis iam est, tandem aliquando finem habiturum: hoc est, in melius esse mutandum: Solum verò Deum, omnis mutationis esse expertem.

Quorsum verò hæc doctrina? Petrus docet 3. cap. 2. Epistolæ. Cùm hæc igitur omnia soluantur, inquit, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatis officijs expectantes, & accelerantes in aduentum diei Dei? Argumentum tale est: Cælum & terra renouabuntur in aduentu Christi: quantò magis igitur oportet nos renouari, qui properamus obuiam Christo in aduentum eius? Studendum igitur est perpetuæ renouationi, & corde soli Deo adhærendum: qui solus est omnis mutationis expers: reliqua verò sunt contemnenda, quia omnia mutabuntur, & omnium tandem finis erit. In hũc etiam finem Apostolus noster mentionem primò fecit Vanitatis mundi: deinde dixit, esse nouissimum tempus, quo scilicet instat aduentus Christi. Quorsum hæc? Vt contemto mundo, deinde euitatis Antichristis, fortes in doctrina Apostolica vigilemus, sobriè & iustè viuamus, semper parati ad eundum obuiam Christo.

SEcundum Caput est: An sciri à nobis possit, quando futurus sit finis seculi. An omnes teneamur desiderio cognoscendi quando futurus sit finis seculi, & rediturus Dominus: res est perspicua. Hoc enim desiderium tenuit etiam Sanctos, Prophetas, & Apostolos. De Daniele manifestum est in cap. 12. Postquam audiuisset ab Angelo, id est, à Christo, de Antichristo, quæq; in fine seculi ventura essent, interrogauit Dominum dicens: Domine, quod nouissimum illorum? De Apostolis patet

Matth.

Matth.24. & in Acto.1. Domine, quando hæc erunt? Est igitur innatum hoc omnibus desiderium, futura sciendi: & præsertim, quando finis futurus sit mundi. Sed an hoc sciri à nobis possit, nunc quæritur. Dominus quidem Iesus docuit, nullo modo sciri posse, cùm dixit: De die autem illa & hora nemo scit, ne angeli quidem cælorum, sed Pater meus solus: id est, Certum tempus, quo hæc à me vobis prædicta ventura sint, solus Pater nouit: Singulis tamen temporibus non defuerunt, idque in Ecclesia Christi, qui illud sciri posse tradiderint. Alij quidem certò, ac proinde certum annorum numerum (tanta est humana temeritas) à primo Christi aduentu vsque ad secundum statuere ausi sunt. Alij probabiliter, ita vt in indagando hoc tempore non multum errari posse contenderint: ac proinde quibusdam vsi coniecturis quantum adhuc temporis vsque ad alterum Christi aduentum supereset, vtcunque definire tentarunt. Quanquam verò magnum discrimen est inter illorum temeritatem, & horum curiositatem: tamen sicut illa omnino improbanda atque damnanda est: ita hæc, mihi non satis probari potest. Vera enim pietas postulat, vt certi quidem simus futurum finem seculi, & rediturum Dominum: sed quando, hoc est, quoto vel die, vel mense, vel anno, vel seculo & ille futurus, & hic rediturus sit, ingenuè nos ignorare, & nullo modo posse scire, iuxta doctrinam Christi, fateamur necesse est. Ac proinde iuxta eiusdem Christi mandatum, quotidie vigilemus & oremus: expectantes in dies & horas Dominum nostrum Iesum Christum: semper parati, cum lampadibus luce fidei accensis, & oleo bonorum operum instructis, obuiam illi prodire. Sed videamus, quæ fuerint ista de tempore finis seculi, & reditus Domini, hominum iudicia. *Matt.24*

Temporibus Apostolorum fuerunt qui dicerent: Etsi non possit sciri dies & hora aduentus Domini: tamen non procul ab fuisse ab eo tempore diem Domini, & finem seculi. Alij dicebant, hanc fuisse doctrinam Apostolorum: Alij, hoc fuisse nuper reuelatum: alij, rationibus & coniecturis persuadere hoc conabantur. Sed hos repressit Apostolus, dicens: Rogo autem vos fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostri & ipsius aggregationem: ne citò dimoueamini à mente, neque turbemini vel per Spiritum, vel per sermonem, vel per epistolam tanquam à nobis scriptam, quasi instet dies Domini. Docet Apostolus, impostores quosdam tribus vsos fuisse vijs ad persuadendum, instare diem Domini: Primò reuelationibus, quòd hoc certò scirent per Spiritum reuelationis. Secundò, ratiocinationibus & coniecturis: ideò dixit, vel per sermonem: Tertiò, epistolis suppositicijs, & testimonijs Apostolorum: ideò dixit, per Epistolam. Sed quid Apostolus? Ne dimoueamini, inquit, quasi instet dies Domini: quia nisi venerit discessio primùm, &c. Docuit, priùs futuram vniuersalem ἀποστασίαν, vel (vt volunt alij) defectionem Romani imperij: & reuelatum iri Antichristum cum suo regno, antequam veniat dies Domini. Sed quamdiu post aduentum Antichristi esset futurus finis seculi, & dies Domini, centum, mille, an plures annos; Apostolus non docuit. Quare? Quia neq; ipse sciebat, iuxta illud Matth. 24. De die autem illa, & hora, &c. Ecce quid tempore Apostolorum etiam inter fideles sparsum fuerit de fine seculi. eos verò errasse, res ipsa docet. *2.Thess.2*

Post Apostolorum tempora etiam non defuerunt, qui certum annorum numerum definierint, vsque ad secundum Christi aduentum, & finem seculi. Inter gentes prophanas vulgatum fuerat, tanquam diuinum oraculum: Religionem Christianam, postquam Christus cœpit coli, duraturam annos duntaxat 365. & mox finem habituram. Recitat hoc August. Tom.5. de ciuitate Dei, lib.18. cap.53. & quàm falsum fuerit, ostendit cap.54. Quia verò post finem religionis Christianæ in terris mox erit finis seculi: ideo nonnulli Christiani hoc oraculo permoti, putabant post elapsos illos 365. annos, mox finem seculi futurum. Apparet quàm fœdè etiam ij hallucinati fuerint.

Tem-

Tempore etiam Cypriani, qui floruit post Christum anno circiter 250. credebatur instare finis seculi. Apparet hoc ex Epistolis Cypriani: immò in libello ad Fortunatum, de exhortatione martyrij (si tamen Cypriani est) initiò pag. 244. leguntur hæc verba: sex millia annorum plenè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Etsi liber non est Cypriani: apparet tamen, quæ tum temporis, cùm hic liber editus fuit, in Ecclesia apud multos de fine seculi opinio fuerit: tunc scilicet sex millia annorum compleri cœpisse, & consequenter finem seculi cœpisse instare. Quàm verò fœdè errarint, res ipsa docet.

Tempore Lactantij: qui floruit anno circiter 317. post Christum natum, qualis esset opinio in Ecclesia de fine seculi, patet ex eius Institutionibus. lib. 7. cap. 25. ait: Omnis expectatio (scilicet finis seculi) non amplius quàm ducentorum videtur annorum.

Tempore etiam Augustini, Hieronymi, & talium virorum, permultos fuisse in hac sententia de proximo fine seculi, apparet ex libris August. Tom. 5. de ciuitate Dei lib. 18. cap. 53. narrat quosdam statuisse ab ascensione Domini vsque ad finem seculi, annos 400. alios verò 500: alios 1000. Sed omnes deridet Augustinus, & refutat dictis Domini Actor. 1. Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Matth. 24. De die autem illa & hora, &c.

Quidam etiam Episcopus tempore Augustini, nomine Hesychius, videbatur sentire: Etsi de die & hora aduentus Domini nemo scire potest, sicut Dominus dixerat: tamen certum aliquod tempus & annorum spacium statui posse ab aduentu primo Christi in carnem, vsque ad secundum eiusdem aduentum. Proinde Christianis inquirendum esse hoc tempus. Et hac de re scripserat ad August. Tom. 2 epist. 79. Præter alia Scripturarum loca, quibus in hanc sententiam abutebatur, fuit & ille locus Daniel. 9. de LXX. hebdomadibus. Illum enim locum posse intelligi de tempore, quod ab aduentu Christi in carnem, vsque ad alterum Christi aduentum intercedit. Vel saltem à simili sic posse colligi: Sicut à tempore prædicti vaticinij Danielis vsque ad primum Christi aduentum, interceserunt hebdomadæ annorum 70. sic etiam à tempore primi aduentus vsque ad secundum, interceßuras totidem annorum hebdomadas. Inde igitur colligi posse certum tempus, vsque ad finem seculi. Sed Augustinus docet, locum Danielis nullo modo posse de tempore aduentus secundi intelligi. Qui volet, legat reliqua Scripturarum testimonia, quibus abutebatur Hesychius ad suam sententiam probandam: & deinde legat responsiones Augustini ad singula loca, epistola ad Hesychium 80.

Ad illud verò quod Dominus dixit Apostolis, Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, &c. sic respondebat Hesychius: Illud tantùm fuisse dictum Apostolis. noluisse enim vt illi hoc scirent: quia noluit eos testes esse consummationis mundi, sed suæ tantùm passionis & resurrectionis. Ceterùm voluisse, vt nos alij tempus hoc mundi consummationis agnoscamus. Et huc trahebat etiam illam Christi reprehensionem, qua Pharisæos reprehendit, dicens: Vos nostis iudicare faciem cæli, & non nostis tempus visitationis vestræ? Interpretabatur hoc, ille Episcopus de tempore secundi aduentus Christi, cùm tamen de primo aduentus tempore locutus sit Dominus. In summa concludit Augustinus, ex nullis Scripturarum locis colligi posse tempus de fine seculi, vel Christianis esse inquirendum, cùm scriptum sit, & omnibus dictum, Non est vestrum nosse tempora: vel sciri à quopiam posse, cùm scriptum sit, De die autem illa & hora, id est, de tempore reditus Domini, nemo scit.

Sic Gregorius Papa à corruptis moribus sui seculi & varijs prodigijs suo tempore visis, subinde solitus erat dicere: Suum seculum non longè abfuisse à fine mundi. Sed ipse quoque falsus fuit.

Nunc

Nunc venio ad noſtri ſeculi homines. Multi ijque doctiſſimi & pij viri ſenſerunt, etſi nullum certum tempus inter primum & ſecundum Chriſti aduentum certò ſtatui poteſt: probabilibus tamen coniecturis, quantum adhuc vſque ad finem ſeculi temporis ſuperſit, vtcunque ſciri & indicari poſſe. Res ipſa nondum patefecit, an hallucinentur, nec ne: qui longè poſt nos ſequentur, an ij pij & docti viri fuerint in ijs ſuis coniecturis falſi, nec ne, intelligent. Illud verò tantùm ego contendo, coniecturas quas afferunt, eſſe admodum infirmas: proinde illis nihil de tempore finis ſeculi probari aut definiri poſſe. Præcipuas proferemus, & eas examinabimus. Prima coniectura horum hominum, ſumitur à ſex millibus annis, quibus dicunt mundum duraturum. Hebræi enim ſcriptum reliquerunt in ſuis libris, præſertim in Sanedrin, hoc fuiſſe Eliæ Prophetæ vaticinium: Sex millia annorum erunt ſeculi: duo millia inane: duo millia lex: duo millia Meſſias. Et ſi quid ex illis defuerit, defuturum propter peccata noſtra.

Irenæus quoque libro 5. cap. vltimo concludit, mundum ſex tantùm millibus annorum duraturum. Collegit autem hanc ſuam commentationem non ex Hebræis, ſed ex ſimili ſex dierum, quibus creatus fuit mundus: poſt quos ſex dies, fuit Sabbathum, id eſt, dies requietis. Hoc autem (ait) eſt & præteritorum narratio, & futurorum prophetia. Dies enim vnus mille annos ſignificat, ſicut Scripturæ teſtantur: & 2. Petr. 3. Mille anni ante Dominum, ſicut dies vnus. Ergo ſicuti conſummatus fuit mundus in ſui creatione intra ſex dierum ſpacium, & poſtea quies: ſic in ſui fine conſummabitur intra ſpacium ſex millium annorum, deinde vera & perpetua quies ſubſequetur.

Lactantius quoque Firmianus lib. 7. cap. 14. ait, Sex millium annorum ſpacio conſummatum iri mundum: & ex eodem fonte, vnde & Irenæus, hanc coniecturam accepit. Hanc ſententiam de duratione mundi vſque ad ſex millia annorum, multi amplexi ſunt. Vnde & Gregorius Papa Tom. 2. in 9. cap. lib. 1. Reg. colum. 1415: Mundus, inquit, ſex diebus conditus eſt, & ſex ætatibus conſummatur. Addunt poſtea, non completum iri perfectè ſextum millenarium: idque partim probant ex vaticinio Eliæ, partim ex dicto Chriſti Matth. 24. Et niſi decurtarentur dies iſti, &c.

Quanquam enim ibi loquitur de deſtructione Hieroſolymæ: tamen etiam de tempore conſummationis mundi intelligi poſſe volunt. Cùm hæc ita ſe habeant, aiunt: Duo millia fuerunt ante legem, duo millia poſt legem (idque iuxta ſupputationem Hebræorum) & de duobus millibus Meſſiæ iam elapſi ſunt mille quingenti & ſexaginta: ſuperſunt autem 400. & ex eis etiam aliquot adimentur: ergo non poteſt durare mundus ſupra annos maximùm 400. circiter. Hæc eſt prima illorum coniectura. Sed quis non videat, quàm ſit imbecilla? Primò enim dictum Heliæ, quo nituntur, non eſt authenticum. Valet quidem aduerſus Iudæos, qui vaticinium illud admittunt: ad probandum, veniſſe Meſſiam, cùm iam elapſi ſint anni quinquies mille & 560: ſed ad finem ſeculi demonſtrandum, nihil valet.

Ratiocinatio etiam Irenæi & Lactantij nimis infirma & debilis eſt: ideò iurè eam refutat Auguſtinus. Deinde hoc dico eſſe contra verbum Dei. Nam Dominus ait, neminem ſcire poſſe, quando ſit futurus finis ſeculi. De die autem illa, &c. Si igitur vera eſſet hæc ſententia de ſex millibus annorum; facilè poſſemus ſcire quando futurus eſſet finis ſeculi. Hoc autem eſſet contra verbum Chriſti. Ergo falſa eſt ſententia de duratione mundi per millia annorum ſex

Secunda coniectura colligitur ex quatuor Monarchijs mundi, quæ Daniel. 2. & 7. deſcribuntur. Res ita ſe habet. Deſcribuntur quatuor Monarchiæ mundi, ita vt vna aliam ſubſequatur. Prima eſt Monarchia Chaldæorum & Aſſyriorum: ſecunda Perſarum: tertia Græcorum: quarta Romanorum. Illis quatuor

tuor Monarchijs destructis, id est, illis tribus funditus deletis: & quarta in varia regna, ceu in partes dissecta: prædicit Daniel cap. 7. exoriturum cornu vnum, inter illa decem priora cornua: id est, regnum vnum alijs fortius & potentius, quod loquetur grandia, &c. Et cùm istud regnum per vnum cornu significatum, venerit vsque ad summam potentiam, ita vt putet se posse mutare tempora & leges: mox futurum iudicium, & Christum æternùm regnaturum. Hoc autem cornu, quod è Romano Imperio ortum est, interpretantur Turcarum regnum. Sic itaque colligunt: Tres Monarchiæ perierunt funditus: Monarchia quoque quarta perijt, quia in varias partes diuisa est. Cornu autem, id est, imperium Turcarum, circa tempora Heraclij cœpit erumpere (eo enim tempore cœpit Mahomet regnare.) Hoc autem regnum Turcicum ferè vsque ad summum fastigium peruenit: prævalet sanctis, & parum abest quin putet iam se posse mutare leges & tempora. Cùm autem hoc contigerit, veniet antiquus dierum. Ergo parum temporis supereſt ad aduentum Christi secundum.

Respondeo: Si intelligunt minus temporis nunc supereſe, quàm antea: verissimum est. Si etiam quod supereſt, parum esse dicant præ æternitate regni Christi: hoc etiam damus, vt certissimum. Sed si intelligant parum temporis supereſe, id est, supereſe adhuc vel 100. vel 200. vel 300, &c. annos: dico, nihil posse concludi ex his Danielis locis: qui variè etiam ab interpretibus explicantur. nam vt communem sequar interpretationem: Primùm in 2. cap. describit quatuor Monarchias, & de Rom. quidem imperio quinque vaticinatur. Primùm describit illius potentiam, quòd scilicet tanquam ferrum, omnia regna reliqua esset domiturum. Deinde illius inter se diuisionem, quòd scilicet inter se futurum esset diuisum. Tertium, eius crudelitatem ac sæuitiam, quòd scilicet sanguinis & affinitatis vincula non esset curaturum præ sæuitia. Quartum, varias calamitates & ruinas, quòd scilicet varijs cladibus, ac præsertim inteſtinis dissidijs & bellis esset afficiendum. Quintum, eius durationem, quòd etsi in multas partes, tanquam duo pedes in decem digitos, diuisum, frangendum erat, qua pedes lutei erant: tamen quia pedum plantæ ferreæ, duraturum esset, nimirum vsque ad aduentum Regis cæli secundum. Postquam verò hæc de Rom. imperio ratiocinatus fuit Daniel, mox subdit de regno Christi vaticinium: Christum inquam derepentè omnia illa regna destructurum, & solum regnaturum in æternum. De duplici autem Christi aduentu vaticinatur: de eo qui fuit in carne cum Euangelij prædicatione: & de eo qui futurus est in gloria. Ac de primo quidem ait: & in diebus regum illorum excitabit Deus cæli, regnum, quod in æternum non corrumpetur. Non ait, post dies regum illorum: sed, In diebus, &c. Christi enim regnum, cùm regnarent adhuc Romani, & toti orbi dominarentur, in terra excitatum fuit: & annos ferè sexcentos, regnantibus adhuc Romanis, durauit, nimirum ad Heraclij tempora: & etiamnum durat, durabitque in finem vsque mundi. Postea de secundo aduentu Christi, cùm scilicet regnum tradet Deo & Patri, subactis omnibus inimicis suis, ait, Demum, quòd vidisti, quòd à monte præcisus lapis ille, sine manibus comminuit ferrum, æs, testam, argentum, aurum: Deus magnus significauit regi, quid futurum sit post hæc. Hæc Propheta. Atque ita legit & interpretatus est doctissimus Oecolampadius: adducto etiam D. Hyppolito: qui ait: λίπος ὁ παπέσων τὴν εἰκόνα καὶ σωτρίβων, ὁ πληρώσας τὴν γὴν χρισὸς, ἐρχόμενος ἀπ' ἀρχαιῶν, καὶ ἐπάγων τῷ κόσμῳ κρίσιν.

Ceterùm hîc nulla ponitur temporis præscriptio, à primo vsque ad secundum Christi aduentum. Quare ex hoc vaticinio, quod est in 2. cap. Daniel. nihil de fine seculi, an futurus sit hinc ad 100, vel 200, vel ampliùs annos, concludi potest. Quanquam vt alij volunt, simplicior eius loci interpretatio fuerit, si intelligatur, non tam de personæ Christi, quàm de regni eius exortu, progressuque per vniuer-

uersum orbem in finem vsque mundi, deque sempiterna eius continuatione. Sic enim explicatur ab ipso Daniele in eodem capite. Hoc autem modo, quid inde potest de certo tempore finis seculi colligi? Regnum Christi, prout propagabatur Euangelij prædicatione per totum orbem terrarum, sic etiam simul regnum Romanorum, id est, quartam Monarchiam, cum suis idololatrijs euertebat, atque etiam nunc imaginem illius euersæ Monarchiæ, regnum nimirum Antichristi semper euertit, & euertere perget in finem vsque seculi, donec penitus aboleat. Certum enim est non futurum finem seculi, antequam totum hoc Antichristi regnum aboleatur, vt docet Apostolus, in 2. Thess. cap. 2.

Sed quis definire queat tempus, quo regnum Antichristi finem omnino habiturum sit? Qui hoc poterit efficere, effecerit & illud.

Deinde sunt, qui vaticinium Danielis minimè de altero, sed de priori tantùm Christi aduentu intelligi velint: & ita etiam illud, quod est cap. 7. Hoc enim fuisse Dei consilium, vt Nebucodonozori significaretur, quænam regna essent secutura, & quódnam postremum omnium, regnum nimirum Christi: atque hoc futurum perpetuum, alijs omnibus collapsis: quandiu autem illud esset in terris duraturum, hîc non agi, neque per Danielem voluisse Deus nobis significari, cùm ne per filium quidem ipsum illud voluerit. Iuxta hanc interpretationem, nihil ineptius fieri potest, quàm si ex hoc Danielis vaticinio, aliquid certi de tempore finis huius mundi concludere velis.

Postremò non desunt, qui sic verba Danielis interpretentur, vt nullo modo velint, eum de Monarchia Romana quippiam dixisse: sed quæ de hac alij omnes interpretati sunt, ea esse de regno Seleucidarum intelligenda: idque propterea, quòd à nullo vnquam regno fuerit peiùs & duriùs tractata Ecclesia Iudaica, ante aduentum Christi, quàm ab isto, & præsertim ab Antiocho Epiphane, quem intelligunt nomine vltimi cornu. Daniel. 7.

Ac, qui sic interpretantur, ij rationes habent non contemnendas interpretationis suæ. legantur annotationes Tremellij & Iunij. Si verò hanc admittamus interpretationem: quid opus est, ex Daniele coniecturam sumere, de tempore finis seculi, cùm nihil minùs, quàm de hac re cogitarit?

Atque ex his patet responsio ad locum ex cap. 7. Vbi volunt nomine vltimi cornu intelligi debere Turcicum imperium.

Primùm enim negari non immeritò potest, illo vltimo cornu Turcicum imperium significari. Nam antiqui Patres, tam Græci, quàm Latini, per cornu illud intellexerunt Antichristum cum suo regno: & hunc quidem (Patrum sententiam refero) venturum sub finem seculi, eumque derepentè inter decem cornua, id est, inter decem reges exoriturum: sed quando venturus sit, à nobis sciri non posse. Quare neque debere nos præoccupare consilium Domini, vt inuestigemus, quando ista ventura sint. Audiamus D. Hyppolitum, hunc Danielis locum explicantem: ὥσπερ οὖν τῆς παραβάλεως εἶπεν ὁ προφήτης, ὅπου τέσσαρες κεφαλαὶ τῷ κυρίῳ, καὶ ἐγένετο, καὶ ἐμερίσθη ἡ βασιλεία Ἀλεξάνδρου, εἰς τέσσαρας ἀρχὰς, οὕτω καὶ νῦν προσδοκᾶν δεῖ, ἕως ἀναδῶσιν δέκα κέρατα ἐξ αὐτῆς τούτης (scilicet βασιλείας, id est, imperij Romani) ὅταν ὁ χρόνος τοῦ ῥηθῆναι πληρωθῇ, καὶ τὸ μικρὸν κέρας, ὅπερ ἐστὶν ὁ ἀντίχριστος, ἀναφανῇ αὐτοῖς ἀφνιδίως ἀναφανῇ· καὶ ἡ δικαιοσύνη ἐκ τῆς γῆς ἀρθῇ, καὶ ὁ πᾶς κόσμος, εἰς σωτέλειαν παρῇ· ὥστε δὲ προλαμβάνειν ἡμᾶς δεῖ τὴν τοῦ θεοῦ βουλὴν, ἀλλὰ μακροθυμεῖν καὶ δέεσθαι, ἵνα μὴ εἰς πιστοὺς χρόνους ἐπέσωμεν, οὔτε μὴν ἀπιστεῖν ὡς μὴ μέλλοντα γίνεσθαι. εἰ γὰρ πέρατα ὅσα προεῖπον οἱ προφῆται, καὶ ἐγένοντο, μήτε ταῦτα προσδοκᾶν. εἰ δὲ ἐκεῖνα ἐγένοντο κατὰ καιρὸς ἰδίους καθὼς προείρηται, πάντως καὶ τοῦτα πληρωθήσεται.

Hieronymus quoque hunc locum Danielis de Antichristo interpretatur, & quid intelligat nomine Antichristi docet: hancque sententiam esse ait omnium scriptorum Ecclesiasticorum. Verba Hieronymi hæc sunt: Ergo dicamus, quod o-

mnes ſcriptores Eccleſiaſtici tradiderunt, in conſummatione mundi, quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter ſe diuidant: & vndecimum ſurrecturum eſſe regem paruulum, qui tres reges, de decem regibus ſuperaturus ſit, id eſt, Aegyptiorum regem, Aphricæ & Aethiopię, ſicut in conſequentibus manifeſtiùs dicemus. Quibus interfectis, etiam ſeptem alij reges victori collum ſubmittent. Et ecce, ait, oculi, quaſi oculi hominis erant in cornu iſto. Ne eum putemus, iuxta quorundam opinionem, vel diabolum eſſe, vel dæmonem: ſed vnum de hominibus, in quo totus Sathanas habitaturus ſit corporaliter: & os loquens ingentia. Eſt enim homo peccati, filius perditionis, ita vt in templo Dei ſedere audeat, faciens ſe quaſi Deum.

Dominus autem Bullingerus, ſcriptor grauiſſimus, conſentit cum Patribus in huius cornu interpretatione: Sed ex hiſtorijs demonſtrans, Antichriſtum iam veniſſe, tria alia cornua excidiſſe, ipſum verò alijs ſibi ſubiectis creuiſſe, ſuumque regnum ampliaſſe, & Romæ ſolium habere ſuum. Quid verò ſi cum Caluino acutiſſimo & doctiſſimo interprete, nomine huius cornu intelligere velimus (vt certè non pauci eius ſequuntur interpretationem) ipſum Iulium Cæſarem, & reliquos qui ei ſucceſſerunt, Auguſtum, Tyberium, Caligulam, Claudium, Neronem, & alios Cæſares? imperiumque horum Cæſarum?

Quid ſi cum alijs dicamus, cornu illo ſignificatum fuiſſe Antiochum Epiphanem? Is enim Iudaicam politiam vehementiſſimè omnium afflixit, & cultum euertit, & idololatriam introduxit, quemadmodum apertè explicatur Macchab. 1. Vt non ſit opus alio interprete: qua in re fuit verus Antichriſti typus. Quid verò ex his de fine ſeculi colligi poteſt? Daniel nihil adhuc egit de altero aduentu Chriſti, cùm verſetur in explicandis illis Monarchijs, quæ præcedere debuerunt primum aduentum.

Tertia coniectura, à tempore quo Antichriſtus reuelatus, regnaturus eſt, ducitur. Scripturæ videntur tradere (inquiunt nonnulli) Antichriſtum regnaturum annos tres cum dimidio. Huc refertur illud ſuprà dictum tempus Danielis: Tempus, Tempora, & dimidium Temporis. Sed locus clarior eſt in Apocal. 11. Datum eſt gentibus (id eſt, Antichriſto & eius membris) & ciuitatem calcabunt menſibus 42. 42 autem menſes, tres annos cum dimidio conficiunt. Poſt elapſum autem hoc tempus Antichriſto conceſſum in Sanctos, docet Ioannes in Apocalyp. 17. Agnum venturum, qui Antichriſtum interficiat. Sic itaque ratiocinantur. Antichriſtus poſtquam reuelatus fuerit, tres annos cum dimidio tyrannidem exercebit in ſanctos, & poſtea veniet Chriſtus. Anni iſti ſunt (vt ipſi interpretantur) anni iubilæi. ita vt vnus annus, 50. annos naturales ſignificet, & ita tres anni cum dimidio, conficiunt annos 175. Antichriſtus eſt Papa, & hic iam reuelatus eſt annis abhinc circiter 45. Superſunt igitur adhuc vſque ad ſecundum Domini aduentum, anni circiter 130. Et ita certum aliquod tempus de fine ſeculi ex Scripturis colligi poteſt.

Reſpondeo: Hæc etiam coniectura debilis & infirma eſt. Nam primò, nomen annorum trium cum dimidio, Patres acceperunt pro annis naturalibus: & dixerunt, tot annos naturales regnaturum Antichriſtum, ante aduentum Chriſti. Quare firmum non eſt, quod pro annis Iubilæis interpretantur.

Deinde, etſi non nego, regnum Papæ eſſe regnum Antichriſti, quatenus in eo permulta defenduntur, quæ ex diametro pugnant cum doctrina Chriſti: ac proinde etiam non inficier, ipſum Papam, dum regnum illud pugnans cum regno Chriſti defendit, & doctrinæ Chriſti ſeſe pertinaciter opponit, eſſe Antichriſtum: negari tamen non poteſt (tanquam ſcilicet probabile) quin ſub finem ſeculi futurus ſit quidam homo in Eccleſia Chriſti, qui reliquos omnes Antichriſtos malitia, potentia, &c. ſuperet: quique editurus ſit miracula. Et de hoc homine aliquis conten-

contendere poterit, vaticinium illud Ioannis, adde & Danielis de tribus annis cum dimidio, quibus ille regnaturus dicitur, intelligi posse: vt neque à Patrum sententia discedat prorsus: neque interim diffiteatur id, quod omnes nostri consentienter docent atque demonstrant, de Antichristi aduentu. Quare quòd argumentantur à tempore reuelati Antichristi in Papa Romano, ad tempus finis seculi: ibi paralogismus est ὁμωνυμίας, cùm Antichristus aliquando capiatur pro omni eo, qui doctrinæ Christi sese opponit pertinaciter: aliquando pro toto regno Antichristi: aliquando κατ' ἐξοχὴν pro excellentissimo omnium nebulone, qui in regno Antichristi super eius thronum, sub finem seculi sessurus est.

Postremò, etiamsi demus vaticinium illud Ioannis de regno Antichristi iam reuelati intelligendum esse: non tamen ex illo 42. mensium numero inferri potest, superesse adhuc 130. annos circiter, propterea quòd anni illi sint anni Iubilæi. Nam hanc annorum interpretationem, quòd scilicet sint anni Iubilæi, facilè quis reijciet: & contendere iustè poterit, numerum certum pro incerto positum fuisse, & ita etiam D. Bullingerus interpretatur: vt tale tempus ponatur ab Angelo, quod Deo quidem certum sit, nobis verò incertum. Et reuera meo etiam iudicio aliter intelligi non potest illud tempus. Nam si esset certus nobis numerus; vtique possemus scire quando futurus sit seculi finis. Atqui hoc sciri non potest, propter verbum Christi: De die autem illa & hora nemo scit. Nihil igitur certi ex hoc ἀποκαλύψεως loco, de tempore finis seculi concludi potest.

Quarta etiam coniectura, ad illam quam deducunt ex tempore quod ponitur ex Danielis 12. refertur: a tempore oblationis iugis sacrificij, & positæ abominationis desolationis, dies erunt 1290. Beatus qui expectat, & attinget dies 1335. Etsi (inquiunt) videtur hic numerus de bellis Machabæorum vaticinari: tamen aliquid etiam significat de fine mundi. Volunt igitur per dies intelligi annos, & designari annos mundi, qui reliqui erant à tempore Danielis vsque ad finem seculi. Sunt autem primùm anni 1290, deinde additi 1335. ij omnes simul sumti, dant annos 2625. A tempore autem quo Daniel hoc edidit vaticinium, vsque ad primum Christi aduentum, fluxerunt anni circiter 600. Restant igitur adhuc vsque ad finem à Christo nato, anni 2026. Nunc autem, anno scilicet 1561, ex ijs 2025 annis, fluxerunt anni 1560. Supersunt igitur adhuc vsque ad finem seculi, anni circiter 425.

Respondeo. Hinc etiam nihil concluditur. principiò nullo modo conuenit cum Prophetæ vaticinio: vt hæc de bellis Machabæorum intelligantur, quæ aduentum Christi antecesserunt: eoque nec de profanatione Templi, quæ sub Antiocho contigit. Apparet enim manifestè, Prophetam in fine suæ prophetiæ, de his quæ post vltimam templi destructionem, totiusque cultus Mosaici abrogationem (vt in capitis 9. fine prædixerat propheta) in finem vsque mundi, euentura erant Ecclesiæ, vaticinari: id quod & Christus hunc citans locum Matth. 24. manifestè docuit, quum dixit: quum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta. De desolatione ergo seu templi euersione, quæ iugis sacrificij, hoc est, totius Mosaici cultus abrogationem secuta est, loquitur Propheta, Christo ipso interprete: non autem de illa profanatione, quæ sub Antiochi tyrannide contigit. Adde quòd cap. 8. Daniel isti, quæ futura erat per Antiochum, attribuit dies 2300: huic autem 1290. ita manifestum fit, tempus de quo hîc loquitur Daniel, incepisse ab vltima abominanda & perpetua templi vastatione, quæ per Romanos facta fuit: & continuari ad finem vsque mundi: quo Daniel vnà cum alijs à sua quiete, hoc est, à monumento, in quo quiescit, resurget, stabitque viuus in sua sorte: hoc est, in æterna beatitudine, post finem omnium dierum. Quod cùm ita se habeat: consequitur, nullam temporis de quo hîc loquitur Propheta, partem referri posse ad annos, qui Christi aduentum præcesserunt. Quare non valde peritè faciunt, qui

ex his duobus numeris 1290, & 1335 ita conficiunt annos 2625, vt 600 referant ad tempus, quod Christi aduentum in carne præcessit: Ac tum inde colligunt superesse à primo Christi aduentu vsque ad secundum, annos 2026. certè si distinguendi sint, & deinde coniungendi isti duo numeri, & dies pro annis accipiendi: fateri oportebit, à iugis sacrificij, hoc est, sacrificiorum omnium Mosaicorum abominatione, & vastatione vsque ad vltimum Christi aduentum intercedere annos 2625. Ceterùm quòd etiam duos istos numeros, quasi re ipsa diuersos distinguunt, & posteà coniungunt: nullam habet firmitudinem. Non desunt enim viri & illi quidem magni, qui idem vtroque numero significari velint: nempe multo quidem tempore affligendam fuisse & esse Ecclesiam in finem vsque mundi, sed tamen fortiter esse perseuerandum & exspectandam liberationem: quia cùm nihil minus cogitabitur, quàm de liberatione à malis istis, tum demum derepente, & quasi in medio temporis cursu eripietur ex his omnibus Ecclesia. Adde quod dici potest, vt multi volunt, numerum hîc, sicut etiam suprà, certum pro incerto poni: id quod Angelus innuere voluisse videtur, quum de eodem tempore loquens, varium ponit dierum numerum: primùm 1290: deinde 1335. si enim à tempore ablati iugis sacrificij, non erant vsque ad finem, nisi 1290 dies, quibus affligetur Ecclesia: quomodo statim subdit beatum illum futurum, qui in hac malorum tolerantia perstiterit fortis vsq; ad dies 1335? causam certè non video: nisi quia voluit significare idem tempus alijs magis, alijs minus visum iri diuturnum: eoq; incertum nobis esse totum illud temporis spacium. Omitto quòd Patres & alij nonnulli locum hunc intelligunt, sicut & alterum in cap. 7. de tribus annis cum dimidio, quibus vltimus ille Antichristus regnaturus esse, apud antiquos dicebatur. nam dies 1290, idem sunt ipsis, quod & tempus, tempora & dimidium temporis: quia conficiunt annos tres cum dimidio: Denique sunt qui velint hîc esse repetitionem, atque explicationem eius: quod etiam suprà ad finem capitis 9. dixerat, de tempore scilicet intra quod iugi sacrificio funditus abolito, ipsum quoque templum per Romanos euertendum erat, nunquam reædificandum: nempe intra annos tres cum dimidio plus minus: tanto enim tempore protractum & confectum fuit illud bellum: quod mox insecuta est, tum vrbis, tum totius gentis horrenda vastatio. Atque ita legunt angeli verba: Ac de tempore quo tollendum (dixi) iuge sacrificium, & ponendam abominationem desolationis: dies sunt 1290. & hunc aiunt verum esse sensum: Rogasti Daniel, quis demum rerum omnium finis futurus sit: ostendi tibi, finem istum clausum & obsignatum esse: neque tibi aut vlli mortalium amplius quicquam eius reuelandum, quàm reuelatum est. At de fine sacrificiorum, politiæ, gubernationisque Iudaicæ, adeoque de bello à Romanis inferendo Iudæis, de quo antea quoque in cap. 9. differui, si scire certum cupis, quando hoc finiendum sit aut quibus terminis concludendum: certissimam possum tibi commonstrare supputationem: nempe finiendum hoc intra dies 1290: imò intrà dies 1335. Sic illi. Ergo ex Daniele nihil certi de tempore finis seculi colligi potest: nisi quòd tempus hoc definitum quidem est apud Deum: sed nobis ignotum: & quòd per illud tempus affligetur Ecclesia mirabiliter. Danieli enim inquirenti hunc finem, responsum fuit: Abi Daniel, quia clausa & obsignata sunt verba, vsque ad tempus finis: Multi purgabuntur & dealbabuntur & conflabuntur, & impiè agent impij. Daniel. 12.

Quinta coniectura, 1. Timoth. 4. Spiritus enim dicit, quòd in nouissimis diebus discedent quidam à fide, &c. Item 2. Tim. 3. in nouissimis diebus erunt tempora χαλεπὰ, homines sui amantes, &c. Respondeo: Etiam cùm hæc prædicebat Apostolus, permulti tales erant in mundo. ideo ait, Sed & hos deuita: ex ijs enim sunt qui penetrant domos, &c. At nunc plures tales. Respondeo: Quid si multò plures & peiores futuri sint post nos, & præsertim in fine mundi? Augustinus quoque

ita

ita ad argumentum ex hoc loco Apostoli ductum, respondet in Epistola ad Hesychium.

Aliæ quoque afferuntur coniecturæ: sed hæ quas commemorauimus, sunt præcipuæ. Ex ijs autem nihil certi posse concludi de tempore finis seculi, demonstrauimus. Concludimus igitur, tempus de fine seculi, nimirum vel quoto die, vel quoto mense, vel quoto anno, vel quoto seculo futurus sit, & rediturus Dominus: neque vlla certa scientia, neque vllis firmis coniecturis cognosci ab vllo mortalium posse: idque propterea, quòd Deus non vult, vt ab alijs præterquam à se cognoscatur. iuxta illud: De die autem illa, & hora, &c. Illud quidem scimus, quotidie viciniorem nobis fieri finem seculi: sed quando tandem futurus sit, sciri à nobis non potest.

Hæc est mea de hac quæstione sententia: quam & piam & S. literis consentaneam esse certò scio, atque vtilem. quanquam non dubito, quin (vt interim quod sentio, liberè dicam) in illis dierum numeris, quos finibus seculorum præfixerunt Daniel & Apocalypsis: magna insint mysteria de illis vltimis temporibus: quæ si quis peculiari Spiritus sancti afflatu donatus, intelligere posset: certius etiam aliquid tum de fine temporum, tum de his quæ sub illa tempora euentura sunt, proferre eum posse non dubitarim. Ceterùm donum hoc concessum mihi non est. Qui habet, communicet. Ego prophetiam non spernam: omnia probabo: interim quod bonum est, retinebo.

HInc sequitur tertium Caput, An liceat indagare hoc certum tempus vt sciamus quando futurus sit finis seculi. Respondeo: Mihi non videri. Nam si Deus non vult vt sciatur: igitur contra voluntatem Dei facit, qui studet & indagat, vt illud certò sciat. Deinde expressè ait: Non est vestrum scire tempora, &c. Si non est nostrum: nobis ergo non licet inuestigare vt sciamus. Propterea Deus, vt declararet mundo quàm sibi hæc curiositas displiceat: effecit, vt quotquot à tempore Apostolorum hucusque, certum tempus de fine seculi statuerunt, conuicti sint erroris. De ordinario cuiusque studio loquor. si quis extra ordinem, ad mysteria intelligenda vocetur: Ego non impedio. tantùm quisque videat, ne se ipse fallat: & tentet Dominum. vtilis certè non est curiositas: vtilissima autem est sobrietas. Atque vt laudantur, qui diligunt aduentum Domini: sic video & Danielem & Apostolos reiectos fuisse, quum curiosè interrogarunt: Quando hæc erunt?

CAput quartum est, cur Deus nolit tempus de fine seculi à nobis sciri? Respondeo: Ob eandem caussam, propter quam etiam non vult vt quisque sciat quando moriturus sit: nimirum vt semper vigilemus, & oremus, simusque semper succincti lumbis, & oleo instructas accensasque teneamus lampades, perinde ac si in horam expectetur Dominus. Caussam hanc affert Dominus ipse Matth. 24. postquam dixisset, De die autem illa, &c. & exemplo diluuij, quod tempore Nohæ præter mundi expectationem de improuisò venit, concluisset, talem quoque futurum aduentum filij hominis, nempe repentinum: mox adhortationem subiecit, dicens, Vigilate itaque, quia nescitis quando filius hominis venturus sit. docens ijs verbis, hanc esse caussam cur nolit à nobis sciri certum de fine mundi tempus: nimirum vt certi rediturum esse Dominum, incerti autem quando rediturus sit, perpetuò vigilemus & oremus, in dies & horas illum expectantes. Ideo Augustinus ait in Epistola ad Hesychium, Dominum voluisse vt sciremus primum sui aduentum: quia illius cognitio & vtilis & necessaria nobis erat. vnde reprehendit Dominus Luc. 12. Iudæos, dicens: Vos nostis iudicare faciem cæli, & diem visitationis vestræ non agnoscitis? Qui enim primum aduentum Domini non agnoscit, non potest se ad se-

cundum præparare. Alterius verò aduentus diem & tempus noluit esse manifestum, quia non expedit nobis: ne scilicet dicamus sicut malus seruus Luc. 12: Moram facit Dominus: ita epulemur, & verberemus conseruos, &c. Dominus non vult vt multum temporis nobis promittamus vsque ad ipsius reditum, sed quotidie illum expectemus: quia vult etiam vt quotidie simus parati. Ideo in eodem cap. 24. Matt. ad calcem, subiecit dicens: Quòd si dixerit malus seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet Dominus serui illius, in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & dissecabit eum, partemque eius ponet cum hypocritis. ibi erit ploratus, & stridor dentium. Nunc tenemus caussam, cur Dominus nolit tempus illud à nobis sciri: nimirum in nostram salutem, ne multũ temporis nobis polliciti, instar malorum seruorum bibamus & edamus cum ebriosis, &c. Præposterè igitur contraque Domini voluntatem faciunt, qui indulgentes genio & gulæ: interim tamen curiosè, quando rediturus sit Dominus, disputant.

CAput quintum de signis est, quæ finem seculi & aduentum Domini præcedent: deque illorum vsu. Etsi verò de tempore quo rediturus est Dominus, nihil certi à nobis sciri potest, quia Dominus noluit: signa quædam tamen aduentum Domini, ideoque finem seculi præcurrent, quibus Dominum & certò rediturum, & non procul abesse, pijs cordatisque hominibus patefiet.

Signa autem hæc vniuersa non recensebo: loca tantùm aliquot Scripturarum, vbi hæc leguntur, indicabo. Matth. 24. quæ & repetuntur Marc. 13. & Luc. 21. Item quoddam aliud Luc. 17. Item aliud de paucitate verè fidelium, Luc. 18. Rom. 11. de conuersione Israëlis. Item alia 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 3. 2. Thessal. 2. Ceterùm tenenda est horum signorum quædam partitio: Quædam scilicet esse, quæ è longinquo finem seculi præcurrent: quædam verò quæ magis è vicino præcedent. Ad primum genus pertinet illa securitas hominum huius seculi, quæ describitur Matth. 24. Luc. 17. & alibi: Sicut fuit in diebus Nohæ, &c. Item sicut fuit in diebus Loth, &c. Item huc pertinet illa à fide defectio, quæ describitur 1. Timoth. 4. Spiritus manifestè dicit, quòd in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, &c. quæ & alibi sæpiùs repetitur. Item huc pertinet illa mundi corruptio, quæ describitur à Paulo 2. Tim. 3. In extremis diebus instabunt tempora χαλεπὰ, &c. Erunt enim homines sui amantes, &c. Huc etiam pertinet defectio illa seu ἀποστασία, & regni Antichristi reuelatio, quæ legitur 2. Thess. 2. Hæc signa iam dudum cœperunt, idque è longinquo, præcurrere diem Domini & finem seculi: ita verò præcurrunt, & continuant suum cursum, vsquedum de improuiso superueniat Dominus. Ad alterum verò genus, quæ magis è vicino præcedent, pertinet illa mysteriosa populi Iudaici ad Christum conuersio, quæ futura est sub finem seculi, & quam describit Apostolus Rom. 11. Neque enim dubito quin de hac loquatur Apostolus, cùm dicat hoc esse mysterium. Huc etiam pertinent illa quæ commemorat Dominus Matth. 24. Erunt signa in Sole & Luna, & Stellæ cadent, &c. Quanquam discrimen etiam est inter illud signum quod est Rom. 11. de conuersione Iudæorum, & inter hæc quæ Matth. 24. leguntur, de obscuratione Solis, & Stellarum casu, &c. Illud enim fiet, antequam veniat Dominus: hæc verò, in ipso Christi aduentu: & illud præcedet finem seculi, hæc verò pertinent ad ipsum finem seculi: cum scilicet (sicut 2. Petr. 3. ait.) Cæli cum stridore præteribunt, & flagrantes soluentur, & elementa liquescent. Hanc enim cælorum & mundi renouationem credo significari illis verbis Domini: Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen, cadent Stellæ de cælo, &c. hæc de signis satis.

At hîc duæ oriuntur dubitationes. Prima, quî conueniat illud quod scribit Apo-

Apostolus Rom. 11. de conuersione Iudaici populi sub finem seculi, cum illo Christi dicto in Luc. 18. Cùm veniet filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Si enim tunc modica fides reperietur in terra, quomodo igitur numerosa Iudaici populi multitudo conuertetur, nempe per fidem in Christum? Erit igitur & pauca & multa fides in terra. Respondeo: Augustinus ait: Distingue tempora, & concordabit Scriptura: Non simul hæ duo contingent, sed aliquanto diuerso tempore. Credo igitur, sic posse hæc duo loca conciliari. Primùm: ille summus & nouissimus Antichristus, qui sub finem seculi venturus est, quique reliquos omnes hypocrisi, astutia, potentia, & artibus diabolicis superabit (in eo enim, vt Patres testantur, habitabit Satan, seu omnis plenitudo sathanicæ maliciæ, sicut in Christo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter) is inquam nouissimus Antichristus omnia subuertet, & omnes (exceptis paucis electis) seducet, partim sua hypocrisi, editis etiam miraculis mendacibus (vt 2. Thess. 2. Paulus testatur) ita vt (sicut Ioannes in ἀποκαλύψει ait) ignem etiam de cælo faciat descendere in conspectu hominum: partim sua potentia & vi. Hoc igitur modo cùm venerit filius hominis, id est, sub aduentum Christi, parum certè fidei reperietur in terra. Vbi verò summus ille Antichristus, Spiritu oris Christi interfectus, & vi verbi Dei, quisnam sit (nempe non Christus, sed Antichristus) patefactus fuerit omnibus: tunc fortè Iehudæi cognoscent suum Messiam, ad eum conuertentur, & salui fient, &c. Regnante igitur Antichristo, vix fides vlla reperietur in terra: illo interfecto, permulta.

Altera quæstio: Si signa permulta præcedent finem seculi, quibus patefiet pijs hominibus non procul abesse Dominum: quomodo igitur ante conclusisti, non posse, quando venturus sit Dominus, & finis seculi futurus, ab vllo sciri? Respondeo: Hæc non pugnant. Etsi enim illa signa indicabunt pijs, non procul abesse Dominum: certum tamen tempus, quo venturus sit, inde colligi haud poterit. Ecce: è signis, quæ præcurrunt Domini aduentum, multa iamdudum contigerunt: quanta licentia & securitas? quanta religionis & morum corruptio? quot & quantæ hæreses? Dominus ait: Sicut in diebus Nohæ, Matth. 24. & Luc. 17. Et Apostolus: In diebus nouissimis erunt homines sui amantes. At quantus iam olim à tempore Apostolorum, hominum lethargus? quis tamen potuisset vel tempore Apostolorum, vel nunc potest statuere, quantum temporis supersit vsque ad aduentum Domini? Item Apostolus ait: Spiritus manifestè dicit, quòd in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, &c. At nónne incepit hoc oraculum impleri tempore Apostolorum? Et certè erant nouissima illa tempora, vt Ioann. hîc testatur, dicens: Nouissimum tempus est, videmus tamen, quàm diuturna sint hæc nouissima tempora. Item, iam dudum reuelatum est Antichristi regnum, quódnam illud sit. Quid quòd tempore Bernhardi, reuelari incipiebat regnum Antichristi? In Psalm. Qui habitat, &c. Sermone 6. pag. 413. ad calcem: At nunc quidem pax (ait) à Paganis, pax ab hæreticis, sed non est pax à falsis filijs. Multiplicasti gentem Domine Iesu, sed non magnificasti læticiam: quoniam multi sunt vocati, pauci electi. Omnes Christiani, & omnes ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia, in turpem quæstum & tenebrarum negocium transiêre: nec in ijs salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum. propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant: pro Episcopatibus & Archidiaconatibus, Abbatijs, alijsque dignitatibus impudenter hodie decertatur, & Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis vsus dissipantur. Superest vt reueletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modo diurnum, sed & meridianum: quod non solùm transfiguratur in Angelum lucis, sed etiam extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Hæc Bernhardus.

Ecce vnum ex præcipuis quæ finem ſeculi præcurrunt, reuelatio ſcilicet regni Antichriſti. Quis tamen vel potuit, vel poteſt affirmare, quando venturus ſit Dominus? Ex ſignis igitur iſtis quæ è longinquo præcurrunt, etſi indicent venturum quidem eſſe Dominum, & non procul abeſſe: quò vſque tamen ſe extendat illud NON PROCVL, definiri non poteſt. Ex ſignis verò quæ magis è vicino præcedent, colligetur viciniorem eſſe finem ſeculi, quàm antea, & citò venturum Dominum: Ceterùm neque quàm diuturnum futurum ſit illud CITO, ſciri poterit. In Apocal. quoque cap. 3. Ecce (inquit Dominus) venio citò: nondum tamen venit.

Concluſio hæc eſt. Etſi multa ſigna præcurrent, & præcedent diem Domini, ac finem ſeculi: non inde tamen ſequitur, Poſſe è ſignis certò ſciri quando venturus ſit Dominus. Neque is eſt vſus ſignorum, vt ex ijs poſſimus cognoſcere tempora vel momenta: ſed alij ſunt vſus.

Sunt autem (meo iudicio) horum ſignorum vſus tres, ijque contra tria grauia in hoc negocio pericula.

Primum periculum eſt, ne quis omnino ſtatuat, nullum vnquam mundi finem futurum, nec rediturum Dominum. Contra hoc periculum Dominus in Scripturis tradit, & vt ita credamus mandat: ſeculum hoc finem habiturum, & ſe in fine ſeculi certò rediturum. Huc etiam ſpectant ſigna à Domino prædicta, nimirum vt cùm illa contingere viderimus, certiores fiamus, Dominum (ſicut prædixerat) certò rediturum. Primus igitur vſus horum ſignorum eſt, vt illis tanquam ſigillis obſignetur promiſſio de aduentu Domini, noſtraque de eo fides confirmetur.

Alterum periculum eſt, ne, etſi certò credimus finem ſeculi futurum, & Dominum rediturum: putemus tamen illum procul adhuc abeſſe, & nectere moram. Hæc enim cogitatio, mali ſerui cogitatio eſt, & hominem in peccatis ſecurum reddit. Contra hoc periculum Dominus vult, vt ſemper cogitemus, diem Domini non procul à nobis abeſſe. Huc illæ voces Philip. 4. Dominus propè eſt. Item Matth. 24. de malo ſeruo, qui cogitat Dominum non citò venturum, ait: Veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, &c. Quaſi dicat, citius quàm ille malus famulus putat, redibit Dominus. Luc. 12. Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Huc etiam faciunt ſigna à Domino prædicta, nimirum vt cùm iam inde ab initio viderimus, & quotidie videamus multa illorum euenisſe, & euenire: cogitemus, non procul igitur abeſſe Dominum, atque ita vigilemus & oremus. Ideo Dominus Matth. 24, cùm prædixiſſet ſigna, ſubiecit in quem vſum ea prædixerit, dicens: Cùm videritis hæc omnia, ſcitote quòd propè eſt in foribus. Hic igitur eſt alter vſus horum ſignorum, vt ſcilicet illis viſis, ſciamus Dominum non procul abeſſe, ſed citò rediturum: ita tamen, vt nunquam, quàm diuturnum futurum ſit illud CITO, definiamus.

Tertium periculum eſt hoc: ne ſcilicet, quia bonis ſeruis cogitandum eſt, fieri poſſe vt Dominus citò veniat, quàm longum aut quàm breue ſit illud CITO, temerè definiamus: & certum tempus, quando venturus ſit Dominus, conſtituamus. Hæc enim certi temporis definitio, præterquam quod temeraria eſt, eſt etiam tum contra voluntatem Dei, tum perniciosa. Aduerſus hoc periculum Dominus vult, vt agnoſcamus & fateamur, tempus illud à nobis ſciri non poſſe: ſoli verò Deo eſſe cognitum. Item vult ſciamus, non eſſe noſtrum vel inueſtigare, vel ſcire tempora & momenta, quę Pater poſuit in ſua poteſtate. Huc etiam pertinent ſigna, nimirū vt cùm videamus illorum multa iam inde à tempore Apoſtolorum impleri cœpiſſe, nec tamen ſtatim redijſſe Dominum: ne etiam, cùm viderimus reliqua, certum aduentus Domini tempus definire audeamus, ſed illud Domino ſoli perſpectum eſſe ſciamus. Ac proinde quia neſcimus quando venturus ſit, perpetuò vigilemus & oremus. Id-
Matt. 24 eo Dominus ait: Si ſciret Paterfamiliâs, qua hora fur veniret, vigilaret vtiq;, & non
ſineret

ſineret perfodi domum ſuam. Quaſi dicat: Vigilaret illa vtique tantùm hora, qua ſciret furem venturum: ſed quia ſcit venturum quidem, ignorat autem qua hora, idcirco totam noctem vigilat, & excubias habet. Ergo & vos eſtote parati (ſcilicet perpetuò) quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Quaſi dicat: Si ſciretis certum tempus illud, quo rediturus ſum: ſub illud tempus tantùm vigilaretis, & accingeretis vos in mei occurſum. Sed quoniam neſcitis quando venturus ſim, media nocte, an galli cantu, an manè, & tamen certò ſcitis me rediturum: iccirco debetis eſſe perpetuò parati & ſuccincti.

Hi igitur ſunt tres præcipui vſus ſignorum, finem ſeculi & aduentum Domini præcurrentium. Primus, vt illis viſis certò ſciamus, venturum eſſe Dominum. Secundus, vt illis viſis ſciamus, Dominum citò rediturum. Tertius, ne tamen illud citò, viſis ſignis, quàm diuturnum futurum ſit, definiamus: cùm multa etiam iamdudum contigerint, nec tamen adhuc redierit. Ceterùm nulla ſigna eò ſpectant, vt ex illis certum de aduentu Domini, fineque ſeculi, tempus definire poſſimus. Ideo Dominus primùm ſigna prædixit Matth. 24. Deinde, ne quis tamen putaret ſe ex illis ſignis, quantum adhuc temporis ſupereſſet de aduentu Domini, colligere poſſe: ſubiecit, De die autem illa nemo ſcit. Videmus itaque hanc ſequelam non rectè conſequi: Prædicta ſunt ſigna, quæ finem ſeculi præcurrunt: Ergo cùm præcurrunt, & contingunt, colligere poſſumus inde, quantum temporis vſque ad aduentum Domini ſuperſit. Alios enim eſſe vſus horum ſignorum, quàm vt ex ijs poſſimus aut debeamus certum de aduentu Domini & fine ſeculi tempus concludere: demonſtratum eſt. Ex ijs autem omnibus facilè colligere poſſumus, quid homini Chriſtiano in hac quæſtione De fine ſeculi faciundum ſit. Nunc itaque de officijs Chriſtiani hominis, in queſtione De fine ſeculi ſeruandis, ex ijs quæ dicta ſunt diſſeramus.

Cap. 6. Quænam Chriſtiano homini in quæſtione de fine ſeculi ſeruanda ſint.

CErtò credendum eſt, ſeculum hoc tandem aliquando finem habiturum, rediturum Dominum, mundumque ipſum eſſe renouandum. Quare cùm cæli ſint & terra renouandi: vt ipſi quoque indies renouemur, curandum eſt. vt docet Petrus 2. Epiſtola, capite tertio. 1.

Quando verò futurus ſit finis, non eſt curioſè inquirendum: tum quòd ſciri non poteſt, iuxta dictum Chriſti Matth. 24. tum quòd nobis prohibetur illo dicto Actor. 1. Non eſt veſtrum noſſe tempora, &c. 2.

Etſi neſcimus quando venturus ſit: interim tamen eſt deſiderandum vt citò veniat, iuxta illud Matth. 6. Adueniat regnum tuum. & hoc eſt gratum Deo, teſte Paulo 2. Timoth. 4. Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi iuſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die iuſtus iudex: non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui deſiderant aduentum ipſius. 3.

Etſi neſcimus quando: eſt tamen perpetuò cuique cogitandum, fieri poſſe vt citius veniat Dominus, quàm mundus putet. Hoc eſt enim diſcrimen inter bonum & malum ſeruum. Malus (Luc. 12.) ait: Moram facit Dominus, &c. Bonus verò dicit: Neſcio quidem quando venturus ſit Dominus: ſed indies illum expecto. veniet enim, vt ipſe prædixit, ſicut fur in nocte: id eſt, de improuiſo. Deinde, etſi (vt hoc interim dem) non citò venturus eſt ad iudicandum mundum vniuerſum: fieri tamen poteſt vt cras veniat, ad priuatas vitæ meæ rationes à me exigendas. 4.

Quia neſcimus quando venturus ſit Dominus, vigilandũ & orandum perpetuò eſt: & lãpades oleo fidei & bonorũ operũ ita inſtructę retinendæ, perinde atq; ſi cras 5.

ventu-

venturus sit: iuxta illud Christi Matth. 24. Vigilate itaque, & orate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Quare nullo modo malus seruus imitandus est, qui, quia sibi multam moram Domini promittit: cum ebriosis inebriatur, & conseruos percutit. Luc. 12.

6. Si tentemur ab impatientia, cur non citò veniat dies Domini, quare Dominus tamdiu differat aduentum suum: sequamur consilium Petri Apostoli in 2. Epist. cap. 3. Oculos nostros non in hunc temporalis vitæ decursum, sed in ipsam æternitatem, vbi omne quantumuis diuturnum tempus mox euanescit, defigamus: cogitemusque, annos mille ante Dominum esse sicut diem vnum, iuxta illud 2. Pet. 3. Porrò ne hoc vos vnum lateat, dilecti, quòd vnus dies apud Dominum perinde est vt mille anni, & mille anni vt dies vnus. Hanc igitur dilationem nihil esse sciamus.

7. Si verò vel à nostra curiositate tentemur, vel ab hominibus interrogemur, cur Dominus tamdiu differat aduentum suum? Respondeamus, sicut Petrus docet: Ideo differre, vt omnes ad resipiscentiam expectet, & quod non delectetur perditione hominum.

8. Si quæstio proponatur, An Dominus citò vel serò venturus sit: sequamur doctrinam Christi, & respondeamus, Nos nescire. Hæc enim tutior est via. Etenim si dicas, Dominus non citò veniet, tardabit adhuc: proprium hoc est serui mali Luc. 12. Matth. 24. Et parit vel securitatem carnalibus, vel desperationem pijs, qui aduentum Christi desiderant. Si verò dicas, Citò veniet: est quidem hoc boni famuli, cogitare Dominum citò venturum, illumque indies expectare: & ad studium componendi te, & obuiam eundi Domino, ista cogitatio incitat: sed tamen temeritatis est, id quod ignores, affirmare. Si autem dicas te nescire, & ideo quia nescis vigilandum esse, & orandum: & boni, & humilis famuli officium feceris, ideoque tutiorem viam ingrediëris. Est enim hoc tertium, iuxta Euangelium Christi: Vigilate igitur, quia nescitis. Augustinus quoque in Epist. ad Hesychium, ponit tres bonos famulorum ordines. Vnus ait: Vigilemus, & oremus, quia citius veniet Dominus. Alter dicit: Vigilemus, & oremus, quia tardè quidem veniet Dominus, sed vita nostra est breuis. Tertius verò ait: Vigilemus, & oremus, quia nescimus quando venturus sit Dominus. Et huius sermonem magis probandum esse docet, quia iuxta verba Christi loquitur, qui dixit: Vigilate, & orate, quia nescitis quando venturus sit Dominus.

9. Ceterùm etsi nescimus quando futurus sit finis seculi vniuersalis: cogitemus finem tamen seculi cuique nostrûm vicinum esse. neque enim diu viuere possumus. Et cùm hoc certum nobis sit: perpetuò vigilemus, & oremus: nec imitemur malum famulum, qui dicit, Moram faciet Dominus meus, &c. Faxit Dominus, vt hæc omnia viscera cordium nostrorum inhæreant.

DE

DE PERSEVERANTIA SANctorum: in ea verba 1. Ioan. 2. vers. 19. ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον, &c.

VIDIMVS quid in vers. 18. sibi voluerit Apostolus: nimirum concludere, sua ætate incepisse tempus illud mundi nouissimum, ideoque omnium periculosissimum, quo Ecclesia Christi erat (iuxta vaticinia prophetarum, & verba Christi) supra modum ab Antichristo affligenda. Hoc autem probauit inde, quia suo tempore cœperunt esse multi Antichristi: nimirum illius maximi, qui postea reuelandus erat, præcursores. Totum autem hoc eò spectabat, vt fideles moneret, sibi ab istis Antichristis diligenter cauerent. Vidimus etiam locum communem de fine seculi: Nunc sequitur versus 19. Tria hìc facit.

Primùm tradit primam notam, qua isti Antichristi, de quibus loquitur, agnosci possint. Hæc autem est, ἀποστασις ab Ecclesia Catholica & Apostolica. Docet enim hosce seductores priùs fuisse in Ecclesia, vnà cum Apostolis, & reliquis fidelibus: sed postea ab ea defeciisse. Ab ijs igitur maximè esse cauendum, qui cùm professi sint cum alijs eundem Christum, & eandem doctrinam: postea deficiunt. Et hoc, cùm ait, Exierunt à nobis.

Secundò, occurrit scandalo pusillorum, qui ex hominum defectione offendi potuissent, atque ibi duo docet. Vnum, quinam sint illi qui deficiant à nobis, id est, ab Ecclesia: nimirum illi, qui non sunt ex nobis: id est, qui non sunt neque ex electorum numero, neque ex corpore Ecclesiæ Christi, seu insiti Christo. Alterum, quare discedant: Quia non sunt ex nobis: id est, neque ex electis, neque de Ecclesia. Qui enim sunt ex nobis, id est, ex electis & de Ecclesia, postquam semel coniuncti sunt cum Ecclesia vinculo fidei, & insiti Christo per Spiritum Christi: eos perpetuò manere cum Ecclesia & cum Christo coniunctos. Minimè igitur fideles offendi debere, quòd illi defecerint: cùm non essent ex nobis.

Tertiò docet finalem omnis defectionis caussam hanc (præter alias) esse: vt scilicet apostatarum defectione patefiat, eos qui deficiunt, non fuisse ex nobis: atq; ita innotescat, quinam sint, & qui non sint de corpore Ecclesiæ. Et hoc facit cùm ait: Sed vt manifesti fierent, quòd non essent ex nobis. Tenemus summam totius versus: nunc singula verba diligentiùs examinemus.

Primùm notandum est, illud A NOBIS referendum esse & ad illum qui scribit, reliquosque Apostolos: & ad illos fideles, ad quos scribit: & consequenter ad Christum, cui omnes & Apostoli & reliqui fideles, tanquam membra capiti, vinculo Spiritus sancti coniuncti & copulati sunt. Fideles autem isti omnes, vnà cum Apostolis, eiusdem Spiritus Christi, fidei & charitatis nexu cum Christo colligati Ecclesiam Christi constituunt, eamque Catholicam & Apostolicam. Perinde igitur est ac si dicat, Exierunt, seu defecerunt, & apostasiam fecerunt ab Ecclesia Christi Catholica & Apostolica: & consequenter à Christo totius Ecclesiæ capite.

Deinde notandum illud verbum EXIERVNT. Nemo potest ab Ecclesia deficere, nisi priùs in Ecclesia fuerit, & communionem aliquam cum ea habuerit. Nam prorsus infideles, qui nunquam fuerint in Ecclesia, non possunt dici defeciisse ab Ecclesia. Docet igitur, istos Antichristos, id est, hæreticos, priùs fuisse in Ecclesia, & communionem aliquam cum Ecclesia habuisse, sed postea ab ea defeciisse.

Quomodo verò exierunt? Non certè corpore Ecclesiam deserendo (nam versabantur adhuc inter fideles, & ex ijs quosdam seducebant) sed ea vincula quibus antea cum Ecclesia & cum Apostolis colligati erant, scindendo: & communionem quam antea habuerant cum Ecclesia, deserendo.

Quæ

Quæ verò & qualia fuerunt hæc vincula, quæ sciderunt: & qualis communio, quam deseruerunt? Respondeo: Externa ea omnia fuerunt: externa eiusdem doctrinæ Christi professio, & eorundem Sacramentorum participatio: externus denique eiusdem Christi cultus. Est enim duplex communio: seu duo vinculorum genera, quibus quis potest dici cum corpore Ecclesiæ colligatus esse. Sunt vincula interna & inuisibilia, & sunt externa ac visibilia. Interna & inuisibilia, ideoque essentialia, sunt duo præcipua: Primum est, vinculum electionis æternæ. Sunt enim omnes qui ad Ecclesiam pertinent, electionis vinculo in cælo cum Deo colligati, & Christo copulati: quia omnes, electi in Christo sunt. Sine hoc vinculo nemo vnquam potest verè esse cum Ecclesia, ideoque cum Christo connexus. Alterum, est vinculum Spiritus Christi: ideoque eiusdem fidei & charitatis, quas in electis operatur Spiritus S. Hoc etiam alterum vinculum ita est absolutè necessarium, vt nisi hoc accedat, nemo possit dici reipsa esse coniunctus cum Ecclesia, & cum capite Ecclesiæ Christo. Nisi enim accedat Spiritus Christi, & fides, nemo potest habere κοινωνίαν cum Christo, & cum eius corpore, quod est Ecclesia. In ijs enim vera consistit κοινωνία Ecclesiastica. Externa verò vincula sunt itidem duo præcipua: Primum, externa eiusdem, & quidem totius doctrinæ Christi professio: Alterum, eorundem Christi Sacramentorum participatio. Sed discrimen est inter hæc & illa. Illa duo priora, scindi & frangi non possunt, vt postea demonstrabo: nam neq; æterna electio potest fieri irrita, ita vt aliquis ex electo fiat reprobus: neque electorum fides potest eos penitus deficere, vt Christus dixit Petro. Quare qui illis coniuncti sunt cum Christo & cum Ecclesia, non amplius discedunt à Christo & Ecclesia: vt postea ex verbis Apostoli, & alijs Scripturarum locis planum faciemus. Alia verò duo scindi possunt: quia potest quis & confessionem doctrinæ Christi, & participationem Sacramentorum reijcere. Quòd autem Apostolus intelligat hosce Antichristos ab Ecclesia defeciſſe, postrema hæc duo vincula soluendo, non autem veram fidem, qua præditi nunquam fuerant, excutiendo: manifestum fiet ex verbis Apostoli, vbi ait: Non erant ex nobis, quia si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Item infrà versu. 22. declarans quomodo facti sint Antichristi, ait: Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Hic est Antichristus. Quasi dicat: Antea fatebantur Iesum esse Christum, nunc negant. Non ait, quòd antea verè crediderint, nunc verò non credant: sed quòd negent, nimirum cùm illum antea profiterentur cum reliquis fidelibus. Sic autem deficere ab Ecclesia, & à Christo: est fieri rebellem Christi & Ecclesiæ. Inde Tertullianus contra Marcionem, hæreticos vocat Christi rebelles. Proinde Ioannes noster hanc rebellionem & apostasiam ponit, tanquam primam notam hæreticorum & Antichristorum.

Nunc tria præcipuè de istis Antichristis tenemus. Primum, à qua Ecclesia defecerint: nimirum ab Ecclesia Christi Catholica & Apostolica, & consequenter à Christo capite Ecclesiæ. Deinde, quomodo defecerint, non excidendo à iure electionis, in quo nunquam fuerunt: neque veram fidem abiiciendo, qua nunquam donati fuerunt: sed externam, quam cum Ecclesia habuerant, ac præsertim in doctrina communionem & consensionem deserendo. Tertium, hanc ab Ecclesia Christi Catholica & Apostolica per desertionem doctrinæ Apostolicæ, defectionem, primam notam esse, qua agniti sint esse Antichristi: quia rebellio contra Christum facit, vt quis verè fiat Antichristus: & ideo nota est certissima, quòd quis sit Antichristus.

Ex ijs colligimus nos tria. Primò, quid sit vera & damnanda ἀποστασία: eam scilicet esse defectionem à vera Ecclesia Christi Catholica & Apostolica, ideoque à Christo: idque per desertionem doctrinæ Apostolicæ, & communionis Catholicæ Ecclesiæ. Si quis igitur deficiat ab Ecclesia quæ planè non sit Christi: hic non est pro-

propriè apostata. Item, si quis exeat ab vna Ecclesia particulari, corpore tantùm, sed interim communionem neque in doctrina Apostolica, neque in Sacramentis iuxta institutionem Christi administratis deserat, imò eam cum alijs Ecclesijs omnibus puris & Apostolicis colat: non est apostata. Sed de ijs seorsum in tractatione De apostasia. Deinde colligimus ex nota Antichristorum, quæ est apostasia: omnes Antichristos esse apostatas: nec esse Antichristum, qui non sit apostata ab Ecclesia Catholica & Apostolica. Hoc patet in ijs de quibus Ioannes loquitur, Cerintho, &c. Item in Mahomete. fuerat enim Christianus, deinde factus Nestorianus: defecit ab Ecclesia, & nouam illam sectam instituit. Non est igitur expectandus Antichristus, nisi ex Ecclesia. De omnibus Antichristis enim pronunciat Apostolus, Exierunt à nobis, &c. Quare postremò docet, à quibus maximè cauendum sit. Hæc enim omnia tradit, vt nos moneat, cauendum esse à falsis doctoribus qui sunt in Ecclesia: quique simulant pietatem & fidem Christianam, & interim nil minus quærunt quàm Christum: iactant verbum Dei, interim impias doctrinas docent: damnant Antichristum, interim ipsi sunt Antichristi. Ab ijs docet Apostolus nobis cauendum esse. Sequitur:

Sed non erant ex nobis, &c.

Occurrit hìc scandalis piorum, qui ex horum defectione offendi varijs modis potuissent. Solent autem ferè, cùm tales sectæ oriuntur in Ecclesia, tria oriri scandalorum genera. Primum est, quòd quidam, cùm vident doctos & magnos viros deficere à doctrina Ecclesiæ: incipiunt & ipsi tentari, vt ab eadem doctrina deficiant, & sequantur nouam. Huic scandalo occurrit Apostolus in toto hoc contextu, dum hortatur fideles vt maneant in doctrina, quam inde ab initio receperunt: nec sinant se seduci. Neque enim ideo esse à doctrina Apostolica recedendum, quia etiam alij discesserunt. Hos enim homines esse reprobos, & Antichristos. Alterum scandalum tendit in ipsam Ecclesiam & doctrinam. dicunt enim: Qualis est ista Ecclesia, vnde tot hæretici prodeunt? qualis Ecclesia, vbi tot sectæ? Hoc scandalum apparet nostro tempore. Arguunt aduersarij, nos non esse veram Ecclesiam. quia ex nobis multi exeunt hæretici; Anabaptistæ, Libertini, Schvuenckfeldiani. Ita Euangelio acceptas ferunt omnes has sectas. Huic scandalo occurrit Ioannes, dicens: Etsi à nobis exierunt, non tamen erant ex nobis. Quasi dicat: Ne quis tamen adscribat has hæreses Ecclesiæ Dei. nam si fuissent ex Ecclesia Dei, mansissent nobiscum. Sed non erant: Ergo. &c. Tertium: alij infirmi, alio modo offenduntur. dum enim vident multos, præsertim qui fuerint alicuius nominis & existimationis in Ecclesia, ab Ecclesia defecisse: incipiunt dubitare de Ecclesia: illamque perituram prorsus existimant & non diu duraturam. Huic etiam tertio scandalo occurrit ijsdem verbis. Quasi dicat: Ne dubitetis de Ecclesia, propter horum defectionem, quasi illa perire queat. non enim illi erant ex corpore Ecclesiæ, & eiusdem membra. Ecclesia autem firma manet: illi verò tantùm exeunt & deficiunt, qui non sunt de Ecclesia. Ita fecit Paulus: cùm dixisset de Hymenæo & Phileto, eos defecisse à veritate: ne cæteri fideles perturbarentur, quasi Ecclesia perire queat, & veri fideles: subdit dicens: Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc, NOVIT DOMINVS QVI SINT EIVS: & discedat ab iniquitate, omnis qui inuocat nomen Domini. Sic in Actis Petrus de Iuda occurrit scandalo, quod potuissent aliqui capere ex defectione Iudæ. Et quomodo occurrit? Reuocando omnes ad electionem & reprobationem, ac dicendo: Suspensum eum fuisse, & crepuisse medium, & præuaricatum excidisse ex officio Apostolatus: vt (inquit) abiret in suum locum. Sic ante Apostolos omnes, fecit Christus, præuidens periturum Iudam, vnde multi potuissent

2. Tim. 2.

offendi, occurrit, & ait: Nemo ex illis perijt, nisi filius perditionis, id est, perditioni destinatus. Quasi dicat: Omnino firma est & certa salus electorum, qui à Patre mihi dati sunt: illi tantùm pereunt, qui ad perditionem destinati sunt.

Docet igitur ijs verbis Apostolus duo. Vnum, quínam sint illi qui deficiunt ab Ecclesia: non certè illi qui sunt vera membra Ecclesiæ, sed illi tantùm qui non sunt vera Ecclesiæ membra. Alterum: quare deficiant: quia scilicet non sunt membra
Iohan.10. Ecclesiæ. Sic Dominus respondet Iudæis, qui non credebant. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Quibus verbis hæc eadem duo docuit Dominus, quæ & Ioannes: Illos tantùm non posse credere Christo, qui non sunt ex ouibus, id est, electis Christi: & ideo non posse credere, quia non sunt ex ouibus Christi. Idem hîc facit Apostolus. Nec tamen inde sequitur, culpam peccati, id est, infidelitatis & defectionis eorum transferri in Deum. Rem simili aliquo declaremus. Pau-
1.Corin.3. lus ponit fundamentum: super fundamentum ponit aurum, argentum, & fœnum atque stipulam, & lignum. venit ignis, & tantùm lignum, fœnum & stipulam comburit, aurum non. Si quis ergo interrogatus, quare lignum comburatur, non aurum, respondeat, Quia lignum est lignum, non autem aurum: quid concludet? Nihil aliud, nisi lignum comburi, quia lignum est, non autem aurum: ac proinde caussam cur comburatur lignum, non extra lignum, sed in ipso ligno esse quærendam. Quæ illa est? Quia est talis materiæ & formæ, vt possit comburi: aurum autem non item. Ita cùm de reprobis dicimus, eos non posse credere, quia reprobi sunt, nec sunt de ouibus Christi, verum dicimus: nec tamen sequitur, caussam, cur non possint credere, esse in Deo. Imò consequitur, caussam hanc in ipsis esse, non in Deo: quia sunt talis naturæ corruptæ, vitiatæ, tantumque ad malum propensæ, & sceleribus perpetrandis idoneæ, ideoque Deo inuisæ & reprobatæ. Omnes enim reprobos talis esse naturæ, vt non possint nisi malum facere: certum est. Caussam igitur peccati in ipsis hærere, non extra ipsos, liquet.

Sed hîc notandum est discrimen harum locutionum in Apostolo. Primò ait: Exierunt ex nobis. Erant ergo priùs nobiscum: id est, cum & in Ecclesia Christi. Deinde ait: Sed non erant ex nobis. Opponit autem hoc alterum membrum priori. Aliud est igitur esse In & Cum Ecclesia: aliud esse Ex & De Ecclesia. Et de illis quidem qui non sunt de Ecclesia, sed tantùm in & cum Ecclesia, pronunciat, Illos exire & deficere ab Ecclesia, cùm ait: Exierunt è nobis. De illis verò qui sunt ex & de Ecclesia, pronunciat, eos perpetuò mansuros, & perseueraturos in & cum Ecclesia, cùm etiam sint ex & de Ecclesia, dicens: Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.

Ista autem maximi sunt momenti. Ergo primùm diligenter considerandæ sunt hæ duæ locutiones diuersæ. Prima: Quid sit esse non solùm in & cum Ecclesia, sed etiam de & ex Ecclesia. Altera: Quid sit aliquem esse tantùm in & cum Ecclesia, non autem de Ecclesia: Deinde videndum, quæ requirantur necessariò, vt quis fiat de & ex Ecclesia: & deinde quæ requirantur ad hoc, vt quis sit in & cum Ecclesia.

Quod ad primum attinet, esse de & ex Ecclesia, est, esse Christo insitum, ideoque verum corporis Christi (quod est Ecclesia) membrum: in quod perpetuò vitalis & viuificus Christi Spiritus è Christo ipso capite fluat, atque ab eo agatur & regatur. Esse verò in & cum Ecclesia tantùm, est, in consortio quidem fidelium versari, & inter fideles connumerari, sicut mali pisces inter bonos, paleæ inter frumenta: sed tamen non esse neq; in Christum, neq; in Ecclesiæ corpus reipsa insitum. Hæc sunt perspicua. Ad alterum verò quod attinet, quæ nam requirantur ad hoc, vt quis verè sit de & ex Ecclesia? respondemus. Duo hæc, eaq; simpliciter, & per se: vinculũ scilicet æternę electionis, & vinculũ Spiritꝰ Christi, ideoq; verę fidei, de quib.

pau-

pàulò antè dictum fuit. Manifestum enim est, neminem verè esse de corpore Ecclesiæ, nisi vera fide in Christum, ideoque in corpus Ecclesiæ insitus sit. Nemo autem potest vera in Christum fide donari, & in illum inseri: nisi ad hanc fidem habendam, ideoque ad hanc insitionem, à Deo gratis electus ab æterno sit. Est enim hæc vera fides, electorum tantùm. Et illi tantùm crediderunt, quotquot ad æternam vitam *Tit.1.* præordinati fuerant. Ad hoc verò, vt quis dici possit esse in & cum Ecclesia, interq; fideles connumerari: duo alia necessaria sunt: ipsa externa eiusdem, & quidem to- *Actor.13.* tius doctrinæ Christi professio: Et ipsa eorundem Sacramentorum iuxta institutionem Christi administratorum participatio. Hæc etiam sunt perspicua hominibus non contentiosis.

Nunc videamus, quod discrimen doceat Apostolus esse inter hos qui tantùm sunt in & cum Ecclesia, & inter illos qui sunt de & ex Ecclesia. De illis ait: Exierunt à nobis, & ideo non manserunt nobiscum, quia non erant ex nobis. Non perseuerant igitur vsque in finem cum Christo & cum Ecclesia: sed vel dum adhuc viuunt, discedunt, fractis duobus illis vinculis externis: vel saltem morte separantur ab Ecclesia, & eunt in locum suum, in quem & Iudas. De istis verò sanctis pronunciat, eos perseueraturos in finem vsque, seu perpetuò cum Christo & cum Ecclesia, dicens: Si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Quasi dicat: Quicunque sunt ex nobis, ij perpetuò nobiscum manent: Christo scilicet & Ecclesiæ Christi, fide insiti: ideoque à Christo & à fide excidere nunquam possunt. Ergo si etiam isti qui exierunt à nobis, fuissent ex nobis, mansissent profectò nobiscum, & in Ecclesia perseuerassent. Est igitur hic apertus locus de Perseuerantia Sanctorum in Christo, & in fide Christi, ideoque in Ecclesia.

TRACTATIO DE PERSEVERANTIA Sanctorum in fide.

QVIA verò ex hoc loco pendet vera certitudo salutis: hæc autem salutis certitudo scopus est, in quem diriguntur omnes promissiones, totumque Euangelium, omniaque Dei in nos per Christum collata beneficia: iccirco hîc locus de Perseuerantia Sanctorum in fide, & in Christo, diligenter à nobis tractandus est.

Seco autem totam hanc tractationem in quatuor capita. In primo probabitur Perseuerantia sanctorum in fide. In secundo, conciliabuntur loci Scripturæ, qui in speciem cum ea doctrina pugnare videntur: omniaque argumenta, quæ in contrariam sententiam afferri solent, refutabuntur. In tertio docebitur, Etsi fides vera in sanctis deficere prorsus, & extingui non potest: tamen sæpenumero eam infirmari, & imbecilliorem fieri, ita vt penitus extincta esse aliquando videatur. & vndénam hæc infirmitas & imbecillitas oriatur. In quarto, necessitas & vsus huius doctrinæ in Ecclesia, demonstrabitur.

CAPVT I.

QVod ad primum attinet, conclusio hæc est: Sanctos, qui vinculo non solùm æternæ electionis, sed etiam Spiritus Christi, veræque fidei, Christo copulati, ideoq; in ipsum Christi corpus (quod est Ecclesia Sanctorum) insiti semel fuerunt: eos in perpetuum, in Christo & in fide perseueraturos, nec posse amplius à fide prorsus excidere: idque non propter proprias vires aut merita, sed tum propter promissionem diuinam, tum propter Christi precationem & intercessionem: Spiritu Chri-

sti, fidem in illis perpetuò conseruante. Afferàm primò testimonia aliquot ex Veteri & ex Nouo testamento: deinde argumenta quædam è Scripturis desumta: postremò, testimonia è Patribus, & ex Buceri scriptis.

Iustus comparatur in Scriptura, arbori ad riuos aquarum plantatæ, quę semper humorem retinet in radice, & viua manet, ita vt fructum suum reddat in tempore suo, & folia eius non defluant. Sic in Psal. 1. Et erit (inquit) tanquam arbor, &c. Sic Ezechiel. 47. de iusto, arbori huiusmodi ad aquas plantatæ comparato, loquens, ait: Non marcescet folium eius, &c. Atqui humor vitalis in iustis, est Christus fide apprehensus. Is enim ait: Ego sum vita, &c. Ergo iusti semel Christo per veram fidem, & eius Spiritum insiti: à fide & à Christo excidere ampliùs non possunt.

Neque est, cur quispiam hìc excipiat, Sermonem de eo haberi, qui vitatis impiorum consiliis, atque vijs peccatorum, meditatur in lege Domini, die ac nocte. Nam neque nos de alio loquimur, quàm de homine verè sancto & fideli. Aio enim describi iusti hominis ingenium, & felicitatem: ac neminem esse dico iusti nomine dignum, qui non ex animo studeat tum vitare impiorum consilia, & vias moréque peccatorum, tum in lege Dei sese exercere & oblectare. Omnis enim iustus, ac verè
Ier. 31. sanctus, scriptam habet legem in corde suo, iuxta promissionem Dei per Ieremiam. De tali autem iusto quid hìc pronuntiet Psalmus, videmus: futurum scilicet arborem, quæ nunquam penitus arescat: quid ita? Quia Deus eas penitus nunquam deserit arbores, quas ipse plantauit, & Christo inseruit: nec Christus, quos semel accepit à Patre seruandos, illos à se foràs eijcit: vt ipsemet testificatur. Nouit enim Dominus vias & corda iustorum, qui ita scriptam habent legem in cordibus suis: vt in impiorum consilia non veniant (ex professo) neque in via peccatorum stent: (surgunt enim lapsi:) multò verò minùs in cathedra derisorum sedent: Sed licet carne seruiant legi peccati, Spiritu tamen seruiunt legi Dei, & ea delectantur: Spiritu Christi, hoc in illis operante.

Iesaias 9. de regno Christi (quod est Ecclesia) loquens, ait: Sedebit (scilicet Messias) super regnum eius (scilicet Dauidis) ad instaurandum illud, & confirmandum in iudicio & iusticia, à modò & vsque in seculum. Ex ijs verbis tale colligitur argumentum: Christus suum regnum, illudque totum, continenter & sine intermissione instaurat, & confirmat per verum iudicium & veram iusticiam (est autem iusticia hæc, per fidem in renatis.) Atqui regnum Christi est Ecclesia. Si autem hoc verum est de tota Ecclesia, idem etiam verum sit de singulis Ecclesiæ partibus & membris necesse est: alioqui non totum regnum Christi continenter instauratur & firmatur in iudicio & iusticia.

Hierem. 32. de fidelibus, præsertim sub Nouo testamento, loquens, ait: Et dabo ijs cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus, & bene sit eis & filijs eorum post eos: & feriam cum eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere: & timorem meum dabo in cor eorum, vt non recedant (seu deficiant) à me. Hic locus est perspicuus, & proinde Augustinus subinde illum in hanc sententiam inculcat.

Hose. 2. Desponsabo te mihi in perpetuum in iustitia, &c. desponsabo te mihi in fide, &c. Promissio hæc ad vniuersos & singulos electos pertinet. Sic igitur argumentemur: Christus electos suos sibi desponsat in perpetuum, id est, vinculo indissolubili sibi copulat: vt coniugium dissolui non possit, sed in perpetuum maneat integrum. Copulat autem sibi fideles in matrimonium vinculo fidei. Ergo qui semel vero fidei vinculo copulati sunt Christo, ab eo excidere nequeunt, &c.

2. Reg. 7. Et ponam locum populo meo Israël, & plantabo eum, & habitabo cum eo, & non turbabitur ampliùs. Si quis velit hunc locum intelligere de terra Canahan, certè non impletur promissio. Fuit enim inde turbatus populus. Loquitur

tur igitur primùm de perpetua habitatione Spiritus sancti nobiscũ in cordibus nostris: deinde de habitatione Dei nobiscum in cœlis perpetua, &c. 1. Cor. 15.

Amos 9. Ego plantabo eos in terra sua, nec euellentur vltrà è terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus, &c. Qui plantantur? Electi. Vbi plantantur? In terra sua: id est, in Ecclesia, insiti Christo. Quomodo inseruntur Christo, & plantantur in Ecclesia? Fide vera & viua. De ijs autem sic promittit, dicens: Nec euellentur vltrà è terra sua. Ergo electi vera fide semel Christo insiti, & in terra Israel, id est, in Ecclesia plantati, non ampliùs possunt auelli à Christo & ex Ecclesia, ideoque non possunt excidere à fide. Sic etiam Bucerus in Matth. cap. 15. exponens ea verba, Omnis plantatio, &c. hunc locum Amosi, de firmitudine piorum in Christo & in regno cœlorum interpretatur. Lutherus quoque in Amosum, exponens hæc verba, de ea firmitudine in Christo & regno Christi intellexit, & habet hæc verba: Hinc (nempe è regno Christi) in sempiternum non transferentur, fide firmati, & Spiritu sancto cœlitus dato. Hæc ille.

Matth. 7. Qui audit verba mea, & facit ea (id est, illis faciendis & seruandis studet, id quod proprium est veræ & viuæ fidei) assimilabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram: & descendit imber, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, nec concidit: fundata enim erat super petram. Ergo quicunque vera & viua fide super Christum petram fundatus est, non potest vllis vel mundi vel Sathanæ insultibus à Christo conuelli & concidere.

Matth. 13. Electi & verè fideles comparantur terræ bonæ. Hæc, semel semen in se iactum retinet, & fructum facit. Christus autem & verbum eius non retinetur nisi fide.

Matth. 15. Omnis planta quam non plantauit Pater meus (id est, reprobus quisque, etsi videatur in agro Dominico, id est, in Ecclesia plantatus) eradicabitur. Omnis ergo planta quam plantauit Pater (id est, electus quisque, verè Christo insitus) non eradicabitur. Quicunque autem est insitus Christo, & à Patre plantatus in Ecclesia: per fidem insitus & plantatus est. Talis igitur à fide excidere non potest.

Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram (id est, super hanc confessionem firmam) ædificabo Ecclesiam meam (id est, quotquot in corpus Ecclesiæ inseram, hac firma fide donabo) & portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam: id est, firma erit & perpetua Ecclesia, nec vnquam corruet. Quod autem de tota Ecclesia dicitur, idem de singulis veris Ecclesiæ membris intelligitur.

Matth. 24. Electi seduci non possunt. Sic enim ait: Ita vt seducantur (si fieri possit) etiam electi. Seduci autem, est à fide & veritate in errorem abduci. 2. Tim. 2. de Hymenæo & Phileto: Exciderunt à veritate.

Luc. 22. Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, &c. Pro omnibus autem & Apostolis & fidelibus hoc rogauit. nam antè in plurali numero dixerat: Sathanas expetiuit vt cribraret vos. Ego autem rogaui pro te (id est, pro omnibus, sed speciatim pro te, qui turpiùs alijs casurus es) &c. Augustinus etiam Tom. 7. de Correctione & Gratia, cap. 12. de omni fideli qui super petram Christum ædificatus est, intelligendum esse docet.

Ioan. 4. Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Aqua illa est Spiritus sanctus. Quicunque igitur semel receperunt Spiritum regenerationis, illum perpetuò retinent, ita vt fiat in illis fons indeficiens aquæ viuæ.

Ioann. 6. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui veniet ad me non eijciam foràs. Quid est, Qui ad me venerit? id est, qui se mihi fide certa dediderit.

Item 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem (id quod fit fide vera & viua) in me manet, & ego in illo. Ergo qui semel incorporatus est Christo per esum suæ carnis, qui fit per fidem, in Christo perpetuò manet & perseuerat.

Ioan. 10. Nemo potest rapere oues meas de manu mea. Ergo electi in manum Christi à Patre traditi, & per fidem ei coniuncti, non possunt è manu Christi eripi, & ab eo separari.

Ioan. 14. Ego rogabo Patrem & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, &c. Ergo vbi semel datus est alicui Spiritus S. sanctificans, cum eo manet in æternum. Nam in hunc finem datur, vt maneat perpetuò cum eo cui datur, sicut Christus docet.

Rom 11. Sine pœnitentia sunt dona (scilicet gratiæ) & vocatio efficax (scilicet ad salutem.) Præcipuum autem donum est fides. Hoc igitur donum fidei semel datum, eripi fidelibus non potest.

Rom. 14. de fideli loquens, ait: Domino suo stat, aut cadit: Stabit autem. potens est enim Deus illum statuere. Ergo fideles non possunt penitus excidere. Sic etiam Bucerus interpretatur, & ante eum Augustinus de Correct. & Gratia. cap. 12.

Philip. 1. Qui incepit in nobis bonum opus, perficiet vsq; in finem, &c. Primum autem opus Dei in nobis, est fides vera. Ioan 6 Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, &c. Non igitur potest Deus propter promissionem opus fidei, quod incepit in aliquo electo, deserere, vt non perficiat.

Coloss. 2. Christum vocat caput, ex quo (inquit) totum corpus (Ecclesiæ scilicet) per commissuras & compagines subministratum & compactum, augescit augmento Dei. Singula igitur Ecclesiæ membra viua, semper coniuncta sunt suo capiti Christo: alioqui non totum corpus maneret compactum. Idem tradit Ephes. 4. Veritatem autem sectantes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, nempe Christus: in quo totum corpus (ergo & singula membra) compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum efficaciam in mensura vniuscuiusque partis incrementum corporis facit, &c.

1. Ioan. 3. Qui natus est ex Deo, non peccat: & non potest peccare, quia semen Dei manet (id est, perpetuò perseuerat) in illo. Quódnam est illud semen? verbum Dei fide receptum. Regeniti igitur, semper in se habent veram fidem. Ideo Petrus 1. Epist cap. 1. semen hoc appellat incorruptibile: non tantùm in sese, sed & in illo in quo est, dicens: Renati ex semine incorruptibili.

Argumenta quædam.

A constanti Dei erga fideles beneuolentia: Deus constanti & perpetua electos fideles beneuolentia complectitur, ac prosequitur. Hierem. 31. Charitate perpetua dilexi te. Item Ioan. 13. Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, vsque in finem dilexit eos. Atqui amare est, cùm bene velle ei quem ames, tum pro virili benefacere. Non potest igitur Deus sua in fideles beneficia, præsertim ad salutem necessaria (vti est fides, & Spiritus) non continuare. Ideo Ierem. 32. Feriam cum eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere.

A precatione Sanctorum: Quidquid pij ex fide petunt, accipiunt. Matth. 21. Et omnia quæcunque petieritis in precatione credentes, accipietis. Atqui Sancti perpetuò petunt in oratione, idque ex fide, donum perseuerantiæ in Christo & in eius fide. Hoc demonstrat Cyprianus in expositione Orationis Dominicæ. Idem facit Augustinus Tom. 7. de Bono perseuerantiæ, cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Legantur omnia illa capita.

A pre-

A precatione Christi, Ioan.17. Quicquid Christus pro electis in se credentibus & credituris Patrem rogauit, illud etiam eis impetrauit. Exauditus est enim. *Hebr.5.* Item: Sciebam quòd semper me audis. Atqui orauit pro illis, primùm ne deficiat *Iohan.2.* eorum fides, sicut postea testificatus est Petro, dicens: Rogaui pro te Petre, vt, &c. *Luc.22.* Item: rogauit Patrem, efficiat vt omnes fideles electi vnum sint tum inter se, tum in Christo & Patre. Item, vt vbi est Christus, ibi sint & ipsi. Totum hoc liquet in oratione quæ Ioannis 17. legitur. Non possunt igitur, propter orationem Christi, non semper esse cum Christo, & in fide ac veritate.

A remotione illius per quod solum, fides amitti potest. Illud per quod solum, fides è cordibus hominum excuti possit, in electos verè fideles non cadit: Ergo fideles veri excidere à fide non possunt. Vt illud antecedens intelligatur, & verum esse agnoscatur, notandum est discrimen piorum & impiorum in peccando. Veri fideles, Christo semel insiti, nunquam peccant ex animo: id est, toto animo, corde & plena voluntate: sed tantùm carne, & ex ignorantia atque infirmitate. Paulus Rom. 7. de se & de singulis renatis ait: Mente seruio legi Dei, carne verò legi peccati. 1. Iohan. 3. Qui natus est ex Deo, non peccat (hoc scilicet peccato, quod fit ex animo, & plena voluntate) & non potest peccare. Ratio: Quia fideles partim sunt Spiritus, partim caro. Impij verò toto animo, quia toti caro. Bucerus passim in suis Commentariis in Euangelia, & in Epistolam ad Romanos tradit hanc doctrinam. Legantur, quæ extant in caput 12. Mar. pag. 308. Ibi tradit, quod sit discrimen piorum & impiorum in peccãdo: & quòd pij semper peccant ex ignorantia, vel ex infirmitate: sed (vt ipse loquitur) inde peccant, quòd per cupiditates carnis auersi, veritati cognitæ non attendunt. Legantur speciatim quæ scripsit in Matth. cap. 7. sect. 7. pag. 190. & 200. Item in Matth. cap. 8. pag. 222. vbi ponit, quod sit discrimen electorum & reprobatorum in peccando. ait enim: Pios etiam dum peccant, odisse animo malum quod agunt. Sicut Paulus ait Rom. 7. Quod nolo malum, illud ago. Legantur quæ in hæc eadem Pauli verba scripsit idem doctissimus Bucerus pag. 328. Ibi piè & doctissimè explicat quæstionem hanc, quomodo Sancti quod bonum est volunt, nec faciunt tamen, & contrà, quod malum est nolunt, imò odio habent, & tamen illud faciunt. Atque ita malum & faciunt & non faciunt. Ibi apertè tradit, in homine (scilicet renato) duplicem esse voluntatem. Vnam, qua consentit legi Dei, & amat & vult quod lex iubet, bonum (& hæc est voluntas hominis interioris:) Alteram, qua vult & facit malum: & hæc est hominis externi & carnalis. & vnam quidem sequi cognitionem legis, qua cognoscitur bona esse: alteram sequi cognitionem haustam à sensibus, quæque est de rebus præsentibus. Et post explicatam doctrinam, subdit duo exempla: Dauidis scilicet, cùm adulterium admisit: & Petri, cùm Christum negauit. quibus tanquam in speculo perspicuum facit, quomodo sancti voluntate hominis interioris & Spiritus nolunt malum, imò detestantur: & tamen interim abrepti à carne, faciunt malum. Est igitur vera propositio: Veros fideles Christo insitos nunquam peccare ex animo, sed carne tantùm labi. Atqui per hoc peccatum quod fit tantùm carne, ex ignorantia & infirmitate, non autem ex animo: fides excuti ex animo & corde non potest. Pertinet huc argumentum Buceri in epistolam ad Rom. cap. 8. pag. 333. Quoscunq; obtinet Spiritus Christi: ij non possunt viuere secundum carnem: Ergo nec possunt excidere à Christo: quia non exciditur, nisi propter vitam secundum carnem.

Ab effectis fidei: Si tota fides penitus amitti potest, ergo etiam omnes fidei fructus. At ij non possunt omnes penitus amitti in sanctis: nunquam enim eò adducuntur, vt Deum contemnant, aut de Deo omnino desperent: ergo, &c.

A præceptis Dei, vel ab operatione Dei in electis. Quæ Deus nobis electis præcipit, ea in nobis ipse præstat & operatur. Quia nos alioqui non possumus ea præstare.

Primò, sic promisit: Faciam vt ambulent in præceptis meis, &c. Deinde id docent exempla. Deus enim mandat vt velimus bonum, & ipse operatur in nobis velle. item
Philip. 2. vt faciamus: & ipse operatur in nobis ipsum efficere. Atqui mandat vt perseueremus
Coloss. 2. in fide radicati & firmati. Quemadmodum igitur suscepistis Christum Iesum Dominum, ita in eo ambulate, radicati in ipso, & ædificati, & confirmati in fide: sicut edocti estis, exuberantes in ea cum gratiarum actione. Ergo Deus facit, vt electi perseuerent in fide, radicati & confirmati.

Rom. 8. A ductu Spiritus. Qui sunt insiti Christo, & facti filij Dei, aguntur à Spiritu Dei. Nunquam igitur penitus deseruntur ab hoc Spiritu Christi.

Ex Patribus.

Augustinus Tom. 7. de bono Perseuerantiæ cap. 2. cùm sic loquitur Deus, Timorem meum dabo in cor eorum: quid aliud est, quàm, Talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, vt mihi perseueranter adhæreant? Idem Tom. 7. de Correct. & Gratia, cap. 11. conferens Dei gratiam quam habuit Adamus ante peccatum, cum gratia quam habent Christiani verè Christo insiti, ait: Adæ fuisse datum vt posset, si vellet, in bono perseuerare: sed non fuisse datum, vt vellet. nobis verò, nimirum qui verè Christo insiti sumus, talem datam esse gratiam, non solùm vt possimus, si velimus, sed etiam vt velimus in Christo perseuerare. Verba Augustini, præter alia, hæc sunt column. 1342. ad calcem. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solùm posse quod velimus, verùm etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo. Vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit: nempe vt reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat: vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset. & acceperat posse, si vellet: sed non habuit velle, quod posset. Nam si habuisset, perseuerasset, &c. Hæc ille.

Item in eodem libro, cap. 12. itidem demonstrans, gratiam quæ nobis datur à Christo, maiorem esse illa quam dedit Adæ: præter alia ait column. 1343. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur (scilicet vt possint perseuerare, si velint, sicut datum fuit Adæ) sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solùm vt sine isto dono perseuerâtes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint.
Iohan. 15. non solùm enim dixit: Sine me nihil potestis facere: verùm etiam dixit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vt eatis & fructum adferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis non solùm iusticiam, verùm etiam in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit. Christo enim sic eos ponente vt eant & fructum adferant, & fructus eorum maneat: quis audet dicere, Forsitan non manebit? Sine pœnitentia sunt enim dona & vocatio Dei: sed eorum vocatio, qui secundum propositum vocati sunt. Pro ijs ergo interpellante Christo, ne deficiat fides eorum: sine dubio non deficiet, vsque in finem. ac per hoc, perseuerabit vsque in finem: nec eam nisi manentem, vitæ huius inueniet finis. Hæc ille.

Item in eodem libro & cap. col. 1344. d. ait de fidelibus: Liberati enim à peccato, serui facti sunt iustitiæ, in qua stabunt vsque in finem: donante sibi illo perseuerantiam, qui eos præsciuit & prædestinauit, & secundum propositum vocauit, & iustificauit, & glorificauit, &c. Item paulò pòst column. 1345. A. Ipse ergo eos facit perseuerare in bono, qui facit bonos. Qui autem cadunt & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt. Quamuis igitur de omnibus regeneratis & piè viuen-
Rom. 14. tibus loqueretur Apostolus: Tu quis es qui iudices seruum alienum? Suo Domino stat, aut cadit, &c. continuò tamen respexit ad prædestinatos, & ait: Stabit autem. Et ne hoc sibi arrogarent: Potens est enim Deus, inquit, statuere eum. Item ibidem dicit:

dicit: Ac per hoc nec de ipsa perseuerantia boni, voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare, si velint: sed in eis etiam operatur & velle, vt quoniam non perseuerabunt, nisi & possint, & velint: perseuerandi eis possibilitas, & voluntas, diuinæ gratiæ largitate donetur. tantùm quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, vt ideo possint, quia sic volunt: ideò sic velint, quia Deus operatur vt velint.

Et paulò pòst: Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur (nimirum ipsa humana voluntas) & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Postea concludens caput, ait: Dicente igitur Christo, Rogaui pro te ne deficiat fides tua: intelligamus ei dictum, qui ædificatur. Atque ita homo Dei non solùm quia misericordiam consecutus est, vt fidelis esset: verùm etiam, quia fides ipsa non deficit: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc ille.

Quis autem ædificatur super petram? Fidelis electus. postea in initio cap. 13. eiusdem libri de Correct. & gratia, explicat, de quorum nam fide, quòd ea non deficiat, locutus sit: nimirum de fide electorum, quorum tantùm fides vera, sincera & firma est. Hæc de iis loquor (inquit Augustinus) qui prædestinati sunt in regnum Dei: quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.

Tom. 8. in Psalm. 88. columna 974. exponens illud, Et ædificabo in generationem & generationem sedem tuam. Nunc autem Christus habet in nobis sedem suam: ædificata est sedes eius in nobis: nisi insideret in nobis, non nos regeret. Si ab illo non regeremur, à nobis ipsis præcipitaremur. Sedet igitur in nobis, regnans in nobis: sedet iam in illa generatione quæ fuerit ex resurrectione mortuorum: in æternum Christus regnabit in sanctis suis. Hoc promisit Deus: si parum est hoc, iurauit Deus. Postea concludit: Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio: nemo debet cum trepidatione prædicare, vnde non possunt dubitare.

Chrysostomus in cap. 5. Epist. ad Rom. exponens verba illa: δι' οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῇ πίστει εἰς τὴν χάριν ταύτην ἐν ᾗ ἑστήκαμεν. perpendit illud verbum ἑστήκαμεν, & ait: καὶ καλῶς εἶπεν, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν. καὶ αὐτὴ γὰρ ἡ τοῦ Θεοῦ χάρις οὐκ ἔχει τέλος, οὐκ οἶδε πέρας. ἀλλὰ καὶ ὅπου μείζονα προίσιν, ὅπερ ἐπ' ἀνθρώπων οὐκ ἔστιν. οἷόν τι λέγω· ἔλαβέ τις ἀρχὴν καὶ δόξαν καὶ δυναστείαν, ἀλλ' οὐχ ἕστηκεν ὅπου ταύτης ἐλλιπῶς, ἀλλὰ ταχέως αὐτῆς ἐκπίπτει. κἂν μὴ ἄνθρωπος ἀφέρῃ, θάνατος ἐπελθὼν ἀφαιρήσεται πάντως. τὰ τοῦ Θεοῦ, οὐ τοιαῦτα. οὔτε γὰρ ἄνθρωπος, οὐ χρόνος, οὐ περίστασις πραγμάτων, οὐκ αὐτὸς ὁ διάβολος, οὐχ ὁ θάνατος ἐπελθὼν, δύναται ἐκβαλεῖν αὐτῶν ἡμᾶς δυνήσεται. ἀλλ' ὅταν ἀποθάνωμεν, τότε ἀκριβέστερον αὐτὰ κατέχομεν, καὶ πλειόνων ἀεὶ προίοντες ἀπολαύομεν. ὥστε εἰ διαπίστεις τοῖς μέλλουσιν, ἀπὸ τῶν παρόντων καὶ ὧν ἔλαβες ἤδη, καὶ ἐκείνοις πίστευε. Διὰ γὰρ τοῦτο εἶπεν ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ· ἵνα μάθῃς οἵαν ψυχὴν τὸν πιστὸν ἔχειν δεῖ· οὐδὲ γὰρ ὑπὲρ τῶν δεδομένων, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τῶν μελλόντων ὡς δεδομένων πεπληροφορῆσθαι χρή. Latinè dicam: Et benè dixit, In qua stamus. Talis enim Dei gratia non habet finem, non nouit terminum: sed & in maius proficit, quod inter homines non sic habet. Verbi gratia: Accepit aliquis principatum, & dignitatem, & potestatem: tamen in his non semper perstat, sed citò illis excidit. Etsi nemo hominum auferat: mors subiens, illa omnino tollet. Quæ autem Dei sunt, talia non sunt. Nec enim homo, nec tempus, nec rerum vicissitudo, nec ipse diabolus, nec subueniens mors, ab ijs nos possunt depellere. Quin cùm morimur, tum ea certiùs tenemus, & semper proficientes pluribus fruimur. Proinde si diffidis de futuris, à præsentibus, & ijs quæ iam accepisti, etiam illis fidem confirma. Hæc ille.

Testi-

Testimonia ex Martino Bucero.

1. *In margine hæc sũt verba: Qui Christi verè sunt, semper illius manent. addo ego: Qui autẽ Christi sunt, Spiritũ Christi habent. Qui enim non habẽt Spiritum Christi, hi non sunt eius. Ro. 8. Ergo qui Christi verè sunt, Spiritum Christi semper retinent. * Sancti cadunt, nũquam excidunt.*

In Matth. cap. 7. pag. 203. in illud, Nunquam noui vos: Alterum hîc perpendendum est, quòd ex illo (Nunquam noui vos: id est, inter meos agnoui) clarè docemur, qui aliquando à Christo possunt excidere, eos Christi nunquam fuisse: eoque nunquam verè credidisse, aut fuisse pios: nunquam Spiritum filiorum fuisse nactos, sed omnia illorum nihil nisi hypocrisin esse, quantumlibet Sancti, & pietate præstabiles ad tempus sese fingant. Quos enim Christus diligit, in finem vsque diligit: & quos Pater ipsi dat, neque ipse abijcit. Ioann. 6. Neque rapere de manu eius quisquam potest: Ioann. 10. *Ideo etsi cadant huiusmodi (scilicet sancti & pij) excidunt tamen nunquam. Electi enim sunt ad vitam, quam Dei electionem nulla potest creatura reddere irritam. Siquidem vt secundum electionem propositum Dei maneat, non ex operibus, sed ex vocante: non solùm eligit suos priusquam nati sint, ac boni aut mali quicquam fecerint, Rom. 9. sed etiam antequam iacerentur fundamenta orbis, à constitutione mundi. Ephes. 1. Vnde & de Apostolis Ioann. 17. Deus dicebat: Non pro mundo rogo, sed pro ijs rogo quos dedisti mihi, quia tui sunt: id est, electi abs te ad vitam. Proinde vt Christo nunquam noti sunt reprobi: ita nunquam ignoti electi, quantumuis in illis pietatis species aliqua ablandiatur, & in ijs (pijs electis) inuisa impietatis sæpe forma conspiciatur: eoque & ij sicut prædestinati & vocati sunt, sic tandem ad imaginem Christi reformabuntur: Rom. 8. Et illi (reprobi) detracta persona filiorum Dei fictitia, sui similes apparebunt: iuxta hoc quod à se audituros hîc testatur (Dominus) Discedite à me operarij iniquitatis.

2. In Matth. 7. pag. 205. explicans verba illa, Omnis qui audit ex me sermones hos, &c. ait: Ideoque similes sunt (fideles) prudenti viro, qui domum suam super petram fundat, quam nulla queat vis tempestatis deijcere. Spes namque horum & fiducia, ipso Christo per Spiritum filiorum solidè nixa, confundi non possunt: & ne inferorum quidem portæ, id est, vis omnis & potestas Sathanæ, cõtra eam quicquam possunt: quantamlibet tempestatem excitet, & flumina ventósque tentationum immittat. Fortior siquidem est qui in ipsis agit, quàm qui dominatur in mundo. 1. Ioan. 4. & Psal. 125. canit: Qui confidunt in Domino, non nutabunt, sed in æternum sedebunt, sicut mons Sion. Item paulò pòst in eadem pagina: Quo significare (inquit) voluit, spes verè credentium, & Spiritus in corde suo testimonio nitentium, firmas esse, nec vnquam posse confundi.

3. *Non auelluntur a Christo.*

In Matth. 15. in illud, Omnis plantatio, &c. pag. 343. Qui sunt Christo dati, & in populum Dei asciti, non amplius inde auelluntur. Verba hæc sunt Amos 9. Plantabo eos super terram suam, & non euellentur amplius de terra sua, quam dedi eis: dixit Dominus Deus vester. Sic in regnum cœlorum plantauit quosdam Pater, quos nimirum Filio ad vitam iustificandos donat. Hi super veram terram Israel plantati, nunquam ex ea euellentur.

4. *Fides vera excidere non potest: aut subuerti.*

In Matth. 16. Et portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam: tam fidem quàm Ecclesiam. Nemo enim potest rapere quenquam de manu Christi. Nam ambiguum est, an contra petram, id est fidem, vel Ecclesiam dixerit, portas infernas non valituras. De vtraque sanè rectè intelligitur. Fides enim, quæ vera & certa est verbi Dei per Spiritum S. persuasio, tam non potest excidere, quàm verbum Domini non mutari, & Spiritus sanctus nequaquam dissentire. De Ecclesia autem qui sunt, eos Pater Christo donauit, vt det eis vitam æternam: Ioan. 17. Non igitur poterit contra eos quicquam vis Sathanica: alioquin vita æterna, æterna non esset. Et enim & hic locus satis firmus est, quo Perseuerantia Sanctorum probatur. Apertum verbum est, portæ inferorum non valebunt contra eam: siue fidem, siue Ecclesiam,

cleſiam intelligas. Si ergo fides non poteſt à Sathana ſubuerti: æternùm ſalui erunt, quotquot ſemel fidem veram fuerint nacti. Si rurſus Eccleſia à Sathana expugnari non poteſt: iterum æterna erit eorum ſalus, qui ſemel in Chriſti Eccleſiam fuerint recepti. Hæc perpenſa, electis mirificam adferunt conſolationem. Omnes namque ex animo Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vnicum Dei Filium & ſeruatorem ſuum eſſe confitentur: Spiritum igitur habent Patris, pignus certum æternæ eius beneuolentiæ. Hinc beatos ſe & petreios, id eſt, firma atque omnibus inferorum portis inuicta fide præditos, ſciunt: certi quòd de Chriſti Eccleſia & populo exiſtũt, qui de morte iam ad vitam per Chriſtũ tranſierunt: atq; ideo tuti ab omni vi inferna in ſempiternum. Diſcamus ergo hinc, primùm, ab hominibus non poſſe Chriſtum diſci, ſed ſolo Patre ex æterna beneuolentia ipſum reuelante: deinde, beatos eſſe quotquot hanc reuelationem fuerint nacti: poſtremò, nunquam poſſe à poteſtate inferorum ſuperari huiuſmodi, & perdi. Hæc omnia Bucerus.

Semel.

Fides firma & inuicta.

In Matth. 24. pag. 463. Electi ſeduci non poſſunt, ſeruante eos Spiritu Chriſti. 5.

In Luc. 1. pag. 541. ſuper illud, Vt ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſticia omnibus diebus vitæ noſtræ: Quia (inquit) denique nihil verè bonum quod finem accipit, addit, Omnibus diebus vitæ noſtræ. Neque enim pietas eſt, quæ finem nouit. Deus æternus eſt, & non mutatur. quem qui agnouerit, in æternum auelli ab obſeruantia eius haud poterit. nihil ſiquidem melius eo poterit inueniri.

Vera pietas finem nonnouit.

In Ioann. 2. Super illud, Ieſus autem non ſe credebat eis, &c. Duplex (inquit) fides: vna vera, ſincera, ideoque perfecta: altera ſimulata, ideoque temporaria. Ac de fide vera loquens, ait pag. 617. in fine: Hanc qui habent, Spiritum Dei habent: noui homines ſunt: Dominum vt verè agnoſcunt, ita ab eo diuelli nunquam poſſunt: ſeſe credunt Domino, & Dominus ſe illis. Vnum namque cum ipſo ſunt: Dominus in illis, & illi in Domino. Hac fide iuſti viuunt, & habent vitam æternam. Hæc ille. 6.

A Chriſto diuelli nõ poſſunt ſancti.

In Ioan. cap. 4 pag. 644. in illud, Qui autem biberit ex aqua hac quam illi dabo, non ſitiet in æternum: Certum eſt (inquit) hanc aquam Spiritum ſanctum eſſe. Si iam ergo hoc Spiritu potus, nunquam poteſt ſitire: in aperto eſt, eum cui ſemel hic Spiritus contigerit, cui ſemel credere fuerit datum, eum nunquam poſſe gratia Dei excidere. Sicut namque is ſitire nunquam poſſet, qui fontem in viſceribus haberet continuè ſcaturientem, atque potantem: ita ſaturum eſſe oportet bonorũ omnium, & præſentem ſemper & in omnibus habere conſolationem, cui adeſt Spiritus Domini ſanctus, Spiritus filiorum. Hic fons eſt, qui in vitam æternam ſalit: id eſt, qui vitam æternam ſuppeditat. nam cognoſcere Deum, eiuſque iugiter & in æternum frui bonitate, donat. Hinc gloriatur Paulus, nihil apud ſuperos vel inferos eſſe, quod â dilectione Dei poſſit ſe dimouere. Rom. 8. 7.

Cui ſemel datum eſt credere: is nũquam excidit à gratia Dei.

Iohan. 6. Operemini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. pag. 669. Ego, inquit, ſum ille panis vitam veram ſuppeditans: & (ille) me edit, meq; cœleſti & in æternum viuifico cibo alitur, ita vt nunquam eſuriat, qui ad me venerit, qui mihi ſeſe fide certa dediderit: & nunquam ſitiet, nihil vnquam bonorum deſiderabit, qui in me crediderit, Saluatorem ſuum agnoſcens. Item, Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venerit ad me, non eijcio foràs. pag. 671. Nota (inquit) quòd verum dixerit Paulus: Quos prædeſtinauit, eos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos verò iuſtificauit, hos & glorificauit. Roman. 8. Ceterùm cùm vnus ſit ſeruator Chriſtus, ipſi dari oportet quicunque ordinati in vitam ſunt. Venientem ad me, &c. id eſt, non abijcio, non negligo mihi credentem. Igitur æternùm ſalui ſunt, quibus ſemel datum eſt ad Chriſtum venire. Vbi enim Pater eiuſmodi Filio donat ſaluandos, & Filius voluntatem Patris perficit, neque aliter poteſt, & nemo denique de manu Filij 8.

Semel.

quen-

quenquam rapit, vt infrà 10. ipse testatur: necesse est, vt æternùm apud ipsum maneant & saluentur, quicunque semel ad ipsum venerint. Hæc Bucerus.

9. *Nihil vtilius quã prædicare, credentibus impossibile esse vt vnquam excidant.*

In Ioan. 6. pag. 972. in margine hæc sunt verba: nihil vtilius quàm prædicare, credentibus impossibile esse vt vnquam excidant.

In commentario verò, hæc: Reliqua (inquit) commendant nobis iterum Christi incomparabilem dignitatem, fidei præstantiam, & electionis Dei immutabilem virtutem. Nemo siquidem Christo vnquam credet non electus, non à Patre Filio donatus: sic nemo quoque illi donatus, non veniet ad eum: cumque venerit, nunquam poterit ab ipso auelli. Fortior namque is est, qui in filijs Dei agit, quàm qui in mundo. Non glorificantur nisi iustificati, non iustificantur nisi vocati, non vocantur nisi prædestinati. Hi autem qui à Deo, qui mutari nequit, prædestinati ad vitam sunt, & eam æternam: impium est cogitare, vitam horum quam semel fide perceperunt, non esse æternam, & eos perire posse contra decretum Dei. Hæc cùm nullis persuaderi possint nisi electis, id est, Spiritu Dei donatis, ac ita ex Deo renatis: his autem tam absit vt ignauiam prædicata pariant, vt nihil æquè illos ad amorem Dei, atque inde ad omne opus bonum queat excitare: satis constat, illos nescire quid dicant, qui negant ista palàm prædicanda. *Vtique quò maiorem quisque Dei erga se amorem agnoscit, eò ardentiùs illum redamabit. Reprobi si istis offendantur, non mirum est: illi nulla re non offenduntur. Sacra, sanctis & electis scripta sunt. ijs debent lucidè & clarè impertiri: quicquid inde veneni, more araneorum, reprobi hauriant.

Semel.

Electis tã tùm persuaderi potest hæc de certitudine salutis doctrina.

**Vtilitas doctrinæ.*

10. Item pag. 683. Qui vtique vera illum fide receperant, etiamsi vel ad hunc vel alium sermonem eius non nihil stuperent: nihilominus tamen in fide eius perseuerarunt. vti & Petrus, cum ijs quorum loco dicebat infrà: Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. quos autem huius sermonis aucta asseueratio à Domino disiunxit: ij neque vnquam ei verè adhæserant.

11. *Doctrinæ Christi perpetuò fide adhærent electi.*

In Ioan. cap. 8. pag. 706. in illa verba, Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum: Iterum notandum (ait) discrimẽ electorum & reproborum. hi non possunt Dei verba, id est, veritatem, Christique doctrinam audire, id est, fide recipere: etiamsi nihil in ea queant culpare. Contrà, illi non possunt ei non accedere, ac ita addicere se, vt nullis ab ea cruciatibus diuelli queant. æternam enim in illa vitam habent. Seruant igitur eam, id est, fide perpetuò ei adhærent: ac ita mortem nunquam vident, animis semper beati, etiamsi ad tempus crucietur aut dormiat corpus.

12. *Electi nũquam se totos dedũt mendacio & peccatis.*

In Ioan. 10. Sect. 1. pag. 714. Obseruandum est, ita datos ipsi (Christo) à Patre electos, vt nequeant diuersa docentibus auscultare, ita vt eos penitus animo sequantur. etiamsi nonnunquam ad tempus illos suscipiant, & sic errent. Semper enim in eis, dum errant, est quidam renisus: nec possunt ita, vt reprobi, sese totos mendacio dedere. Hîc autem, Audire & Sequi significant, sese penitus addicere, siue Christo ad salutem, siue impostoribus ad perniciem. Nemo siquidem est, qui non sæpe alienorum vocem audiat: cùm omnes cupiditatibus & suggestionibus, tum & Apostolis Sathanæ, errorum satoribus, identidem auscultemus. Sequi autem alienos, id est, relicto penitus Christo se prorsus alienis tradere in discipulos & sectatores: id non possunt, quos Pater donauit Filio. Vocat enim tandem, quos Pater prædestinauit.

13. *Semel.*

Iohan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, &c. pag. 716. In his (inquit) apertè docet, omnia à diuina electione pendere: eosque quibus semel datum fuerit oues esse, perire nunquam posse. Hîc namque audimus, eos tantùm vocem Christi audire, id est, fidem recipere, qui oues sint. Iam vnde erit vt alij oues, id est, capaces doctrinæ Christi sint, alij minimè? Indubiè, quòd bono illi Spiritu afflati

afflati Dei sunt: hi nunquam. Ad Corinthios 1. Epistolæ cap. 2. Paulus apertè Spiritu præditis cognitionem diuinarum rerum tribuit: Spiritu carentibus, vt animalibus, adimit. Vnde autem erit, vt illi Spiritu donentur, hi secus? Haud profectò aliunde, quàm quòd illi ad vitam ordinati sunt, hi secus: quòd illi Filio saluandi donati sunt, hi nequaquam. Domino ergo hanc demus gloriam, vt ipse Spiritum det, nihil nostra opera adiutus. Eum autem vbi dare instituit, tum ad erudiendum & monendum cooperari ipsi possimus: si tamen ipse sermonem nostrum eodem Spiritu, ijs quibus loquimur, rectè donet percipere. Vnde hîc Dominus subijcit. Et cognosco illas: id est, curæ mihi sunt. Et hinc certè est, vt ipsum oues sequantur, vitamque viuant quæ finem nescit. Ipsi illas Pater dedit, vt eis suppeditet vitam æternam. Tam igitur non poterunt è manu eius, quàm è Patris manu, qui maior & potentior omnibus est, eripi. Vnum si quidem sunt, ipse & Pater: eadem vtriusque est virtus & potentia. Quare etiam vt de manu Patris nemo potest electos rapere, ita neque de manu Christi. Dum igitur æternùm in manu saluatrice Christi oues perseuerant: perire certè nunquam possunt, necesseque est eas vitam habere æternam. Item eodem in loco ait: Iterum obseruandum, à sola Dei electione esse, vt oues simus, & Christum sequamur: tum, tales excidere nunquam posse. Quia vnum sunt Pater & Filius, eandem manum habent, id est, potentiam: de qua nemo vnquam rapiet eos, quos illa semel apprehenderit saluandos. Apprehensi autem sunt, quibuscunque datum fuerit Christi vocem audire, & sequi. id siquidem nulli possunt, nisi oues sint. Si iam oues, in manu Christi & Patris sunt, vt nunquam pereant, sed habeant vitam æternam. *Semel.*

In Ioann. cap. 12. super illud, Nunc princeps mundi eijcietur foràs, pag. 733. ait: Obseruandum præterea, ibi eiectum sathanam, vbi Christus regnare cœperit. Ideo qui Christum semel verè receperunt, ij eo nunquam excident. Deuictus enim est hostis eorum sathan, & eiectus. Lacesset igitur sanctos quidem, deuincet nunquam. *14. Semel. Lacessiuntur sancti à satana: vincũtur nũquam.*

In Ioann. cap. 13. pag. 740. explicans verba: Qui lotus est, non opus habet, &c. Hinc mundos (inquit) discipulos Dominus pronũciauit, quia hoc filiorum Dei Spiritu (qui quos semel apprehenderit, nunquam donec omni mundos macula, reddat vndequaque puros, destituit) donati erant. *15. Semel.*

In Ioann. 14. Et mansionem apud eum faciemus, &c. pag. 752. Mansio (inquit) Patris & Christi apud sanctos, est certa vtriusque cognitio: quæ non potest non esse perpetua, vt sæpe dictum. Hanc enim qui nacti fuerint, hi perpetuò & bonitate Patris, & Christi redemtione perfruuntur, vt æternùm & beatè viuant. *16. Perpetua fides.*

In Iohan. 15 pag. 758. ad calcem, in ea verba: Si manseritis in me, & verba mea, &c. Hîc Dominus ipse explicauit, quid sit in ipso manere, certa vtique verbis eius fide adhærere. Hæc fides vbi est, æterna est, & Spiritum Dei semper præsentem habet: qui docet & velle, & petere, quibus gloria Dei promoueatur: quare omnia quoque impetrat. *17. Æterna.*

In Iohan. 16. pag. 768. explicans verba illa: Nunc creditis. Ecce instat tempus, & iam venit, vt dispergamini, &c. Fidem (ait Bucerus) cùm Dominum deseruerunt, nequaquam amiserunt. exercita quidem illa fuit, & afflicta: sed nequaquam oppressa, & extincta. *18. Nũquam amittitur.*

Rom. cap. 11. pag. 439. in illud, Ne insolescas, sed time: Fides in singulis metum excidendi excludit. Rom. 5. pag. 237. in illud, In qua ἑστήκαμεν. Fides nihil nutat, non labascit. Cor impiorum assimilatur mari perpetuò fluctuanti, nec potenti consistere. Et Caino dictum est: Errabundus eris, & incertus. contrà, qui cre- *19.*

dunt Deo, ceu in rupe collocati, moueri non possunt. Dicit verò Apostolus: Stetimus, non stamus: quia iam ab initio fidei, per quam Christo niti cœpimus, confirmatas esse spes nostras oportet, & studia omnia in vnum Christum subiecta. Hæc etiam duo argumenta Buceri sunt: Si potest excidere à fide fidelis, ergo non potest esse certus de sua salute. Est autem & debet esse certus: Ergo.

20. Qui sunt Christi, non possunt viuere secundum carnem: à Spiritu enim Christi ducuntur. Hoc probat Apostolus ad Romanos 8. vide Bucerum pag. 333. Sic ille componit Syllogismum: Quoscunque obtinet Spiritus Christi ij non possunt secundum carnem viuere. Spiritus Christi obtinet, quicunque Christi sunt: Ergo qui Christi sunt, ij nec possunt viuere secundum carnem: Ergo non possunt excidere à Christo. Quia non excidit à Christo, nisi qui viuit secundum carnem, & propter vitam secundum carnem.

21. In caput 14. in illud: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo Domino stat, aut cadit. Stabit autem: potens est enim Deus illum statuere, &c. Concludit hinc, fideles à Domino constitui, & confirmari ne cadant. Potens certè Deus est (inquit) vt eos statuat: id est, in verè piam & sanctam vitam confirmet. At si potens huius est, ne dubita id eum quoque velle, postquam dilexerit eos adeò, vt eos sibi redimeret à casu, morte Filij sui.

Manifestum igitur est, omnibus iis tum diuinarum literarum, tum Augustini, tum denique Buceri testimoniis, atque rationibus: Electos, posteaquam semel donati vera fide, & in Christum verè per Spiritum sanctum insiti fuerunt: non posse ampliùs à fide, & à Christo penitus excidere, propter promissum Dei, & precationem, perpetuamq; intercessionem Christi: Spiritu sancto illos in fide, & in Christo conseruante. Ac proinde iure dixisse nostrum Apostolum: Si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Atque hæc de primo capite huiusce Tractationis, quæ est de Perseuerantia Sanctorum, dicta sunto.

Hìc verò quia opera aduersariorum interdictum mihi fuerat lectione: idcircò inchoatam Tractationem absoluere tunc non potui.

Ceterùm secundæ huic editioni additæ sunt, primùm, Confirmatio eiusdem doctrinæ ex scriptis Philippi Melanchthonis: quam tum seorsum exhibueram meo Antagonistæ. Deinde aliorum trium capitum, in ipso Tractationis initio promissorum explicatio: atque in primis omnium argumentorum, quæ tum aduersa pars contra me attulit, refutatio: eaque non alia, quàm quæ tum fuit à me scripto allata.

Con-

CONFIRMATIO THESEOS

de Perseuerantia, ex scriptis Philippi Melanchthonis.

QVID? quòd ex libris ipsius etiam Philippi Melanchthonis, cuius autoritate cum primis nituntur aduersarij, eadem doctrina confirmatur? Philippum igitur sensisse, verè sanctos, hoc est, Electos, vera & viua fide donatos, vereque regenitos, & Christo insitos: non excidere prorsus à fide, nec amittere penitus Spiritum sanctum: idque propter promissionem Dei, & propter efficacem Christi intercessionem: his planum faciam locis: & iis quidem, vnde aduersarij suam fulcire student opinionem.

Duo tantùm hominum genera sunt, qui prorsus à Deo & à Christo deficiunt, ac proinde qui propriè à fide penitus excidunt: Securi ac contemtores Dei: in quorum numero continentur & blasphemi in Spiritum sanctum: deinde qui de Dei misericordia propter Christum, desperant. De primis ait Philippus in 1. Corinth. 10. in ea verba: fidelis Deus, qui non sinit vos tentari. pag. 45. Altera pars est secura, sine exercitiis pœnitentiæ, & inuocationis, ebria voluptatibus, aut admiratione & fiducia suæ sapientiæ, & iustitiæ, vt Saul, Achitophel, Absalon, & alij innumerabiles. Hi superantur à Diabolo, quia sunt sine timore Dei, & sine agnitione infirmitatis suæ, sine dolore, nec expetunt auxilium Dei. Hæc ille. Quid sit autem superari à Diabolo: idem Philippus paulò antè docuerat, in ea verba, Tentatio vos non apprehendit, nisi humana, cùm explicat, quid sit tentatio humana, in exemplo Dauidis, dicens: valde tristis fuit lapsus Dauidis, & diabolus ei non leuiter insidiatus est; sed tamen non potuit eum impellere ad Epicureum contemtum, vel odium Dei, vt Saulem impulit. Audis amice? Dico igitur tunc, de sententia Philippi, superari omnino homines à diabolo, cùm fiunt contemtores & osores Dei: & hos, quia superati à diabolo, fiunt eius serui, à Deo prorsus deficere. De altero genere, hoc est, de desperatis: loquitur idem Philippus in eodem cap. in ea verba: Tentatio vos non apprehendit, nisi humana: initiò enim sic habet: Antithesis cogitetur tentationis humanæ, & diabolicæ. Ac mitigat Paulus obiurgationem Corinthiorum, vt eos consoletur, ne fracti desperatione prorsus à Deo deficiant. audis dictionem, prorsus deficere? Tria igitur docet: Primùm, etsi Corinthij multa antea admiserant scelera: non tamen omnem abiecisse spem de Dei misericordia: ideóque nec omnem fidem, quia nondum desperarant: à fide enim oritur spes. Deinde docet: propter peccata, quæ admiserunt Corinthij (nempe sancti) non defecisse tamen eos penitus, à Deo & à Christo: quare nec à fide: quid ita? Quia nondum fuerunt fracti desperatione: sed si fracti fuissent desperatione, & hoc peccatum postremum desperationis, ad alia accessisset scelera: tunc verè prorsus à Deo, & à Christo defecturos fuisse. Vbi prudenter & scitè non dixit D. Philippus simpliciter, ne deficerent: sed ait, ne prorsus deficerent: docens, Corinthios per alia, quæ admiserant, scelera, defecisse quidem à Deo ex parte, quia ex parte etiam inobedientes fuerant: sed non penitus defecisse. Penitus verò defecturos, si fracti fuissent desperatione. Postremò docet iis verbis, post securos, & Dei contemtores, solùm desperatos à Deo, & à Christo penitus deficere: seu primò propter securitatem, contemtum, & odium Dei: deinde per desperationem, homines à Deo & à Christo, & Spiritu sancto prorsus deficere.

Atqui verè sancti, nunquam à diabolo ita superantur, vt vel fiant securi, contemtores & osores Dei: vel frangantur desperatione de misericordia Dei per Chri-

» ſtum: Primum oſtendit Philippus in exemplo Dauidis. pag. 43. B. Valde triſtis fuit,
» inquit, lapſus Dauidis, & Diabolus ei non leuiter inſidiatus eſt: ſed tamen non po-
» tuit eum impellere ad Epicureum contemtum, vel odium Dei, vt Saulem impulit.
Alterum patet in exemplo eiuſdem Dauidis, & Petri, & horum Corinthiorum, de quibus loquitur Apoſtolus: deſperare enim de Dei miſericordia, tantùm eſt reprobatorum, non electorum.

Ergo de ſententia etiam Philippi, verè Sancti & Electi nunquam prorſus à Deo, & Chriſto, ideoque à fide in Chriſtum deficiunt.

Idem Philippus ibidem, Tentatio vos non apprehendit, niſi humana, de peccato illius inceſti, & alijs Corinthiorum peccatis loquens, ait: Quanquam autem e-
» rat atrox peccatum, quod ſuprà recitauit de inceſto, qui cum nouerca cõſuetudinem
» habuit, & alij alia peccata admiſerant, certabãt æmulatione, & odijs: tamen vult hæc
» peccata diſcerni à blaſphemijs: Sicut Ioannes diſcernit peccata ad mortem, à pecca-
» tis non ad mortem. Iis verbis videtur velle Philippus, peccata illa Corinthiorum (nempe Sanctorum) fuiſſe lapſus, & quidem atrociſſimos: ſed non tamen peccata ad mortem. per ſola autem peccata ad mortem, deficitur penitus à Deo & à Chriſto, eiuſque Spiritu prorſus homo priuatur.

» Idem Philippus definiens quid ſit tentatio diabolica, ait, Tentatio diabolica
» eſt, cùm Sathanas cor ingreditur, vel ſicut in Luca dicitur, quando Sathanas rapit
» verbum Dei de corde hominis. De corde autem fidelium, nunquam eripit ipſum Dei verbum: Quia ſunt terra bona, quæ illud retinet: Matth. 13.

Ibidem in explicatione tentationis diabolicæ, ait, Etſi autem hoc ingens ma-
» lum non comprehẽdi poteſt iudicio rationis, quanta miſeria ſit, dominari diabolum
» in corde hominis: tamen cùm manifeſta ſint dicta in narrationibus Propheticis &
» Apoſtolicis; expaueſcant omnes homines cogitatione tanti mali, & petant vt Filius
» Dei depellat diabolos, iuxta illud dictum: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.
Hæc ille. Docet ijs verbis primùm tum tantùm diabolum homines ſuperare ſua diabolica tentatione, cùm in eorum corda ingreſſus ibi dominatur. Dominatur autem diabolus in corde hominis, cùm ipſum hominis cor ſine vlla contradictione, aut repugnantia diabolo obſequitur. Hoc eſt enim peccatum regnans. Atqui in cordibus electorum fidelium non dominatur diabolus. Semper enim corde, odio habent peccatum, illud deteſtantur, inuiti ſeruiunt peccato, cupiuntque illo liberari, & vt Paulus oſtendit Rom. cap. 6. verſ. 7. Peccatum illis non dominatur. Præterea docet, fidelibus eſſe orandum, vt ne tententur diabolica tentatione. Tentatio autem diabolica eſt, cùm Sathan ingreditur cor, & ibi dominatur: vt definiuit Philippus. Orandum igitur, ne diabolus ingrediatur in corda noſtra, ibique dominetur. Poſtremò docet, ſi fidelibus eſt orandum, ne diabolus ingrediatur in cor, & ibi dominetur: oratio autem debeat fieri ex fide: & fides debeat habere promiſſionem aliquam, qua nitatur: ipſe verò D. Philippus dicat, Petant (ſcilicet fideles) vt Filius diabolos repellat: & ſubdat dicens, iuxta illud dictum: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis: docet inquam, Hoc igitur verbum Chriſti nemo rapiet, &c. promiſſionem eſſe de perſeuerantia Sanctorum in fide: & huius dicti ſenſum eſſe; nunquam diabolum ingreſſurum in corda ouium, & ibi expulſo Chriſto dominaturum. nunquam igitur Chriſtum è cordibus ſuarum ouium, tanquam è ſuo regno per Sathanam eiectum iri: & conſequenter oues à Chriſto nunquam penitus defecturas.

» Ibidem ait: Fortaſſis intuetur Paulus in hac ipſa inſcriptione (ſcilicet ten-
» tationis diabolicæ, & humanæ) diſcrimen primi ſceleris diaboli, & primi la-
» pſus hominum. Scelus diaboli fuit blaſphemia, quia cùm propius noſſet Deum,
» & non aliunde impelleretur, ſuo conſilio & arbitrio ſuperbè contemſit Deum,

Deum,& Filium Dei. Sed primi parentes aliunde impulsi ceciderunt. Hæc ille. His verbis duo docet Philippus: Primum, peccatum Sathanæ fuisse voluntarium Dei, & Filij Dei contemtum: Peccatum verò Adæ & Euæ, non fuisse talem contemtum, sed lapsum quendam: quem voluntariè quidem, sed aliunde impulsi, & seducti, admiserant. Ideo isti doluerunt: ille non. Et Apostolus ait de Eua, quòd fuerit seducta. sic Adam se excusauit, dicens: Mulier, quam dedisti mihi &c. Serpens verò non se excusauit: quia non doluit, se illos impulisse in peccatum. Hinc fit, vt de diabolo legamus, quòd non steterit in veritate. Quare? Quia ex contemtu Dei, & Filij Dei peccauit. De primis parentibus id non legimus. propterea de illis non est censendum, quòd omnino exciderint à veritate, & gratia Dei. Quid ita? Quia non ex contemtu Dei peccauerunt: sed fuit simplex inobedientia, sicut eam vocat Apostolus ad Romanos cap. 5. Propterea illa diaboli, vocatur tentatio diabolica, non tam actiuè, quòd scilicet ea diabolus tentet, quàm passiuè, quòd ea à seipso tentatus, & victus fuerit; nempe, vt voluntariè contemneret Deum, & eius Filium. deinde quòd postquam peccauit ex contemtu: etiam desperauit, & perpetuò desperat de misericordia Dei. Altera dicitur humana: quia illa primi parentes, vt homines, tentati, lapsi sunt.

Alterum, quod hîc docet Philippus, est: Omnes, qui tale peccatum admittunt, quale & Sathan: nimirum, vt voluntariè contemnant, & reiiciant Deum, eiusque verbum: addamus nos, vel vt etiam de misericordia Dei, sicut & Sathan, desperent: hos verè tentari & vinci tentatione diabolica, & verè esse membra Sathanæ. Solos igitur contemtores Dei, & desperatos, tentatione diabolica tentari, ac vinci: ac proinde sicut diabolus in veritate non stetit: ita solos reprobos, nempe, & contemtores Dei, atq; verbi, & desperatione fractos, à veritate, seu à fide prorsus excidere. Contrà: Omnes igitur, qui peccant vt Adam & Eua, nempe non ex contemtu Dei, aut ex desperatione, sed vel ex ignorantia, vel ex infirmitate: eos humana tentatione tentari: ac proinde sicut primi parentes non leguntur à veritate excidisse, ita reliquos electos à veritate, & à fide, nunquam prorsus excidere.

Item, ex verbis Apostoli, Fidelis autem Deus, qui non sinit vos tentari, supra id, quod potestis, sed dabit cum tentatione euentum, vt vincere possitis: dubitationem mouet, dicens: Sed cùm tam multi superati à diabolo, & sua infirmitate, ruant in exitium, vt maxima pars populi in deserto, & parabola de semine Matth. 13. significat plurimos deficere à Deo: quomodo congruit ad hæc dicta, quòd tanta multitudo non protegitur? Respondeo: Semper in Ecclesia duæ sunt partes: vna habens initia timoris, & fidei, quæ quanquam infirma est, tamen habet exercitia pœnitentiæ, & inuocationis, & retinet timorem Dei, & fidem: de qua parte dicitur: habenti dabitur: item Psalm. 144. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate: Item, Quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus? item Esaiæ 66. Ad quem respiciam, nisi ad contritum Spiritu, & trementem sermones meos? Altera pars est secura, sine exercitiis pœnitentiæ, & inuocationis, ebria voluptatibus, aut admiratione & fiduciæ suæ sapientiæ & iustitiæ, vt Saul, Achitophel, Absolon, & alij innumerabiles. Hi superantur à diabolo: quia sunt sine timore Dei, sine agnitione infirmitatis suæ, sine dolore, nec expetunt auxilium Dei. Non igitur accusent Deum, quòd non protegantur, sed seipsos: quia ipsi suo furore arcent Deum: iuxta illa dicta, à non habente, etiam id, quod habet, auferetur: Item Matth. 12. Et veniens inuenit domum otiosam. Tunc alios Spiritus septem assumit se nequiores, & fiunt nouissima peiora prioribus: & 2. Petr. 2. Si, cùm effugeritis contaminationes Mundi, rursus eis implicamini: fiunt posteriora deteriora prioribus. Ex his & similibus testimoniis manifestum est, dictum in Paulo intelligendum esse de his, qui habent exercitia pœ-

» nitentiæ,& inuocationem: Fidelis est Deus,nec sinet vos tentari, suprà quàm ferre
» po testis, vos videlicet non furentes securitate, sed habentes exercitia pœnitentiæ,
» & inuocationis, sicut & Salomon inquit: Beatus qui semper est pauidus: Et Zachar.
» 1.dicitur, conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos: Et Esaiæ 1.Desinite mala fa-
» cere,& discite bene facere. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, eritis candidi
» sicut nix.Hos igitur protegit Deus, hos sustentat velut subiecta manu, vt nutantes
» aut labentes non ruant in exitium. Et in horum tentationibus regit euentus, & dat
» placidos exitus,sicut dicitur, Dat cum tentatione exitum, seu liberationem, vt vin-
» cere possint. Sed de securis,qui non habent exercitia pœnitentiæ,dicitur Prouerb.1.
» Quia vocaui, & renuistis, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in exitio
» vestro ridebo. Hac distinctione considerata securitatem corrigamus, & inuocatio-
» nem exuscitemus. Ita nobis dulcissimam consolationem in his dictis Pauli propositam esse sciamus. Hæc ille.

Ex hac tota responsione quis non videat D.Philippum sensisse id,quod nos docemus? Deum scilicet non permittere vt sui electi pij ita tententur, vt omnino superentur? ita labantur, vt prolabantur? ita cadant, vt excidant? aut deniq; ita à Deo recedant, vt deficiant prorsus? Primò quotquot sunt in Ecclesia, in duas secat partes.quæ sunt hæ duæ partes,nisi electi pij, & reprobi hypocritæ? Partitio,hoc satis docet: & exempla quæ in altera parte ponit,vt Saulis,Achitophelis,&c.confirmãt.

Quid verò docet de prima parte,hoc est,de piis electis?hanc partem ait habere initia timoris & fidei: exercitia pœnitentiæ, & inuocationis, & RETINERE TIMOREM DEI,ET FIDEM. Peccat autem quotidie hæc pars, alius alio grauiùs: & tamen (inquit Philippus) retinent timorem Dei,& fidem.Ergo de sententia Philippi, electi pij nunquam ita à Deo sinuntur tentari,& nunquam ita peccant,vt à fide prorsus excidant: sed perpetuò retinent timorem Dei, & fidem. Hanc eandem doctrinam confirmat, cùm ait de hac parte intelligi illud: habenti dabitur,&c.Docet igitur illis, qui reipsa veram habent fidem: non solùm non tolli fidem, sed augeri, eo scilicet modo, & eo tempore, quo Deo placet augeri. Idem confirmat illo dicto Psalm. 144. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate, id est,verè & sincerè,hoc est,veris fidelibus. Est enim σωνεκδοχὴ: & inuocatio pro tota pietate & fide ponitur.Fidelibus ergo semper Deus propè est:quare ab eo pij prorsus nunquam deficiunt.Item illo dicto,Quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum S.petentibus se? Atqui electi pij perpetuo desiderio petunt Spiritum S.fideiq; augmentum.Hoc est enim proprium veræ fidei.Non igitur excidunt prorsus à fide,aut amittunt prorsus Spiritum S. Cùm loquitur etiam de altera parte: à contrario idem docet, & ijs tantùm accommodat illa Scripturarũ loca, quæ docent Spiritum omnino, & fidem quibusdam adimi. Non igitur penitus auferuntur hæc à verè pijs. Quid illo clarius? cùm de prima parte,hoc est, de verè pijs & electis, cùm
» tentantur & labũtur,ait:Hos igitur protegit Deus,hos sustentat,velut subiecta ma-
» nu,vt nutantes & labentes non ruant in exitium. Hæc Philippus. Allusit autem ad illud Psalmi: iustus cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.Semper igitur pij à manu Dei sustentãtur:ne,cùm ceciderint (vt ait Psal.)collidantur.Quare nunquã penitus à Deo,& eius Spiritu deserũtur.Antea verò in cap. 6.eiusdem Epistolæ,cùm ageret de discrimine inter necessaria,& ἀδιάφορα: dixerat legem moralem esse ipsam æternam lucem in mente diuina: & voluntatẽ Spiritus S.
» in renatis:qui(scilicet Spiritus) ÆTERNAM obedientiam inchoat, cõuenientem vo-
» luntati diuinæ, iuxta illud: Dabo legem meam in corda eorum: item mox hanc in
» renatis inchoatam iustitiam appellat interiorem, & PERPETVAM cordis iustitiam.
Quid hæc docent,nisi D.Philippum hoc sensisse,nullum inueniri posse renatum, in cuius corde non sit inchoata iustitia:eamq; esse in renatis perpetuã? sed appellat cordis

dis iustitiam: quia etsi pij sæpe carne peccant, & in ea sunt iniusti: in corde tamen semper hæret desiderium & studium iustitiæ. Hoc autem perpetuum desiderium, & studium, & amor iustitiæ: ipsa est cordis iustitia. Cor enim nihil potest, nisi desiderare, velle, amare: ex alijs etiam eiusdem piissimi, & doctissimi viri libris, idem colligere promtum est. Tom. 3. de sacris concionibus in exemplo simplicis thematis de fide, pag. 264. Neque est fides existimanda ea, quæ non totum pectus occupauit, & radices iam egit: vt quemadmodum antiqua quercus aduersus ventorum impetus cõsistit in concussa: ita fides tentata, nihil de misericordia Dei dubitet: atq; hunc certum assensum explicauit Christus Matth. 7. de domo extructa super petram. Item pag. 267. ait fidem oppugnari peccatis: non autem ait expugnari. imò postea subdit, dicens: In omnibus ijs vincit fides, nulla alia re, quàm quòd verbo per Spiritum S. cõfirmata firmiter innititur, & adhęrescit. Item in locis anni 22. cap. de iustificatione & fide, 3. fol. post literam I. quintam, ait vim, & naturam fidei exprimi per verbum perseuerandi. Item litera K. 4. ait veram fidem esse nihil aliud, quàm certam & constantẽ fiduciam diuinæ beneuolentię erga nos. Item ibi describit regnum Christi, & ait regnum esse securitatis, illiusq; perpetuæ, iuxta dictum Esa. 32. Et erit opus iustitiæ, pax, & cultus iustitiæ, & securitas vsq; in sempiternum, &c. Legantur & ea, quæ scripsit in cap. 7. Matth. exponens locum de illis, qui ædificant domum suam super petram. pag. 415.

Ceterùm non exiguus est numerus Hypocritarum, etiam in nostris Ecclesijs, in quibus tamen vox Euangelij sonat incorrupta: Sed notum sit discrimen. Singuli enim, quorum corda sentiunt veros pauores ac dolores, agnita ira Dei aduersus peccatum, & rursus eriguntur, conceptaque consolatione, liberantur ex doloribus inferorum, acquiescentes fiducia Christi mediatoris, atque ità habent initia pœnitentiæ, seu conuersionis ad Deum, hi vniuersi (inquam) certò sunt filij Dei, hæredes æternæ salutis, & viua membra veræ Ecclesiæ Christi, qui quanquam suas habent infirmitates nec exiguas, & multiplices, tamen nullo modo sunt in societate aut numero non renatorum seu reiectorum hypocritarum. Illud tamen vnusquisque sciat & meminerit, oportere se paulatim proficere sic, vt timor Dei, fides, humilitas, castitas, ceteræque virtutes Deo placentes in anima sua crescant, augeantur & confirmentur. Imò certò scias, quantumuis languida sint initia conuersionis, Deum ipsum (modò luceant aliquæ scintillæ fidei in tuo corde) velle tibi adesse, te feliciter, salutariter gubernare, tibi efficaciter opitulari: Vt gnome Pauli, quam ex 2. cap. ad Philippenses antè citauimus, expressè affirmat: Deus facit vt velitis & faciatis, &c.

Quamobrem tale cor, quod habet initia Spiritualium exercitiorum, verissimè fundatum, exstructum & ædificatum est supra firmissimam rupem seu petram Christum. Is suppeditabit ei vigorem, robur, & vires, vt & aduersus impetus insultusque furentium diabolorum, & contra insidiosissimas omnis generis tentationes firmiter subsistere possit, nec se deijci de gradu, vt aiunt, dimoueriq́ue loco, patiatur.

Illustrat collatione Saulis & Dauidis, ac vult Dauidem, vnum ex illis fuisse, qui ędificant super petram: ac proinde licet impetitus à diabolo, horribili scelere lapsus fuerit: eum tamen non penitus excidisse & perijsse: quia non fuerit ex numero pertinacium hypocritarum: id quod probat, quia non perseuerauit in peccato. l. p. 417.

Dauid verò, quanquam horribili scelere lapsus, rapuerat alienam coniugem, interfecto marito: tamen non fuerat pertinax hypocrita. Non enim perseuerauit in contemtu Dei, seu malo proposito, &c.

Non est igitur cogitandum D. Philippum aliter de perseuerantiá Sanctorum sensisse, quàm & Scripturæ docuerunt, & Patres confirmarunt, & Lutherus, Bucerus, atque alij doctissimi nostri seculi homines scriptum reliquerunt. Est autem

à nobis demonstratum, Electos verè sanctos, veráque fide præditos, & per Spiritum sanctum regenitos, nunquam à fide prorsus excidere, aut Spiritum sanctum prorsus amittere, doctrinam esse Scripturarum, Patrum, Buceri & omnium protestantium.

Quod si ea fuit (quod non credo) Philippi, quæ & meorum aduersariorum, opinio, eam non minùs liberè in ipso, quàm in illis improbo, & tanquam cum sacris literis pugnantem, reijcio & reijciendam esse dico.

Neque enim faciam, sicut quidam meus tunc Antagonista faciebat: qui, quæ in meis scriptis de prædestinatione, vt hæretica damnabat: Eadem & ijsdem ferè verbis expressa in lib. Lutheri de seruo arbitrio, cùm ab amicis meis ea illi præmonstrarentur, vt piè dicta probabat. In omnibus probanda est veritas, & in omnibus damnanda falsitas.

Summa quorundam argumentorum: quæ cum exspectarem promissam disputationem, ex verbis ipsius meæ Theseos, de qua erat præcipua controuersia, mihi memoriæ caussa breuiter collegeram.

Ac primum à dictione veræ fidei.

PRIMVM Argumentum: Si fides potest aliquando deficere: Ergo temporaria est, ac proinde vera non est. Fides enim vera non est, si non sit constans ac perpetua: id quod ex his locis constat. Matth. 13. Luc. 8. Temporarij non verè credunt: testibus etiam optimis interpretibus. Bucerus in 1. Luc. Pietas quæ finem nouit, non est vera pietas. Item de vera reconciliatione Ecclesiarum: temporaria fides non est vera. Item fol. 128. exemplo illorum, qui, Ioan. 2. credebant in Christum, ipse autem non credebat se eis: hæc (inquit) temporaria, ideo non vera: exemplo etiam populi Israelitici, de quo in Psalmis, Cùm occideret eos, quærebant eum: cor autem eorum non erat rectum cum eo, idem confirmat. Item fol. 138. hanc fidem temporariam, ait analogia quadam fidem vocari: vt cui nomen veræ fidei, non autem ratio competat. Item fol. 139. Hanc fidem ait vocari à Paulo fictam, à Iacobo mortuam; à Domino temporariam: & hac neminem regenerari aut saluari: nec eiusdem esse rationis, cum illa vera & viua. Ita Bucerus: Idem ergo sunt temporaria, & ficta seu simulata, ideoque non vera fides. Idem Bucerus in Matth. cap. 8. pag. 222. demonstrat fidem, quæ est in impijs, non esse fidem veram, sed simulacrum fidei, hac ratione: Sequitur enim quisque opere, cui animo assensit: impij, carnis cupiditatem sectantur, & certo animo sectandas decernunt.

ILLIS Ergo, non verbis Dei assensum præbent. Item pag. 223. Fidem impiorum ait somnium esse, si eam conferas veræ fidei. Item, fidem temporariam, non facere filios Dei, neque iustificare. Sed pulcherrimè in Epistola ad Ephes. in cap. 1. pag. 127. multis ostendit: Fidem impiorum temporariam, non veram fidem, sed fidei imaginem esse. appellat etiam simulatam credulitatem: & fidem mortuam, ideoque non veram fidem, vocari à D. Iacobo ait. In Ioan. cap. 2. in ea verba: Iesus non se credebat eis, de temporarijs ait, Isti sunt, qui credunt in nomen Christi: & ipse tamen se eis non credit. Nouit enim quid sit in homine: nouit eos nihil minùs habere, quàm veram solidamque in se fidem.

Idem

Idem Bucerus in cap. 4. ad Epheſ. pag. 111. in tractat. de vſu & vi ſacri miniſterij: idem abundè docet: Fidem ſcilicet temporariam, non eſſe veram fidem, neque iuſtificantem: & talem fuiſſe fidem Caini, Saulis, Iudæ: ideoque illos nunquam fuiſſe verè iuſtificatos.

Muſculus in locis communibus de patientia. pag. 757. Fides temporaria (inquit) vera fides non eſt.

Melanchthon. Tom. 3. de ſacris concionibus, in exemplo thematis ſimplicis, de fide, pag. 264. ait: Neque eſt æſtimanda fides ea, quæ non totum pectus occupauit, & radices non egit: vt quemadmodum antiqua quercus aduerſus ventorum impetum conſiſtit inconcuſſa, ita fides tentata nihil de miſericordia Dei dubitet: atque hunc certum aſſenſum explicat Chriſtus Matth. 7. de domo exſtructa ſupra petram. Hæc Philippus.

At contra, inquies, ait, 1. Corinth. 10. in illud 2. Petr. 2. ὄντως ἀποφυγόντας. Veram igitur ſenſit eſſe fidem, etiam quæ deficit. Reſpondeo: De varia huius loci lectione ſuprà diximus, & infrà dicemus & reſpondebimus. Deinde intelligimus eſſe veram analogia quadam, quatenus nomen veræ fidei illi competit, ſed non ratio, Sicut Bucerus ait de reform. Eccleſiæ. fol. 138. Comparatione enim illius, quæ non credit omnia, dicitur vera. Credit enim, non quia ea, quæ credit, iudicio rationis probantur, ſed propter autoritatem Dei: ideo omnia credit: ſed reſpectu veræ & iuſtificantis fidei, vera non eſt: quia non eſt ſincera in corde & coram Deo. Hoc ipſe Philippus declarat, cùm ait: Quòd autem, qui principia veræ fidei habuerunt, antequam eam perdant, fides ea vera ſit, &c. ait: Principia fidei, nempe veræ, habuerunt: igitur principia, ſed non ipſam fidem veram, quia ſcilicet radices non egerat: ideò vacillabat, nutabat, non erat vera & ſincera fides, ſed coram Deo ſimulata. Veram fidem ipſe ait alibi eam non eſſe, exiſtimandam, quæ non occuparit totum cor, nec radices egerit fixa, vt quercus antiqua. Auguſtinus ad Iul. Comitem, vt citatur in Decret. de pœnit. diſtinct. 2. can. 2. Charitas (inquit) quæ poteſt deſeri, nunquam vera fuit. Ita Ambroſius in 2. Corinth. 6. In illud: in charitate non ſimulata. Simulata charitas eſt in illis, qui in neceſſitate deſerunt fratres. Sic Gregorius homil. 30. In die Pentecoſtes de amore Dei. Ergo nec vera fides eſt, quæ deficit. Item Auguſtinus in Iohan. tract. 106. colum. 513. Credere verè eſt credere inconcuſsè, ſtabiliter, fortiter, firmè, vt iam ad propria non redeas & Chriſtum relinquas. Ariſtoteles Eth. 7. cap. 9. diſputans, quis ſit verè ἐγκρατὴς, ait eum eſſe, qui ſit τῷ λόγῳ, καὶ τῇ ὀρθῇ προαιρέσει ἐμμένων. Ita verus fidelis eſt, qui ſemper manet in fide. Veri diſcipuli Chriſti dicuntur, qui perſeuerant in verbo Chriſti. Ioh. 8. Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis. De diſcipulis autem non veris ait Ioh. 6. multi autem ex diſcipulis eius, deſciuerunt eo relicto, nec ampliùs cum illo ambulabant. Ergo veri etiam fideles ſunt, qui perſeuerant in fide: non veri autem qui non perſeuerant in fide. Ergo, à coniugatis, illa quoque fides tantùm eſt vera, quæ eſt perpetua: temporaria verò non eſt vera.

Matth. 7. Hypocritis dicet: Nunquam noui vos, diſcedite à me. Qui autem vera fide præditi ſunt, nouit eos Chriſtus: quia ſunt ſui. Hypocritæ igitur reprobi nunquam veram habent fidem; habent autem temporariam, temporaria igitur vera non eſt: Vide ibi Bucerum.

Alte-

Alterum Argumentum, à dictione: Propter promissionem.

DEvs promisit se effecturum, vt sui electi à se non deficiant: deficiunt autem à Deo, qui deficiunt à fide in Deum: Iesa. 59. Hoc fœdus meum cum eis pangam (inquit Iehoua) Spiritus meus, qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo: nunquam recedent de ore tuo, neque de ore seminis tui, à nunc & vsque in sempiternum. Promittit Ecclesiæ suæ perpetuum Spiritum in eius corde: perpetuamque fidem & fidei Confessionem. Præstat igitur. Quod autem præstat Ecclesiæ: vniuersis etiam veris Ecclesiæ membris, vnde illa conficitur, præstare omnino dicendus & credendus est: Sicut & Brentius fatetur in Iesa. 33. Hanc autem perpetuitatem Spiritus & fidei in singulis electis, ex eodem loco confirmat Apostolus Rom. 11. dicens: Sine pœnitentia sunt dona Dei.

Ierem. 32. Ponam timorem meum in corda eorum: vt non recedant à me. Hoc testimonium subinde vrget Augustinus, vt hoc, quod defendimus, dogma de perseuerantia Sanctorum confirmet. Vbi igitur talis timor est datus: ibi planè non deficitur à Deo. Qualem enim timorem promittit? non temporarium, quia hic est hypocritarum: verum igitur & perpetuum.

Oseæ 2. Desponsabo te mihi in perpetuum: in iustitia & fide. Quomodo autem manet connubium æternum in fide & iustitia; si deficiat fides? pertinet autem illa promissio ad omnes electos.

Iohan. 4. Omnis, qui biberit ex aqua, quam ego dabo illi, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Nomine autem aquæ intelligi gratiam Spiritus sancti, docet Iohan. 7. Quomodo igitur deficit, si sit fons salientis aquæ in vitam æternam?

Tertium Argumentum, à dictione: Propter precationem Christi.

QVOD Christus impetrauit Petro sua precatione Iohan. 17. impetrauit singulis electis, qui crediturierant in Christum. Atqui impetrauit Christus Petro, ne deficeret eius fides vllo tempore, & ita nunquam defecit, vt omnes docent Patres. Augustinus Tom. 7. de Correct. & Gratia cap. » 6. colum. 1330. B. Cùm ait Dominus Petro (inquit) Luc. 22. Rogaui pro te Petre, ne » deficiat fides tua: quid ei rogauit, nisi perseuerantiam vsque ad finem? Perseueran- » tia autem (ait idem Augustinus Tom. 4. lib. 83. quæstionum cap. 3. ex Cicerone) est » in ratione bene considerata, stabilis & perpetua permansio. Non igitur defecit à fide vnquam: quia perseuerandi in fide voluntatem habuit perpetuam. Sic Augustinus ibidem cap. 8. column. 1334. A. Cùm rogauit ergo (inquit) ne deficeret fides eius: quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem? Hæc Augustinus: Ergo fideles omnes habent hanc inuictissimam & perseuerantissimam in fide voluntatem: & hoc est, non deficere prorsus à fide. Lutherus in 17. Iohan. ait Dominum rogasse pro suis, vt penes rectam fidem manerent, in ea pergerent ac proficerent, vt ab ea non deficerent: ait etiam exauditam fuisse precationem.

Quar-

Quartum Argumentum, à dictione, prorsus.

ILLI dicuntur prorsus à fide defeciſſe, qui omnem etiam credendi voluntatem, deſideriumque abiecerunt, id quod fit per contemtum verbi. At quis fidelis eſt, qui etiam poſt ſuos lapſus non retineat ſaltem deſiderium ſanctitatis & fidei? aut, qui omnino contemnat verbum Dei? Si autem aliquem adhuc amorem verbi retineat, & fidei deſiderium: habet igitur adhuc fidem, nec prorſus extincta in illius eſt corde. Item, qui retinet adhuc aliquam verbi reuerentiam: is non contemnit verbum: ac proinde retinet fidem. Ideo Lutherus vrget: Tantùm ne contemnas verbum, Securus eſto. Item illi prorſus exciderunt à fide, qui nullam ampliùs retinent ſpem veniæ & miſericordiæ Dei. Si enim quis retinet ſpem: ergo & fidem. At quis fidelium eſt, qui etiam poſt multa peccata, non ſperet in miſericordia Dei? & ſe, ſi reſipiſcat, veniam impetraturum? alioqui, ſi deſperent, actum eſt de illis. Ideo Philippus Melanchthon in 10. cap. 1. Corinth. Conſolatur eos (inquit) ne, fracti deſperatione prorſus à Deo deficiant. Qui ergo nondum fractus eſt deſperatione, nondum à Deo prorſus defecit. Non deſperant autem niſi reprobi, vt, Iudas, Cain, &c. Ergo. «

Quintum Argumentum, à dictione, iuſtus, & inſitus in Chriſtum.

ILLE, cuius perpetuò voluntas eſt in lege Domini, & hac delectatur, & hanc amat, & in ea perpetuò meditatur, fidem perpetuò habeat, neceſſe eſt. Atqui Sanctorum & Chriſto verè inſitorum voluntas, perpetuò eſt in lege Domini. Sic enim deſcribitur iuſtus in Scripturis, præſertim Pſalm. 1. Et omnis iuſtus ait illud Pſalm. 40. Ad faciendam voluntatem tuam Deus meus volui: Et lex tua in medio cordis mei. Atque hoc eſt præcipuum diſcrimen inter electum pium, & hypocritam: quia electus pius perpetua legis dilectione & amore in corde afficitur, & rectum eſt cor eius in Domino, etiamſi externè nonnunquam impio ſimilis eſſe videatur. Contrà, hypocrita, actionibus externis ſimilis eſt iuſto: ſed eius cor non delectatur lege, non eam amat, non eſt in ea illi voluntas, nec rectum habet cor coram Domino. In Scripturis autem Deus omnia metitur corde, ſiue bona, ſiue mala: ſiue pios ſiue impios. Electi enim pij diſcernuntur ab impijs hypocritis in conſpectu Domini, cordis pietate. Doctus quoque interpres, iſque Germanus in Pſalm. 1. ait, pios ab Hypocritis, hac nota diſcerni: quòd pij lege Dei ex animo delectentur, & quòd in ea, abſque intermiſſione, conſtanter & perſeueranter meditentur: hypocritæ verò, vel qui aliâs per occaſionem in meditationem legis qualemcunque incidunt, quoniam, quod faciunt, vero legis amore non faciunt, ſed obiter & perfunctoriè, citò deficiunt: & illos quidem ſimiles eſſe fonti, cuius venæ aquis viuis ſcaturiunt, ac proinde, qui die ac nocte indeſinenter fluit: iſtos verò ciſternæ, quæ aquam aliunde illatam habet, & ideo quæ medio æſtatis calore exſiccetur. Præterea omnia Sanctorum peccata ab imbecillitate fidei proficiſcuntur: Bucerus in lib. de vera Eccleſ. reconcil. Idem Bucerus in Matth. cap. 8. pag. 222. Vnde peccatum in electis ſit, docens, ait: Vnde & pij, dum peccant, non ex fide, id eſt, certa perſuaſione de Dei verbis, ſed pro carnis iudicio agunt. Verùm hoc à reprobis differunt: quòd id ipſum, quod faciunt, malum oderunt: & quàm primùm ab eo reſiliunt. Impij autem malum, quod agunt, amant, ac niſi ſibi à Deo, & hominibus timerent vltionem, optarent illi perpetuò inhærere. Item mox: Ac quicquid electi peccant, inde venit, quòd iſti perſuaſioni aliquid adhuc apud illos deſit. Ratio ſiquidem ignara Dei voluntatis, pro carnis cupiditatibus perpetuò iudicat.

Vnde

Vnde si mens, Dei imbuta Spiritu, non vigilantissimè intendat priusquam expendatur, bonum sit an malum, quod caro cupit, Deo gratum an secus: in illud inconsulta ruit, auertente ita aciem eius vi cupiditatis. Ergo semper retinent fidem. Si enim non peccant, in fide sunt: Si peccant, quia ex imbecillitate fidei peccant, fidem adhuc habent, sed imbecillam & labefactatam. Idem Bucerus in Psalmum 1. pag. 3. ait pios, toto animo prauos & peruersos esse non posse: idque probat ex 1. Iohan. 3. Et pag. 6. Electos in solo cœlesti plantatos esse, vbi eos diuini Spiritus succus nunquam deficit: contrà pag. 9. Reprobos, Spiritu Dei bono & regenerante, non donari: regenerationis semper expertes. Denique omnes sancti arrhabone Spiritus sancti obsignati sunt, vsque in diem redemtionis: quem, cùm peccant, contristare quidem dicuntur à Paulo ad Ephes. 4. prorsus autem amittere nusquam. Est autem de hisce rebus loquendum secundum Scripturam. Adde, quòd in sanctis semper sunt duo homines, interior, qui & Spiritus: Et exterior, qui & caro appellatur: perpetuaque est inter ipsos pugna: Vt Apostolus describit ad Rom. ad Gall. & alibi. Quomodo igitur penitus amittere possunt Spiritum sanctum: quin cesset lucta, & toti fiant caro, peccatumque in illis planè regnet?

Ad Argumenta aduersariorum: contra doctrinam de Perseuerantia Sanctorum in fide: vbi conciliantur loca in speciem pugnantia.

CAPVT II.

OMNIA argumenta, quæ Aduersarij contra piam, de Perseuerantia Sanctorum in fide, doctrinam, adferri solent: ad tres classes referuntur. In prima, continentur exempla quorundam, quos contendunt, & vera fide fuisse iustificatos, & postea tamen ab ea prorsus defecisse, è Scripturis desumta. In altera sunt loci aliquot, è Scripturis itidem petiti, qui cum nostra doctrina pugnare videntur. In tertia, quædam collocantur nostri seculi doctorum virorum, qui à nobis dissentire videntur, sententiæ: quibus adijcitur etiam locus ex articulo XI. Confessionis Augustanæ. Nunc ordine ad singula respondeo.

Quod ad primam classem attinet: exempla, quæ adducuntur, triplicis sunt generis. Quædam sunt eorum, quos omnibus constat fuisse verè electos & iustificatos: & tandem in æternam vitam deductos: vt est exemplum Dauidis, Petri, &c. Quædam sunt eorum, quos contrà liquet, non fuisse ex electorum numero: ac proinde ad æternam vitam migrare non potuisse: vt est exemplum Iudæ Apostoli, & Saulis. Postremò sunt exempla quorundam, de quibus nihil certi à nobis affirmari potest, an fuerint electi, ideoque seruati: an verò reprobi, ideoque damnati: vt sunt exempla quorundam ex veteri Testamento, item Corinthiorum, &c. Ceterùm quoniam ij quoque aut ex electis, ideoque nunc in cœlo beati, aut ex reprobis, ideoque nunc in inferis damnati, fuerint & sint necesse est: Iccirco responsum quod dabimus ad exempla vel primi, vel secundi generis, ad exempla quoque huius tertij ordinis, datum volumus.

Porrò omnia argumenta, ab exemplis ducta: ad hunc vnum Syllogismum rediguntur: Quicunque scelera contra conscientiam admittunt: si prædi ti sunt iustificante fide, ab eo prorsus excidunt: & si sunt regeniti per Spiritum S. amittunt prorsus Spiritum sanctum, id est, Spiritum regenerationis. Ratio huius propositionis est, quia vera & iustificans fides, vt omnes concedunt, non consistit, nec potest con-

consistere cum huiuscemodi flagitijs, conscientiam vastantibus. Atqui iste vel ille fuit vera & iustificante fide præditus, ideoque iustificatus, & per Spiritum sanctum verè regeneratus & sanctificatus; & tamen peccata contra conscientiam admisit. Probare hanc nituntur ex historijs. Ergo multi verè iustificati & regenerati, veráque fide præditi, à fide prorsus exciderunt. Quare falsum est, quod ait Zanchius, eos qui semel vera fide donati, & per Spiritum sanctum regenerati, & Christo insiti fuerunt: non posse ampliùs à fide & à Christo prorsus excidere, & Spiritum sanctum penitus amittere.

Respondeo ad maiorẽ, Si illud, contra conscientiam, intelligas, contra plenam conscientiam, & ex toto animo destinataque malitia: nego, qui hoc modo peccant, eos vera & iustificante fide præditos: & verè renatos esse aut vnquam fuisse: talia enim peccata propria sunt impiorum: Contrà nego, à verè sanctis talia admitti flagitia, propter quæ à fide prorsus excidant: non quòd sua natura id non possit fieri, sed quia Deus non sinit eos ita peccare, vt peccant reprobi, & ita à fide prorsus deficere: idque propter suam promissionem, & propter efficacem Christi intercessionem, qui rogauit, ne deficiat fides suorum electorum: vt suprà demonstratum est. Admittitur ergo paralogismus, qui dicitur αἴτησις τοῦ ἐν ἀρχῇ.

Ad minorem, isti quorum exempla citantur, vel fuerunt electi, vel ex reprobis. Si ex reprobis: nego primum minoris propositionis membrum, nempe eos fuisse vera fide præditos, ideoque verè iustificatos, & per Spiritum sanctum renatos. Reprobi enim nunquam vera fide donantur, nunquam verè iustificantur, aut regenerantur. Apostolus enim veram fidem, fidem vocat Electorum, Tit. 1. & ad Rom. 8. ait. Quos prædestinauit, hos & vocauit (vocatione scilicet efficaci & iuxta propositum) quos verò vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, hos & glorificauit. Quicunque ergo fuerunt vnquam, aut sunt, aut futuri sunt posthac, verè iustificati, ideoque vera & iustificante fide præditi: ij tandem glorificentur necesse est. Et contrà qui nunquam glorificantur: ij nunquam etiam fuerunt verè iustificati, veraque fide præditi. Reprobi autem nunquam glorificandi sunt.

Si verò propositio illa de Electis, vera fide donatis & iustificatis intelligatur: nego alterum ipsius minoris propositionis membrum: nimirum, Eos peccatum vastans omnino conscientiam admisisse. Hæc enim inter se pugnant. Atque hoc est, quod passim in Scripturis Spiritus sanctus docet: cùm quæ sit veræ fidei natura, per Prophetas & Apostolos describit: nimirum naturam veræ fidei esse, vt sit viua, efficax per charitatem, perpetuò secum habens coniunctam pœnitentiam, amorem Dei & proximi; odium peccati, amorem legis Dei, studium denique sanctitatis & bonorum operum: ita, vt qui his perpetuis fidei veræ fructibus careant, eos quoque non habere veram & viuam fidem in Christum, necessariò consequatur. Hoc est, quod speciatim contendit Apostolus Ioan. 1. epist. cap. 2. In hoc, inquiens, scimus quòd cognouimus eum (per veram fidem) si mandata eius obseruamus, id est, si mandatis obseruandis studeamus. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit (saltem in corde, istis seruandis studendo) mendax est.

Quid verò aliud, quàm hoc, docet in toto ferè tertio capite? Qui habet hanc spem, inquit: sanctificauit se, sicut ille sanctus est, id est, studet sanctitati. Studere autem sanctitati, & ex destinata malitia peccare: pugnant inter se. Item, omnis qui peccat: non vidit eum, nec cognouit eum. Ergo qui ita peccant: non amittunt fidem, sed declarant, se nunquam habuisse fidem veram. Filioli, nemo vos seducat. qui facit iustitiam iustus est. Quasi dicat: Ille tantùm verè iustus est, qui iustitiæ fructus profert, id est, qui studet iustitiæ, operibusque bonis faciendis. Seductores ergo sunt, qui dicunt posse hominem esse iustum, ideoque fidelem: qui non studeat iustitiæ. Item: Omnis qui facit peccatum (scilicet prudens & volens, ideoque plena

voluntate) ex Diabolo est: quoniam ab initio Diabolus peccat (hoc modo.) Non sunt igitur iustificati & renati ex Deo, qui plena voluntate peccant. Quare nun-
» quam habuerunt fidem. Contrà, de verè iustificatis & renatis, ait, Omnis, qui natus
» est ex Deo, non peccat (nimirum plena voluntate, ideoque ad mortem.) Nec po-
» test peccare (hoc scilicet modo) quia semen Dei (verbum scilicet fide apprehensum, & Spiritu sancto obsignatum) manet in illo (id est, perpetuò perseuerat.) Fieri ergo non potest, vt qui vera fide præditi, ideoque verè iustificati sunt: talia admittant peccata, per quæ fides prorsus amitti queat: ideò perpetuò in eis remanet fides & semen Dei. Quid illo clarius? Carissimi, inquit, Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum. Condemnat autem cor nostrum nos; cùm contra conscientiam peccamus, id est, peccatum tota voluntate volumus, amamus, probamus: ac proinde illud verè nobis condonari per Christum, non credimus. Contrà igitur, qui veram habet fiduciam in Deum: is non ita peccat, nec habet cor, quod se prorsus condemnet: quia sentit mente se condelectari lege Dei, tametsi carne seruiat legi peccati: ac proinde sentit, omnia sibi peccata per Christum condonari. Et ita Bucerus in Disputat. Ratisbon. pag. 131. hunc locum interpretatus est. Quid? quòd hæc est doctrina omnium PROTESTANTIVM? quæ enim habentur in Disputat. Ratisbon. omnium Protestantium nomine dicta & affirmata fuerunt à nostris. Ibi autem quid scribitur? passim hæc doctrina inculcatur: Fidem quam docent Protestantes, talem esse, quæ nunquam sit sine pœnitentia peccatorum & studio bonorum operum,
» pag. 103. Talem fidem, inquiunt, docemus, quæ sine peccatorum pœnitentia, &
» studio bonorum operum esse non possit. Item pag. 200. & 206. & 220. Ergo nunquam peccant sancti: quin habeant resipiscentiam. Resipiscentia autem non potest esse vera resipiscentia sine fide. Si igitur nunquam sunt sine resipiscentia: nunquam etiam sunt sine fide: Nec solùm docent, fidem non posse consistere cum peccato contra conscientiam, & sine peccatorum pœnitentia & studio bonorum operum: sed inde inferunt, idque necessaria illatione, ipsos igitur fideles non posse talia peccata
» admittere, aut in illis hærere. pag. 241. Peccatum, inquiunt, contra conscientiam, vel
» vt Augustinus loquitur, vastans conscientiam, vera fides secum non fert: nec vnquã in tali peccato hæret: qui vera & iustificante fide viuit. Legantur etiam quæ de ea-
» dem re tradunt à pag. 242. vsque ad 252. Sed clariora subdo testimonia. pag. 91. Qui e-
» nim, inquiunt, Christo Domino verè credunt: ij non possunt non bona operari ope-
» ra. nequit siquidem bona arbor non bonos fructus ferre. Et mox. Nam licet hi [scilicet verè fideles] secundum internum hominem condelectẽtur lege Dei & non pec-
» cent: inhabitans tamen in eis adhuc peccatum, multa simul operatur, quæ internus
» homo odit: & hoc inhabitatore, sancti impediti, multa bona prætermittunt, quæ facere debent. Item pag. 229. Ita, inquiunt: quanquam omnes sancti habeant adhuc re ipsa peccatum, & tractum à deprauata origine, & ab ipsis quoque commissum: tamen non habent in voluntate sua. Non volunt enim, sed oderunt illud, & quod in eis habitat, & quod ab eis fit. Non quod volo, inquit Paulus, hoc facio: sed quod odi, id facio. Aiunt, sanctos habere peccatum, & admittere peccatum. Illud complectitur originale, & eius concupiscentias: hoc complectitur omnia actualia peccata, quæ sancti admittunt. Aiunt autẽ, nec illud haberi, nec ista admitti à sanctis sua voluntate. Quomodo igitur ait quidã Doctor: Sanctos tota etiam voluntate peccare? Quod si cuipiam dura videtur locutio hęc Protestantium: audiat eosdem mox eam explicãtes pag. 230. Omnis enim verè credens in Christũ, habet fidẽ & Christũ, & iustitiã eius
» in se habitantẽ & manentẽ. ita non dicimus, homini peccatũ non imputari, quod ha-
» beat omnino, id est, etiã sua volũtate: vt quod non oderit in se, & à quo liberari se non
» petat. Docent ijs verbis, quid sit habere & admittere peccatũ volũtate sua: nimirum illud ita habere, & admittere, vt & illud non odio habeas, nec te liberari ab eo petas.

Sancti nõ peccãt sua voluntate [scilicet plena.]

Ergo

Ergo non habere voluntate noſtra peccatum, eſt illud ita habere & admittere: vt & illud odio habeas, & ab eo liberari te cupias & petas. Sed legantur, quæ ſcribuntur pag. 242. vltim. lin. Confitentur quidem: ſed, &c. poſteà pag. 243. ad calcem ſic habent. De fide tamen, qua iuſtus viuit, ſecus eſt. hanc enim qui habent, filij Dei « ſunt: & hos agit Spiritus ſanctus ad ea, quæ ſancta & vera ſunt: vt contraria, ſcien- « tes & prudentes, non agant: multoque minùs in ijs perſeuerent: tametſi ex imbe- « cillitate carnis, ſæpenumero & ipſi non ex fide agant & peccent: Sed peccata non « vaſtantia conſcientiam, non illa, quæ regno Dei ſtatim excludunt. Hæc ibi. Hanc « verò doctrinam confirmant teſtimonijs Scripturarum: præſertim ex prima Epiſtola Iohannis Apoſtoli: & hoc Syllogiſmo ipſi quoque vtuntur. Qui credit verè, quòd Dominus Ieſus eſt Chriſtus: is natus eſt ex Deo. 1. Iohan. 5. Qui natus eſt ex Deo: is non peccat; nec poteſt peccare. 1. Iohan. 3. Ergo qui verè credit, is « non poteſt peccare: nempe peccatum vaſtans conſcientiam: & multò minùs in eo « permanere. «

Ex ijs ſatis apertè liquet, quod initio docebam, in Sanctos, & verè fideles, non cadere peccatum vaſtans conſcientiam. Per nullum autem aliud peccatum, fides amitti poteſt, quàm per hoc. Non poſſunt igitur Sancti verè fideles, à fide prorſus excidere. Quare quæcunque exempla adferuntur ab aduerſarijs de verè fidelibus & ſanctis, nihil concludunt: propterea, quòd ij talia non admiſerint peccata. Quæcunque verò de Hypocritis reprobis, illa etiam nihil concludunt: propterea quòd illi nunquam veram & iuſtificantem fidem habuerunt: ideoque ab ea etiam excidere non potuerunt.

Hæc eſto reſponſio in genere ad omnia argumenta ab exemplis ducta. Nunc ſpeciatim quædam exempla contra hanc doctrinam allata, excutienda ſunt: vt multa loca ſacrarum literarum ab aduerſarijs miſerabiliter contorta, explicentur, & genuinus eorum ſenſus intelligatur.

Primum argumentum ab exemplo eſt Patrum, in deſerto. Patres omnes in deſerto (aiunt mei aduerſarij) fuerunt iuſtificati, ſanctificati & regenerati. Idem etiam (id eſt, plerique illorum) peccarunt contra conſcientiam, quia in vera Dei cognitione non perſeuerarunt, & varijs ſceleribus ſe contaminarunt. Ergo qui fuerant iuſtificati, & verè fideles: poſtea exciderunt à fide. Primum antecedentis membrum: probant ab eſu eſcæ Spiritualis: hoc modo. Omnes eandem eſcam Spiritualem manducarunt, & eundem Spiritualem potum biberunt, nempe Chriſtum. Hic autem Spiritualis cibus, non manducatur niſi fide. fuerunt ergo omnes fideles, & fide in Chriſtum, & per Spiritum ſanctum iuſtificati. Alterum antecedentis membrum, probant ex verbis Apoſtoli: Illi fornicati ſunt; admiſerunt idololatriam, Chriſtum tentarunt: propter quæ ſcelera fuerunt exterminati, id eſt, damnati. Atqui nemo damnatur, niſi peccet contra conſcientiam. Qui ergo fuerunt iuſtificati, poſtea peccarunt contra conſcientiam: & proinde exciderunt à fide. Quamobrem ſemel iuſtificati & renati, ſi poſteà ad priora relabantur peccata, amittunt fidem & Spiritum ſanctum.

Reſpondeo: Si antecedens de iiſdem planè perſonis, quod ad vtrunque membrum attinet, intelligatur: illud planè ἀδυνατον eſt. Fieri enim non poteſt, vt ſit aliquis verè iuſtificatus, & vera fide præditus: & idem verè admittat peccatum conſcientiam vaſtans: vt ſuprà à nobis ex Scripturis, & ex ipſa proteſtantium doctrina, demonſtratum fuit.

Alterum quidem membrum, Multos ex illis contra conſcientiam peccaſſe, & propter talia ſcelera damnatos fuiſſe, libenter concedimus: quia & hiſtoria Moſis & Apoſtolus & Chriſtus ipſe Iohan. 6. id docuerunt. Sed quòd ijdem fuerint antea coram Deo, & verè iuſtificati: eſt planè ἀδυνατον. Si enim fuiſſent iuſtifi-

cati: fuissent etiam glorificati, Rom. 8. Quos iustificauit, eos & glorificauit. Atqui non fuerunt glorificati. Quare primum membrum: omnes scilicet fuisse iustificatos: falsissimum est.

Cùm verò id probant ab esu escæ Spiritualis, dicentes: omnes manducauerunt escam spiritualem, id est, Christum, & contendunt, omnes Israelitas manducasse Christum vera fide: falsissimum est, & contra Christi sententiam, qui ait Iohan. 6. Patres vestri manducauerunt in deserto Manna, & mortui sunt: Qui manducat hunc panem, viuit in æternum. Quibus verbis docet Christus, non omnes Patres in deserto verè manducasse Christum, sed quosdam tantùm Manna, seu Symbolum tantùm, sine re ipsa per Symbolum significata & oblata: & hoc etiam concludit ab effectu, quia illi mortui sunt, morte scilicet æterna: & tale argumentum est Christi. Quicunque manducat hunc panem, id est, me Christum: viuet in æternum. Atqui Patres vestri [nempe impij inter Iudæos, vobis similes] etsi manducauerunt Manna: mortui tamen sunt, æternamque vitam non sunt consecuti. Ergo Patres vestri Manna tantùm; non autem me panem viuum manducauerunt. Quare ex verbis Domini Iesu necessariò consequitur, non omnes Israelitas, qui Manna manducauerunt, fuisse fide in Christum iustificatos.

At, inquiunt, Apostolus sic loquitur: Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt. Hæc autem esca, & is potus, fuit Christus. Omnes igitur manducauerunt & biberunt Christum: hæc autem esca spiritualis Christus, non manducatur nisi fide. Omnes igitur fide Christum manducarunt: quare omnes iustificati fuerunt.

Primùm locum illum Apostoli, aliter interpretatus est Chrysostomus & aliquot alij: nimirum quòd Israelitæ omnes eandem [scilicet inter se: non nobiscum] Spiritualem escam, id est, Manna comederunt. Spiritualis autem esca, vocatur Manna, & Spiritualis potus, illa aqua, quia Sacramenta erant rerum spiritualium: vt per metonymiam, nomen rei significatæ conueniat signo. Theodoretus quoque sic interpretatus est: nomine escę venire Manna: & nomine potus, aquam de Petra. Appellari verò Spiritualē escam, & potum: quòd virtute Spiritus Christi, populo vtrumque datum sit. Verba eius sunt. πνευματικὸν καλεῖ καὶ τὸ βρῶμα καὶ τὸ πόμα: ὡς αὖθις πνεύματος ἄμφω λέγει διὰ Μωσέως κατὰ τὴν ἀπόῤῥητον αὐτοῦ παράσχοντος δύναμιν. hoc est, Spiritualem vocat & escam & potum, tanquam Spiritu (Christi) vtrumque per Mosen, secundum suam ineffabilem potentiam exhibente. PHOTIVS etiam petram illam materialem, Spiritualem ait appellari propter petram Christum, qui illi materiali aderat, ex illa aquam educens & præbens populo: αἰσθητὴ μὲν λοιπὸν ἡ πέτρα: δηλονότι ἡ τὸ ὕδωρ τοῖς Ισραηλίταις ἀναβλύσασα: ἀλλ' οὐκ ἐκ τῆς οἰκείας φύσεως τοῦτο ἔβλυσεν: ἀλλὰ τῇ δυνάμει τοῦ κατ' ἐνέργειαν παρόντος αὐτῇ πνευματικῆς πέτρας, καὶ ἀκολουθούσης τῇ χρείᾳ τῶν διψώντων. hoc est, Sensibilis quidem erat illa petra, nimirum, quæ aquam Israelitis effundebat: verùm haud propria natura eam emittebat, sed potentia illius Spiritualis petræ, quæ sua efficacitate & ei aderat, & sitientium necessitatem comitabatur. Quare si velim hanc Græcorum interpretationem sequi: nihil concludit aduersarius: omnes scilicet Israelitas ideò fuisse iustificatos, quia comederunt omnes eandem escam Spiritualem, id est, Manna. Sed si ita placet, retinebo interpretationem AVGVSTINI: omnes Israelitas tam pios, quàm impios, comedisse eandem nobiscum escam Spiritualem, id est, Christum: sed non omnes eodem modo. Alios enim comedisse non tantùm Sacramentum, sed etiam rem Sacramenti, quia fide comederunt: alios verò Sacramentotenus tantùm. Quare cùm Antagonistæ aiunt, omnes comedisse Christum fide: paralogismus admittitur, qui vocatur homonymiæ in verbo manducandi. Est enim duplex Christi manducatio:

vna

vna vera, altera non vera. vera est, cùm non solùm Sacramentum, seu Symbolum Christi sumimus: sed & rem ipsam, Christum ipsum manducamus, hoc est, illo vescimur, nutrimur, & corroboramur ad æternam vitam. Hæc, reuera, non fit nisi fide, eaque viua & iustificante. Non vera autem manducatio, est, cùm Christus ipse Sacramentotenus tantùm (vt loquitur Augustinus & alij) non autem reipsa manducatur: hoc est, cùm Sacramentum seu Symbolum tantùm Christi sine Christo ipso percipimus & manducamus: ac proinde non verè Christum manducamus. Prima est tantùm piorum: altera est impiorum. Prima est saluifica, altera pernicioſa, hoc est, ad condemnationem.

De prima loquitur Christus Iohan. 6. cùm ait: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum: De altera loquitur ibidem Christus cùm ait: Patres vestri (impij scilicet sicut & vos, id est, Patres vestri non tantùm secundum carnem, sed etiam secundum impietatem) manducauerunt (dentibus corporis) Manna (scilicet tantùm, sine me) & (proinde) mortui sunt: scilicet æternùm. Quibus verbis docuit Dominus, pios in deserto manducasse & Sacramentum, id est, manna, dentibus corporis; & rem Sacramenti, id est, Christum panem viuum, dentibus Spiritus & fidei, ideoque æternùm eos viuere: impios autem, quia sine fide, manducasse manna tantùm, idque dentibus corporis, sine Christo, id est, sine re: ideoque mortuos esse æterna morte. Idem, Paulus voluit, iuxta Augustini interpretationem, concludere, omnes quidem Israelitas, qui manna manducauerunt: Spiritualem escam, id est, Christum ipsum manducasse, sed suo quemque modo. Alios enim, nempe pios & fideles, non solùm Sacramentum, sed & rem ipsam, id est, non solùm manna, sed etiam Christum ipsum, verè manducasse, quia fide manducarunt: alios verè, nempe impios, eandem spiritualem escam Christum manducasse, sed Sacramentotenus tantùm: id quod idem est ac si dicas: Sacramentum tantùm & Symbolum Christi sine Christo ipso. Quare? Quia cùm Christus esca spiritualis, fide tantùm (vt optimè etiam aduersarius ait) manducetur, impij verò fuerint sine fide: proinde non potuerunt Christum reipsa & verè, sed tantùm Sacramentotenus, eoque non verè manducare: ideoque etiam non omnes probatos fuisse Deo: sed quosdam, hos nimirum impios, exterminatos fuisse, id est, vnà cum morte corporis, mortem etiam æternam obijsse. Quare quod Christus dixit, Et mortui sunt: id Paulus vocat, Et prostrati sunt. Hanc duplicem manducationem Christi, ipse etiam Augustinus præter alios Patres agnouit: Et sententia eius recitatur à D. PROSPERO Augustini discipulo in libro Sententiarum ex operibus Augustini cap. 339. pag. 214. quæ sic habet: Escam vitæ accipit & æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo, nec carnem eius manducat, nec sanguinem eius bibit: etiamsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ præsumtionis quotidie indifferenter accipiat, hæc ibi. Cùm igitur ait Apostolus, Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, nempe tam pij, quàm impij: subintelligendum est, suo quisque modo: quia pij, fide ipsam quoque rem Sacramenti perceperunt: impij verò, quia sine fide, Sacramentotenus tantùm. Aduersarij autem, ita interpretantur, quasi omnes eodem modo, nempe fide manducauerint: ac proinde concludunt, omnes fuisse iustificatos: cùm tamen maior pars manserit incredula, ideoque non reipsa panem Christum, sed tantùm Sacramentotenus (vt Dominus Iesus Iohan. 6. concludit) manducauerint. Apparet igitur paralogismus homonymiæ. Et quomodo potest colligi ex Paulo: omnes fuisse iustificatos, cùm ipse dicat, ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ θεός? In omnibus autem iustificatis, est εὐδοκία τοῦ θεοῦ: seu εὐδοκεῖ ὁ θεός. Quare falsum est, quod de Israëlitis concludunt, illos, qui fuerant iustificati, postea ita peccasse contra conscientiam, vt fidem prorsus amiserint.

Exemplũ Corinth.

Secundum argumentum: ab exemplo Corinthiorum est deductum. sunt autem reuera ibi tria argumenta. Primum desumptum à verbis Apostoli: Qui stat: videat ne cadat: alterum ab exemplo Corinthiorum in genere: tertium ab exemplo vnius Corinthij incesti. Ad illam Pauli sententiam, respondebimus paucis, vbi ad secundam classem Argumentorum peruenerimus: Ad illam enim pertinet. Nunc tantùm ad exempla respondemus.

Argumentum igitur ab exemplo Corinthiorum ductum, hoc est: Corinthij fuerant iustificati, sanctificati, verè fideles: & acceperant Spiritum sanctum. Hoc probant ex 6. cap. eius Epistolæ: sed abluti estis: sed sanctificati estis, &c. iidem tamen postea admiserunt crimina vastantia conscientiam. Hoc probant à dissidijs, fornicationibus & alijs sceleribus, quæ Paulus in Corinthijs reprehendit. Ergo amiserunt fidem & Spiritum sanctum.

Præter responsionem superiùs à nobis ad omnia argumenta ab exemplis ducta, allatam: aliquid speciatim ad hoc argumentum dicendum est: idque quò meliùs appareat huius argumenti fallacia.

Quod ad primum membrum attinet, si aduersarius intelligat, vniuersos & singulos Corinthios fuisse verè & coram Deo iustificatos & per Spiritũ sanctum regeneratos: non damus. Sunt enim in singulis Ecclesijs, & verè pij ac sancti: & simulati, ac hypocritæ: boni pisces, & mali: triticum & paleæ. At dicet: Apostolus omnes Corinthios simul alloquens, ait, Et hæc aliquando quidem fuistis, nempe omnes idololatræ, adulteri: sed abluti estis: sed sanctificati estis (nempe vos ijdem omnes, qui antea eratis idololatræ) omnes ergo fuerunt iustificati, sanctificati. Primùm hîc est fallacia homonymias. Esse enim iustificatum & sanctificatum, bifariam accipitur: aliquando propriè & verè coram Deo. Plerosque hoc modo iustificatos fuisse Corinthi, sed non omnes, facilè damus: aliquando καταχρηστικῶς, id est, non verè, nec coram Deo, sed tantùm in facie Ecclesiæ & coram hominibus, adeoque & Sacramentaliter. Plerosq; etiam alios in eadem Ecclesia hoc modo iustificatos fuisse: negari non potest. Quare etsi omnes appellantur ab Apostolo iustificati, sanctificati, abluti in nomine Domini nostri Iesu Christi: non tamen ideò sequitur, omnes eodem modo, id est, verè fuisse iustificatos. Lutherus etiam in illud Psal. 2. Ego autem cõstitui Regem meum super Sion montem sanctum: Tom. 3. fol. 451. Duplex, inquit, sanctitas: generalis & specialis: vide locum. Ego breuiter sententiam explicabo. Sanctitas generalis est, cùm aliqua Ecclesia constans bonis & malis, tota tamen synecdochicῶς sancta vocari solet: propter illum in primis sanctum sanctorum, qui in ea inhabitat, & qui credentes in se sanctificat: & deinde propter illos etiam, qui reuera in ea sancti sunt. Specialis verò est illa, qua veri credentes verè & reipsa sanctificati sunt coram Deo per Spiritum S. cùm reliqui tantùm coram hominibus, professione & Sacramentorum obsignatione, sancti nominentur, & pro sanctis habeantur. Idem igitur nomen conuenit omnibus: sed nõn eadem res, quare paralogismus est homonymias in dictionibus iustificati & sanctificati. Est autem notanda hæc Scripturarum consuetudo: nimirum, vt quotquot nomen Christo dant, & in eius nomen baptizantur, etsi non omnes Christo verè inseruntur, nec omnes verè in mortem & resurrectionem Christi baptizantur, id est, regenerantur: tamen omnes appellet iustificatos, sanctificatos, ablutos, filios Dei, & verè etiam electos.

Sic Apostolus omnes, qui erant Romæ, Christianos, sanctos appellat: & omnes, qui erant in Ecclesijs Galatiæ, filios Dei vocat: Et Petrus omnes, qui erant in Ponto, Galatia, Cappadocia, vocat electos. Idem etiam facit Apostolus in 6. cap. ad Corint. dum omnes ait ablutos & sanctificatos fuisse. Ecclesia enim cùm non sit, sicut Deus καρδιογνώστης, non potest aliter iudicare de illis, qui nomen dant Christo, & lauacrum regenerationis suscipiunt; quàm eos verè esse insitos in Christum & verè

verè regeneratos: idque tantisper dum manent in Ecclesia, nec continuis sceleribus aut defectione ab Ecclesia, declarant se nunquam vera in Christum fide præditos, aut Spiritu Christi donatos fuisse.

Deinde si propriè etiam accipi velit illas voces, sanctificati, & iustificati estis: tamen non concludes, omnes igitur & singulos Corinthios fuisse verè iustificatos & sanctificatos. Est enim Synecdoche: cùm id, quod vni tantùm parti conuenit, toti corpori alicuius Ecclesiæ attribuitur: Sunt autem hæ Synecdochæ in Scripturis frequentissimæ. Quare, si quod dictum est Synecdochicè, propriè & simpliciter dictum esse interpreteris; admittis paralogismum figuræ dictionis: vel si, quod de toto dicitur, propter considerationem vnius partis, illud de singulis partibus propriè dictum intelligas, admittis paralogismum, qui dicitur ὁ παρὰ τὸ ἁπλῶς, τὸ δὲ κῆ μὴ κυρίως. Cùm hæc ita se habeant, non potest probari, ab ijsdem, qui fuerunt in Ecclesia Corinthiorum verè iustificati & sanctificati, ea crimina, quæ ab Apostolo in Ecclesia reprehenduntur, admissa fuisse: cùm ea ab hypocritis potiùs, quàm à veris sanctis inter Corinthios, admitti potuerint. Quare nihil contra nostram doctrinam concludis: cùm ego de verè sanctis & iustificatis loquar: tu verò de simulatè & non verè sanctis concludas.

Quod ad alterum argumenti membrum attinet: crimina illa fuisse admissa Corinthi, non negamus: quia id Paulus ait: Sed ab vniuersis & singulis admissa fuisse, nemo dicit. Deinde si, quæ admissa sunt ab hypocritis, ea peccata vastantia conscientiam appelles, ac proinde propterea à fide etiam illa, & iustitia non vera, qua videbantur præditi esse, prorsus excidisse concludas, facilè dabo: sed hoc nihil concludit contra me, qui de vera fide loquor. Si qua verò peccata à verè sanctis admissa fuerunt: illa nego propriè fuisse peccata vastantia conscientiam, id est, ex animo & plena voluntate contra conscientiam admissa. Hæc enim vt antè demonstratum fuit, in verè sanctos non cadunt. Nam si fides non potest stare cum peccato vastante conscientiam, certè fidelis illud admittere, & in eo hærere non potest. Peccata quidem esse, quæ admittunt sancti, eaque nonnunquam grauissima, & aliquomodò contra conscientiam, ideoque aliquo etiam modò sanctos Spiritum S. & fidem excutere, id est, Spiritus & fidei feruorem suffocare: facilè do. Ceterùm neq; hoc facit contra meam conclusionem, quę sic habet: sanctos non posse penitus excidere à fide: nec Spiritus S. ignem prorsus in eis extingui. vbi notandum, peccata non appellari vastantia, ab illorum actu: sed ab animo peccantis. Idem enim peccatum quòd ad actum attinet, admittit pius & impius: In impio erit peccatum propriè vastans conscientiam: in pio non ita. quamobrem? quia impius admittit illud plenè sciens, & volens, ex animo, & plena voluntate, quatenus peccatum istud omnino vult, amat, & nullo modo detestatur, nec admissum deflet, nec illo liberari cupit: Pius verò illud admittit non plenè sciens & volens, seu non ex animo, neque plena voluntate. sed, licet partim illud velit, partim etiam non vult: & licet partim agat, partim etiam non agit: odit verò & detestatur & illo cupit liberari: & (vt inquit Bucerus in 12. Matth. pag. 308.) electi non peccant vnquam, nisi ex ignorantia. Item, senties semper, inquit, in electis quoddam semen Dei, & veritatis studium: etiam tum, cùm veritatem oppugnant, aut certè cum illa pugnantem vitam degunt. Item in multis, inquit, peritè etiam viuentibus videas latentem quendam iusti rectique amorem (& hoc ante cognitam veritatem) vbi verò, inquit, veritatem receperunt, quidquid peccant, inde peccant, quòd per cupiditates carnis auelluntur, vt cognitæ veritati non intendant: eò autem nunquam prolabuntur, vt veritatem oderint, & infectetur: sed mox potiùs illius amore, quod peccarũt, incipiunt magnopere odisse, & detestari. Hæc ille. Quia igitur sancti nunquam peccant ex animo, & plena voluntate: propterea concludimus, etiam eos nunquã plenè seu penitus à fide, aut à Christo excidere, aut Spiritum regenerationis prorsus amittere.

Exemplũ incesti. Alterum exemplum, exemplum est vnius Corinthij, qui sua nouerca tãnquam propria vxore abutebatur. Argumentum tale est. Hic Corinthus, primò fuit iustificatus, fide vera donatus: deinde admisit peccatum contra conscientiam: Ergo à fide excidit. Respondeo. Fieri nequit: vt vtrumque membrum antecedentis, verum sit. Nam si fuit verè iustificatus, Ergo non admisit propriè peccatum contra conscientiam. Tale autem peccatum illud esse intelligimus, quod ex destinata admittitur malitia, vt sæpe dictum est: Si verò admisit, non fuerat igitur antea verè iustificatus, & vera fide præditus. Fides enim cum peccato tali stare non potest: eoque nec à verè fideli admitti.

Exemplũ Adami. Tertium, est Adami exemplum: ad quod speciali opus est responsione. Exemplo primorum parentum, nihil concluditur contra meam thesin de Perseuerantia Sanctorum in fide, propter promissionem Dei & efficacem Christi precationem: Ratio est, quia longè diuersa ratio fuit illorum, atque est nostrorum Sanctorum: tum quod attinet ad naturam, in qua illi fuerunt ante peccatum: tum quod attinet ad gratiam, quam illi in sui creatione acceperunt, & qua nos in nostri regeneratione donamur: tum etiam quod attinet ad peccatum, quod illi admiserunt, & in quæ nostri Sancti labuntur. Illis enim natura erat integra, sine tenebris in mente: & sine prauis affectibus in corde: Nobis, etiam renatis, natura manet magna ex parte corrupta cum multis tenebris in mente, & malis affectibus in corde. Proinde illi verè liberi ad peccandum & non peccandum: nos verò etiam, renati, non ita: Sed, vt Rom. 7. docetur, Venundati adhuc sumus sub peccatum: ita, vt, quod nolumus, agamus. Proinde illorum etiam peccatum, fuit grauius peccatis Sanctorum. Gratia etiam est diuersa: quia licet illi fuerint in ea creati, nos autem per eam regenerati: gratia tamen, qua nostri Sancti donantur, maior est illa, quam accepit Adam, vt Augustinus contendit Tom. 7. de Corrept. & Grati. cap. 11. 12. quia ille accepit gratiam, qua potuisset, si voluisset, perseuerare, sed non accepit, qua vellet: Sanctis verò nostris, datur illa, qua velint: & ideo etiam qua possint perseuerare. Deinde habemus in conclusione, propter promissionem Dei: Promissio autem de perseuerantia non fuerat facta Adamo, sed nobis: Hiere. 32. Timorem meum dabo in cor eorum, vt non recedant à me. Igitur diuersa ratio illorum, & nostri.

Postremò, non facilè dandum esse, censeo, illos tota voluntate & animo peccasse. Nam de Eua ait Paulus eam fuisse seductam: Adam quoque impulsus ab vxore fuit: nam dixit, Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno. Ideo ipse etiam PHILIPPVS MELANCHTHON in Epistola ad Corinthios 1. capite 10. ponit peccatum Adami, inter peccata eorum, qui ab humana tentatione tentantur, & qui retinent exercitia pœnitentiæ & inuocationis, timorem Dei & fidem, & ait: primos parentes aliunde impulsos peccasse: Sathanam verò suo superbo consilio & arbitrio Deum contemsisse. Proinde Adamum à gratia Dei prorsus excidisse, neque probari potest, neque concedendum est. Angeli qui in veritate non steterunt: ij à gratia prorsus excidisse propriè dicuntur: at non ita Adamus. Mox enim post peccatum resipuit. Nam quòd Doctor quidam istud probare conatur, à pœna, quæ illius peccatum consecuta est, nihil agit. Probat quidem illum peccasse, & quidem grauissimè, propter quod peccatum, reus fuit factus æternæ mortis & iræ Dei: Sed illum à Gratia prorsus excidisse, minimè probat. Nam Deus suos etiam reliquos electos, cùm peccant, grauiter punit. Deinde etiam fatemur, Sanctos, cùm peccant, ita grauiter Deum offendere, vt rei fiant æternæ mortis, & fidei Spiritusque feruorem amittant. Sed quòd prorsus à gratia Dei & à fide excidant, inde probari non potest: quemadmodum Sanctorum peccatis neque promissio Dei irrita, neque intercessio Christi inefficax fieri potest. Exemplo igitur Adami, nihil contra

nostram

noſtram theſin probatur. In aliis exemplis refutandis, non immorabor: quia nihil concludunt. Primò ſupponunt eos, quorum exempla afferunt, fuiſſe verè iuſtificatos & renatos: Sed quomodo id de ſingulis probare poſſunt? De vniuerſis filiis Iſraël probant, quia fuerunt circumciſi: deinde à Patribus in doctrina pietatis inſtituti. Quaſi verò non ſint multi circumciſi in carne, at non in Spiritu: & multi inſtituti in doctrina pietatis, qui tamen nullam habent pietatem.

Exemplũ Salomonis.

De Salomone probant, quia typum geſſit Chriſti: quaſi verò neceſſe ſit, vt omnis, qui fuit typus Chriſti, fuerit etiam verè iuſtificatus. Item probant inde, quia Salomon dilectus Dei in Scripturis dicitur: quaſi non potuerit appellari dilectus Dei propter ſingularia dona, quibus eum exornauerat Dominus, ſine tamen Spiritu adoptionis ſancto. Horum porrò recitatis flagitiis, inferunt, eos promeritos fuiſſe iram Dei, & mortem æternam: quis negat. Item amiſiſſe fidem, & Spiritum ſanctum. Si aliquo modo, concedo: ſi prorſus, nego: idque propter rationes ſuperiùs à me allatas. Neq; hic de Salomone, an tandem reſipuerit, nec ne, diſputo: ſed tantùm ad argumenta mihi obiecta reſpondeo.

Exemplũ Saulis.

Quod attinet ad exemplum Saulis Regis Iſrael: tria de eo aſſeuerant: Primùm habuiſſe Spiritum ſanctum, & id probant, tum, quia fuit vnctus Domini, tum, quia Scriptura dicit, eum fuiſſe mutatum in alium virum, tum, quia vir fuit præclariſſimis virtutibus ornatus. Deinde aiunt, eum amiſiſſe Spiritum ſanctum, quia Scriptura ait, Receſſit ab eo Spiritus Domini: Poſtremò ſubdunt, eum amiſſo Spiritu ſancto ruiſſe in extremum exitium.

Reſpondeo: ſi nomine Spiritus ſancti, intelligunt dona quædam Spiritus ſancti, vt Spiritum Prophetiæ, fortitudinis, non autem Spiritum iuſtitiæ, fidei & regenerationis: aſſentior: ſic etiam, vt veteres omittam, interpretatur Brentius: Spiritum Domini in Saule fuiſſe Spiritum Prophetiæ, non autem Spiritum iuſtitiæ: & mutatum in virum alium, id eſt, ex rudi, indocto, ſtupido, aſinario, in prophetam, egregium, doctum, excelſi animi: idque in virtute Spiritus diuini. Tales enim fieri homines, quales ſunt operationes Spiritus: & tunc receſſiſſe ab eo Spiritum Domini, cùm dona hæc Spiritus amiſit. Ceterùm hoc nihil concludit aduerſus me: quia loquor de iis, qui Spiritu adoptionis & regenerationis prædiți ſunt. Si verò intelligant nomine Spiritus, ipſum Spiritum regenerationis, ſeu Spiritum ſanctificantem & iuſtificãtem: primùm, qualis eſt iſta conſecutio: fuit vnctus Domini: Ergo habuit Spiritum ſanctum? quaſi verò omnes Reges Iſrael (omnes enim fuerunt vncti Domini) habuerint Spiritum regenerationis. Deinde, quomodo hoc dictum congruit cum poſtremo membro: vbi aiunt, Saulem ruiſſe in extremum exitium? Si enim damnatus eſt, quomodo igitur fuerat verè iuſtificatus aut ſanctificatus? cùm Paulus dicat Rom. 8. Quos iuſtificauit, hos & glorificauit? Certè pugnat cum Scripturis: aliquem fuiſſe verè iuſtificatum, & renatum, deinde eundem ruere in exitium extremum, & non glorificari. Rectiùs BVGENHAGIVS in cap. 9. Epiſt. ad Rom. fol. 106. B. Videmus multos in ſpeciem bonos, damnatos eſſe, vt Saulem. Non fuit igitur Saul verè fidelis & Spiritu regenerationis præditus: ſed tantùm in ſpeciem bonus. Etiam PHILIP. MELANCTHON in locis anni 1522. in cap. de iuſtificatione & fide, quatern. H. Fidelis, inquit, videtur fuiſſe Saul: ſed hypocriſin declarat euentus: Negat ergo, fuiſſe verè fidelem & iuſtificatum. Ac ſi ille non neget, negat Paulus, qui ait: Quos iuſtificauit, hos & glorificauit: Negat Chriſtus, qui ait, Qui credit in me, habet vitam æternam, & non venit in iudicium, ſed tranſijt à morte ad vitam: Saul non fuit glorificatus, nec habet vitam æternam, ſed in extremum ruit exitium: non ergo fuit iuſtificatus; nec fuit verè fidelis, ſed hypocrita.

Exemplũ Dauidis.

Ad exemplum verò Dauidis quod attinet: primùm, eum fuiſſe verè iuſtificatum & vera in Deum fide præditum, etiam ante admiſſum adulterium & homicidium,

cidium, concedo: Secundò eum grauiter peccasse, & Spiritum suum vulnerasse, ita vt ad salutem opus habuerit, & noua peccati remissione, & Spiritus sui renouatione ac instauratione: etiam libenter do: sed quòd peccatum ex destinata malitia totaque voluntate admiserit, ac proinde quòd vel à gratia Dei prorsus exciderit, vel totam penitus fidem & Spiritum sanctum amiserit, dare non possum, propter rationes superiùs à me allatas: & mecum sentiunt viri nostri etiam seculi doctissimi. Bucerus in Psal.1. (vt reliquos penè infinitos omittam) explicans versum 1. pag. 4. edition. Basilien. habet hanc obseruationem:

» Porrò, inquit, obseruandum, quòd non ait vates, Beatus ille, qui non fuerit im-
» pius, peccator, malitiosus: sed qui non habuerit cum his commercium: non fuerit se-
» cutus horum consilia, nec imitatus facta. Apud eos enim, qui beati esse & ex lege
» Dei viuere possunt: [id est, apud electos, iustificatos, & vera fide præditos] semen
» Dei, & Spiritus bonus ita obtinet: vt peccare, id est, toto animo praui & peruersi
» esse nequeant: id quod disertis verbis Iohannes in sua Epistola cap 3. asseruit: quip-
» pe qui nati sint ex Deo. Ceterùm quotidie delinquimus omnes: vt idem confitetur
» cap.1. nec pauci identidem à malo præoccupati, consulta sceleratorum ad tempus se-
» quuntur: vt Dauidi, Petro, & aliis vsu venit: quorum alter, explendæ voluptatis
» caussa, & adulterium & homicidium commisit: alter cupiditate vitæ, eò adductus
» fuit, vt negaret seruatorem. At hæc in reproborum consilijs prima sunt: vt vitam
» corporis tuearis; eorum quæ illud concupiscit, quo iure, quaque iniuria potiaris.
Hæc Bucerus. Docet igitur, apud Dauidem semen Dei & Spiritum bonum ita obtinuisse, vt etiam cùm admisit adulterium & homicidium, non toto animo peccarit, peruersusque fuerit. Et notanda sunt illa postrema verba: At hæc in reproborum
» consilijs prima sunt: vt vitam corporis tuearis, & eorum, quæ illud concupiscit,
» quo iure, quaque iniuria potiaris. Docet enim hoc esse discrimen inter pios & impios. Impijs hoc est primum propositum, vt suam vitam tueantur, & suis concupiscentijs inseruiant: interim, si quid de Deo audiunt, quod non aduersetur suæ vitæ, & suis cupiditatibus, illud non recusant: sed tandem vbi sentiunt illud suis cupiditatibus repugnare, illud reijciunt: vt est in parabola seminis apud Matthæum cap. 13. Contrà, pijs primum propositum est, seruire Deo, & quærere eius gloriam, legemque seruare: intereà si quid occurrat carni delectabile, fit sæpenumero, vt ita à concupiscentijs abripiantur, vt reclamante Spiritu, carni inseruiant: sed tamen primum propositum nunquam deponunt. & huic rei illud est argumento, quòd vbi deferbuerit feruor carnis, mox reuocati redeunt ad Deum. Idem de Dauide tradit in comment. in Epistol. ad Rom. cap. 7. quæstione illa: Quî cohæreat, nos quod bonum est, velle, nec facere tamen: malum facere, & id nolle tamen, sed odisse: imò malum facere & non facere? Vtrunque enim Apostolus affirmat. Legatur tota illa quæstio: postea exemplis Dauidis & Petri, rem sub oculos ponit: & de Dauide hæc habet verba: Dauid cùm vidisset Batschaba: Caro agno-
» uit propositum delectabile: inflammata est praua concupiscentia: legis cognitio
» in mente, huic concupiscentiæ reclamabat, dictans adulterium malum, & facien-
» ti, exitio esse. at contrà, dictabat iudicium sensuum, hæc elegans mulier est: frui ea
» delectabile est. Hæc ratio sensuum, nitebatur eo, Quæ oblectant, quærenda sunt:
» mentis à lege illustratæ, hoc, Quæ abominationi sunt Deo, & fraudi proximo, exitio-
» sa & fugienda sunt. Vbi autem assumendum erat: Hanc vxorem proximi tui expete-
» re modò, Deo abominationi est, & fraudi proximo, prævalebat vis concupiscentiæ:
» & assumebatur sub altera propositione, Hac tam eleganti muliere frui, delectabile:
» huiusque consideratio, quòd oblectamento esset frui tali muliere, vi concupiscen-
» tiæ, quæ iam corpus omne incenderat, adeò prævaluit, vt consideratio quòd Bat-
» schaba aliena vxor esset, ac ideò ne concupiscenda quidem, infirmaretur, cederet-
que

que furori concupiſcentiæ: donec deferueret hic furor, & lex animo per Nathan reſtitueretur: tum reſtituta fuit Dauidi & huius conſideratio, nihil æquè exitioſum ac fugiendum eſſe, atque facere, quod auerſatur Deus, fraudiq́ue eſt proximo. Tum ergo nihil aliud quoque ſenſit, quàm offenſam Dei, id eſt, mortem ſempiternam, verumq́ue ignem Gehennæ. Ibi non ſolùm odium eius, quod fecerat, animum Dauidis ſubijt, ſed & ſui ipſius: id quod inter appetendum amplexus illicitos, ingerebatur quidem, ſed illico pellebatur vi concupiſcentiæ, quæ exarſerat. Fecit itaque tum Dauid malum, quod deteſtabatur: cùm mente tamen conſentiret legi: eoq́ue cùm id non libero mentis iudicio feciſſet, ſed oppreſſa violenta cupiditate, non ipſe vt homo, atque vt homo doctus legem Dei: ſed peccatum fecit illud, quod inerat carni eius: deprauatum illud & perditum ingenium, quod contra Deum & omnia placita Dei fertur. Hinc factum eſt, vt fecerit & quod volebat, & quod nolebat, quod nolebat, non tum quidem, quando id faciebat: ſed cùm adhuc ſtaret conſideratio legis diuinæ, cumq́ue ea reſtituta fuit: quod volebat, cùm iam actu concluderet, & ſtatueret de obiecta muliere. Hæc Bucerus.

Idem tradit, & eadem ferè verba habet in libro de vera Eccleſia reconcil. artic. de iuſtificatione. fol. 132. poſtquam enim multa verba feciſſet fol. 131. de imbecillitate viuæ & veræ fidei, & vnde illa ſit, & quòd omnis & vitæ & virtutis imbecillitas atque debilitatio ex infirmitate fidei proficiſcitur: poſteà rem ſub oculos ponens, exemplum adfert Dauidis, cùm admiſit adulterium, & habet hæc verba fol. 131. B. Sæpe autem homines & intelligunt, quæ dicuntur, & non dubitant ea eſſe verba Dei: & tamen infirmè illis aſſentiuntur; ægreq́ue, dum amplectenda ſunt quæ grata habentur Deo; & reſpuenda, quæ videntur carni iucunda vel commoda, eis inhærent. id eadem ratione accidit, qua peccatur contra fidem atque recti ſententiam: quam rationem Ariſtoteles diſputans de continente & incontinente, exponit in 4. Ethic. ad Nicom. Dum enim contra id, quod fides præcipit, homo fide donatus peccat: id fit aut quia verba Dei tum cùm agendum eſt, vel non tenet, vel non intuetur, nec ſcientiam eorum exercet: aut quia tametſi cognitionem verbi Dei tum exerceat, & cogitet quid illud iubeat, exerceat tamen eam in rebus vniuerſis tantùm non in ſingulis: & iis ipſis, de quibus tum ſtatuendum aliquid ſit, quæq́; nũc arripiendæ vel reiiciendæ ſint: aut denique, quia, ſi quod verbum Dei præcipit, conſideret etiam in re ſingulari, facit id tamen non rectè compos ſui, propter vehementiorem cupiditatem, ſubortam vel iudicio ſenſuum, vel carnali ratiocinationi mentis, quæ animum à recta ſententia verbi Dei, quam mente tenet, ac etiam ore eloquitur, & quidem in re ſingulari, quæ actioni propoſita eſt, detorquet & abripit. Exempli gratia: Dauid fidem in Deum habuit, & ſcientiam verbi eius admodum excellentem: at cùm conſpectu Batſchabæ commotus de committendo cum illa adulterio cogitabat: vel ea qua pollebat verbi Dei cognitione, id eſt, fide ſua non eſt vſus, eamq́; non exercuit, cogitando, quid illa iuberet: ſed ſtatim cupiditate correptus, tantùm vt libidini ſatisfaceret ſuæ, cogitauit (quod tamen viro diuino haud probabiliter tribuemus) aut certè, quod veriſimilius eſt: fide ſua tum vtebatur, & ex ea cogitauit, adulterium à Deo vetitum, & ob id ſummè noxium eſſe: ſed hoc (quando quidẽ libidini ſuæ cõtra fidẽ ſuam conſecutus eſt) cogitauit tantùm in vniuerſali, nõ etiã in re ſingulari, quæ tum obiecta erat: vt malũ eſt rem habere cũ hac Batſchaba vxore Vriæ. Duæ enim propoſitiones animo eius obuerſabantur: altera, obiecta à fide, aliena vxore abſtinendum eſt: altera ſuffuſa à libidine aſpectu Batſchabæ accenſa, oblectare ſe pulchra muliere ſuaue eſt: ille verò in particulari aſſumſit, ſub poſteriori (priore interim in languida mentis cogitatione ſuſpenſa & ſenſim effluente:) Hæc Batſchaba elegãs mulier eſt. ſecuta itaq; ex hac altera propoſitione, quã animo iniecerat libido, concluſio eſt: Ergo Batſchaba accerſenda eſt: id quod fecit. Vel ſi

fides

» fides eius se vsque ad ipsam obiectam mulierem sustinuit, vimque suam eò vsque ex-
» plicauit, vt cogitarit, hæc mulier alij nupta est, & quidem fideli tuo ministro, vnde
» & conclusionem sequi oportuerit, Non igitur accersenda est: ita tamen occupatus,
» & sibi ereptus fuit, peruersa & violenta cupiditate, qua nimirum iam flagrare cœpe-
» rat, vt & assumtionem istam, Hæc mulier aliena est, & cõclusionem, non ergo accer-
» senda est: tanquam dormiens, vel ebrius, vel aliâs mente captus cogitarit. Non igitur
» fidei Syllogismus in eo efficax fuit: sed contrarius, quem suggessit libido. Itaque ac-
» cersiuit Batschaba & stuprauit. Hæc ille. Mox in fol. 133. docet, omnia in credentibus peccata, ab infirmitate fidei proficisci. Semper autem dum hìc viuimus, imbecillem esse fidem: hinc igitur fieri, vt, dum viuimus, peccemus.

In Psal. autem 51. exponens vers. 12. 13. 14. Cor mundum crea in mẽ Deus: declarat, quomodo per peccata, Spiritus feruor, & vigor languerit in Dauide, & ita in o-
» mnibus renatis. Quanquam, inquit, in omnibus hominibus, dum peccatum obtinet,
» repressus est omnis boni Spiritus vigor & alacritas, stupet mens; languet animus; ia-
» cet omnis actio. sed & ipsum caput inerti grauedine torpet. Hæc indubiè per annum
» illum, quo quasi stupuerat impœnitens Dauid, probè fuerat expertus, tum primùm
» rectè sentiebat atque cognoscebat: cùm excitata, Nathan admonitione, pœnitudi-
» ne, peccatum suos aculeos expedierat, idque sese exhibebat quod est, mortis scilicet
» & aculeum & tormentum æternùm enecans. Hæc ille.

Vbi notandum, quòd non ait, Spiritus extinctus est, sed repressus est omnis boni Spiritus vigor & alacritas. Item de Dauide non ait, quòd restituta illi fuerit fides, & pœnitudo ad admonitionem Prophetæ: sed ait excitatam fuisse pœnitudinem, ideoque & fidem: Nam sine fide, non est pœnitentia. Docet igitur, ibi fuisse in latebris cordis Dauidis, relictum semen fidei & pœnitudinis, tanquam ignem sub cineribus: & flante Spiritu sancto, per verba Prophetæ, adiectisque Sacramentis, ignem fidei & pœnitudinis, iterum excitatum & accensum fuisse.

» Musculus etiam in eundem Psalmum, ita interpretatur: Istis donis, inquit, Spi-
» ritus, fuerat ante hunc lapsum præditus: verùm sentiebat se illis plurimum [notan-
» dum quòd non ait penitus: sed plurimum] destitutum post tam grauia peccata. Nam
» solet ita vsuenire ijs, qui voluptatibus carnis aliquo vsque morem gerunt: vt non
» nihil [notandum illud non nihil] obbrutescant; Spirituque feruorem [non ait to-
» tum ignem, sed feruorem] sanctitatem, rectitudinem & liberalitatem amittant: vt
» intelligãt ad se reuersi, nihil esse se nisi ipsissimam corruptionem & vanitatem: de-
» tractumque plurimum [nota illud plurimum] à pristinis donis. & hoc est quod Pro-
» pheta hìc innouationem Spiritus recti, permissionem Spiritus sancti, fulcimentum
» Spiritus voluntarij petit. Hæc ille. Et certè fœdè hallucinantur, qui ex eo, quod Dauid dicit: Cor mundum crea in me Deus: arguunt, in Dauide ergo tum nihil fuisse fidei per quam mundantur corda. Nam si fuisset omnino destitutus fide: quomodo potuisset Deum inuocare & dicere, Cor mundum crea in me Deus: cùm nemo possit Deum inuocare sine fide, Rom. 10. & nemo possit ex animo petere, vt mundum habeat cor: nisi iam aliquo modo, & ex parte mundum habeat cor? Hoc est etiam quod ait LVTHERVS in eundem Psalmum, explicans vers. 8. Incerta & occulta sapientiæ tuæ. Nascitur autem, inquit, inde quæstio: cùm hanc absconditam sapientiam iam antea habeat, cur petat? Nam qui potest canere, Tibi solùm pecco, Tu autem solus iustus es: iste profectò hanc mundo absconditam sapientiam iam habet & nouit. Cur igitur petit? Respondet, eum petere augmentum & conseruationem huius sapientiæ, & ita fecit, cùm dixit: Cor mundum crea in me Deus. Quasi dicat: O Deus, tu cœpisti creare in me cor mundum; continua tuam operationem. Quod dico, apparet ex sequentibus: Et Spiritum rectum innoua in visceribus meis. notandum illud innoua: Et Spiritum sanctum ne auferas à me. Ergo ibi iam ad-

erat:

erat: sed petit conseruari. LVTHERVS in eundem Psalmum, exponens versum 12. « Homini, inquit, in Sophistica Theologia instituto, absurdum videtur, quòd tam san- « ctus Propheta clamat pro donis Spiritus sancti: ac si nulla haberet: sed nos tum ex- « perientia, tum talibus exemplis edocti, scimus, quòd nemo potest petere gratiam, ni- « si iustificatus: item quòd nemo possit petere dona Spiritus, nisi sanctificatus. Quia « enim primitias acceperunt Spiritus tales: ideò cupiunt & aspirant ad decimas quo- « que accipiendas: Hæc Luth. Ex eo igitur quod ait, Cor mundum crea in me Deus, concludi non debet, omni planè Spiritu S. & omni fide destitutum fuisse: immò contrà sequitur, Dauidem igitur tum fide & Spiritu S. præditum fuisse. Idem Lutherus in Postill. pag. 308. explicans illa verba, Bona arbor, non potest malos fructus ferre, docet Christianos verè pios, esse bonas arbores: Non posse igitur malos fructus ferre. Ceterùm, quia non sumus adhuc in vita plenè & perfectè boni: illud non esse sic accipiendum, quasi sancti non possint cadere, id est, peccare. eos enim etiam cadere: sed non inde tamen sequi, eos esse malas arbores. Et exemplum Dauidis affert: Dauid « item, inquit, bona arbor erat, & casum patiebatur tamen: sed ideo mala non erat ar- « bor. Quòd igitur etiam sanctis tale quid contingat, quod etiam Dauidi [cùm scilicet « peccauit] non debere nos turbari. iccirco enim, inquit, hęc accidere Deus sinit, quòd « sancti etiam eius cadant & impingant: quò fides illorum exinde solidior auctiorque fiat, ac ipsi suam infirmitatem agnoscant. Non ait Lutherus, Deum sinere sanctos cadere, quò eis postea denuo restituatur fides: sed, quò fides illorum, nempe illa quæ anteà imbecilla erat exinde solidior auctiorque fiat. Docet igitur, fidem neque Dauidem, cùm peccauit, prorsus defecisse, ita vt ex bona arbore, factus fuerit mala arbor: neq; reliquos sanctos, cùm peccant, penitus deficere. Interim tamen neque ipse Lutherus, neque ego negamus, sicut Dauid, sic reliquos sanctos opus habere resipiscentia, noua peccatorum admissorum remissione, & Spiritus renouatione, ita vt omnes dicant cum Dauide: Miserere mei Deus: item, Cor mundum crea in me Deus: & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Quis non videat, quod docuit quidam discipulus Lutheri, & Buceri de Dauide, illud pugnare cum doctrina suorum præceptorum? Quid Philippus ipse? Philippus in ea verba Apostoli: Tentatio vos non apprehendit, nisi humana, ponit duas tentationes: Humanam & Diabolicam, & definit tentationem Diabolicam esse: cùm Sathan in cor ingreditur, & rapit ex corde verbum Dei, & hos, ait, superari à Diabolo: humanam verò, esse dubitationem, errorem, vel lapsum ab humana infirmitate ortum: & hos non vult superari à Sathana, & Dauidem ponit inter eos, qui tentantur humana tentatione: Saulem verò inter eos, qui tentantur Diabolica. Sic igitur arguo ex dictis D. Philippi. Illis tantùm eripitur verbum Dei è cordibus, ideoque prorsus à fide excidunt, qui tentantur tentatione Diabolica. Atqui Dauid non fuit tentatus tentatione Diabolica. Ergo non fuit illi ereptum verbum Dei: ac proinde nec à fide excidit. Idem Philippus ait: duas semper in Ecclesia esse partes: vnam, quæ quanquam infirma est (& ideò ex infirmitate peccet, humana scilicet tentatione tentata:) tamen habet exercitia pœnitentiæ & inuocationis: & retinet timorem Dei & fidem: de qua parte dicitur, Habenti dabitur: alteram, quæ est secura, sine exercitijs pœnitentiæ & inuocationis: & in hac ponit Saulem, & consequenter ab hac excludit Dauidē. Et quanquā D. Philip. non nominat electos & reprobos: re ipsa tamen hæc Philippi distinctio est distinctio Electorū & reproborum. Lege quæ de Dauide scribit Musculus in Iohan. 8. pag. 73. Quid sit facere peccatum. Dauid peccauit quidem: sed nunquā fecit peccatum: sicut colligitur ex verbis eius Psal. 119. In toto corde meo exquisiui te: in corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi: concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore, hoc est, anima mea semper affecta fuit desiderio faciendi iustificationes tuas, seu mandata tua. Ergo nunquam ex animo peccauit: quia hæc pu-

gnant, perpetuò affici desiderio faciendi mandata: & ex animo peccare. Viam veritatis elegi. Iudicia tua non sum oblitus: Adhæsi testimonijs tuis Domine. Prolixè quidem ad hoc exemplum Dauidis respondi: sed iccirco id feci, quia responsio hæc ad argumentum quoque ab exemplo Petri ductum: pertinet.

Exemplũ Petri. Petrus, inquiunt, non ore tantùm, sed etiam toto corde Christum abnegauit: item toto pectore abhorrebat à Christo. Ergo amisit fidem.

Respondeo: Antecedens negatur: & contendo, sicut etiam de Dauide ostendi, Petrum non negasse Christum ex animo: ideoque non plena voluntate peccasse: Ratio, quia tale peccatum, in hominem verè fidelem & sanctum, cadere non potest: vt suprà ostensum est è Scripturis, ex doctrina Protestantium, & ex varijs Buceri locis. Nunc alia etiam tum ipsius Buceri, tum aliorum testimonia superioribus addo. Bucerus hoc speciale Petri peccatum tractans in Epist. ad Rom. cap. 7. pag. 325. contendit, Petrum cùm negauit Christum: voluisse & noluisse negare: ideoq; non plena voluntate peccasse: sicut etiam de Dauide concluserat. Postea in genere de pijs omnibus
» ait: sic miserè destructi deprauatione originis sumus: vt in cõsideratione veri rectique cõsistere non possimus; acti trãsuersum à turbulentis & peruersis cupiditatibus: nisi nos illuminet & teneat in contemplatione veritatis Spiritus Christi. hic certis datur portionibus. Eandem doctrinã tradit in lib. de vera Reformand. Eccles. ratio. fol. 132. & exemplo alius peccati Petri, de quo Gal. 2. explicat. Postea generalem inde doctrinã colligens, ait, idẽ vsu venit omnibus, qui vel aliquid cõtra fidẽ suam admittunt: vel fidẽ suam non satis explicant, siue contemtu periculorũ, quæ pro Christo subeunda incidunt: siue alacri beneficiorũ Dei expectatione, dum angustæ res sunt, vel aduersæ. siue in reprimendis prauis cupiditatibus & exercendis gnauiter officijs pietatis. Aut enim hi scientia verbi Dei nõ vtuntur: aut non vtuntur in rebus singulis: aut si vtuntur etiã in rebus singulis, faciunt id ceu dormientes & ebrij vel mente capti: abstracti scilicet aduersarijs verbo Dei perturbationibus. Itaq; quicquid peccatur ab ijs qui fide in Christũ prẽditi sunt, peccatur imbecillitate fidei: q; illa cognitionẽ assensumq; verbi Dei non satis, dum incidit de agẽdo deliberatio, sustinet, explicat & exercet. Vnde intelligitur, quia nunquã absq; peccato viuim⁹, fide nos nũquã satis firmata atq; corroborata esse. Ex parte. n. cognoscentes, nõ videmus & cõsideramus satis quid Deus præcipiat, quid vetet, quid polliceatur, quid minetur: ac ideo semper orandũ nobis cum Apostolis ad Dominũ: adauge nobis fidẽ. sicut enim illi ne satis promtè remitterẽt fratrib. offensas, imbecillitatẽ fidei, in caussa esse senserunt: ita hæc vna caussa est omnis & neglecti officij & cõtra officiũ admissi peccati. Tunc enim (canit Psal.) nullo peccati lapsu pudefiã: cùm intuitus fuero omnia præcepta tua: &, recondidi in corde meo verba tua: ne peccẽ tibi. Hęc ergo generalis fidei infirmitas est, non defixã semper habere in verbo Dei mentẽ; & ex illo de rebus omnibus constãter statuere. Illud ceu morbus & vitiũ fidei est, si insincera sit intelligẽtia verbi Dei: quale erat, attendere Iudaicis fabulis, & præceptis hominũ auersantiũ veritatẽ: de quo Paulus iubebat Titum suũ Cretenses seuerè reprehẽdere, vt essent sani in fide, h. e. sanis fidei sermonibus sanæ sinceræq; doctrinæ firmiter inhęrerẽt, ad nulla hominũ aduersa fidei, sanæq; doctrinę cõmenta deflectẽtes. Hęc ille.

And. Alhamer. vnus ex præcipuis Lutheri discipulis: in libro, cui titulus est conciliationes Locorum Scripturæ: eandẽ tradit doctrinã: pios scilicet non peccare ex animo, seu plena voluntate. Conciliatione 3. concilians locum Psal. Perdes omnes,
» qui loquũtur mendaciũ, cũ exemplo Abrahæ Genes. 12. Abraham mẽtitus est, & non
» perijt: ait. Quòd verò Abrahã atq; multi sanctorũ hoc discrimine mẽdacij deprehensi non perierunt, hæc subest ratio: q⁹ Dominus non imputauerit illis peccatũ: nec illi
» hoc admiserint malitia animi & peccãdi voluptate; sed cõseruãdæ suæ & aliorũ vitæ
» gratia. & ádfert aliquot sanctorũ mendacia. Tale autẽ etiã fuit Petri mendaciũ: cùm

negauit

negauit se agnoscere Christum. Id enim tantùm fecit conseruandæ suæ vitæ gratia. « non ergo animo peccandi, nec animi malitia negauit. His dicit non imputari peccatum, quia Dominus exploratum habet cor nostrum: quo animo faciamus mala: & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Ac perdere solet, inquit: qui prauitati student, & cum animi voluptate mentiuntur. Hæc ille.

Lamb. Auenionens, Lutheri discipulus, & collega Buceri, in farragine Locorum commun. cap. 1. paradox. 20. idem docet. Quamuis electi multoties aberrent (omnes enim dicunt illud Psalm. 118. Erraui sicut ouis, quæ perijt) nunquam tamen « in errorem inducuntur: quia nunquam illi toto corde acquiescunt; nec eo disper- « eunt. sic enim errant, vt semper dicant, Paratum cor meum Deus: Paratum cor « meum. Hæc ille. «

Gregorius I. Tom. 1. in Iob. cap. 34. lib. 25. cap. 11. column. 841. Speciatim de « peccato Petri loquens, ait: sciendum quippe est: quòd peccatum tribus modis com- « mittitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur: & grauius « quidem infirmitate, quàm ignorantia: sed multò grauius studio, quàm infirmitate « peccatur. Ignorantia Paulus peccauerat, ideo dicebat, qui priùs fui blasphemus & « persecutor & contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans fe- « ci in incredulitate. Petrus verò infirmitate peccauit, quando in eo omne robur fi- « dei, quod Domino perhibuit, vna vox puellæ concussit: & Deum, quem corde tenuit, « voce denegauit. Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantiæ, eò facilius tergitur, « quò non studio perpetratur: Paulus quæ ignorauit, sciendo correxit: & Petrus mo- « tam & quasi arescentem iam radicem fidei, lacrymis rigando solidauit. Ex industria « verò peccarunt ij, de quibus ipse per se Magister dicebat, Si non venissem, & locu- « tus non fuissem eis: peccatum non haberent. nunc autem excusationem non habent « de peccato suo. & paulò pòst: Et viderunt & oderunt me, & Patrem meum. Aliud « est enim bona non facere, aliud bonorum odisse Doctorem: sicut aliud est præcipi- « tatione, aut deliberatione peccare. Sæpe enim peccatum præcipitatione commit- « titur, quod tamen consilio & deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerun- « que solet accidere, amare bonum, sed implere non posse. Ex studio verò peccare, est « bonum nec facere nec amare. Hæc ille. Fidei ergo robur fuit concussum (vt etiam « Tertullianus loquitur) sed non excussum aut extinctum. Item: mota quidem fuit fides Petri: sed non amota: item: cœpit quidem arescere, sed non exaruit. item: ore quidem negauit Deum, sed corde eum tenuit. Idem D. Gregorius Tom. 2. in Ezech. homil. 15. column. 218. de Petro loquens, ait, illum, cùm negauit Christum, fuisse ceu herbam, cuius viriditas erat in mente: quamuis ipsa herba valde flexibilis, pede conculcaretur timoris. Sic Gregorius. Non exsiccata igitur fuit tunc tenera fides Petri, sed tantùm pede timoris conculcata. Manifestum ergo est ex ijs locis, neque generatim vllum verè pium, cùm peccat, tota voluntate peccare: neque speciatim ipsum Petrum, cùm Christum negauit, toto corde, seu plena voluntate, & ex animo negasse: quare neque penitus à fide excidisse. Dicere verò, Petrum à fide penitus excidisse, est dicere vel Christum fuisse mentitum, vel eius precationem fuisse inefficacem. vtrunque autem impium est dicere vel sentire. Nunquam ergo Petri fides prorsus defecit. Etenim Dominus Iesus, ante quàm Petrus eum negasset, Petro dixit Luc. 22. Sathan expetiuit vos, vt cribraret tanquam triticum: sed ego rogaui pro te Petre, vt ne deficiat fides tua. Verum autem dixit, ipsius etiam oratio fuit efficax & exaudita: impetrauit ergo, ne deficeret. quare nunquam defecit. At quidam sic interpretantur dictum Christi: vt non deficiat finaliter. Etsi igitur ad tempus defecit fides Petri, quia tamen non defecit finaliter, iccirco dictum Christi, non pugnare cum sua doctrina. Respon. Sed hæc interpretatio, deprauatio est verborum Christi. Dixerat Christus: Simon Simon ecce Sathan expetiuit

vos: vt cribraret, seu vt ventilaret sicut triticum. ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περί σου: ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου. non dixit vt non deficeret finaliter: neque dixit, vt fides amissa iterum tibi restituatur: neque etiam simpliciter: ἵνα μὴ λείπῃ: sed ἐκλείπῃ. Hoc autem significat prorsus deficere, & illud prorsus, seu ἐκ in verbo ἐκλείπειν, refertur non ad tẽpus, sed ad rem, quæ deficit, quocunq; id tempore fiat. Si enim prorsus deficiat vinũ in cella: Etsi postea aliud vinũ loco epoti reponatur, illud tamen primũ defecisse prorsus dicitur. Cùm in nuptijs apud Ioh. totũ vinũ fuisset exhaustũ: ânnon penitùs defecit? & tamẽ posteà Dominus aliud ex aqua factũ restituit. dicendũ ergo fuerit, si ita licet Scripturas interpretari, vinũ non defecisse, quia finaliter non defecit: & tamẽ Scriptura ait, vinũ defecisse. Locus Psal. quẽ Apostolus in Epist. ad Hebr. citat, declarat, quæ sit huius verbi significatio: cùm ait cap. 1. Ipsi cœli peribũt, tu autem permanes: & omnes, vt vestimentum veterascent: ac velut amictum circumuolues eos, & mutabuntur: tu autem idem es: καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψουσιν. Hoc verbum opponitur verbis præcedentibus, Peribunt, Veterascent, Mutabuntur: & respõdet illis, tu autem permanes, tu autem idem es. Ergo deficere: significat mutari ab eo statu in quo erat, & mori, & non permanere. Sic in veteri Testamento Lxx. interpretes habent idem verbum in eadem significatione sæpenumero. Gene. 25. de Abrahamo ait: καὶ ἐκλείπων ἀπέθανεν Αβραάμ. Quid igitur est, Rogaui pro te, ne deficiat fides tua: nisi, ne intermoriatur, ne extinguatur: sed eadem in te maneat & perseueret? Luna dicitur ἐκλείπειν, cùm lumen eam deficit propter terræ inter ipsam & Solem è diametro oppositionem. tametsi postea eidem lumen suum restituatur. Pugnat ergo cum verbis Christi interpretatio per particulam finaliter.

Deinde pugnat cum aperto Christi sensu & mente: Hic enim dixit se orasse, nimirum pro ea re, quam antea promiserat Matth. 16. cùm Petrus & suo & omnium Apostolorum nomine confessus fuisset fidem suam de Iesu: dixit Christus: Beatus es Simon: & super hanc petram, id est, fidem, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferorũ non præualebũt aduersus eam, scilicet non tam Ecclesiam, quàm fidem: nempe vt eam expugnent: sicut etiam Bucerus, & ante eum Lutherus Tom. 1. in Resolutionibus de primatu Papæ, exposuit. Quid igitur est, Rogaui pro te: ne deficiat fides tua: nisi, etsi Sathan cum suo exercitu oppugnabit vos, vt si possit, fidem vestram expugnet: tamen rogaui & impetraui, ne expugnet ita, vt penitus exstinguatur: & ita ipse contra vos præualeat? Certè si Petrus prorsus amisit fidem: Ergo Sathan eam expugnauit: & portæ inferorum præualuerunt aduersus eam: etiam si postea dicamus fuisse restitutam. Absit autem, vt dicamus fuisse expugnatos Apostolos: & contra illorum fidem, præualuisse inferorum portas. Nam in Psal. Ecclesia & omnes fideles de se aiunt: Sæpe oppugnarunt me à iuuentute mea: at non potuerunt mihi, seu, contra me. Nunquam ergo defecit fides Petri & Apostolorum.

Præterea si expositio illa admittatur, quòd fides defecerit: sed postea tandem restituta ei fuerit: consequetur, aliam igitur, à prima numero diuersam, Petro fuisse donatam; primam verò defecisse. Si autem hoc demus: consequetur, vel Christi precationem fuisse inefficacem, vel Christum malè locutum fuisse. ait enim: Rogaui pro te, ne deficiat fides tua. quæ? Illa ipsa, quam habes in me. Pro hac enim orauit, ne deficeret. Atqui impium est dicere, vel Christi precationem non fuisse efficacem: vel Christum malè loquutum fuisse. Ergo sensus Christi est, Rogaui, ne deficiat fides, qua iam donatus es: sed perseueres in ea: & ab ea prorsus non excidas: neq; aliter interpretati sunt Patres. Tertullianus in lib. de fuga in persecutione, paulò post principiũ lib. pag. 540. Siquidem (inquit) Dominus in Euangelio ad Petrũ, Ecce, inquit, postulauit Sathanas, vt discerneret vos velut frumentũ: verùm ego rogaui pro te, ne deficeret fides tua, id est, ne tantum Diabolo permitteretur, vt fides periclitaretur, quo vtrunq; ostenditur apud Deum esse, concussionem fidei,

&

& protectionem: cùm vtrumque à Deo petatur: concussio à Diabolo, protectio à Filio. Hæc ille. Notanda sunt illa tria verba: primum, ne periclitaretur: Tantum ergo abest, vt fides Petrum defecerit prorsus, vt neque sit periclitata. Alterum, quod ait, concussionem fidei: concussa ergo fuit, sed non excussa: Tertium: illud quod ait Diabolum petiisse à Deo, vt concuteret fidem Apostolorum: & Filium rogasse Patrem, vt eam protegeret: Fides ergo Apostolorum fuit quidem concussa à Satana, sed protecta à Deo propter Filij intercessionem.

Augustinus vbique hoc dictum interpretatur de firma, & constanti in fide perseuerantia vsque in finem. Tom. 7. de Corrept. & Gratia cap. 6. column. 1330. B. Quòd ait Dominus Petro, Rogaui pro te, ne deficiat fides tua: quid ei rogauit, nisi perseuerantiam vsque in finem? Item cap. 7. column. 1334. A. Quid moliturus es contra verba dicentis, Rogaui pro te Petre, ne deficeret fides tua? an audebis dicere etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse: si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam vsque in finem perseuerare noluisset? Quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset, vt vellet? Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, quæ fidelis erat voluntas, ipsa deficeret: & permansuram, si eadem voluntas maneret? sed quia præparatur voluntas à Deo, ideò pro illo non posset esse inanis oratio. Quando rogauit ergo, ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem? Deinde subdit id, quod ad omnes fideles pertinet, dicens: Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam: sed gratia potiùs libertatem, & vt perseueret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. Tantum Augustinus. Habemus interpretationem duorum Africanorum Doctorum, Tertulliani & Augustini: audiamus etiam interpretationem duorum Græcorum.

Chrysostomus Tom. 2. in Matth. cap. 26. homil. 88. column. 608. A. docet Christum ex professo permisisse Petrum in tale facinus labi, vt alia quædam interna peccata, vt arrogantia, & pertinax contradicendi durities, ex corde eius conuellerentur: Pro Petro verò rogasse, ne eius fides euanesceret. Quomodo igitur (inquit) negauit? non dixit quippe, non negabis: sed vt non deficiat fides tua. Cura enim ipsius atque fauore factum est, ne omnino Petri fides euanesceret (notetur illud euanesceret.) Ingens enim pauor eum inuaserat: & ingens ideò, quoniam diuina protectione valde fuit denudatus: Quod porrò factum est propter arrogantiam & contradicendi pertinacem duritiem: ita quoniam & Christo, & Prophetæ (Zachar. percutiam pastorem & dispergentur oues gregis) apertissimè repugnauit: in eum terrorem deuenire permisit, vt radicitus ab eo, illæ passiones euellerentur. Hæc Chrysostomus: Ergo illud: ne deficiat fides, iuxta Chrysostomum, non est (vt quidam interpretantur) ne deficiat finaliter, sed ne euanescat, hoc est, ne penitus in Petro extinguatur. Non ergo fuit penitus extincta, seu non euanuit, nec penitus defecit.

Theophylactus elegantissimè eundem sensum expressit, in Luc. 22. ἐδεήθη οὖν, φησὶν, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου: εἰ γὰρ καὶ πρὸς μικρὸν μέλλεις σαλευθῆναι: ἀλλ' ἔχεις ἐναπκείμενα τὰ σπέρματα τῆς πίστεως. κἂν τὰ φύλλα ἐρρίψῃ τὸ πνεῦμα ὁ ἐπηρεάζων· ἀλλ' ἡ ῥίζα ζῇ, καὶ οὐκ ἐκλείψει ἡ πίστις σου. hoc est, Rogaui ergo, inquit, vt non deficiat fides tua. Etsi enim ad modicum tempus concutiendus es: habes tamen imposita fidei semina. Etsi folia deijciat spiritus (seu ventus) tentatoris: tamen radix viuit, & non deficiet fides tua. Quid clarius, quid elegantius? Nunc adde testimonium etiam Gregorij primi, quod paulò antè citaui ex Tom. 1. in Iobi cap. 34. colum. 841. Adde & testimonium Leonis Pōtificis 1. in sermone de passione Domini: qui de fide Petri idem planè concludit. Manifestum ergo est Petri fidem nunquam prorsus defecisse: tum quia tale

peccatū per quod ſolum, fides excutitur, nunquā admiſit: tum propter teſtimonium Domini apertum Luc. 22. Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua: idque orthodoxè iuxta aliquot etiam Patres intellectum: ad quod accedunt tum teſtimonia veterum Patrum, tum etiam recentiorum Doctorum, atque in primis Buceri. Fatentur autem Antagoniſtæ, dictum illud: Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua, non ſolùm de Petro, & reliquis Apoſtolis: ſed de vniuerſa Eccleſia & ſingulis veris Eccleſiæ membris, ſicut etiam Auguſtinus interpretatur, eſſe intelligendum. Hoc autem dicto, Dominus indicauit ſe oraſſe, ne deficiat fides Petri, & eorum omnium, qui ſunt ædificati ſuper Petram, quæ eſt Chriſtus. Ergo concluſum cùm ſit, Petri fidem nunquam defeciſſe propter Chriſti precationem: concluditur neque cuiuſpiam veri fidelis fidem aliquando prorſus deficere poſſe, propter eandem Chriſti interceſſionem.

His addo duo loca Lutheri ex Tom. 5. cap. 11. Ioan. Primus eſt in fol. 195. facie
» prima circa medium: qui Chriſto adhæreſcit abunde habet gratię, nec perire poteſt,
» etiamſi carnis imbecillitate adductus, lapſus fuerit: ſicut ſancto Petro accidit, dum
» modò verbum non contemnat, ſicut Spiritus phanatici. Duo docet his verbis: Primò Petrum non peccaſſe ex animo, ſeu non tota voluntate, ſed ex infirmitate, & peccatum illud fuiſſe lapſum: Deinde Petrum, etiam cùm lapſus eſt, à Chriſto tamen non defeciſſe, ſed illi adhæſiſſe, quia verbum non contemſit.

Alter locus eſt fol. 197. facie altera ad calcem: vbi ſic ait. rogat Chriſtus pe-
» nes rectam fidem maneant, inque ea proficiant, ac pergant, neque ab ea deſciſcant:
» Deinde ait in eodem capite, orationem hanc Chriſti fuiſſe exauditam. Conſequitur ergò neceſſariò, neque Petrum, neque vllum verè Chriſtianum à fide vnquam defeciſſe, aut deficere poſſe: propter precationem Chriſti, vt nos habemus in noſtra Theſi. Pomer. in epiſt. ad Rom. cap. 8. exponens illa verba, Quis nos ſeparabit à charitate Dei? ait, ſe hoc dictum malle de dilectione Dei erga nos, quàm de noſtra erga Deum interpretari. Nam (inquit) noſtra dilectio ſæpenumero fluctuat, vti Dauidis & Petri Apoſtoli: Docet igitur cùm peccauit Petrus, illius dilectionē erga Chriſtum & Deum, non penitus fuiſſe ſubmerſam, ſed tantùm fluctuaſſe. Charitas autem non eſt ſine fide. Ergo fides non defecit prorſus Apoſtolum Petrum, cùm Chriſtum negauit. Huius autem infirmatæ, ſed non penitus extinctæ fidei Petri, typus fuit illud, quod legitur Matth. 14. cùm Petrus ſupra mare ad Ieſum veniret: vbi vidiſſet ventum validum, territus cœpit demergi: ſed mox Chriſtus eum, antequam ſubmergeretur, extenta manu ſubleuauit, dicens, ὀλιγόπιστε, hoc eſt, modica fide prędite, quare dubitaſti? non ait fuiſſe ſubmerſum, ſed cœpiſſe mergi: neque Chriſtus dixit, ἄπιστε, ſed ὀλιγόπιστε. De hoc etiam Petri peccato, quòd ſcilicet ex infirmitate, & non ex deſtinata malitia aut ex contemtu Dei, & ideò non ex toto corde, admiſſum fuerit: vide Luth. in magno comm. in Epiſt. ad Galat. in cap. 5. fol. 422. in illa verba, Manifeſta ſunt opera carnis.

Exempłū Iudæ. Quòd verò poſtea Antagoniſtæ mei Iudam in receptione fidei, & Spiritus S. exæquant Petro, dicentes: vterque accepit fidem, & Spiritum S. vehementer miror: quaſi verò Iudas fuerit tali fide prædituſ, qua & Petrus: atque ideò ita coram Deo iuſtificatus, ſicut & Petrus. Contrà ego dico, Iudam nunquā vera & viua fide in Chriſtum, prędituſ fuiſſe: ac proinde nunquam fuiſſe coram Deo iuſtificatum. Non enim iuſtificantur niſi electi Rom. 8. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit. Item: omnes iuſtificati, glorificantur. Rom. 8. Quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit. Item: vera fide in Chriſtum non donantur, niſi electi: vt antè è S. Scripturis, ex Auguſtino, Luthero, & Bucero demonſtratum fuit. Quòd ſi aduerſarius reijcit omnes has Apoſtolicas rationes: ſaltem audiat Lutherum in Tom. 5 in 17. cap. Iohan. fol. 203. Explicans illa verba, Quos dediſti mihi, Ego cuſtodiui,

diui, & nemo ex ijs perijt, nisi filius perditionis, ait: Ego seruaui eos, ne falsa doctrina & sanctimonia quaterentur, & deciperentur: tantoque studio retinui, vt ne vnus quidem ex eis periret, nisi Iudas filius ille perditus. Quamobrem? quia nunquam ex animo mihi adhæsit, nec serió verbum meum amplexus est: sed ideò sectabatur me, quò apud me & sub nominis mei prætextu diuitias sibi cumularet: tanta tamen integritatis simulatione, & fuco sanctitatis, vt eius nequitiam nullus discipulorum persentisceret. Postea subdit: igitur Iudas typum gerit omnium eorum, qui suum emolumentum quærunt per Euangelium, &c. Quid ijs Lutheri verbis clarius, quid apertius de Iuda dici potuit? Iudas igitur nunquam ex animo, & nunquam serió, ideoque nunquam vera & viua fide, Christo adhæsit. Quare neque reliqui reprobi, vtut fidem simulent, & sanctam coram hominibus vitam traducant, ex animo, & vera fide Christo vnquam adhærent. Hoc idem tradit Brent. in Exegesi in Iohan. cap. 13. fol. 225. in illa verba, Vos mundi estis, sed non omnes, ait Iudam, corpore tantùm, non item fide Christi ministerium admisisse, nec fide Apostolatum administrasse.

Nicolaus, inquit, vnus ex septem Diaconis fuit iustificatus: & tamen postea ita amisit Sp. Sanctum & omnem fidem, vt damnatus perierit. Ergo, &c. *Exemplũ Nicolai Diaconi.*

Respondeo: Nicolaum hunc fuisse iustificatum, & Spiritu regenerationis donatum, dari nullo modo potest, si damnatus creditur. Nam si fuisset iustificatus, fuisset tandem etiam glorificatus. Rom. 8. Quos enim iustificauit, hos & glorificauit. Non fuit autem tuo iudicio glorificatus: sed damnatus, æternis afficitur pœnis. Nunquam igitur fuit iustificatus, aut Spiritu regenerationis, ideoque fide iustificante donatus. De hoc Nicolao, non est eadem omnium sententia: sed de Nicolaitis hæreticis, alia est ratio. lege Apocalyps. 2. Item lib. 1. cap. 27. Tertulliani de præscript. pag. 113. Clem. Alexand. Strom. lib. 3. Eusebium Cæsar. in Histor. Eccles. lib. 3. cap. 29. Augustin. Tom. 6 de hæresibus ad Quoduldæum column. 13.

Admittis certè, ô bone vir, paralogismum ὁμωνυμίας. Nomine enim Sp. Sancti hoc in loco propriè veniunt dona Spiritus sancti, quæ ad Diaconiam Ecclesiasticam dignè & rectè administrandam necessaria sunt: vt est amor quidam in pauperes, fides & prudentia, in dispensandis Ecclesiæ bonis, comitas, benignitas, modestia, fortitudo, & temperantia. De ijs Spiritus sancti donis propriè loquebantur Apostoli. Necesse enim fuisse, vt tales deligerentur viri, qui ijs instructi donis, Diaconiæ Ecclesiasticæ administrandæ idonei essent. Sicut etiam Brentius in acta hunc locum interpretatus est. vnde concludens ait: Itaque Apostoli inquirunt dispensatores, non quosuis, sed plenos donis & virtutibus Spiritus sancti, vt quicquid hoc est muneris, non iustè solùm & prudenter, sed etiam fortiter & temperanter administretur. Quod si ab ijs Spiritus sancti donis ad Spiritum regenerationis argumentari velis: dico te admittere paralogismum, qui est ex ignoratione Elenchi. Non enim sequitur, aliquis est donatus Spiritu, verbi gratia, prophetiæ, vel gratia sanationis: Ergo etiam Spiritu regenerationis: cùm multi etiam hypocritæ varijs Spiritus sancti donis ornari soleant, nec tamen sint vel iustificati vel regenerati: vt exempla permulta in Scripturis docent. Sicut etiam non sequitur, aliquis est spectatæ (nempe in Ecclesia) probitatis vir: Ergo etiam coram Deo verè animo est probus. Nicolaum ergo hunc, fuisse & spectatæ probitatis virum, id est, boni nominis & bonæ famæ in Ecclesia, & egregijs Spiritus sancti donis ornatum, ita vt, qui ad ministerium illud eligeretur, Ecclesiæ dignus fuerit visus, non possum inficiari: verùm inde non consequitur, fuisse igitur iustificatum & sanctificatum, veràque fide præditum. Deinde etiamsi dem, nomine Spiritus sancti Apostolos intellexisse ipsum quoque Spiritum sanctum regenerationis, vnà cùm alijs donis prædictis: tamen inde non efficietur, omnes igitur illos septem, quos elegit Ecclesia, fuisse vero regenerationis Spiritu præditos. Nam cùm aiunt Apostoli, eligite viros

ex vobis ſeptem plenos Spiritu ſancto: Senſus eſt, eligite ſeptem, quos vos iudicetis eſſe primò plenos Spiritu regenerationis, hoc eſt, verè pios: Deinde etiam Spiritus ſancti donis ad hoc munus neceſſarijs ornatos. Eccleſia autem non iudicat niſi ab externis effectis: externa autem effecta ſæpenumero fallunt iudicium Eccleſiæ: Quare nullo modo ex loco act. Apoſtolicorum euincitur, ipſum Nicolaum vero adoptionis & regenerationis Spiritu præditum & iuſtificatum fuiſſe; ac proinde neq; concluditur amiſiſſe Spiritum ſanctificantem.

Exemplũ Hymenæi & Alexandri.

Affertur etiam exemplum Hymenæi & Alexandri ex 1. Tim. 1. Hymenæus (inquiunt) & Alexander abiecta bona conſcientia, naufragium fecerunt circa fidem: Ergo antea habuerunt fidem: & deinde eam, abiecta bona conſcientia, id eſt, peccatis commiſſis contra conſcientiam, amiſerunt. Eſt & hîc paralogiſmus homonymias. Fides enim in Scripturis multa ſignificat. Sed ſæpe capitur pro virtute, qua verbo Dei verè creditur: & de hac nobis eſt quæſtio: aliquando accipitur pro doctrina fidei, ſeu pro Euangelio ipſo, cui fides adhibetur, atque adeò pro tota Chriſtiana religione. 1. Tim. 4. deficient quidam à fide, id eſt, à religione & doctrina Chriſtiana. ſic Rom. 1. vt obediatur fidei in omnibus gentibus, hoc eſt, Euangelio: & iuxta hanc ſignificationem accipitur ab Apoſtolis in hoc etiam loco. Duo enim requirit Apoſtolus in Epiſcopo. Primò vt retineat puritatem doctrinæ & religionis: ideò ait, retine fidem. Deinde vt ſanctæ vitæ ſtudeat: atque ita doctrinam non ex ambitione, neque ex auaritia, neque ex vllo malò affectu, ſed ex puro corde adminiſtret. Hoc autem ſanctæ vitæ ſtudium vocat bonam conſcientiam. Sic etiam ſcholia Græca interpretata ſunt. Πίστιν ἢ φησὶ τὴν περὶ τὰ δόγματα: συνείδησιν ἢ τὴν περὶ τῆς πολιτείας, ἢ περὶ τὸ ὀρθῶς βιοῦν. Sincera doctrina vera fide recepta regenerat, & proinde parit hoc ſanctæ vitæ ſtudium, id eſt, bonam conſcientiam: iuxta illud Pauli: finis legis eſt charitas de corde puro, conſcientia bona, fide non ficta. Hoc autem ſtudio, ſeu bona conſcientia, retinetur & conſeruatur fides puraq; doctrina. Qui verò doctrinam Euangelij recipit quidem, ſed fide ficta & mortua: is non regeneratur: ac proinde quia non eſt regeneratus, pergit vt antea in ſuis vitijs, atque ſceleribus. Qui autem ita pergunt ſe proſtituere contra ſuam ipſorum conſcientiam ad omnia vitia & ſcelera: ij tandem ipſam quoq; doctrinam, à qua ſentiunt ſuas ipſorum conſcientias damnari, reijciunt: & hoc eſt reijcere fidem, ſeu, vt Paulus hîc loquitur, naufragium facere circa fidem. Ideò ſcholia Græca aiunt. ὅταν γάρ τις ἀδοκίμως ζῇ, ἢ περὶ τὴν πίστιν ναυαγεῖ: ἵνα γὰρ μὴ τῷ φόβῳ τῶν μελλόντων βασανίζωνται, ἀπεδάζεσι πείθειν τὴν ἑαυτῶν ψυχὴν, ὅτι ψευδῆ πάντα τὰ παρ' ἡμῖν, τά τε περὶ ἀναστάσεως ἢ κρίσεως. Hoc contingit etiam Alexandro & Hymenæo. ij amplexi quidem fuerant fidem, h.e. fidei doctrinam ſeu Euangelium: cœperant etiam vtcunq;, quod ad externam vitam attinet, aliquam bonam conſcientiam præ ſe ferre, hoc eſt, vtcunque honeſtè viuere. Sed quoniam non recepérunt Euangelium vera, & regenerãte, ac iuſtificante fide: idcirco nulla facta in ipſorum cordibus renouatione, tandem reiecta etiam illa externa, & hypocritica ſanctitate, ad flagitioſam vitam relapſi ſunt: id quod Apoſtolus vocat abijcere bonam conſcientiam: hac verò reiecta, ipſam quoque doctrinam reiecerunt: id quod Apoſtolus appellat περὶ τὴν πίστιν ναυαγεῖν, id eſt, naufragium fidei, vel circa fidem facere. Tantum ergo abeſt, vt ex hoc loco concludi poſſit Alexandrum & Hymenæum fuiſſe verè iuſtificatos & regeneratos: vt potiùs ex eo, quòd abiecerunt ipſam etiam fidei doctrinam, euincatur illos nunquam vera & iuſtificante fide, Euangelij doctrinam amplexos fuiſſe. Qui enim vera fide Euangelium amplectuntur: ij regenerantur, & regenerati perpetuum ſanctæ vitæ ſtudium retinent. Proinde non exciderunt à fide vera, quam nunquam habuerunt: ſed fidei tantùm doctrinam, quam ficta & hypocritica fide receperant, abiecerunt: & fidem ipſam temporariam, ideoque hypocriticam amiſerunt: vera enim & iuſtificans fides, eſt ἀνυπόκριτος (vt ait Apoſtolus) ideoque perpetua.

Hi

Hi (inquit) Galatæ conuersi fuerant ad Christianismum, baptizati à Paulo, & acceperant Spiritum sanctum. Sed postea à vera ista doctrina, seducti per falsos prophetas, defecerunt. vnde eos Apostolus vocat fascinatos. Ergo amiserunt fidem & Spiritum sanctum. *Ad Exẽplum Ecclesiarum Galatiæ.*

Respondeo: Hic etiam est παραλογισμὸς, qui dicitur ὁ παρὰ τὸ ἁπλῶς, τόδε ἢ πῇ, ἢ μὴ κυρίως. Nam quod ad primum antecedentis membrum attinet, aiunt Galatas conuersos fuisse ad Christianismum, & baptizatos à Paulo accepisse Spiritum sanctum. Hoc certè, si de vera conuersione, de vero baptismo, deque Spiritu regenerationis loquantur, non potest intelligi simpliciter, de vniuersis & singulis: sed tantùm de quibusdam, quorum caussa fit, vt totum illud corpus Galatarum, conuersum ad Christianismum, & baptizatum, & Spiritu sancto donatum fuisse dicatur. Non enim omnes, qui erant in illis Ecclesijs Galatiæ, conuersi sunt verè ad Dominum, etsi omnes, quod ad externam fidei professionem attinet, conuersi fuisse legantur: neque omnes baptismo Spiritus baptizati fuerunt, etsi omnes baptismo aquæ fuerunt aspersi: neque denique omnes acceperunt Spiritum regenerationis, licet omnes (quod tamen probari non potest) varia Spiritus sancti dona, vt gratiam linguarum, donum prophetiæ, & alia accepisse dicantur. Duo igitur sicut in reliquis, sic etiam in Ecclesijs Galatiæ fuerunt hominum genera: quidam verè pij, & verè fideles: alij hypocritæ. Quare quod in primo antecedentis membro aiunt, Galatas conuersos fuisse ad Christianismum: & baptizatos à Paulo accepisse Spiritum sanctũ. Si de vera conuersione, & de baptismo Spiritus, & de Spiritu regenerationis loquantur: non potest illud ἁπλῶς de vniuersis & singulis Galatis intelligi: sed tantùm de multis. Si verò de externa tantùm coram hominibus conuersione, & de externo tantùm Aquæ baptismo, deque multis Spiritus sancti donis, sine regeneratione sit sermo: nihil contra nos concludunt Nos enim de vera conuersione, deque vera fide disputamus.

Quod ad alterum antecedentis membrum attinet, aiunt Galatas à falsis prophetis seductos, à Doctrina Apostolica defecisse: & proinde fascinatos ab Apostolo appellari. Si intelligunt, eos fuisse perfectè seductos, ita, vt prorsus à doctrina Apostolica defecerint: hoc non potest dari, nisi in reprobis, seu hypocritis. Electi enim (vt Christus ait Matth. 24.) hoc seductionis genere, seduci non possunt. Quare quod postea concludunt fide igitur excidisse, hoc verè concluditur de reprobis hypocritis. ij enim ab ista fide ficta exciderunt, & excidunt. At de verè electis, & fidelibus, concludi ex præmissis minimè potest. Si verò seduci accipiatur pro in aliquibus rebus & aliquo modo mentes fidelium perturbari, exagitari, quatefieri: concedo multos, eosque verè fideles illa Pseudapostolorum doctrina fuisse perturbatos, & in varias dubitationes pertractos. Sicut etiam de Petro dixit Dominus, Sathan expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum. Ceterùm hoc nihil facit contra nostram doctrinam.

Quare apparet hîc multas esse fallacias, homonymias, secundum quid ad simpliciter, & ex ignoratione Elenchi. Iis addo, quæ habet Lutherus in altero Tom. in magno commentario in Epistolam ad Galatas in cap. 1. in illud verbum, Ecclesijs Galatiæ: Quæstionem proponit ex Diuo Hieronymo, cùm Apostolus scribat ad subuersos Galatas & translatos à Christo, & gratia, ad Moysen & ad Legem: cur eos vocet Ecclesias? nempe Christi, eaque sanctas? Respondet id fieri per Synecdochen: cuius vsus (inquit) in Scripturis est frequentissimus. Erant ibi multi boni, non seducti (inquit) qui non defecerant à doctrina Pauli. Horum gratia, omnes simul appellantur Ecclesiæ: item ibi erat Euangelium & baptismus;

ptiſmus: iſta (inquit) ſi ſunt in populo, dicitur ſanctus: Affert etiam exemplum ex Eccleſia Corinthiorum: dicens: Hic ſcribens ad Corinthios, gratulatur eis gratiam Dei datam in Chriſto: quòd in omni verbo & ſcientia diuites facti eſſent per illum: & tamen (inquit) multi ex ipſis ſeducti per Pſeudoapoſtolos non credebant reſurectionem mortuorum. Apparet hinc, neque omnes Galatas fuiſſe ſanctos, & renatos, & tamen ita vocari reſpectu eorum, qui verè ſancti erant inter eos: neque etiam omnes à doctrina Apoſtoli defeciſſe, ſed hoc nomine accuſari omnes ſimul propter multos, qui fuerant ſeducti.

Addam quæ etiam Bugenhagius Pomeranus habet in Epiſtolam ad Rom. in cap. 11. in illa verba, Quòd ſi nonnulli rami defracti ſunt. Fieri (inquit) poteſt vt bona arbor habeat poma aliqua verminoſa, & corrupta intemperie auræ: tamen nihilominus arbor bona eſt; & fert quædam poma optima. Corrupta igitur abijcientur, integra ſeruantur. Rami hìc quidam mali ſunt, id eſt, Iudæi quidam non credunt: hi defringuntur: inſeruntur autem alij rami, tametſi natura non ſint boni, in arborem natura bonam: quibus ſignificamini vos gentes. Eſtis enim rami ſylueſtris arboris, id eſt, filij impietatis: nunc autem per Dei miſericordiam abiectis ex bona arbore, id eſt, ex Patribus ſanctis Iudæorum, Iudæis incredulis, vos inſerti eſtis in locum eorum. Hæc ille. Hinc duo apparent, vnum, in populo Iſraëlitico multos fuiſſe, qui non erant verè fideles: & ideò nec verè inſiti in Chriſtum per fidem, ſed tantùm per externam fidei profeſſionem & Sacramenta: & tamen omnes etiam reſpectu verè fidelium, fideles, & ramos oliuæ appellatos fuiſſe. Alterum: illos tantùm exciſos à Chriſto fuiſſe, qui videbantur quidem eſſe inſiti in Chriſtum, cùm verè inſiti non eſſent: ac proinde, qui verè inſiti ſunt, à Chriſto non excindi. Sic de Galatis dicendum eſt. Quid plura? Brentius ipſe in Iohan. cap. 15. homil. 34. dicta illa Pauli, Excidiſtis à gratia, quicunque in lege iuſtificamini: dicit intelligenda eſſe de hypocritis, qui erant in Eccleſijs Galatiæ.

Ad Exẽplum Epiſcopi Epheſinæ Eccleſiæ.

Apocalyp. 2. Memento vnde excideris: ergo exciderat à fide, & ſanè à gratia Dei, & excuſſerat Spiritum ſanctum.

Reſpondeo: Negatur conſequentia. paralogiſmus eſt ex ignoratione Elenchi. Non enim ſolùm non ſequitur ex verbis Apoſtoli hæc illatio: ſed etiam cum illis pugnat. Sic enim habent verba Chriſti per Apoſtolum: Angelo Epheſinæ Eccleſiæ
„ ſcribe (ſed ad totam Eccleſiam pertinebat hæc Epiſtola) hæc dicit qui tenet ſeptem
„ ſtellas in dextra ſua (id eſt Chriſtus, qui Eccleſias ſua manu ſuſtentat) qui obambu-
„ lat in medio ſeptem candelabrorum aureorũ (id eſt, qui Eccleſijs ſuis ſemper adeſt,
„ ſeruat eas, erudit, iuuat, ſemper in eis operatur) Noui (probo) opera (bona) tua (non
„ tantùm Epiſcopi, ſed totius Eccleſiæ Epheſinæ) & laborem (id eſt ſtudium bonorum operum, mortificationem carnis, ſollicitudinem in via Dei, crucem, & aduerſa, quæ propter nomen meum & Euangelium patimini & ſuſtinetis) & patientiam tuam ὑπομονὴν σου (id eſt, conſtantiam, ac patientiam, & tolerantiam: qua fortes in fide ſuſtinetis aduerſa & perſecutiones Domitiani) & quòd non potes ſuſtinere malos (eſt etiam hoc verbum præſentis temporis, hoc eſt, prauos, præfractos, improbos & impoſtores ferre non potes in Eccleſia) & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inueniſti eos mendaces (ij erant hæretici.) Laudatur igitur Epiſcopus & Eccleſia, quòd fortes ipſi in fide & in fidei doctrina, hæreticos & improbos ferre & ſuſtinere noluerunt, nec potuerunt. ſed coarguerunt, & Scripturis conuicerunt, eos eſſe verè mendaces, quia negabant Ieſum eſſe Chriſtum. & tuliſti (ſcilicet labores & moleſtias, quas hæreticos conuincendo, & extra Eccleſiam eijciendo, ab ijs paſſus es tu & Eccleſia tua) & patientiam habes (id eſt, & adhuc conſtanter fers, conſtanter in fide perſeuerans) & laboraſti propter nomen meum (propter nomen meum & doctrinam defendendam contra hæreticos) & non defeciſti

(id

(id est, laboribus pressus, non tamen à fide & doctrina mea defecisti, nec laboribus succubuisti. (Quis hîc non videat Episcopum hunc cum sua Ecclesia laudari a constantia in fide & in pura Christi doctrina? Cùm igitur postea subdit, Memento vnde excideris, illud non potest referri ad fidem, quasi exciderit à fide, vt quidam interpretantur: (pugnaret enim secum Dominus in verbis Apostoli:) Sed ad quid refertur illud, excideris? ad feruorem charitatis, qui deferbuerat in Episcopo & in Ecclesia. Postquam enim laudauit Episcopum & Ecclesiam, ab operibus bonis quæ fecerant, & à constantia in fide, & doctrina Christi, in qua etiam tum, cùm hæc loquebatur, persistebant: postea mox subiungit, quæ in eis reprehendat, dicens: sed habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam (id est, feruorem charitatis in Deum & in sanctos) primam reliquisti. non ait absolutè, quòd charitatem reliquisti, sed primam, id est, tam feruentem, sicut habebas initiò. Initiò enim cùm acciperent Euangelium à Paulo & Iohanne, & alijs viris Apostolicis: magnus charitatis, ideoque & fidei feruor apparebat in omnibus fidelium dictis, & factis, vt fieri solet. Ardore enim quodam feruentissimo amoris Dei & proximi, & studio reformandorum morum flagrabant. Postea remissiores effecti sunt, & deferbuit ille feruor. Hoc est, quod in eis reprehendit. Et ad hanc charitatis remissionem refertur verbum insequens, cùm ait, Memento igitur vnde excideris. Vnde? Ab illo charitatis feruore, ab illa charitate prima, non absolutè à charitate, sed à charitate illa prima feruentissima & ardentissima.

Nos quoque damus sanctos sæpe excidere à charitatis, adde & fidei feruore: sed quòd excidere prorsus à fide possint, tantum abest, vt ex hoc loco deduci possit, vt potiùs contrarium euincatur: nimirum sanctos plerumque excidere à feruore charitatis, & tamen constantes manere in fide Christi: quia hîc, cui dicit charitatem primam reliquisti, & memento vnde excideris: eidem etiam in præsenti tempore ait ὑπομονὴν ἔχεις, & laborasti propter nomen meum, & non defecisti. Apparet igitur aduersarium illud ex ijs Apostoli verbis intulisse, quod ex diametro cum verbis Apostoli pugnat: Christus enim ait, non defecisti, & ὑπομονὴν ἔχεις: Is autem ait, Ergo defecit, Ergo excidit à fide. Ceterùm quoniam peccarunt excidendo à prima charitate, & à feruore charitatis: ideò iurè hortatur eos ad resipiscentiam, hoc est, vt veniam peccati deprecentur, & redeant ad primum charitatis feruorem. Atque ex hoc loco facilè colligi potest, etsi dicimus sanctos nunquam prorsus excidere à fide: non tamen consequi, tolli igitur à nobis pœnitentiam. Cùm enim demus nos excidere à feruore fidei & charitatis, & feruorem hunc remittere peccatum sit: simul etiam docemus, sanctis resipiscendum esse, cùm ita peccant.

Franciscus Lambertus lib. 1. pag. 82. in ea verba: & patientiam habes & sustinuisti, &c. sic ait: Laus est perseuerantiæ. Puto autem hîc denuo agi de patientia, quia mox commendarat, quòd Pseudoapostolos expulerat. Hi nimirum pulsi, solent grauius malignari in sanctos. Et indubiè pulsi ab Ecclesia Ephesina, vt poterant, eos à quibus pulsi erant, diuexabant: at illi nullis malis à veritatis tramite absterrebantur: propter quod eorum stabile, constansque propositum, hîc à Domino commendatur. Sed habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti. Coram æterno iudice reprehenduntur, ne dum qui à fide & charitate deficiunt (deficiunt autem, qui non vera, sed temporaria fide donantur) sed & qui in seipsis hæc imminui sinunt. Nam qui eiusmodi sunt, pro desertoribus coram Domino habentur. Quasi enim relinquunt, & id non sunt, quod priùs erant: dum minus sunt, quàm fuerint. Iustorum quippe semitæ quasi lux splendens, crescunt, & proficiunt, vsque ad perfectam diem: Prouerbio. 4. Quod si non crescit, iustorum semita esse nequit. Ephesina Ecclesia ardentior fuerat in veræ

fidei

fidei fructibus, quàm tempore scriptæ huius Epistolæ esset, quòd ipsa fides non esset in ea tam efficax per charitatem, vt priùs fuerat, & ecce ideò eam reliquisse dicitur. Non enim solis Episcopis, sed & Ecclesiæ dicitur, Charitatem tuam priorem reliquisti. Ergo perniciosissima res est, fide & charitate imminui: principium siquidem & via quædam est ad perditionem. Charitas enim ignis est: proinde illius flammas augeri, non imminui oportet. Etenim si imminuitur, in proximo est, vt extinguatur, nisi à Deo seruetur misericorditer: Ignis quippe imminutio, est via ad extinctionem. Hæc ille.

Item Alfonsus Mantuanus pag. 32. explicans ea verba: sed habeo aduersum te, &c. sic ait: Non qui inceperit, sed qui ad finem vsque perseuerauerit, laudem mereri dignoscetur. Nec dici poterit, eum vsque ad finem perrexisse, qui Christi fidem & cognitionem vtcunque retinuerit; nisi etiam modis omnibus det operam, vt per ipsum iuxta suam vocationem fructus indies augeatur in Ecclesia. Non igitur hic Antistes ad finem vsque perseuerauit, quamuis à Christi fide & cognitione non exciderit: quia cùm in illo fidei feruor tepesceret, charitatem primam reliquerat. Quod sanè non minimus erat in pastore næuus, sed planè maximum, & omni prorsus correctione dignum facinus. Quia charitas, vt est finis præcepti, & legis plenitudo, ita maximè omnium refert, vt qui docendi munus in Ecclesia occupant, charitatem præ cæteris æmulentur: vt sicut alijs ministerio præstant, ita sint ardentiore charitate præditi. Cùm verò hîc huius Ecclesiæ pastor non solùm remiserit, sed etiam intermiserit charitatem: omnino correctione dignus erat. Hinc enim fiebat, vt lupi & malorum dogmatum authores, quæcunque dogmata vellent, in Ecclesiam introducere auderent, quòd pastorem gregem suum non curare animaduerterent. Quare inclamat illi Spiritus sanctus, habere se aduersus illum expostulandi occasionem, quòd charitatem primam reliquerit. Danda igitur opera, vt resipiscat. Thomas etiam Aquinas in hunc locum pag. 43. ait: Episcopum hunc & Ecclesiam defeciſſe à feruore charitatis: sed non à sustinentia tribulationis.

Ad Argumenta secundæ classis: hoc est, ad quosdam Scripturarum locos, qui cum doctrina de Perseuerantia Sanctorum in fide, pugnare videntur, responsio.

PRIMVM adducunt locum ex 1. Epistola ad Corinth. in cap. 10. Qui stat, videat ne cadat. Quia enim Apostolus dicit, ne cadat; lapsum igitur facilem esse: & contingere posse, vt qui nunc stat, præoccupatus à Sathana, vel infirmitate carnis, vel ab ipso mundo, qui plenus est scandalorum, possit implicari aliquo delicto, vt se rursus contaminet prioribus peccatis, à quibus initiò, fide in Christum fuerat extractus & ablatus. Hæc illi.

Respondeo: Primùm: lapsum facilem esse, quis neget? Ego quoque dico etiam sanctos facilè labi: sed nego eos excidere prorsus à fide. Contingere etiam posse, vt, qui nunc stat, à Sathana præoccupatus, possit implicari aliquo delicto, quis inficietur? Verùm quod aiunt fieri posse, vt qui fide stat, prioribus peccatis rursus contaminetur: bifariam potest intelligi: primò, vt admittat eadem peccata, quod ad externas actiones attinet, hoc concedo: Deinde vt eodem modo peccet, hoc pernego, nimirum, si de electis iustificatis, quiq; fide stant, loquantur. Ho-

mo

mo enim ante iustificationem, & donatam fidem peccat toto animo & plena voluntate, quia totus caro est: post iustificationem & regenerationem, nunquam plena voluntate, aut ex studio peccat: sed tantùm ex infirmitate. Non enim amat id, quod admittit, malum. Rom. 7. Si igitur ex illo Pauli dicto nihil concludant, nisi, posse eos, qui fide nunc stant, cadere, seu labi in peccatum aliquod, idque etiam graue: nihil concludunt aduersus me. Si verò inde inferre velint, Eos igitur, qui fide vera stant, posse à fide prorsus excidere: dico illud non posse vllo modo ex Apostoli dicto inferri, sine multis paralogismis. Primò Apostolus non ait, qui stat, sed ὁ δοκῶν ἑστάναι, qui sibi videtur stare, vel qui se existimat stare. Non igitur loquitur de illis, qui vera fide credunt, & verè stant, de quibus est disputatio: sed de illis, qui cùm falsa fide credant, putant tamen se verè credere, & fortiter stare, & ideò securi sunt. ijs autem opus erat reuera tali admonitione ad securitatem illis excutiendam. Et hos ab illa etiam ficta fide posse prorsus excidere, imò reipsa excidere: nos ipsi prædicamus. Deinde etiamsi dem, intelligi posse de ijs qui verè stant: tamen non ait Apostolus βλεπέτω μὴ παραπέσῃ vel ἐκπέσῃ, sed tantùm μὴ πέσῃ. Do autem sanctos à fide cadere posse, hoc est, à feruore, & fortitudine fidei, seu fidem illorum sæpè infirmari propter scelera: sed illos nego posse penitus à fide excidere, seu illorum fidem prorsus extingui. Hoc enim ex illis Apostoli verbis colligi nequit. Præterea etiamsi darem, posse verbum πίπτειν capi pro ἐκπίπτειν, καὶ παραπίπτειν, & deinde darem ex Apostoli verbis inferri posse, sanctos posse penitus à fide excidere: illud tamen intelligendum esset, quod ad ipsos attinet, & spectata illorum imbecillitate: sed non sequitur, spectata etiam Dei promissione & gratia, eos posse à fide prorsus excidere: Quare firma adhuc stabit mea propositio: propter promissionem Dei, & Christi precationem, eos excidere à fide penitus non posse, Deo eam, ne deficiat, conseruante & stabiliente. At ergo vana, inquies, talis admonitio: Minimè verò. Deus enim ijs admonitionibus primò docet, ne simus otiosi, & vult nos sibi esse cooperatores: ideò Iudas, obsecro, inquit, certando adiuuetis, eam, quæ semel tradita est sanctis, fidem. Deinde admonet nos nostræ imbecillitatis, vt nosipsos, quàm simus propensi ad lapsum, agnoscamus. Hæc verò nostri cognitio, quantò maior est, tantò altiùs nos euehit ad cognoscendam Dei potentiam: quemadmodum in bilance, quantò profundiùs vna lanx grauatur, tantò altiùs altera surgit. Hæc autem cognitio nostræ infirmitatis, & periculorum, in quibus versamur, cum cognitione potentiæ & virtutis Dei coniuncta, quid parit? excitat nos ad Dei auxilium inuocandum, vt scilicet nos, ne cadamus, sua manu sustentet. Qui autem inuocat ex fide Deum; exauditur. Ergo prosunt hæ admonitiones ad fidem sustentandam & confirmandam. Proinde tertio loco dico, hasce admonitiones esse alimenta, quibus fides à Domino alitur, & sustentatur. Fac parentem, filiolum suum imposuisse equo, & eum sua manu ita tenere, vt cadere ex equo non possit: Et interim tamen filiolum suum subinde monere, ne cadat, dicendo, vide ne cadas, mi fili: cedò, quorsum ista admonitio, cùm cadere non possit, patre illum sustentante? Frustrâne monet? minimè verò. Nam vtilis est admonitio, vt scilicet filiolus admonitus periculi, caueat, patremque roget dicens, Tene me pater, ne cadam: Sic nobiscum agit Deus. Propterea Dauid ait, impulsus euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me. Atque hæc esto, non solùm ad hunc Apostoli locum, sed etiam ad omnes huic similes admonitiones, responsio. Ceterùm si quis cupiat genuinam huiusce loci Paulini explicationem, paucis aperiam. Turgebant atque inflati erant Corinthij, etsi non singuli, maxima tamen illorum pars, inani quadam sui fiducia, quæ multis ex fontibus, illis scaturiebat: tum inde quòd baptizati, factique Christiani, Cœnæ etiam Dominicæ

participes effecti, multis præterea Spiritus sancti donis (de quibus in eadem Epistola cap. 12.) ornati essent: tum etiam inde, quòd & vrbe & pecunijs, & omni rerum copia potentes, summa fruerentur pace. ijs Dei beneficijs, & Spiritus sancti donis inflati, sibi ipsis confidebant. Ex hac sui confidentia, oriebatur carnis securitas: ex hac verò carnis securitate fiebat, vt in multa vitia & scelera prolaberentur. Quid igitur Apostolus? vt eos retrahat à sceleribus admittendis, conatur Corinthijs adimere illam carnis securitatem: id facit docens præsentibus bonis, non fieri, vt propterea sint extra omnem teli iactum. Hoc demonstrat exemplo Israëlitarum: qui etsi multa habuerunt testimonia gratiæ Dei: tamen non propterea factum est, vt fuerint extra omne periculum: imò quia securi torpebant, propterea in multa lapsi sunt scelera, & proinde exterminati. Minimè igitur debere præsentibus Dei bonis inflari, & propterea in sua conditione acquiescere, & esse securos: sed esse potiùs vnicuique vigilandum & orandum. Proinde qui videtur stare, videat, ne cadat. Ad omnes igitur praua sui confidentia inflatos, & securos verba faciens Apostolus, conatur illos à carnis securitate auocare ijs verbis, Qui videtur stare, videat, ne cadat. Quasi dicat: Nolite in vobis esse securi: dico securi in vobis, non dico in Deo. Est enim duplex securitas: vna in Deo, & eius verbo: altera in nobis & in alijs rebus à Deo conditis: seu vna Spiritus & fidei, altera carnis & carnalis confidentiæ.

Securitas Spiritus & fidei est ea, qua propter tantùm diuinas promissiones propterque Christi precationem, & merita, certi & securi simus de nostra in gratia Dei perseuerantia, ideoque de æterna nostri salute: atque ita securi in sinu Christi acquiescimus atque dormimus. Quò enim firmiori fide credimus, tum diuinis de sua erga nos gratia continuanda, deque sua æterna nostri protectione, promissionibus, tum Euangelio, quod ait Christum pro nobis orasse, & impetrasse à Patre vt in nobis suam seruet gratiam & fidem: eò etiam securiores simus de nostra in gratia Dei, & fide perseuerantia: ac proinde de æterna nostri salute. Hæc securitas non solùm bona est, sed etiam ad salutem necessaria. Proinde ad hanc perpetuò Scripturæ nos hortantur, vrgent, & stimulant.

Securitas carnis est ea, qua non in Deo, neque in Dei promissionibus acquiescimus: sed tum nostris operibus, tum nostris viribus & virtutibus, tum alijs Dei in nos collatis donis elati, putamus nos esse extra omne periculum, & labendi, & in æternum exitium ruendi: ac proinde etiamsi omnibus Sathanæ incursionibus expositi simus, in nobis tamen, & in nostra conditione acquiescentes, nihil curamus: & hinc fit, vt ita securi, in multa subinde ruamus facinora, & tandem nisi resipiscamus, in æternum exitium. Securitas hæc pernicioſa est. In hac erant multi Corinthij; ideò vt eos ab hac retraheret Apostolus: post allatum Israëlitarum exemplum dixit, itaque qui videtur stare, videat ne cadat. Istæ autem duæ securitates, contrariæ sunt inter se: & ita se habent, vt, quò magis ponimus securitatem carnis, eò magis firmetur securitas fidei & Spiritus. Quò enim magis desperamus de nobis ipsis, eò etiam magis cogimur in cœlum ascendere, & fiduciam nostram in Deo collocare. Inde verò oritur sancta securitas, qua in Deo acquiescimus: & è contrà. Sunt enim hæ duæ securitates (vt antè dictum est) sicut duæ lances in bilance: quò vna profundiùs grauatur, & deprimitur, altera eò altiùs tollitur. Cùm ergo Apostolus ait, qui videtur stare, videat ne cadat: tum securitatem carnis tollit, tum consequenter ad securitatem Spiritus Corinthios excitat. Perinde enim est, atque si dixisset, Nemo sit securus in se ipso, & in sua carne, quasi non possit ampliùs cadere, aut perire:

sed

ſed contrà potiùs timeat ſibi à ſe ipſo: imò agnita ſua infirmitate, atque imbecillitate, deſperet de ſe ipſo: ac proinde ſperet in Deum, & ex certa fide petat, vt ſe ſeruet, ne cadat & pereat: petat inquam hoc à Deo ex certa fide, certus & ſecurus, ſe à Deo propter illius promiſſionem, & Chriſti interceſſionem, in fide, & gratia, ne ab ea prorſus excidat, conſeruatum iri. Hic fuit ſenſus Apoſtoli. Itaque dico neque hoc, neque alijs ſimilibus locis, quibus iubemur timere, & cauere, ne cadamus: concludi poſſe, Sanctos igitur, vtut aliter promiſerit Deus, excidere tamen prorſus à fide & gratia poſſe: ſed potiùs illis adhortationibus, & admonitionibus, fidem in ſanctis excitari & ſeruari contendo. Ijs enim Sancti ad timendum de ſeipſis: & ideò ad precandum Deum, vt ſe cuſtodiat in fide & gratia, excitantur. Deus autem à nobis rogatus ex fide, ſua complet promiſſa: & ideò ſicut petimus, ſic ipſe facit, hoc eſt, gratiam & fidem in nobis ſeruat. Atque hic eſt finis & ſcopus, & cauſſa iſtarum admonitionum & adhortationum Apoſtolicarum. Quare cùm aduerſarij ex ijs inferunt, poſſe igitur ſanctos à fide & à gratia prorſus excidere, admittunt paralogiſmum non ſolùm ex ignoratione Elenchi, ſed etiam non cauſſæ, vt cauſſæ.

Alter locus, eſt ex epiſtola ad Timoth. priore, cap. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem, & bonam conſcientiam: qua repulſa quidam naufragium fecerunt circa fidem.

Reſpondeo: Ad hoc dictum ſatis reſponſum eſt ſuprà, in reſponſione ad exemplum Hymenæi & Alexandri. Nunc ad illationem, quam hinc inferunt, reſpondeo. Hoc Scripturæ teſtimonio (inquiunt) affirmatur in iuſtificatis, & renatis opus eſſe fide, ſeu militia fidei, & bona conſcientia. Quis hoc negat? Nam de nomine fidei, ſiue hoc nomine intelligant doctrinam fidei (vt verè intellexit Apoſtolus) ſiue ipſam fidei virtutem, quæ doctrinam ipſam amplectitur, nos quoque dicimus vtrunque in renatis eſſe neceſſarium: vt ſcilicet tam doctrina, quàm virtus fidei retineatur. De nomine quoque bonæ conſcientiæ, dico etiam eſſe neceſſarium, vt bona conſcientia retineatur: ita vt ſancti non peccent contra conſcientiam. De hoc, ſeu quid debeant ſancti, nulla eſt quæſtio: ſed quæſtio eſt de facto & poſſibili: an ſcilicet verè ſancti perpetuò retineant veram fidem, tam doctrinam, quàm virtutem fidei, & bonam conſcientiam: an verò vtranque amittere poſſint. Quod ad conſcientiam attinet, ſi peccare contra conſcientiam accipiatur pro peccare ex aſſenſu, ſed non pleno: dico ſanctos non ſolùm hoc poſſe, ſed ſæpe etiam hoc modo peccare. Si verò accipiatur pro peccare ex pleno conſenſu, plenaque voluntate, id quod alij dicere ſolent, ex animo, & ex ſtudio deſtinataque malitia: dico primùm illos nunquam hoc modo contra conſcientiam peccare, vt antè demonſtratum eſt: Ad quæſtionem verò an hoc poſſint, aio, ſi ſpectentur ipſi, in ſua natura, ſine Spiritu regenerationis, & ſine promiſſione Dei: eos poſſe hoc modo peccare, ſicut & reliqui homines peccant, ex pleno conſenſu, plenaque voluntate. Si verò ſpectetur tum Spiritus regenerationis, qui eorum corda regit, tum promiſſio Dei, quæ ait: Faciam, vt ambulent in præceptis meis, quæ promiſſio irrita fieri non poteſt; dico eos non poſſe peccare contra conſcientiam, ſeu plena voluntate: vt antè demonſtratum fuit. Proinde quod ad fidem attinet, ſi pro doctrina fidei accipiatur: dico primùm ſanctos ſicut peccant, & quidem ex conſenſu, ſed non ex animo, ita nonnullos circa fidei doctrinam naufragium quodammodo feciſſe, hoc eſt, veritatem negaſſe, & negando quodammodo reieciſſe: ſed non ex animo, ſicut Petro contigit. Deinde dico ſicut reliqua peccata admittere poſſunt, ex pleno conſenſu, quod ad ipſos attinet, ſed propter Spiritum ſanctum eos conſeruantem & propter promiſſionem Dei, non poſſunt: Sic etiam eos à doctrina ex animo etiam deficere poſſe, quantum in ipſis eſt: ſed non poſſe propter promiſſionem Dei &

Christi precationem. Si verò fides pro ipsa virtute veræ fidei accipiatur: itidem dico, primùm sanctos ab ea, id est, ab eius feruore non tantùm posse, sed etiam reipsa sæpè deficere: sed à tota fide, seu penitus, nunquam deficere: Deinde quantum etiam in ipsis est, prorsus ab ea deficere posse; sed propter promissionem Dei non posse. Atque hæc de verè sanctis, & verè renatis: de quibus nunc est quæstio. De ijs autem non loqui Apostolum in eo loco, manifestum est: quoniam Hymenæi & Alexandri hominum reproborum & hypocritarum nomina subiecit, dicens: ex quibus est Hymenæus & Alexander.

De ijs verò, & similibus hypocritis, qui in speciem, & coram hominibus sancti & renati videntur, cùm non sint: facilè fateor, eos non solùm posse, sed etiam re ipsa tandem aliquando tum illam, quamcunque habebant, conscientiam bonam: tum illam, quam profitebantur, rectam fidem, ac fidei doctrinam reijcere. Sed de ijs nobis quæstio non est. Quare locus Apostoli 1. Timoth. 1. nihil contra me facit. Si verò ex ista adhortatione Apostoli Timotheo facta vellent colligere, potuisse igitur Timotheum abijcere bonam conscientiam, & naufragium circa fidem facere, alioquin adhortationem fuisse superuacaneam, fallerentur. Apostolus enim ait: Hoc præceptum tibi commendo, Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam. Quibus ex verbis colligitur, fuisse prophetias de Timotheo, illum futurum talem, qualem hìc iubet esse Apostolus. Si veræ fuerunt hæ prophetiæ, sicut erant (eas enim probat Apostolus) necesse igitur erat, vt implerentur, & talis foret Timotheus, qualem futurum fuisse prædixerant. Non poterat ergo non militare bonam militiam, & seruare fidem & bonam conscientiam. Neque tamen hinc sequitur, superuacaneam fuisse Apostoli adhortationem: nam hac excitabatur Timotheus ad militandam bonam militiam, & conseruandam fidem, ac bonam conscientiam, seu ad complementum quoque illarum prophetiarum assequendum. Proinde non sine caussa prophetiarum quoque illarum mentionem fecit: quid ita? nimirum, vt factus certior se talem futurum, qualem esse iubebat Paulus, ad præceptum hoc Apostoli strenuè complendum, alacrior & fortior fieret: & ita reipsa retineret fidem & bonam conscientiam.

Tertium locum afferunt ex Epistola ad Hebr. cap. 10. qui sic citatur: Quantò peioribus afficietur pœnis, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti ipsius, ceu rem profanam duxerit, per quam sanctificatus fuerat? Hactenus verba Apostolica; sanctificari autem per sanguinem Christi, nisi per fidem Euangelij, & per Spiritum sanctum, qui hanc fidem verbo Euangelij, & vsu Sacramentorum accendit, nemo potest. Hæc est ipsorum propositio. subdunt: sed affirmat Apostolus quosdam, licet fuerint initiò per sanguinem Filij Dei sanctificati, & Deo reconciliati: tamen postea in tam horrenda peccata fuisse prolapsos, vt illis Filium Dei publicè conculcarint: propter quæ reos esse docet iudicio Dei, & dignos maioribus pœnis. Tantum illi. Conclusio sequitur, Ergo possunt iustificati, iterum prorsus amittere fidem, & ita damnari.

Respondeo: Primo loco explicandus est locus Apostoli: tum demum facilè diluetur argumentum. Apostolum ibi loqui non de quouis, etiam ex consensu & contra conscientiam admisso scelere, neque de quauis ἀποστασία, sed tantùm de illa, qua quis semel illuminatus, & veritatem edoctus, postea deserta vltrò Ecclesia, in totum à Christo deficit, & Christi gratiam prorsus reijcit: ex ipsis Apostoli verbis, liquidum fieri facilè potest. Primùm scopus Apostoli erat adhortari Hebræos ad perseuerantiam in fide, & Religione Christiana: idque propterea, quòd nonnulli, qui ex Hebraismo ad Christianismum conuersi fuerant, postea propter persecutiones deficiebant à fide Christiana. Ideò eo cap. paulò antè dixerat, Teneamus confessionem spei inflexibilem. Non simpliciter dicit: teneamus fidē, sed confessionem

spei

ſpei (id eſt, fidei) inflexibilem. Quaſi dicat: Ne in perſecutionibus terreamur, ita vt non audeamus confiteri Chriſtum; multò minùs vt deficiamus ab Eccleſia, & à Chriſto. Cùm ergo poſtea loquitur de peccato, poſt quod non relinquitur hoſtia pro peccato: de defectione, qua à Chriſto & eius fide in totum deficimus, loqui Apoſtolum manifeſtum eſt. Idem patet à pœna, quam argumento à minore ad maius ducto, ex lege contra Euangelij contemtores colligit, dicens: Qui abiecerit legem Moyſis, ſine miſericordia ſub duobus aut tribus teſtibus moritur. Non ait, qui tranſgreſſus fuerit aliquod legis mandatum, morte morietur: ſed qui abiecerit legem (id eſt, qui in totum defecerit à lege, & religione Moyſis) ſine miſericordia moritur: & reſpicit ad id, quod eſt in Deuteron. 17. Ergo cùm poſtea ait, Quantò grauiore putatis dignus iudicabitur ſupplicio, qui Filium Dei conculcauerit: Apparet eum loqui de Apoſtaſia à Chriſto, & eius fide ac religione. Idem poſtremò, verba Apoſtoli in eodem verſu apertè demonſtrant, cùm ait, Qui Filium Dei conculcauerit, & ſanguinem Teſtamenti per quem, &c. profanum duxerit. Quæ enim pedibus conculcamus? Quæ tanquam execranda, vel ſaltem quæ tanquam prorſus inutilia & nullius pretij, in totum reijcimus. Huiuſcemodi autem ἀποστασία non cadit in electos, verè iuſtificatos, & vera Eccleſiæ membra. Stat enim inuictum illud. 1. Iohan. 2. Si fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum: imò ne peccata quidem illa, quæ plena voluntate fiunt, & ex deſtinata malitia, in ſanctos cadunt, vt oſtenſum eſt: multò minùs hæc Apoſtaſia. Quare nullo modo loquitur hìc Apoſtolus de peccatis ſanctorum.

At verò ait Apoſtolus, per quem fuerat ſanctificatus. Quanquam ad hanc exceptionem ſuprà reſponſum eſt in exemplo Corinthiorum, Vbi docuimus, nomina hæc, ſanctificationis, iuſtificationis, iuſtitiæ item & ſanctitatis ac ſimilium, non vno & eodem modo de omnibus dici intelligíue debere: non fuerit tamen ab re aliquid breuiter etiam hìc repetere. Tria ſunt hominum genera in Eccleſia, qui vocantur in Scripturis ſanctificati, iuſtificati, abluti ſanguine Chriſti, imò & electi. Quidã ſunt verè & coram Deo tales: illi nimirum, qui ab æterno primùm ſecundum propoſitum electi fuerunt in Chriſto: & qui deinde ſecundum idem propoſitum vocati & iuſtificati, perq; Spiritum ſanctum non ſolùm veritatem in intellectu edocti, verùm etiam in corde verè renouati & regenerati ſunt: de quibus Ro. 8. Atq; ij ſunt verè Eccleſia Dei. Horum verò gratia, reliqui quoque qui in Eccleſia ſunt, συνεκδοχικῶς & καταχρηστικῶς ſanctificati & iuſtificati appellantur.

Sic omnes Iſraëlitæ, licet non omnes verè & coram Deo populus Dei eſſent: omnes tamen communi nomine populus Dei appellabantur. Sic omnes Corinthios Apoſtolus, vt ſuprà vidimus, vocauit ſanctificatos: Sic Petrus omnes ad quos ſcribit, appellat ſanctum Dei populum. 1. Pet. 2. Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti eratis miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis. Ita Paulus omnes Galatas vocat filios Dei: & Romanos omnes, ſanctos. Συνεκδοχικῶς igitur ἢ καταχρηστικῶς omnes qui ſunt in Eccleſia, etiamſi non ſint omnes de Eccleſia, & verè ſancti, ſancti tamen & ſanctificati per ſanguinem Chriſti appellantur. Sed horum etiam, qui ſic appellantur, & reuera non ſunt: non eſt vnum duntaxat genus. Alterum igitur Sanctorum genus, eorum eſt, qui licet non ſint verè & coram Deo ſanctificati & iuſtificati, quia nimirum Chriſtum, veram iuſtitiam & ſanctificationem noſtram, non tenent in corde, vera & viua fide apprehenſum: tamen quia hunc Chriſtum tenent non ſolùm lingua, ſed etiam intellectu, hoc eſt, non ſolùm Chriſtum vnà cum alijs profitentur, ſed etiam eum agnoſcunt, & ſanctum Euangelium per lumen Spiritus ſancti edocti, & verò etiam aliquo modo ſe participes factos eſſe Spiritus Chriſti declarant, dum partim

verbis, partim factis aliquo modo Deum glorificant, ita vt verbi semen in illis iactum enatum, & in herbam erupisse videatur, de quibus Hebr. cap. 6. idcircò iustificati & sanctificati vocantur. Ceterùm (sicut dixi) semen hoc non penetrat in illorum voluntatem, seu cor, neque ibi vllas habet radices, & proinde sine vlla sunt cordis regeneratione. ij habent Spiritum Christi vtcunque docentem: & fructus aliquot bonos in eis proferentem: sed non regenerantem. Quia verò cognitio hæc regenerationis initium est: ideò fit vt nonnunquam regeneratio nominetur: & qui tali cognitione præditi sunt, regenerati appellentur. Tertium est eorum, qui neque in corde, sicut primi, neque in mente, sicut secundi, sed tantùm in ore habent Christum, iustitiam & sanctificationem nostram: eumque quem verè non norunt, cum alijs colunt, & confitentur: similes illis de quibus Christus dicebat Samaritanæ, vos adoratis, quod nescitis. Quia verò hæc Christi confessio externum est internæ regenerationis testimonium (nimirum si quis verè sit regeneratus:) iccirco fit vt etiam id genus homines, qui Christum confitentur, nisi aperta accedat, & pertinax iniquitas, regenerati, iustificati, sanctificatique appellentur. Primi ergo sunt regeniti, & sanctificati: secundi initium tantùm quoddam, vel potiùs speciem quandam habent sanctificationis: Postremi verò habent externum duntaxat sanctificationis testimonium. Apostolus igitur de generali, seu (vt ita loquar) totali apostasia à fide & à Religione Christiana loquens, hæc tria fidelium, seu sanctificatorum hominum genera hortatur ad perseuerantiam in fide Christi. Vt verò hoc efficaciùs faciat; proponit, quid hanc à fide Christi ἀποστασίαν consequatur, æternus nimirum sine vlla misericordia interitus. Etsi verò ipsi electi, vereque sanctificati, talem apostasiam facere, Deo illos sua gratia perpetuò in fide retinente, non poterant: adhortatio tamen hæc Apostolica haud inutilis illis fuit. Hac enim incitabantur ad perseuerandum in fide: Reprobis verò, etsi omnino defecturi erant: non frustrà tamen fuit facta. Hac enim redditi sunt inexcusabiles. Quis dicet hac oratione concludi, ipsos igitur verè electos & verè sanctificatos posse hac Apostasia deficere à Christo, ideoq; à fide in Christum: cùm hæc adferat æternum exitium: Electi autem & verè sanctificati perire æternùm nequeant? Si igitur aliquid hinc concluditur: de reprobis tantùm, qui inter verè sanctificatos connumerantur, concluditur. Ex ijs apparet in argumento aduersariorum, paralogismum esse ὁμωνυμίας. Nomen enim sanctificationis, & verbum sanctificari, vno tantùm modo, nempe propriè accipiunt: cùm tamen impropriè etiam accipi solita sint.

Sed ô vtinam locum hunc Apostoli de conculcato (pedibus) Filio Dei, & sanguine testamenti, id est, Christi, quo fœdus sancitum est, profanato, cum illo eiusdem Apostoli, 1. Corint. 11. de reatu corporis & sanguinis Domini, quo implicantur illi, qui panem & vinum Domini indignè edunt & bibunt, diligenter examinatum, sana mente conferres. Videres enim sicut ad Hebræos illi dicuntur Filium Dei pedibus conculcare, non quòd illum realiter sub pedibus habeant, illumque realiter conculcent: sed quia verbum Euangelij, quo Filius Dei, eiusque sanguis fœdus confirmans, fide percipiendus offertur, sua infidelitate reijciunt, illudque execrantur: Sic ad Corinthios, non ideo istos dici reos corporis & sanguinis Domini; quia reale corpus, realemque sanguinem Domini indignè ore corporis realiter edunt & bibunt: Sed quia panem & vinum, per quæ corpus & sanguis fide percipienda offeruntur, nucleo interim tanti Sacramenti, vel per infidelitatem reiecto, vel per impœnitentiam neglecto, indignè manducant & bibunt. Si ex loco ad Hebræos, non licet argutari; Filium igitur Dei, sanguinemque testamenti realiter esse sub pedibus eorum, qui illum dicuntur conculcare: Cur tu vis me ad tuam istam, non satis Dialecticam consecutionem, nempe; Qui edunt & bibunt indignè, rei fiunt corporis

poris & sanguinis Domini, Ergo realiter ore corporis edunt & bibunt, admittendam cogere?

Memineris frater, Augustinianæ regulæ, Scripturas per Scripturas esse interpretandas, & similia similibus esse explicanda.

Quartum locum ex 2. Petri cap. 2. adducunt. Apostolus de quibusdam seductoribus loquens, ait: ij sunt fontes sine aqua, nebulæ, quæ à turbine aguntur, quibus caligo tenebrarum in æternum parata est. Nam vbi plus quàm fastuosa vanitatis verba fonuerint; inescant (δελεάζουσι) per concupiscentias carnis (&) lasciuias τοὺς ὄντως ἀποφυγόντας, τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους (hoc est, eos, qui verè aufugerant ab ijs, qui in errore conuersantur) libertatem illis pollicendo: cùm sint ipsi serui corruptionis. à quo enim quis superatus est: huic in seruitutem addictus est. Nam si ij qui aufugerant, ab inquinamentis huius Mundi, per cognitionem Domini & Seruatoris Iesu Christi, rursum ijsdem impliciti superantur: facta sunt illorum postrema peiora prioribus (hoc est, illorum conditio peior priori.) Melius enim ipsis fuisset, non cognouisse viam iustitiæ: quàm vbi cognouerunt, conuerti ab eo, quod ipsis traditum fuerat, sancto proposito: seu quàm regredi à tradita ipsis sancta doctrina. Sed accidit illis, quod prouerbio dicitur, canis reuersus ad proprium vomitum: & Sus lota ad volutabrum luti vel cœni.

Ex ijs Apostoli verbis conantur colligere, multos, qui verè ab idololatrijs, & alijs inquinamentis ad Christum conuersi fuerunt, idque per veram Christi cognitionem, id est, fidem, ideoque qui vera fide prædíti fuerant, postea ab impostoribus seductos, ad pristinas immunditias redijsse: id quod fieri nequit, nisi abiecta vera fide, & amisso Spiritu sancto. Posse igitur eos, qui donati sunt vera fide, illam amittere.

Respondeo: Apostolum non sentire electos, qui vera & iustificante fide prædíti sunt, à fide hac prorsus excidere, manifestum fit tum ex hoc, tum ex alijs huius Apostoli locis. Primùm in Epistola prima ait, Nos (scilicet electos) renatos esse ex semine incorruptibili, per sermonem Dei, viuentem in æternum: Quandoquidem omnis caro fœnum, verbum autem Domini manet in æternum. Quibus verbis docere voluit eum, qui nascitur ex carne, cum omni sua gloria euanescere, quia ex semine corruptibili natus est, & est ceu flos agri: Illum autem qui natus est ex semine Dei, per fidem in verbum Euangelij, manere, & viuere in æternum, quia ex semine incorruptibili (nimirum non solùm in sese, sed etiam in eo, qui ex ipso natus est, incorruptibili) natus est: Verbum igitur, semel, & regenerante fide apprehensum, manere in renato in æternum: Id quod ipse quoque Lutherus in eum locum aperte docet: Euangelium (inquit) quando prædicatur, illicò quidem transit: sed si suscipitur corde: & fueris ipsum fide amplexus, iam non potest ampliùs excidere. Apparet igitur Petrum sensisse in ijs, qui semel renati sunt ex hoc semine verbi Dei, perpetuò manere incorruptam fidem, & verbum Dei.

Deinde ibidem ait, fideles custodiri virtute Dei per fidem (vel iuxta versionem Lutheri, in fide) in salutem. Si ergo custodiuntur in fide, vel per fidem in salutem: custoditur etiam in eis fides, per quam in salutem custodiuntur. In epistola verò altera in cap. 1. Primùm veram fidem eam esse describit, quæ viua sit, hoc est, per dilectionem efficax. Eam enim vt arborē viuam depingit, quæ suos etiam bonos fructus proferat. Hoc facit, cùm ait: subministrate in fide vestra virtutem: in virtute scientiam: in scientia temperantiam: in temperantia patientiam: in patientia pietatem: in pietate fraternum amorem: in fraternò amore, charitatem: Ecce fructus, qui ab

arbore fidei oriuntur. Ergo non esse veram fidem, nisi sit viua & efficax per dilectionem, docet cùm subdit. Hæc enim si vobis adsint, & abundè suppetant, non otiosos, neque infructuosos vos constituent in cognitione Domini nostri IESV CHRISTI: hoc est, qui hæc præstant, illi declarant, se non habere otiosam Christi cognitionem & fidem. Quasi dicat: Fides Christi vera non potest esse otiosa. Probat à contrario, dicens: cui hæc non adsunt, cæcus est, manu palpans, purgationis oblitus veterum delictorum: hoc est, Qui non profert hos fructus, declarat apertè, se non esse præditum vera Christi cognitione, & fide, sed cæcum esse: ideoque nescire, quò eat: oblitumque esse sui baptismi, in quo (quod ad ipsum baptismum attinet) peccatorum purgationem acceperat. Illi enim ab Ecclesia iudicantur peccatorum purgationem accepisse, qui baptismum susceperunt: tametsi sæpenumero contingat, vt multi aquæ baptismo baptizentur, sine baptismo Spiritus: per quem solius Spiritus baptismum, verè homo à peccatis purgatur. ijs igitur omnibus docet Petrus, veram fidem eos nunquam habuisse, neque peccatorum ablutionem verè accepisse, qui tales fructus non proferunt. Deinde mox docet Apostolus, qui habent hanc viuam fidem, illos non posse ampliùs ea excidere, dicens: Quamobrem magis fratres studete firmam vestram vocationem & electionem facere (nempe fidem viuam exercendo, & hos prædictos fructus proferendo.) Hæc enim si feceritis, non cadetis vnquam. Sic enim abundè subministrabitur vobis ingressus in regnum æternum Domini & Seruatoris nostri IESV CHRISTI. Quibus verbis tria docet Apostolus: vnum, certitudinem de nostra electione, & secundum propositum vocatione per Spiritum sanctum in animis nostris genitam, exercitio fidei viuæ, & bonorum operum, in nobis confirmari. Alterum, illos, qui in hoc studio se exercent, nempe fideles, immunes esse à periculo cadendi, & constanter in gratia Dei perstare: postremum, rationem, qua sancti in gratia & fide constanter perseuerant, hanc esse, quia Dominus nouas illis gratias perpetuò suggerit: & ita has suggerendo, subministrat illis ingressum in regnum æternum, vt ita liceat ex verbis Petri, hunc componere syllogismum. Quicunque sunt donati vera & viua fide: ij subministrant in fide virtutem, in virtute scientiam, &c. hoc est, in studio bonorum operum se exercent. Quicunque autem in studio bonorum operum se exercent: ij ita conseruantur in fide, vt & de sui electione & vocatione fiant indies magis ac magis certi, & extra periculum excidendi à gratia Dei, sint: Deo illis subinde nouas gratias suggerente, & in regnum Christi perpetuò ingressum subministrante. Ergo certo certius est ex doctrina Petri, quæ eadem est cum doctrina reliquorum Apostolorum & Prophetarum, Apostolum non sensisse, Electos fideles posse à sua fide prorsus excidere. Nam & quid Christus pro se & omnibus fidelibus rogasset, sciebat: & vim eius orationis expertus fuerat: dum sensit suam fidem fuisse quidem quatefactam, idque suo vitio, sed tamen non fuisse penitus extinctam, Deo illam sua gratia conseruante, ac custodiente. Non potest igitur ex hoc secundi capitis loco contraria doctrina colligi. Et certè nihil est, cur ex hoc loco inferri debeat, aut possit, Electos fideles à fide prorsus excidere posse. Etenim primò Apostolus hîc non loquitur de sanctis, aut de lapsibus sanctorum, qui etsi labuntur, à via tamen non recedunt: & lapsi resurgunt: sed loquitur de reprobis, & lapsu reproborum, cùm scilicet reiecto Christo, & eius Euangelio ad impietatem toti redeunt: quod non est, nisi ἀποστασία: de qua etiam suprà diximus, locutum esse Apostolum ad Heb. 10. Patet hoc tum inde, vbi ait, facta sunt postrema illius peiora prioribus: tum inde, Melius fuisset non nouisse viam iustitiæ, quàm ea cognita conuerti (hoc est, relabi) à sancto proposito: hoc est, à doctrina Euangelij deficere. Denique idem docent duo prouerbia, quæ subdit, quorum primum est, canis reuersus ad vomitum scilicet resumendum. Alterum: Sus lota, ad volutabrum cœni. De defectione igi-

tur

tur à doctrina Christi loquitur. Atqui talis defectio non cadit in sanctos: vt suprà diximus. non igitur iste locus pertinet ad sanctos. Hoc dictum Dominus etiam Philippus recitat, de ijs, qui tentati tentatione Diabolica, securi, sine vllo timore Dei peccant: in illud 1. Corinth. 10. Fidelis autem Deus: Hoc autem modo non peccant sancti: ij enim humana tantùm tentatione tentati, peccant, vt idem Philippus ibidem docet, sicut Dauid & Petrus. Ergo non pertinet ad verè sanctos & fideles.

At dices, Petrus ait ὄντως ἀποφυγόντας, idque per cognitionem Domini nostri Iesu Christi: indicat igitur eos, qui vera fide præditi, verè conuertuntur, posse ad pristinos errores, vt canis ad vomitum redire: atque ideò fidem amittere. Primùm quidem vetus interpres Latinus non habet verè, sed paululum: Sic etiam vertit Hieronymus Tom. 2. contra Iouinianum lib. 2. pag. 71. B. Ex qua lectione colligere est, exẽplar Hieronymi, & veteris interpretis habuisse ὀλίγον vel certè ὄτως, sic. Hæc autem particula ὄτως in Scripturis nonnunquam rem extenuat, & significat vtcunque: vt Iohan. 4. Iesus autem sedebat ὄτως sic, super fontem, h.e. vtcunq;, & meliori, quo poterat, modo sedebat: idque annotauit etiam Erasmus Roterodamus.

Robertus quoque Stephanus in suo nouo Testamento annotauit, in alijs exemplaribus Græcis loco ὄντως reperiri ὀλίγως, id est, propemodum, in alijs exemplaribus ὀλίγον, paululum: in alijs ὄτως, sic. & certè fuit facilis lapsus ex ὄτως in ὄντως: vna litera, υ, in alteram nempe in ν, mutata. Quare argumentum ex illa particula ὄντως petitum, firmum non est. Sed demus legendum esse ὄντως: ex illo tamen Apostoli loco, colligi non potest, eos, qui verè ab impietate ad pietatem, à regno Sathanæ ad regnum Christi per veram fidem conuersi sunt: posse à fide vera penitus excidere.

Apostolus enim non loquitur de vera & plena ab impietate ad pietatem conuersione, quæ fit per veram & viuam fidem Spiritusque sancti regenerationem: sed tantùm de conuersione non simulata, ab erroribus ad veram scientiam: quæ conuersio non semper secum adfert cordis renouationem, & regenerationem, sed sæpe in intellectu tantùm locum habet. Quot enim etiamnum sunt, qui relicto papatu & impia doctrina, piam religionem amplexi sunt, eamque intelligunt, & tamen nondum sunt regenerati, nec verè in Christum insiti? ij principium veræ fidei habent (principium enim fidei, est ipsa veritatis cognitio) sed nondum veram fidem. vera enim & iustificans fides, non tantùm est nuda veritatis cognitio, sed coniunctum habet assensum, πληροφορίαν, fiduciam, charitatem, & certam spem. Proinde etiam D. Philippus in Commentario in 1. Corinth. 10. cap. ea explicans verba: Ideò qui existimat, se stare, videat, ne cadat, cùm citat hunc locum Petri, sic ait, Quòd autem in aliquibus, qui initia fidei habuerunt (notandum, quòd non ait, qui veram fidem habuerunt: sed tantùm qui initia fidei: initia autem fidei sunt erroris positio, & veritatis cognitio) & postea lapsi non redeunt, fides illa priusquam excutitur, vera sit, dictum Petri testatur 2. Petr. 2. Quis non videat, quid hîc appellet veram fidem Philippus? nimirum id, quod ante appellauerat initia fidei: nimirum veritatis Euangelicæ cognitionem. Ac de vera quidem & iustificante fide Philippum non loqui: manifestum est, quia ait: Qui initia fidei habuerunt, & postea lapsi non redeunt. Est autem manifestum, eos, qui vera & iustificante fide præditi sunt, postquam lapsi sunt, redire & seruari: quia quos iustificauit, hos & glorificauit. Nomine igitur veræ fidei Philippus in hoc Apostoli dicto non intellexit, nisi initia veræ fidei, hoc est, ipsam veram veritatis Euangelicæ cognitionem, sed eam nudam & mortuam. Et de hac loqui Apostolum, manifestum fit ex verbis ipsius Apostoli: primò cùm ait, eos, qui verè aufugerant ab ijs, qui in errore conuersantur: hoc est, qui deseruerunt eos, qui versantur in errore: & consequenter

amplexi

amplexi sunt consortium illorum, qui versantur in veritate: ac proinde, qui errore deposito, amplexi sunt veritatem. Item cùm ait, satius fuisset illis non cognouisse viam iustitiæ, quàm illa cognita retrogredi à sancto præcepto, seu à sancta doctrina: Non ait, satius fuisset non habuisse veram fidem, aut verè credidisse, aut iustificatos fuisse, quàm postea à vera fide aut à iustitia defecisse: sed tantùm ait, satius fuisset non agnouisse viam iustitiæ, quàm illa cognita retrogredi à sancta doctrina. Nos autem non negamus multos, qui verè errores posuerant & veritatem amplexi fuerant, illos dedocti, & hanc edocti, postea à vera doctrina defecisse, seu deficere, & hoc modo fidem, id est, fidei doctrinam, vel principium fidei (vt loquitur Philippus) excussisse, atque excutere: sed non hinc sequitur, Ergo qui præditi fuerunt vera fide, ab ea prorsus defecerunt: Quia discrimen magnum est inter veræ fidei doctrinam, principiaque: & ipsam veram fidem. Hæc enim iustificat, illa autem non: Hæc inserit in Christum coram Deo, illa autem in facie tantùm Ecclesiæ. Summa: loquitur de illis, qui fidem habent temporariam: Quæ fides licet coram Deo sit reuera hypocritica (Sola enim iustificans fides est ἀνυπόκριτος, 1. Timoth. 1.) tamen ipsis, qui eam habent, & nobis, quibuscum illi conuersantur, videtur vera. Neque enim vel ipsi se, vel alij eos fidem simulare putant. Ideò spectato tum ipsorum, tum Ecclesiæ iudicio: dicuntur ὄντως credere: sed coram Deo οὐκ ὄντως credunt. Hoc est enim proprium Electorum tantùm, vt coram Deo ὄντως credant. Ijs similes fuerunt illi, de quibus Iohan. 2. multi crediderunt in eum: IESVS autem non se credebat eis: eò quòd nosset omnes, nec opus haberet, vt quis testimoniũ perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine: Quasi dicat: illi putabant se verè credere, sed Christus bene videbat, eos non verè credere: ideò non se credebat eis. Sed postremò demus intelligi de ijs, qui vera fide donati, verè ad Christum conuertuntur: tamen non inde sequitur, hos posse excidere prorsus à fide. Nam Apostolus ait δελεάζουσιν, non ait, quòd eos capiant: sed quòd inescent, seu escam illis ad capiendum præbeant, etiam multi pisces inescantur, seu esca captantur, sed non capiuntur. Non autem inficiamur etiam electorum fidem nonnunquam labefactari: sed conuelli prorsus ex illorum cordibus, pernegamus: neque id vel ex hoc, vel ex alio Scripturarum loco euinci potest.

5. Locus. Nam quòd postea afferunt ex Matth. 12. parabolam illam de immundo Spiritu: nihil eo facilius ad dissoluendum. Primùm hac parabola ipsos tantùm Iudæos perstrinxit. Hoc patet ex conclusione, quam infert Dominus, dicens: Sic erit generationi huic pessimæ. Voluit autem hac parabola concludere, Iudaicæ genti in vniuersum, extremum imminere exitium: Quare? non, quia semel iustificati, veraque fide præditi, postea fidem prorsus abiecerunt, & à gratia Dei exciderunt: sed, quia, cùm primùm legem accepissent, qua videbantur à Dæmone, qui reliquas omnes gentes captiuas tenebat, prorsus liberati, nec tamen eam seruauerant: Postea Euangelium etiam sibi per Filium Dei oblatum reiecerunt, imò illud agnitum impugnauerunt, & in Spiritum sanctum blasphemarunt: vt in eodem capite paulò antè Dominus concluserat. Quid autem hoc fuit? Fuit penitus renunciare Christo, & totos se consecrare Diabolo. Perinde ac si quis domicilium optimè præparet hospiti, vt ibi libentius & perpetuò habitet. Sic enim faciunt illi, qui veritatem cognitam, qua videbantur è Diaboli manibus liberati, postea oppugnant ex animo, illi in æternum renunciando, Sathanæ autem mendacijs adhærendo. Hæc fuit mens Christi in illa parabola, id quod patet, si quis omnia diligenter perpendat. Neque aliter interpretatus est locum hunc Bucerus, quem cupio legi. Quare apparet clarè, locum hunc nihil planè facere aduersus meam thesin: quasi qui semel donatus vera fide, & verè à Diabolo liberatus est: possit deinde fidem amittere & in manus Diaboli penitus tradi, vt in æternum cum eo pereat: cùm nihil minus

quàm

quàm hoc, ex hoc loco Matth. concludi possit. Loquitur enim Christus, de ijs, quorum postrema fiunt peiora prioribus: hoc est, qui omnino perditi fiunt, & pereunt desperati: qui autem fide vera præditi sunt Electi, perditi omnino non sunt, nec perire possunt desperati. Nihil minus igitur concludit Christus, quàm verè fideles à fide prorsus excidere, ideoque perire posse. Philippus etiam Melanchthon in 1. Corinth. 10. Fidelis autem Deus, fol. 45. hoc dictum Matth. 12. recitat de ijs, qui tentati tentatione Diabolica, ideoque ab illa superati, peccant securi, sine vllo Dei timore, ac proinde ex contemtu: quod peccatum ipse alibi vocat peccatum contra conscientiam. Non igitur intelligitur de ijs, qui peccant tentati humana tentatione, ideoque non ex contemtu Dei, sed ex infirmitate, & ignorantia: in quorum numero ponit Philippus Dauidem, &c.

In exemplo Ecclesiarum Galatiæ duo habent loca. ex Epistola ad Galatas, cap. 3. vnum. Num sic stulti estis, vt cùm Spiritu cœperitis, nunc carne consummamini? Alterum: excidistis à gratia, quicunque in lege iustificamini. *6. & 7. Locus.*

Respondeo: Quod ad primum attinet, παραλογισμὸς ἐστὶν ὁμωνυμίας, in nomine Spiritus. Nam accipiunt Spiritum pro Spiritu sancto, hoc est, regenerationis: cùm tamen aliter interpretes illum accipiant. Scholiastes Græcus Spiritum accipit pro efficacia Spiritus in miraculis efficiendis: carnem verò pro circumcisione in carne. Πνεύματι δὲ πεπλουτοῦντο σημεῖα ποιοῦντες: σαρκὶ δὲ ἀσθενοῦμενοι. Ipse etiam Ambrosius sic interpretatur. Nomen enim Spiritus accipit pro donis Spiritus sancti, quibus visibiliter fideles tum donari solebant. Ad rudimenta enim (inquit) fidei commendanda, donum Dei hoc manifestabatur hominibus: & sic interpretatur illud, Galatas accepisse Spiritum sanctum ex auditu fidei, & non ex operibus legis. Postquam autem redierunt ad legem, ait eos perdidisse hanc Spiritus Sancti gratiam: & hoc esse, Spiritu cœpistis, nunc carne consumamini. Eodem modo interpretatur Chrysostomus. Talia autem dona Spiritus sancti donantur etiam reprobis, non verè iustificatis: vnde illud, Multi dicent, nônne in nomine tuo dæmonia eiecimus? quib⁹ Dominus dicet non noui vos. Accipi verò etiam potest pro doctrina Spiritus, h.e. Euangelij, sicut etiam 2. Cor. 3. ad prædicationem enim Euangelij, Sp. Sanctus datur credentibus. Hæc doctrina Spiritus, seu Euangelij, tradit hominem iustificari fide sola in Christum, sine operibus legis. Hanc verò amplexi fuerant initiò Galatæ à Paulo prædicatam, & ideò dicuntur Spiritu cœpisse: sensus est: Ecclesias illas fuisse initiò bene institutas, iuxta Spiritualem Euangelij doctrinam. Nomine verò carnis intellexit Apostolus carnalem sapientiam, & doctrinam, quę tradebat hominem non iustificari sola fide, sed etiam ex operibus legis. Iustitia igitur legis, quam carnalis Pseudoapostolorum sapientia prædicabat, & vrgebat, caro (vt etiam Lutherus ait) hìc appellatur. Cùm igitur Ecclesiæ Galatarum, post Apostoli discessum incepissent spiritualem Euangelij doctrinam, quæ in sola Christi fide iustitiam collocabat, paulatim reijcere, & contrà, carnalem pseudoapostolorum doctrinam, quæ in legis operibus statuebat iustitiam, amplecti: Apostolus ait illos cœpisse Spiritu, &, nunc carne consumari: hoc est, bene cœpisse, & pessimè finire. Hoc autem dicit in vniuersum de Ecclesijs Galatiæ, non autem de singulis fidelibus, qui vera fide Euangelium amplexi fuerant. Quis autem neget multas Ecclesias, imò multos priuatos ac singulares homines, initiò quidem Euangelij doctrinam amplecti: deinde verò illam reijcere? Verùm quæstio nostra est, an qui vera fide semel Euangelium amplexi sunt, postea fide prorsus amissa, illud quoque penitus reijciant nec ne. Hoc pernegamus: & præsens Apostoli locus, vt manifestum est, contra nos minimè facit. Nec mihi aliter sensisse videtur Theodoret. cùm ait in scholijs Græcis, πνεῦμα μὲν τὴν χάριν ἐκάλεσε, σάρκα δὲ τὴν ἐκ νόμου πολιτείαν. Opponit hìc statũ legis, statui Euangelij: hunc χάριν, illum, πολιτείαν ἐκ νόμου appellans.

Status

Status gratiæ, est status libertatis: legis verò status, seruitutis. Sensus igitur Apostoli erit: sic stulti estis, vt cùm cœperitis esse liberi, & in statu libertatis: nunc ad statum seruitutis redeatis: & ibi consumemini? Sed postremò etiamsi accipiatur Spiritus pro Spiritu regenerationis: nihil tamen contra nostram thesin concluditur. Nos enim loquimur de illis, qui verè sunt per Spiritum sanctum regeniti; hîc autem Apostolus loquitur de illis, qui initium tantùm aliquod Spiritus regenerationis, vel potiùs operum Spiritus regenerationis acceperunt, dicens: Spiritu incepistis. Nos autem non negamus, quin ij talem Spiritum, seu huiuscemodi regenerationis initia prorsus amittant. De ijs enim loquitur Apostolus ad Hebr. 6. impossibile est eos, &c. Tales sunt illi, de quibus Matth. 13. qui verbum cum gaudio accipiunt, & aliquam fructuum spem faciunt: sed postea aresçit illorum herba, cùm non habeat radices, hoc est, cùm talis spiritualis & cognitio & gustus non penetret vsque ad cor, quia scilicet non sunt regeniti: ac proinde Dominus vocat eos προσκαίρους. Horum autem fides & pietas, non est vera vel fides vel pietas, vt Bucerus & alij testantur. Nihil igitur hic Pauli locus ad Galatas, contra perseuerantiam sanctorum concludit.

Quòd ad alterum attinet locum, Gratia excidistis, quicunque in lege iustificamini: idem dico. Nomine gratiæ intelligitur doctrina gratiæ, seu Euangelij: Nomine verò gratiæ, sæpenumero in Scripturis venire doctrinam Euangelij, ipse quoque Lutherus testificatur: & sic illud Apostoli, obsecro, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, interpretatur, dicens, illos in vacuum gratiam Dei recipere, qui verbum quidem, quo gratia offertur, audiunt, hoc est, auribus recipiunt; interim tamen nullo studio amplectuntur, nihilque per illud vita immutatur: In Postill. fol. 213. Quid igitur est, à gratia excidistis, quicunque in lege iustificamini, nisi quicunque quæritis iustitiam in lege, non contenti iustitia fidei: prolapsi estis ab Euangelio ad legem, à doctrina & statu gratiæ ad doctrinam & statum legis? Multos autem recipere doctrinam Euangelij, deinde ab ea deficere, negare non possumus. Sed quæstio est, quinam hoc faciant: illine qui vera & solida fide Euangelium amplexi sunt, an verò qui simulata, quique videntur esse in gratia Dei & non sunt? Dico hoc fieri ab hypocritis ex animo: ij verè renuntiant Euangelio, & ita verè à gratia Dei (in qua scilicet, dum Euangelium gratiæ profitentur, esse etiam videntur) penitus excidunt. De pijs verò dico, nonnunquam contingere, vt etiam aliquis verè pius, Euangelio renuntiet, sed tantùm vel ex ignorantia, vel ex infirmitate: ex animo autem nunquam: Atque ita pij nunquam verè à gratia Dei excidunt. Ex infirmitate Petrus renunciauit Christo: at non ex animo, vt ostensum est, & omnes Patres confirmant. Concedo etiam inter Galatas nonnullos fuisse verè pios, qui seducti putabant ex ignorantia, opera legis ad salutem fuisse necessaria. Ij etiam dicuntur excidisse à gratia, id est, à doctrina Euangelij defecisse, sed non prorsus, & ex animo. ideoque non propriè & verè exciderunt. Quare apparet locum etiam hunc frustrà ab aduersarijs, contra nostram de perseuerantia Sanctorum in fide doctrinam afferri. Si quis velit tamen nomen gratiæ propriè accipere pro ipsa iustificante gratia: sensus erit: si quæritis iustificari per legem, à gratia excidistis: hoc est, nihil vobis ampliùs negotij erit cum gratia Euangelij, & ea nihil vobis proderit: vt idem hìc dicat Apostolus, quod paulò antè dixerat, si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit: Item euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Hæc Apostolus. Quid est euacuati estis à Christo? Græcè est, κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ χριστοῦ: Quasi dicat: Christus factus est vobis otiosus, seu inanis, & inutilis. Est enim idem, quod antè dixerat, Christus vobis nihil proderit. Idem igitur significat etiam hæc locutio, quæ immediatè sequitur, à gratia excidistis, hoc est, gratia Euangelij & Christi fit vobis inutilis. Nam qui iustificari volunt per legem,

non

non possunt iustificari per gratiam. Ceterùm hinc non sequitur concluſisse Apostolum, eos, ad quos dirigit hunc sermonem, fuisse prius in gratia, & per illam verè iustificatos, deinde ab illa excidisse. Videbantur quidem esse in gratia, dum Euangelium purum amplexi sunt sine lege: sed cùm relapsi ad legem, voluerunt per legem iustificari, exciderunt à gratia, id est, agniti fuerunt non fuisse verè in gratia: nec ex animo doctrinam gratiæ amplexi. Docet igitur potiùs, quid consequatur illos, qui volunt iustificari per opera legis, quàm quid Galatis contigerit. Quare hic locus minimè concludit, eos, qui prius fuerunt in gratia Dei: postea ab ea prorsus excidisse.

Refutatio trimembris partitionis eorum, qui fide iustificati dicuntur.

OBSERVANDVM autem est (inquiunt) in his exemplis triplicem esse formam fide iustificatorum. Aliqui enim fide semel iustificati, & regenerati per Spiritum sanctum, in ea perdurant vsque in finem: quorum pauci inueniuntur. Exemplo nobis est ipse Paulus, qui de se 2. Timoth. 4. ait, Bonam militiam certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod superest, reposita mihi est iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iustus iudex, &c. Hic igitur continuauit curriculum, donec peruenit ad metam.

Deinde sunt alij, qui quidem etiam fide iustificantur & regenerantur: sed postea peccatis contra conscientiam admissis, fidem amittunt, Spiritum sanctum excutiunt: sed isti cùm vident se cecidisse, non perseuerant: resurgunt autem, & agunt pœnitentiam. In ijs fides per prædicationem pœnitentiæ iterum accenditur, & ita fiunt à nouo vasa misericordiæ, templa Spiritus sancti. Tales fuerunt Adam, Patriarchæ, Dauid, Petrus. Et horum caussa instituta est in Ecclesia prædicatio pœnitentiæ.

Tertiò sunt alij, qui vtcunque sint regeniti, iustificati & sanctificati: tamen postea cùm contra conscientiam ruunt in peccata, in ijs furenter perseuerant, & moniti non resipiscunt. Itaque cùm non resurgant, & in malo perdurent vsque ad extremum vitæ halitum, pereunt & abijciuntur in æternos cruciatus. Hæc omnia illi.

Respondeo: De primo genere, non contendo: tantùm illud dico, quod ad paucos quosdam restringunt, me ad omnes verè fideles, veraque fide præditos, & coram Deo iustificatos extendere: quoniam licet in itinere ad cœlestem patriam, alij sæpius & grauiùs labantur, à via tamen non recedunt, & lapsi resurgunt: & ita iter susceptum continuant.

De secundo, Non concedo quempiam ex verè iustificatis, & renatis, aut peccare ex destinata malitia totoque corde, id quod est propriè peccare contra conscientiam, seu verè pleneque scientem ac volentem peccare: aut fidem prorsus amittere, & à Spiritu sancto penitus deseri: vtrunque enim suprà demonstratum est, pugnare cum sacris literis, pijsque doctoribus. Quòd horum etiam tantùm caussa, instituta sit prædicatio pœnitentiæ, ineptè dicitur: quasi verò aliqui ita sancti sint in hac carne, vt non peccent: & ideò non opus habeant pœnitẽtia, & peccatorum remissione. Sed illud prorsus est intolerabile & blasphemum: quosdam esse renatos & verè iustificatos, vereque in Christum credentes, qui in peccatis furenter perseuerent, nunquam resipiscant, & in æternum ruant exitium. Quid enim hoc aliud est, quàm totum Euangelium euertere, & Apostolos, Christumque ipsum mendacij accusare, qui contrarium planè docuerunt?

1. Qui credit in me (inquit Christus) habet vitam æternam. Quomodo æterna fuerit, si pereas? At æterna fuerit etiam mihi, si æternùm credam. Verùm, si ad tempus credas, vera fides non est, sed temporaria: temporarij autem nunquam apprehendunt vitam æternam.

2. Illi soli certè vera fide credunt, qui præordinati sunt ad vitam æternam, vt Act. 13. legimus. Quomodo igitur aliquis verè credens, in æternum ruere exitium potest?

3. Quid Apostolus ad Romanos 8? quos iustificauit, hos & glorificauit: nemo igitur iustificatus, æterno exitio inuolui potest. Neque valet glossa tua, hos glorificauit, qui manserunt in finem vsque iustificati, & iustitiam non amiserunt. Hoc est enim τὸ κεκνόμενον: An qui Electi & iusti sunt, iustitia prorsus excidere possint & æterna morte damnari. Tu ais: Ego nego cum Apostolo: Audi & Bucerum in Luc. cap. 1. pag. 541. Vera iustitia non est, quæ finem nouit. Catena Apostoli indissolubilis est, ita vt de quocunque dici potest: Hic iustificatus est, de eodem omnino pronuntiandum sit, hic igitur glorificabitur: Et contrà, Hic non est glorificatus, sed in æternum ruit exitium: Ergo idem nunquam fuit iustificatus.

4. Quid Dominus? Iohan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, & nemo potest eas rapere de manu mea. Concludit Dominus fieri non posse, vt qui sunt oues Christi, pereant, & in æternum ruant exitium. Quicunque autem credunt in Christum, & iustificati sunt per Christum: oues Christi sunt. Quomodo igitur fieri potest, vt qui credit in Christum, & iustificatus est: in æternum ruat exitium.

5. Iohan. 17. Orat Dominus pro omnibus, qui in se crediturierant, & ait, se velle vt ibi sint, vbi est ipse: item vt videant gloriam, quam sibi dederat Pater. Christus autem non ruit in æternum exitium: sed in beata est vita. Quotquot igitur credunt in Christum, æterna cum Christo vita perfruantur, necesse est.

6. Postremò, doctrina hæc aduersariorum pugnat cum doctrina ipsius Lutheri & omnium, qui Euangelium sincerum docuerunt. Etenim præter alia loca, Lutherus Tom. 5. in 17. Iohan. fol. 194. contendit eos, qui ad Euangelij participationem venerunt, & verbum Christi seriò amplexi sunt, certò esse ex Electis, qui Christo dati sunt: neminem enim venire ad Christum, & credere Christo, nisi ex electis sit. Qui autem (inquit) illi dati sunt, eos probè custodiet cauebitque ne quisquam ipsorum pereat: Sicut ipse Iohan. cap. 6. ait, Hæc est voluntas eius, qui misit me, Patris, ne quid perdam ex omnibus, quæ dedit mihi. Et mox in ipso capite 17. Quos dedisti mihi, Ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius ille perditus: & Iohan. 10. vbi loquitur de ouiculis, vocem ipsius audientibus, sic inquit, Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea. Hæc Lutherus. Sensit igitur Lutherus cum Scripturis, eos qui semel vera fide in Christum crediderunt, & iustificati sunt: non posse ampliùs perire. Eadem est doctrina Buceri, adde Augustini, & Patrum omnium: imò & Aquinatis, omniumque sanorum scholasticorum.

Neque verò hìc mihi obstrepas, Ergo tu vis eos seruari, qui in peccatis contra conscientiam furenter perseuerant, & in ijs perdurant, vsque ad extremum vitæ halitum? Minimè verò. Nam ego quoque hos doceo damnari: & quis id neget? Sed contendo, hos nunquam fuisse coram Deo iustificatos, nunquam ex animo Christo adhæsisse, aut vera in Christum fide credidisse: sicut & Lutherus ait de Iuda in caput 17. Iohannis. Qui verò iustificati sunt, hos concludo in extremum exitium ruere non posse: Sed vt glorificentur in cœlis cum Christo, esse perneceſſarium: quia quos iustificauit, hos & glori

glorificauit, ait Apostolus: ac proinde hos peccata contra conscientiam, hoc est, ex destinata malitia, non admittere, & multò minùs in ijs hærere, ac perseuerare posse: sicut & Scripturæ (vt antè ostensum est) docent, & Protestantes in disputatione Ratisbonensi confitentur. Quid igitur pugnantius cum doctrina salutis dici potest, quàm esse quosdam iustificatos, qui tametsi initiò fidem habuerint, tamen postea in peccata contra conscientiam ruant, & in ijs vsque ad extremum vitę halitum, perseuerent: & proinde hos perire, & in æternos abijci cruciatus?

Ad argumenta tertiæ Classis: hoc est, ad autoritates Doctorum virorum nostri seculi, & Confessionem Augustanam: Responsio.

IN tertia classe argumentorum contra perseuerantiam Sanctorum, continentur aliquot quorundam nostri seculi Doctorum virorum sententiæ: quæ cum doctrina de perseuerantia Sanctorum pugnare videntur. Ac primo quidem loco citant ex Reformatione Coloniensi, quæ per Bucerum, consentiente & approbante Philippo conscripta fuisse creditur, loca tria. Primus locus est in cap. de bonis operibus, quæstione quarta, vbi sic legimus.

Tertia prorsus necessaria caussa bene operandi est, quòd fieri non potest, vt absque solida ad Deum conuersione consistat fides vera, & certa in Christum fiducia, aut cum peccatis, quæ admittuntur contra conscientiam. Hæc ex ipsa fidei natura perspicua sunt. Fides enim talis assensus Euangelij est, ex quo firma existat fiducia misericordiæ Dei, promissæ propter Christum. Huiusmodi autem fiducia cum proposito peccandi, in quo manifestus est contemtus Dei, & indubitata iræ Dei prouocatio: consistere non potest. Ex hac fidei & peccati inter se repugnantia, Paulus dixit, quicquid ex fide non est, peccatum est: significans eam esse fidei naturam, vt ex se bona opera producat. Quare cùm peccatur, vt id aliena fiducia fit: ita fiducia in Christum repellitur, & gratia atque æterna vita abijcitur: & actum est de salute hominis, nisi recepta fiducia Christi, & depulsa omni aliena fiducia, homo se Deo in obedientiam penitus restituat.

Respondeo: Bucerum non sensisse, eum, qui vera fide donatus est, posse à fide prorsus excidere, manifestum est ex ijs, quæ antea ex eius libris, de quibus nulla est dubitatio, retulimus. Non est autem putandum, illum secum pugnantia scripsisse. Loci igitur qui recitantur ex Reformatione Coloniensi, contra nostram Thesin, quæ omnino est doctrina Buceri, nihil planè concludunt. Tantùm restat, vt illi loci dexterè explicentur: ita, vt cum superioribus nihil pugnare, manifestè appareat. Quod igitur attinet ad hunc primum locum, nihil aliud concludit, nisi id quod nos initiò, cùm responderemus ad argumenta primæ classis, è Scripturis, Patribus & Protestantibus demonstrauimus: nimirum hanc esse veræ fidei naturam, vt sit viua: ideoque vt peccatum contra conscientiam, & hæc fides, simul consistere non possint: ac proinde qui vera fide prædíti sunt, eos peccata contra conscientiam, & ex animo non admittere. Peccata enim ex animo detestantur: etiamsi aliquando contra animi & Spiritus propositum in varia & grauia labantur peccata: sicut contigit Dauidi, & Petro & alijs. Hoc igitur dicere voluerunt illius libri autores. At subdit, inquies, dicens: quare cùm peccatur, vt id aliena fiducia fit: ita fiducia in Christum repellitur, & gratia atque æterna vita abijcitur, & actum est de salute hominis, nisi recepta fiducia Christi, & depulsa omni aliena fi-

ducia, homo se Deo in obedientiam penitus restituat. Docet igitur ijs verbis, homines renatos posse contra conscientiam peccare, & ita fiduciam Christi repellere, atque gratiam & æternam vitam abijcere, & recipi posse fiduciam, seque homines Deo in obedientiam restituere: quare & excidere gratia posse, & non semel dari fidem, sed sæpius, &c.

Respondeo: Primò liber non ait, Quare cùm peccatur à verè fidelibus: sed tantùm cùm peccatur. Potest autem & debet referri ad simulatè fideles, si illud peccatur, accipiatur pro peccare contra plenam conscientiam, seu plena & tota voluntate. Hoc enim modo non peccant verè fideles. Proinde illud, fiducia Christi repellitur, & gratia abijcitur, intelligitur non de vera fiducia, sed de temporaria, & ideo non vera; seu de ea, quam habere videntur falsi fideles, & non habẽt: de qua & Christus, Habenti dabitur, ei autem, qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur ab eo. Ait primò, qui non habet: non igitur verè habent gratiam ij temporarij. Deinde ait, etiam quod videtur habere, auferetur ab eo: videntur igitur habere veram fidem, sed non habent, sed tantùm temporariam: ideò etiam hęc tandem illis auferetur. De ijs loquitur etiam liber hoc in loco: Proinde cùm postea ait, Actum est de salute hominis, nisi recepta fiducia Christi, homo se Deo in obedientiam restituat: Docet necessarium esse ijs hypocritis, si velint seruari, vt recipiant fiduciam (scilicet veram & viuam, quæ est perpetua.) Et ita se per hanc viuam, & perpetuam fidem Deo in obedientiam restituant. Quis hoc neget? & quid hoc aduersus nos facit, qui de veris sanctis, veraque fide prędita disputamus? Quòd si quis etiam locum hunc accipere velit de verè sanctis, vereq; fidelibus: nihil etiam concludit contra nostram thesin. Primò enim simpliciter ait, cùm peccatur, non ait, contra plenam conscientiam: nos verò non negamus etiam à verè fidelibus peccari, & quidem contra conscientiam quodammodo, id est, ex consensu, sed non pleno, nec plena voluntate, aut ex studio, vt loquitur D. Gregorius: succumbunt enim sancti nonnunquam in pugna, vt quod nolunt velint & agant: Rom. cap. 7. Secundò cùm ait, fiducia repellitur, non addit, prorsus: nos autem non negamus, quin etiam in sanctis, cùm peccant, præsertim ex consensu, fiducia repellatur, nempe partim: hoc est, fidei flammæ suffocentur, etiamsi non totus ignis fidei extinguatur. Proinde tertiò cùm ait, actum esse de salute hominis, nisi recepta fiducia Christi, homo se in obedientiam Deo restituat penitus, nihil concludit aduersus nos. Nam fatemur, cùm ita peccant sancti, nisi redeant ad Deum, recepta etiam illa, quæ amissa fuerat, fiducia, hoc est, fidei flammis iterum accensis: actum de ijs esse. Paulatim enim totus ignis extingueretur, nisi flante Spiritu sancto, & subiectis lignis verbi diuini, iterum accenderetur. Sed hoc non contingit Electis. Deus enim iterum flammas fidei in eis excitat. Apparet igitur nihil aduersus nos facere hunc locum: siue de hypocritis, siue de veris fidelibus intelligatur.

Alter locus est desumtus ex eodem capite de bonis operibus, quæstione quinta. Sciendum (inquit) igitur est, esse peccatum contra conscientiam, hoc est, quod quis sciens & volens admittit: illud in sanctis locum non habet: & si tale aliquod peccatum designent, gratiam Dei, fidemque abijciunt, & Spiritum sanctum à se repellunt, atque desinunt sancti esse, & accepti Deo. Hoc clarè testantur illa Spiritus sancti oracula 1. Corinth. cap. 7. & Gal. cap. 5. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt: & 1. Iohan. 3. Filioli mei, nemo vos seducat, qui facit iustitiam, iustus est, qui verò peccatum facit, ex Diabolo est. Quapropter & Paulus 1. Timoth. 1. ait, Summa præcepti est dilectio, ex corde puro, conscientia bona, & fide non simulata. Item pòst, retine fidem & bonam conscientiam. Ex his manifestum est, in reconciliatis Deo, necessariam esse bonam conscientiam. Quare qui contra conscientiam peccat, excidit gratia & iustitia. Ad hoc genus peccati pertinet

pertinet etiam affectata ignorantia: qualis est Ethnicorum, & Pharisæorum, qui prædicatum à Christo & Apostolis Euangelium reiecerunt, & ignorare voluerunt. Et omnibus temporibus multi talium hominum sunt, qui de Christo saluatore, neque audire neque cognoscere volunt, & vocem Dei de cœlo sonantem, Hic est Filius meus dilectus, hunc audite, planè contemnunt. Tales sunt hodie & Iudæi, & Mahometistæ, & alij multi inter aduersarios Euangelij: qui simulant se non intelligere Euangelium, cùm tamen neque audire, neque in animum illud admittere velint. Hæc ibi.

Sed quid hoc loco clarius pro mea sententia? Si in sanctis hoc peccatum contra conscientiam locum non habet, & hoc solo exciditur à fide: Sancti igitur non excidunt à fide. At dices: Subdit, & si tale aliquod peccatum designent: gratiam Dei fidemque abijciunt: Respondeo: Si peccatum contra conscientiam accipias pro peccato, quod plena voluntate fit, quod etiam appellatur vastans conscientiam: cùm linea præcedenti dixerit, hoc peccatum locum non habere in sanctis, fieri non potest, vt modò ijs alijs verbis contrarium inferre velit: nimirum posse hoc peccatum à sanctis admitti. Alioquin enim pugnaret secum in duabus lineis, & perinde esset, ac si dixisset, habet locum in sanctis, & non habet locum in sanctis. Quid igitur? Locutio est conditionalis, qua ostendit, si per concessionem (id quod non conceditur) aliquando tale peccatum admitterent: profectò fidem abijcerent: quare? quia non possunt consistere peccatum tale, & vera fides. Nihil igitur concludere voluit liber, nisi peccatum contra conscientiam non posse consistere cum fide: quare non habere locum in sanctis. Est illa locutio similis huic, Deus non potest peccare: & si peccaret, desineret esse Deus. Consequitúrne hinc, Deum igitur posse peccare, & proinde posse desinere esse Deum? Imò contrà, locutio hæc, quia impossibile est Deum desinere esse Deum: confirmat etiam Deum non posse vllo modo peccare. Nihil igitur isti duo loci euincunt contra me: sed potiùs stant à mea sententia: concludunt enim in sanctos verè fideles non posse cadere peccatum contra conscientiam. Hanc verò fuisse autoris mentem, docent Scripturarum testimonia, quæ subiicit: vt illud Apostoli: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt: id est, declarant se non esse ex electis, neque ex efficaciter vocatis, neque ex iustificatis, ad quos solos pertinet glorificatio. Illud quod citat ex 1. Iohan. 3. tollit omnem dubitationem. Filioli, nemo vos seducat: Qui facit iustitiam iustus est: qui verò peccatum facit, ex diabolo est: hoc est, ille tantùm verè iustus esse agnoscitur, qui facit iustitiam, seu qui studet operibus iustitiæ faciendis: Ille verò qui facit peccatum (non faciunt autem peccatum renati, quia hoc est peccare tota voluntate & ex animo) verè declarat se non esse iustum, aut natum ex Deo, sed iniustum & ex Diabolo natum. Sed quid plura? Conclusio libri docet, quid sibi voluerit: Ex ijs (inquit) manifestum est, in reconciliatis Deo, necessariam esse bonam conscientiam. Quid est hoc, nisi, nemo reconciliatus « Deo verè est, qui non habeat bonam conscientiam? Omnes igitur reconciliati « Deo, bonam conscientiam habeant, necesse est. Sed verba quæ sequuntur, perspicua sunt, nisi quis velit esse contentiosus. Hactenus (inquit) de peccatis eorum, « qui non manent in gratia Dei, sed faciunt se talia peccata admittendo, obnoxios « iterum iræ Dei. Interim tamen & in ijs, qui sunt in gratia, & sunt reconciliati, « hæret ingens naturæ corruptio, infirmitas, & mala concupiscentia, vnde perpetuò « plurimi vitiosi affectus oriuntur. Dum autem sancti illis vitiosis motibus resi- « stunt, petunt à Patre cœlesti eos sibi condonari propter Christum, & credunt hanc « infirmitatem, atque affectus hos vitiosos remitti sibi propter eundem Christum, « hi retinent gratiam, fidem, & Spiritum sanctum, manent iusti, accepti Deo, sancti « & hæredes vitæ æternæ, sicut Paulus Rom. 7. & 8. præclarè docet, testificans nullam «

„ illis damnationem esse, qui sunt in Christo Iesu; qui non secundum carnem, sed se-
„ cundum Spiritum ambulant. Hæc ibi.

Nunc quæstio de istis est: An dum secundum Spiritum ambulantes, à carne impulsi, in eius opera, ceu in lutum, contra suum primum animi propositum, sed non tamen sine aliquo consensu, de improuiso labuntur, vt Petro contigit, isti propter tales lapsus, omnem penitus amittant fidem, & gratia Dei prorsus excidant: & an inter impios hypocritas, qui nullam veram habent fidem, an verò inter pios, sed infirmos, & qui se, propter Christum, filios Dei, quanquam peccatores esse agnoscunt, connumerandi sint, nec ne connumerandi: Quid enim, si cum carne certando, non-nunquam succumbant? num propterea desinunt esse pij & filij Dei? Hoc certè non docet Reformatio, multò minùs Scriptura: quando isti & antequam peccent, in animo non habent peccare: & dum peccant, non toto animo peccant: & post peccatum, mox admissum peccatum detestantur, non alia de caussa, quàm quia legem Dei transgressi sunt: & diligentiùs, quàm antea, ne denuo in peccata labantur, cauent: Sicut & Dauidem & Petrum & alios fecisse legimus. Annon verò hęc manifestissima sunt veræ regenerationis testimonia?

Postremò illud addo: si liber ijs verbis concludit, posse eos, qui credunt, excidere prorsus à fide: concludit de ijs, qui habent fidem temporariam, ideoque non veram: hos à fide tandem excidere non solùm concedimus, sed edocti à verbo credimus & profitemur: idque quia etiam eosdem nouimus ex verbo Dei peccare contra conscientiam, seu facere peccatum. Ceterùm de verè sanctis, qui vera fide præditi sunt, contrarium concludit: eos scilicet neque peccare contra conscientiam, peccaréue ex destinata malitia, & ideo neque prorsus excidere à fide, & à gratia. Hoc ita esse manifestum est ex Testimoniis, quæ ego antè propè infinita citaui. Legantur, quæ Bucerus scripsit in tres postremos versus Psal. 80. Ex eodem Spiritu (inquit) & illud erat, NON DEFLECTEMVS A TE: obsignati siquidem sunt huiusmodi, Spiritu filiorum Dei: vnde deficere ab ipso nunquam possunt. Hæc ille.

Atque hæc esto responsio ad hunc Reformat. Colon. locum, si de peccato propriè, & plenè contra conscientiam intelligatur: Si verò de peccatis, quæ admittunt sancti, respondeo id, quod etiam ad alterum locum respondi: eo modo abijciunt fidem sancti, quo modo peccant. Atqui peccant non plenè contra conscientiam, seu non plena voluntate, sed ex parte, quia pugnando succumbunt: quemadmodum & de continente non dissimilia scripsit Aristoteles. Igitur amittunt fidem non penitus, sed ex parte, hoc est, fidei feruorem reprimunt, seu suffocant, non autem totum fidei ignem extinguunt.

Tertius locus ex Reformat. Colon. est in cap. de conuersione à peccatis. Sic autem habet. Vehementer dolendum & deplorandum est, tantam esse humanam infirmitatem, & Diaboli potentiam: vt tam multi ex eis, qui in filios Dei adoptati sunt, ab inchoata obedientia Dei, adeò facilè recidant, & perceptam gratiam, & Spiritum sanctum reijciant: ingrati erga Deum suum, quem tam impiè offendunt; & erga seruatorem suum Christum, quem adeò insanè repellunt: erga Spiritum sanctum, quem tam perfidè contristant: pernicioſi quoque in seipsos: Nam iram Dei in se prouocant.

Respondeo: Deplorat humanam infirmitatem: quòd scilicet tanta sit vis peccati, vt non solùm illi, qui sunt extra Ecclesiam, & expertes fidei, & cognitionis Christi, toti sint serui peccati, atque ideò perditi: Sed etiam multi ex ijs, qui sunt in Ecclesia adoptati in filios Dei, & participes facti Spiritus sancti, ab inchoata tamen obedientia deficiant, & Spiritum sanctum excutiant. Pastoribus igitur curan-

curandum, vt quotidianis exhortationibus & admonitionibus ad populum, suos ad pœnitentiam excitent, & in timore Dei retineant. Loquitur igitur hìc in genere de tota aliqua Ecclesia. In Ecclesia autem sunt & Electi, & hypocritæ: qui omnes adoptati in filios Dei, & Spiritu sancto donati esse dicuntur: Sed non eadem planè ratione. Illi, verè in filios Dei adoptati, & filij Dei effecti sunt coram Deo: isti verò non verè, sed tantùm coram Ecclesia; quæ non est καρδιογνώστης, vt Deus, sed tantùm ab externa & confessione & vita, homines iudicat: ac proinde secundum iudicium charitatis omnes, qui dant nomen Christo, & baptizantur in nomine Christi, & externa etiam tum fidei confessione, tum inchoata legis obedientia se in Christum credere profitentur, filios Dei, renatos per Spiritum sanctum, & iustificatos appellare solet: vt antea exemplis Scripturarum demonstrauimus. Cùm igitur diuersa ratione Electi & hypocritæ, adoptati in filios Dei, & regenerati dicantur: diuersa etiam ratione peccant, atque ab inchoata obedientia deficiunt: Electi verè pij, ex parte, non in totum, neque plena voluntate: & ex infirmitate potiùs, quàm ex animo, & ex studio: Impij verò hypocritæ ex animo & plena voluntate peccant & deficiunt: ac proinde diuerso etiam modo Spiritum sanctum contristant, & excutiunt. Impij prorsus, & in totum: pij ex parte, vt suprà explicatum est, nempe quo ad quosdam Spiritus sancti motus in mente, & in corde excitatos: quos pij excutere dicuntur, cùm illis non prorsus obtemperant. Ita neque inficiamur in ipsis quoque sanctis, cùm peccant, præsertim ex consensu, vt fecit Dauid, & Petrus, inuocationem impediri: quatenus scilicet suo peccato confusi, non ita, vt antèa, audent oculos in Deum attollere, & eum, vt patrem inuocare: sed non ideò tamen concedimus omnem penitus inuocationem eis eripi: sicut etiam non damus omnem penitus fiduciam in Sanctis amitti.

De vtrisque autem in genere, Electis, & reprobis loqui autores Reformationis, liquet primò ab exemplis duobus, Dauidis, & Saulis: quorum alter electus verè pius alter reprobus hypocrita. Deinde quod aiunt: Non omnes lapsi, permoueri se patiuntur, vt ad Deum redeant: istud de reprobis intelligitur. Ideò autem isti non redeunt ad Deum per pœnitentiam, quia extincta in illis prorsus est omnis, etiam illa temporaria fides, qua præditi erant. Electi verò redeunt: quia in eis remansit semper fides, parens pœnitentiæ: idque in profundo cordis, tanquam ignis sub cineribus, qui ad prædicationem pœnitentiæ ceu efflatis cineribus, & adiectis lignis iterum in flammas erumpit, & vsque ad Deum corrapit, & per veram resipiscentiam ei coniungit. Illud enim Dauidis, pius quisque semper verè dicere potest, Lex tua in medio cordis mei. Atque hæc de locis ex Reformatione Colonienſi, quæ à Philippo simul & Bucero conscripta fuisse dicitur.

Secundo loco afferunt ex scriptis D. Philippi varia loca, in quibus disertè scribit non solùm de hypocritis, sed etiam de verè pijs, illos, si peccatum contra conscientiam admittant (vult autem à multis etiam pijs admitti) amittere fidem, excutereque Spiritum sanctum. *Ad loca Philippi Melan.*

Respondeo: Agnoscimus ita locutum fuisse Philippum, neque tales locutiones damnamus: quanquam maluissem illum diuersis locutionibus vsum fuisse, cùm de sanctis Electis, eorumque peccatis: & alijs, cùm de improbis reprobis loquebatur, vt aliquod discrimen agnosci posset, sicut inter lapsus piorum & scelera impiorum, sic etiam inter illam amissionem Spiritus sancti, & fidei, quæ fit in pijs, & illam, quæ fit in impijs. Hac enim ratione sublata fuisset occasio eorum errorum, in quos nonnulli, ex malè intellecta hac, tam de pijs, quàm

de impijs, communi locutione Philippi, labuntur. Sunt igitur hîc clariùs explicandæ hæ locutiones: prima quid sit peccare contra conscientiam: secunda quid sit amittere, seu excutere Spiritum sanctum & fidem. Peccare contra conscientiam est scientem ac volentem, seu prudenter & voluntariè peccare: hoc est, cùm scias, si hoc vel illud feceris, te malè & contra legem Dei agere: velle tamen contra legem Dei agendo, hoc vel illud facere: Sed hoc contingit, vt fiat duobus modis: primò: plena & perfecta voluntate sine vlla repugnantia. atque hoc est propriè peccare contra conscientiam. Fit enim ex contemtu Dei, & cogniti eius verbi: & hic modus proprius est reprobatorum. Hunc modum vocat Philippus peccare ex contemtu Dei, & ex odio Dei. Hoc patet ex quadam interpretatione Domini Philippi in Dominica Oculi in Euangelium Lucæ, ibi ait D. Philippus: Ruens contra conscientiam, non credit, agit ex contemtu. Peccare igitur contra conscientiam est ex contemtu, contra illius verbum, non credendo, agere. Idem patet ex commentariolo in 1. Corinth. 10. in ea verba. Tentatio vos non apprehendit, nisi humana: De Dauide loquens ait, illum peccasse quidem, sed non ex contemtu, sicut fecit Saul:
» Valde (inquit) fuit tristis lapsus Dauidis, & Diabolus ei non leuiter insidiatus est:
» sed tamen non potuit eum impellere ad Epicureum contemtum, vel odium Dei, vt
» Saulem impulit. Docet igitur Saulem, & omnes reprobos, vti erat Saul, cùm peccant contra conscientiam, peccare ex contemtu Dei. Idem patet in descriptione tentationis Diabolicæ, cùm ait eam esse Epicureum contemtum, odiumque Dei. Hoc verò modo peccare Hebr. 10. appellatur conculcare (pedibus) Filium Dei. Conculcamus enim pedibus, quæ contemnimus, & odimus, execramurque. Et qui hoc modo peccant, scilicet plena voluntate, totum verbum reijciunt, ex voluntate & corde: quia scilicet illud non amant, & nullo modo volunt, ideoque & prorsus excutiunt Spiritum sanctum: qui verbum illud menti proponit, suadetque vt iuxta illud agamus.

Peccare contra cõ sciẽtiam, quid & quotuplex.

Secundo modo peccatur contra conscientiam imperfectè seu non plenè: cùm scilicet etsi nouimus, præsertim in vniuersali id, quod facturi sumus, esse malum: illud tamen, ab affectibus in transuersum acti, volentes quidem, sed partim, non autem plena voluntate, vel ex animo; seu (vt loquitur D. Gregorius) ex studio agimus: ita vt verum sit, nos partim volentes, partim nolentes peccare, vt Rom. 7. docet Apostolus. volentes quidem, quatenus in id, quod agimus, quodq; offertur voluntati vt bonum, vel vtile, vel delectabile, inclinamus. Voluntas enim fertur in bonum, vel verum, vel apparens: Nolentes verò, quia peccatum, vti peccatum, & contra Deum tendens, odimus: ac proinde eadem voluntas, quatenus renata est, non vult peccatum: quatenus verò adhuc reliquias corruptionis originalis retinet, vult idem, quod carni bonum esse videtur: ita vult, & non vult: & in eadem voluntate, quia neque tota caro est, neque tota Spiritus, pugna inuenitur. Hic modus est proprius Sanctorum: & est sine contemtu Dei, aut ipsius verbi, sicut
»Philippus ostendit in exemplo Dauidis, cùm ait, valde tristis fuit lapsus Dauidis:
» & Diabolus ei non leuiter insidiatus est: sed tamen non potuit eum impellere ad
»Epicureum contemtum, & odium Dei, vt Saulem impulit. Proinde qui ita peccant, non prorsus eijciunt è suo corde verbum: quia illud, etsi non perfecta animi obedientia, desiderio saltem adhuc, & amore, retinent in corde: Quare nec etiam fidem prorsus amisisse, nec Spiritum sanctum fidei autorem penitus excussisse, dici possunt. Nunc igitur videamus, quid sit excutere Spiritum sanctum, ideoque fidem amittere, & gratia Dei excidere. Quid sit D. Philippo excutere Spiritum sanctum, alibi ipse declarat in 6. primæ Epistolæ ad Corinthios fol. 14. de discrimine inter necessaria & adiaphora. Negat ergo (inquit) Apostolus, concessa esse talia, quæ ream faciant conscientiam: id est, quæ excutiant Spiritum sanctum. Hæc ille.

Excusere Spiritum sanctum quid Philip. Melancth.

ille. Docet igitur ijs verbis, excuti Spiritum sanctum, idem esse, quod ream fieri conscientiam, propter transgressionem moralis legis. Id verò intelligo dictum esse μετωνυμικῶς: quia scilicet Spiritus sanctus is est, qui conscientiam, fide in Christum pacat bonamque reddit, certam eam de remissione peccatorum, deque placata Dei aduersus nos ira per Christum, reddendo: Ergo qui hunc Spiritus sancti effectum excutit, id quod fit per peccatum ex cõsensu admissum dicitur ipsum Spiritum sanctum excussisse: nimirum quod ad hunc effectum Spiritus sancti attinet. In cap. etiam 10. eiusdem Epistolæ fol. 42. in ea verba, Ideò qui se existimat stare, &c. Electos (inquit) posse labi, & amittere gratiam & Spiritum sanctum, testantur tristissima exempla Adæ & Aaronis: de quo dicitur Deuter. 9. Aduersus Aaron valde iratus est Dominus, & voluit conterere eum, &c. Hic docet amitti gratiam, & Spiritum sanctum, idem esse, quod Deum per peccata ad iracundiam contra nos prouocari: idque μετωνυμικῶς, quoniam Spiritus sanctus is est, qui facit, vt per fidem sentiamus Deum nobis esse placatum. Qui igitur admisso peccato sentit Deum sibi esse iratum, quia priorem illum Spiritus sancti effectum amisit: is dicitur Spiritum sanctum ipsum amisisse. In Apologia quoque de coniugio sacerdotum, obiectione quinta, vera fides (inquit) excutitur, cùm conscientia polluitur. Hic etiam μετωνυμικῶς fidem pro fidei effectu posuit. quia enim fide purificantur corda, vt habemus in Actis: ideò qui peccatis conscientiam polluit, quia fidei effectum excussit, fidem ipsam excussisse dicitur. Nos autem, hos Spiritus sancti, & fidei effectus, per peccata ex consensu admissa excuti, si non prorsus, saltem magna ex parte, non inficiamur. Quis est enim, qui cùm peccauit, non mox sentiat conscientiam suam esse pollutam, reamque mortis æternæ, quod ad se attinet, effectam, & Deum sibi esse iratum? atque ita iratum, vt & noua cum Deo in gratiam reditione, nouaque peccati admissi remissione, & noua cordis purificatione, sibi opus omnino esse persentiat? Verùm non hinc consequitur, neque hinc voluit inferre D. Philippus, totum igitur Spiritum sanctum, totamque fidem cum omnibus suis effectis, ab ijs omnino, ac penitus tolli, ita, vt prorsus nulla in eis fides, nullaque Spiritus sancti scintilla superstes maneat. Nam alioqui secum pugnaret D. Philippus, qui non aliter, quàm Scripturæ, Patres, Lutherus, Bucerus, & alij pij & docti nostri seculi viri de perseuerantia Sanctorum in fide, sensisse videtur, vt suprà ostensum est. Est igitur hoc ante omnia retinendum, cùm loquitur Philippus de excutiendo Spiritu sancto, ipsum non loqui de præsentia aut inhabitatione Spiritus sancti in cordibus nostris. Nam quod ad impios attinet: Spiritus sanctus in illorum cordibus nequaquam habitat: non potest igitur inde expelli, vbi non est. In cordibus verò piorum, perpetuum habet domicilium, vt è Scripturis, & Patribus, & nostri seculi Doctoribus ostensum est: quare ab illis penitus non discedit, sed (vt loquitur Apostolus) contristatur, nostris nimirum peccatis. Secundo igitur loco notandum est, D. Philippum nomine Spiritus sancti intellexisse ἐνέργειαν, seu certos quosdam motus, & certos quosdam affectus Spiritus sancti in hominibus. Quare cùm hi motus, & affectus, vel horum aliqui per peccata excutiuntur: ipse Philippus καὶ μετωνυμίαν ait Spiritum sanctum excuti: quanquam id longè aliter hypocritis, quàm verè pijs contingit. declaro omnia. Quicquid bonarum cogitationum, affectuum, & operationum, tam in impijs, quàm in pijs reperitur; totum illud à Spiritu sancto est, quemadmodum & Scripturæ tradunt, & Patres omnes confirmant, & tota Ecclesia Catholica semper est confessa. Homines autem tam pij quàm impij, cùm peccant ex consensu, hæc Spiritus sancti effecta, si non omnia, saltem aliquot excutiunt: quanquam, vt dixi, diuersa ratione: sicut etiam aliter impij, quàm pij peccant. Exemplũ, Spiritus S. voluntatẽ Dei, siue in cuiusq; animo impressam, siue in Scripturis expressam, mentibus tam impiorum, quàm piorum perpetuò

ad

ad imitandum proponit: atque vt illi pareant, licet non omnibus persuadeat, omnibus tamen suadet. Atque hic est primus, & prius in mentibus hominum Spiritus sancti effectus: nimirum interna voluntatis diuinæ patefactio, atque ad illam implendam suasio. Vnde, & qui veritatem agnitam oppugnant ex animo, dicuntur peccare in Spiritum sanctum: veritatis enim cognitio, & ad illam retinendam & sequendam adhortatio, propria est Spiritus sancti operatio. Quoties autem peccatur ex consensu: hæc diuina Spiritus sancti suasio à voluntate repellitur. quid est enim peccatum (de actuali loquor) aliud, quàm diuinæ voluntatis per Spiritum sanctum nobis patefactæ, & menti ad imitandum propositæ, voluntaria transgressio atque reiectio? Cùm igitur ex consensu peccatur, quia tunc diuina hæc Spiritus sancti suasio reijcitur; iccirco tunc Spiritus sanctus expelli dicitur: sicut cùm alicuius consiliarij consilium à principe non auditur, ipse Consiliarius, cum suo consilio, reiectus à principe fuisse dici potest. Ceterùm illud fit longè diuersa ratione, à pijs, quàm ab impijs. Pij ex animo tam ipsum consiliarium Spiritum sanctum apud se manentem semper amant, quàm salutaribus eius consilijs, licet non semper re ipsa obtemperent, mente tamen semper condelectantur: hoc est, ea & probant & amant, vt Rom. 7. docet Apostolus. Hypocritæ verò, quorum externa iustitia simulata est, & internum cor plenum est iniquitate, odio habent, tam Consiliarium, quàm eius consilia. Discrimen hoc inter peccata verè piorum, & hypocritarum, præter alios tradit D. Gregorius Tom. 1. in Iob. cap. 34. lib. 25. cap. 11. Ait Electos peccare alios ex ignorantia (vt Paulus ante conuersionem) alios ex infirmitate (vt Petrus post conuersionem:) reprobos verò ex studio, & de industria. Et peccare ex infirmitate, ait esse cùm bonum quidem amamus, sed tamen non facimus: ex studio verò, cùm bonum nec facimus nec amamus. Huius etiam rei testimonium quisque in seipso sentit. Pius cupit cum Apostolo liberari ab hac naturæ corruptione, ne possit ampliùs peccare: Rom. 7. Infelix ego homo (inquit Apostolus & omnis pius) quis me liberabit de corpore mortis huius? Quid hoc testificatur? in pio perpetuum residere amorem legis Dei, & odium peccati. Impius hoc non cupit, imò cupit semper in hac carne mortali viuere: vt semper possit sine fine peccare. quid hoc aliud indicat, nisi in corde impij perpetuum esse legis diuinæ odium & peccati amorem? Hinc fit, vt Electi, quia etiam cùm carne peccant, amorem tamen boni, & legis Dei in corde fixum retinent: ideò non tota, seu plena voluntate peccare dicantur. Impij verò, quia nunquam in eorum animis verus legis Dei amor residet: ideò tota voluntate dicuntur & toto corde peccare. Quia igitur verè pij, cùm peccant, non plena voluntate peccant (odio enim habent peccatum) & cùm voluntatem Dei, sibi à Spiritu sancto propositam, non sequuntur, id non ex animo faciunt (eam enim amant:) Idcirco neque Spiritum sanctum penitus reijcere atque excutere dicendi sunt: Impij verò hypocritæ, quia non solùm bonum Spiritus sancti consilium non faciunt, sed etiam ex animo illud repellunt, quatenus & illud, & illius autorem oderunt: iccirco totum etiam Spiritum sanctum, nimirum in suo effectu, excutere dicuntur. Quod autem dixi de vno, eoque primo Spiritus sancti in animis nostris motu, & effectu: idem de multis alijs dictum volo. Multos enim alios motus excitat, multaque alia effecta parit in nobis Spiritus sanctus. In verè pijs inest vera pax conscientiæ, vera cordis mundities, vera fiducia in Deum; vera accedendi ad Deum παῤῥησία, verum gaudium, vera salutis certitudo. Hos Spiritus sancti motus, & fructus ex animis piorum, cùm peccant, etsi non penitus, magna tamen ex parte excuti, hoc est, infirmari, suffocari, & quasi extingui, quis neget? Quis enim, cùm peccat, non mox sentit suam conscientiam esse sauciatam, & cor pollutum? Deum sibi iratum? ideoque animum ita perculsum timore, vt non audeat, sicut antea, accedere ad Deum? Nemo tamen

etiam

etiam verè pius est, qui propterea se odio Dei affectum esse sentiat: qui non desideret à peccatis liberari; qui non adhuc speret in misericordia Dei (electi enim nunquam penitus de Deo desperant) qui non credat, si resipiscat, & ad Patrem redeat, sibi per Christum peccata condonatum iri: qui denique non cupiat alius, hoc est, melior & perfectior fieri, quàm fuerit, aut sit. Vnde autem hæ pietatis scintillæ, atque reliquiæ in animis piorum etiam cùm peccarunt? Certè à Spiritu sancto. Qui igitur hæc in se, etiam post peccatum, sentit Spiritus sancti effecta: annon verè aliquam adhuc in se ipso præsentiam Spiritus sancti sentit, ideoque annon apertè concludere potest, se à Spiritu sancto nondum penitus esse desertum? Cùm verò sciat, per se non stetisse, quin prorsus excusserit totum Spiritum sanctum, & omnia eius effecta: quid hinc concludit pius? quòd Spiritus Sanctus non se penitus deseruerit: id factum esse tum gratia Dei, qui promisit, se suos nunquam penitus deserturum: tum Christi beneficio, qui hoc etiam semel suis Electis impetrauit, & perpetuò pro eis apud Patrem intercedendo, impetrat. Dum autem hoc cogitat, & credit, quia sic scriptum est: annon declarat se præditum esse fide? & dum credit, Deum, licet iratum, tamen non desijsse sibi esse Patrem (quia quibus Pater est in Christo, perpetuò Pater manet) annon reipsa demonstrat, se adhuc retinere Spiritum adoptionis Sanctum? Non dubito, quin etiam D. Philippus, quæ sua fuit pietas, hæc in seipso expertus fuerit: sicut & reliqui, quicunque verè pij sunt, in seipsis quotidie experiuntur. Non est igitur de D. Philippo tam impiè sentiendum, quasi ipse hac locutione, excutere Spiritum sanctum, docere voluerit eos, qui verè pij sunt, quoties peccant ex aliquo consensu: & totum planè Spiritum sanctum in se habitantem, & omnes salutares eius motus, omniaque effecta à se penitus, & reipsa excutere, atque amittere: cùm præter testimonia Scripturarum & Patrum, ipsa etiam cuiusque verè pij experientia, atque conscientia aliter testetur. Quòd autem verbo excutiendi Spiritum sanctum Philippus nil aliud intellexerit, quàm contristare Spiritum, vt Paulus loquitur, vide Postill. Philippi concione de Trinitate, pag. 487.

Ad Augustanam Confessionem quod attinet cap. 12. de pœnitentia sic ait, Damnant Anabaptistas qui dicunt homines semel iustificatos non amittere Spiritum sanctum. *Ad August. Confessionem.*

Respondeo: Tametsi ex ijs, quæ dicta sunt, satis etiam abunde pateat ad Augustanam Confessionem responsio: non fuerit tamen inutile, si quid hîc adiecero: quò meliùs nostra doctrina, & consentanea esse cum doctrina pietatis, & cum Augustana Confessione minimè pugnare intelligatur. Illa particula Anabaptistas, & circunstantia tum temporis, quo Confessio hæc à Protestantibus fuit composita, tum personæ, cui Confessio hæc oblata fuit: declarant de quibúsnam intelligenda sit ista pars articuli: nempe de Anabaptistis, & consequenter de alijs hominibus, qui reuera impij sunt, & qui licet iactent se esse iustificatos, seque in omnibus actionibus agi à Spiritu sancto, mentiantur tamen. initiò Euangelij, Anabaptistarum secta exorta est: quæ & ipsa Euangelium profitebatur. Hæc etsi longè differret à fide, & à moribus protestantium: in papatu tamen vnà cum Protestantibus connumerabantur, & eodem nomine hæc & aliæ sectæ appellabantur, nempe Lutheriani. Hinc fiebat vt quæ tam hi, quàm alij sectarij vel scelera admittebant, vel dogmata spargebant: illa toti corpori eorum, qui Lutheriani & Euangelici appellabantur, à pontificiis attribuerentur, & ita se rem habere, à Cæsare crederetur. Cùm igitur sub nomine & titulo Euangelij, ab istis fæcibus multa tum impia dogmata spargerentur, tum scelera admitterẽtur, propter quæ Euangelium, & doctrina omnium protestantium pessimè audiebat: Protestantes coacti fuerũt, oblata suæ fidei, & religionis Confessione, hanc à se maculã, & labem, tum impiæ doctrinæ, tum sceleroſæ

vitæ

vitæ abstergere: & Cæsari declarare, se non esse tales, quales traducebãtur. Inter alios errores Anabaptisticæ sectę, hic etiam præsens & quidem pernicioſissimus fuit. Admittebant enim nefanda scelera, & quidem sub nomine Spiritus sancti: Dicebantque se ad hoc vel illud faciendum adduci & afflari à Spiritu sancto: tantum abesse, vt hoc vel illo facto (puta concubitu cum alterius vxore) Spiritum sanctum vel conturbarint, vel extinxerint. Postquam enim semel fuissent iustificati: ita Spiritum sanctum fuisse in se confirmatum, vt non solùm non possent illum amittere, sed etiam in omnibus actionibus, quæcunque illæ essent, ab illo agerentur. Hæc ita se habere apparet in libris eorum, qui de doctrina & moribus Anabaptistarum scripserunt. Hoc igitur est, quod sibi voluerunt protestantes in sua Confessione: Damnant Anabaptistas, qui dicunt homines semel, &c. Hoc autem dogma, quatenus illud intelligebant, & docebant, de se, suique similibus Anabaptistæ: damnandum fuisse, & esse quis inficietur? Ceterùm, cùm de verè iustificatis non intelligatur, sed solùm de Anabaptistis, & horum similibus, qui cùm impij sint, gloriantur tamen se esse iustificatos, & cùm agantur à spiritu Diabolico, iactant tamen se agi à Spiritu sancto; Nos verò loquamur de verè iustificatis: apparet Confessionem Augustanam, minimè contra nos facere. Quod si contendas locum Augustanæ Confessionis, de verè iustificatis intelligendum esse: adhuc tamen doctrinam nostram non euertis. Damus enim etiam in verè sanctis, ac iustificatis, fidem labefactari: sed penitus extingui pernegamus: Confessio autem Augustana hanc nostram, imò Spiritus sancti doctrinam minimè damnat: sed eos duntaxat, qui simpliciter docent, iustificatos non posse amittere Spiritum sanctum, & fidem. Deinde fatemur etiam, verè sanctificatos, posse, ad ipsos quod attinet, totam penitus amittere fidem: Sed quòd non possint, hoc fieri propter firmam Dei promissionem, & propter efficacem Christi precationem: ac proinde hac nostra doctrina, hæc duo spectamus: Primùm, vt veritatem promissionum diuinarum de perseuerantiæ dono, & efficacitatem intercessionis Christi pro suis sanctis, ne ipsorum fides deficiat, tueamur: Deinde ex consequenti, vt fidem in ipsis Sanctis confirmemus, ne vnquam propter sua peccata de salute desperent, spectata veritate diuinarum promissionum, & efficaci pro ipsis Christi intercessione: atque ita ad veram pœnitentiam excitentur: tantum abest, vt, sicut quidam nos calumniantur, pœnitentiam tollere, & frena cupiditatibus laxare velimus. Quæ igitur in eo cap. damnantur, damnantur quatenus cum vera doctrina de pœnitentia pugnant, veramque tollunt resipiscentiam. Quænam verò sunt illa? Primum: si quis dicat renatos non posse amplius vllo modo peccare. Certè si quis ad tantam perfectionem ducatur, vt non possit amplius peccare: is non opus habebit remissione peccatorum, ideoque nec pœnitentia. Hoc igitur est, quod ait Augustana Confessio, Damnant eos, qui contendunt quibusdam tantam perfectionem in hac vita contingere, vt peccare non possint. Hoc etiam dictum, si quis intelligeret vt Iohan. 1. Epistola 3. intellexit: non posset damnari. Ait enim Iohan. 3. cap. Epistolæ prioris. Qui natus est ex Deo, non peccat, & non potest peccare, toto scilicet corde plenaque voluntate, eoque pertinaciter in finem vsque & ad mortem. Sed quatenus intelligitur iuxta sensum Anabaptistarum, qui statuunt tantam perfectionem suis contingere, vt non amplius possint vllo modo peccare; meritò damnatur, quia tollit pœnitentiam.

Finis doctrinæ de perseuerantia.

Quænam tollant pœnitẽtiam.

Alterum, quod tollit pœnitentiam, est, si quis dicat, hominem renatum & iustificatum posse quidem peccare, sed illo peccato neque Deum offendi, aut æternæ mortis reatu ipsum peccantem obstringi: neque etiam Spiritum sanctum in se habitantem vllo modo contristari: ac proinde peccata nulla, ipsis semel iustificatis nocere vllo modo posse. Certè si res ita se haberet: ij qui semel iustificati

& renati,

& renati, deinceps peccata, licet grauissima, admittunt, non opus haberent primùm noua cum Deo reconciliatione, nouaque peccatorum remissione, neque noua cordis purificatione, & Spiritus instauratione, ac renouatione: & proinde non opus haberent pœnitentia. Iure igitur ibi damnatur hoc dogma: quatenus scilicet quidam, vt Libertini, ita docebant: propter peccata quamuis grauissima, homines semel iustificatos, neque Deum vllo modo offendere, neque Spiritum sanctum contristare, neque se reos fieri æternæ mortis, eoque nulla opus sibi esse resipiscentia. Ceterùm nos non sumus per gratiam Dei, neque tam imperiti sanctarum literarum, neque tam impij: vt hæc docuerimus vnquam, aut doceamus. Fatemur enim & docemus ex Scripturis hæc omnia, quod ad hanc materiam attinet: Primum sanctos, siue iustificatos, & renatos, in hac præsenti vita, nunquam ad talem & tantam perfectionem peruenire posse, vt peccare non queant amplius. Nam si dixerimus (inquit Iohannes Apostolus renatus) quòd peccatum non habemus: ipsi nos seducimus. & hoc contra primum quorundam Anabaptistarum errorem. Atque hìc docemus duo etiam esse genera peccatorum in sanctis, primum quædam, quæ perpetuò in sanctis manent vsque ad finem præsentis vitæ: acproinde, quæ nullo modo vitari possunt, vt est fomes, seu innata concupiscentia, & eius motiones, quæ itidem concupiscentiæ in Scripturis appellantur Rom. 6. Alia sunt actualia, in quæ sancti subinde labuntur, sed non prolabuntur: & alius alio sæpius & grauius, sed nullus vnquam ex animo, aut plena voluntate peccat. Ait enim idem Iohan. Qui natus est ex Deo, non peccat: & non potest peccare, quia semen Dei manet in illo: sed peccant semper renati partim scientes & volentes, partim nescientes, & nolentes: idque propter duos homines, qui semper in illis sunt, & semper secum inuicem pugnant: Sicut Rom. 7. Apostolus docet: & ibi Bucerus post Augustinum doctissimè ac perspicuè explicauit. Concedimus igitur sanctos in hac vita nunquam esse sine peccatis: sed discrimen facimus inter peccata piorum & impiorum: de quo discrimine legantur etiam ea, quæ Bucerus in Matth. cap. 12. Sectione quinta, scripta reliquit. Quare iure Articulus in Confessione Augustana damnat eos, qui dicunt, tantam perfectionem in hac vita aliquibus contingere, vt ampliùs peccare nullo modo possint. Hoc enim tollit resipiscentiam.

Summa doctrinæ nostræ de pœnitentia contra Anabaptistas.

Duo peccatorum genera in sanctis.

1. Ioh. 3.

Quod ad secundum: docemus sanctos, etsi peccata non admittant ex animo, aut plena (vt dictum est) voluntate: istis tamen peccatis primùm, quantum in ipsis est, Deum grauissimè offendere, illius iram aduersus se prouocare, se coram Deo iniustos, & æternæ mortis reos facere: deinde quantum etiam in ipsis est, sese inchoatam iustitiam exuere, & Spiritum fidei, & sanctificationis eiicere: quia per ipsos non stat, quin à gratia omnino excidant, inimicique Dei fiant: & consequenter omnibus etiam Dei donis, nempe Spiritu fidei & regenerationis, omni sanctitate & inchoata iustitia prorsus spolientur: ac proinde tanquam inimici Dei, & omnino impij, cum reliquis impijs æternæ morti adiudicentur. Singula enim peccata, quantumuis minima, si semoueatur misericordia Dei, hominem reddunt Deo inimicum, & æternæ mortis reum efficiunt: ideoque, qui omnibus Spiritus sancti donis spolietur, dignissimum. Quare si noluit æternùm damnari: illos opus habere noua cum Deo reconciliatione, ac noua sanctificatione ac renouatione docemus. Ceterùm duo hìc de verè sanctis contendo iuxta Scripturas: Vnum, sicut propter immutabile Dei decretum nunquam desinunt esse Electi: sic etiam postquam semel fuerunt Deo reconciliati, amici, imò filij Dei, ac proinde hæredes regni cœlestis effecti, etsi postea illis, quibus iam dictum est, modis peccant, eos tamen propter immutabilem Dei promissionem, & efficacem Christi intercessionem, nunquam desinere esse Dei amicos, & filios: (Nam & filij peccant, &

Peccata sanctorũ quæ mala cõsequantur.

Sanctis post peccata, noua opus est reconciliatione cum Deo.

tamen manent filij. Psalm. 88.) Ac proinde nunquam vel amittere ius æternæ hæreditatis quod in Christo firmum habent: vel prorsus excidere à Christo, & à fide; aut Spiritu adoptionis, omnino priuari. Huius autem ratio est: quia sicut ideò electi non possunt desinere esse electi, quia non ex præuisis operibus, sed ex mera Dei gratia, & secundum propositum Dei in Christo electi sunt: ita iidem verè Deo per Christum reconciliati & amici ac filij Dei, ideoque & hæredes regni cœlestis effecti, fideque & Spiritu adoptionis donati sunt, non ex operibus, sed ex gratia. Rationem hanc affert Apostolus Rom. cap. 4. Ideò ex fide, vt secundum gratiam; vt firma sit promissio. Quid est, Ideò ex fide? hoc est, ideo ex gratia, & non ex operibus nostris datur hæreditas, & omnia alia Dei dona, ad vitam æternam spectantia, vt firma sit promissio. Sicut igitur opera nostra mala, cùm essemus inimici, impedire non potuerunt, quin Deus nos ex gratia sibi reconciliarit, & fide Spirituque regenerationis donarit, & filios hæredesque effecerit: ita peccata, in quæ nos electi, iam Deo reconciliati, filiique Dei effecti, contra Spiritus nostri voluntatem labimur, impedire non possunt Deum, quin nos pro sua paterna gratia sibi seruet amicos, filios, hæredes, Fidemque & Spiritum sanctum in nobis iuxta suam promissionem conseruet. Ideo (inquit) ex fide, vt secundum gratiam: vt firma sit promissio. Propterea nos quoque in nostra thesi de perseuerantia Sanctorum, habemus, non posse illos prorsus excidere, propter promissionem diuinam. Diuina enim promissio firma est, quia non ex meritis nostris est facta, neque ab illis pendet: Sed ex mera gratia, quam fides apprehendit. Hæc verò doctrina eò spectat, vt fides de salute nostra semper propter promissionem Dei maneat firma & constans: atque ita ex hac fide viuamus. Alterum quod hîc aio, est, Etsi electi (vt iam dictum est) regenerati, iustificati, renati, filij & hæredes effecti, fideque vera donati, propter peccata, in quæ subinde labuntur, non desinunt esse electi, filij, & hæredes, idque propter diuinam eamque firmam promissionem, & efficacem Christi intercessionem: ipsos tamen iis suis peccatis Deum Patrem grauissimè offendere, seque reos æternæ mortis facere, ac quod in ipsis est, Spiritum adoptionis, & ius hæreditatis penitus amittere, à gratia Dei, atque à CHRISTO prorsus excidere.

Sancti suis peccatis, ita Deum offendūt, & reos æternæ mortis sese reddunt, vt opus habeant nouacum Deo reconciliatione, & Spiritus S. renouatione.

Dico autem, quod in ipsis est, quia per ipsos non stat, quin hæc omnia mala incurrant: sed quòd non incurrant, hoc fit ex gratia Dei, propter firmam eius promissionem, & efficacem Christi intercessionem. Deinde etiam re ipsa, etsi à fide penitus non excidant: ita tamen suam fidem concutiunt peccatis suis, vt labescat: etsi ignem Spiritus sancti non penitus, & in totum extinguant, ipsius tamen ardorem, & flammas, reprimunt & suffocant: etsi interiorem hominem non omnino interimant, illum tamen grauissimè vulnerant: ita, vt nonnunquam prorsus mortuus esse videatur. Quare sanctos, docemus duabus rebus opus habere: Tum noua cum Deo Patre reconciliatione, & peccatorum nuper admissorum remissione, (Sed tali tamen reconciliatione, & peccatorum remissione, quali opus est filijs, cùm parentes offendunt,) Tum etiam noua fidei firmitudine, noua Spiritus accensione, & noua noui hominis instauratione, & renouatione: vtrunque autem fit in vera resipiscentia. Non igitur nostra doctrina, qua dicimus eos, qui semel vera fide donati, & verè in Christum, per Spiritum sanctum insiti sunt, à fide & à Christo prorsus excidere non posse, tollit pœnitentiam; sed multò magis, quàm altera contraria sententia, firmat: vt postea perspicuum faciam. Totum hoc egregiè pingit Dauid in Psal. 36. Postquam enim ostendit impios suis sceleribus, sibi mortem accersere, ideoq; illos verè consumi, & perire: postea de homine verè fideli & iusto, quanta sit eius per totam vitam felicitas, docet ijs verbis: à Domino gressus viri (iusti) diriguntur: & (pro quia) viam

viam eius volet. Via iusti, est institutum, & ratio viuendi, quam sibi per totam vitam proponit pius: hoc est, vt totam suam vitam, ad voluntatem, & legem Dei conformet. Hoc propositum est in animo firmum: & studium sanctitatis, seu vitandi peccata, faciendæque legis Dei, appellari solet. Hæc via est illud perpetuum studium bonorum operum, quod post Scripturas sacras, Lutherus quoque & Bucerus, cum alijs pijs & doctis viris dicunt à fide separari non posse. Qui igitur vera fide præditi sunt: illi perpetuò secum habent in animo hoc studium bonorum operum. Gressus verò hominis iusti, sunt externæ omnes iusti actiones, & euentus.

Tria igitur concludit hoc versu: Primùm iustos perpetuò studere legi Dei implendæ: hoc est, verè omnes cupere, & pro virili curare, vt totam suam vitam ad voluntatem Dei componant. Hoc ita proprium, & inseparabile est fidei veræ ingenium: vt, qui hoc nondum sentiunt in suo corde, hi scire debeant, se nondum esse vera, & iustificante fide donatos. Quare gemant & rogent Dominum, vt se quoque hac vera fide donet: efficiatque vt ea cum suo studio sentiatur. Alterum, quod concludit est, externas omnes iustorum actiones à Domino gubernari, & ad propositum scopum, tum ad suam gloriam, tum ad salutem nostram dirigi: ita, vt omnia etiam peccata (inquit Augustinus) cooperentur ad salutem diligentibus Deum, ijs qui secundùm propositum vocati sunt: idque non ex se, sed ex Deo, omnes gressus piorum dirigente: sicut etiam Apostolus ait ad Romanos, Filios Dei agi à Spiritu Dei. Sed qui non possunt hanc de Prædestinatione, prouidentiaque Dei, omnia moderantis, doctrinam intelligere, aut ferre, dicent: Quid? ergo cùm pij peccant, eorum actiones à Deo diriguntur? Maximè. At igitur Deus est autor peccati? Minimè verò. Cùm optimus pingendi præceptor, imperitum iuuenem pingere docet: ipse certè præceptor, iuuenis manum tenet, eamque super papyrum mouet, ac dirigit. Iam, si inter pingendum, aliquod admittatur peccatum: vtrius culpa id fieri dicendum fuerit? Præceptoris ne an discipuli? vter illius malæ picturæ autor dicetur, præceptor ne, an discipulus? certè discipulus: cuius tanta est imperitia, vt etiam ab ipso Præceptore mota, & directa eius manus, multa tamen admittat peccata. Sed simile Prophetæ, quod dico, perspicuum facit. Comparat iustum filiolo nondum per se incedere valenti: Deus comparatur parenti, qui filiolum hunc gressu titubantem, manu sua ducit, pater dirigit gressus filioli: inter incedendum tamen, sæpe filiolus, tametsi à patre sustentatus, modò vno, modò altero, modò ambobus pedibus nutat, cespitat, labitur. Vtrius vitio hoc fit? Non certè patris, gressus dirigentis: sed filioli rectos & firmos gressus facere, etiam adiuti, nescientis. Omnes igitur piorum actiones à Domino diriguntur: tum, quia quicquid ibi est boni, à Domino Deo est: tum, quia quicquid etiam ibi à nobis est mali, à Domino tamen tum ad suam gloriam, tum ad nostram salutem detorquetur, atque dirigitur. Tertium quod concludit in illo versu, est ἀπολογία, cur dirigat Dominus omnes iusti actiones: quia (inquit) viam eius volet: hoc est, quia Deus iustum amat, & eius vitam, id est, sanctum, quod in animo habet, propositum, & studium viuendi iuxta regulam legis suæ, probat & diligit: iccirco externas quoque ipsius actiones dirigit, & gubernat: seu, quia Dominus donat iustum illa sancta interna via, ideò etiam externos gressus dirigit. Quos igitur Deus non amat, & quorum interna studia, & corda non probat: illorum etiam actiones à Domino non diriguntur. Postea subdit, Cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.

Hìc etiam tria docet, idque in eadem metaphora persistens. Primum: sicut puerulus, etiamsi à patre sustentetur, subinde tamen nutat, cespitat, labitur: ita sanctos, etiamsi illorum gressus à Domino dirigantur, tamen subinde cadere in

varia peccata. Ideò ait, cùm ceciderit: sicut etiam Prouerb.24. Septies in die cadit iustus: Deinde docet hos Sanctorum lapsus, non esse ipsis sanctis lethales: ac proinde talibus lapsibus, illos apud Deum non mori: & consequenter non excidere prorsus à Christo, qui est vita: neque à fide, qua insiti sunt Christo, & ex qua iustus viuit. Ideò ait, non collidetur. Certè si sanctis suis lapsibus amitterent prorsus sanctum Spiritum & exciderent penitus à fide, & à Christo, vita nostra: ipsi collidererentur & fractis animi ceruicibus, perirent. Ait autem Dauid, iustus cùm ceciderit non collidetur: & loquitur de lapsibus sanctorum, hoc est, verè fidelium, quicunque illi sint lapsus, siue graues, siue leues. Postremò adfert *αἰπολογίαν*, cur sanctorum lapsus non sint ipsis lethales, & cur sancti, cum cadunt, non collidantur: nempe quia Dominus supponit manum suam. Docet igitur lapsus quidem ipsorum suapte natura esse lethales, & per ipsos sanctos non stare, quin, cùm cadunt, etiam collidantur: sed ideò non collidi, ideò non mori, ideò non penitus à fide excidere, quia Deus manu saluatrice sanctos sustentat, & in vita, in fide, in Christo seruat.

Tertium quod omnino tollit pœnitentiam est, si quis in alteram partem, huic de qua modò diximus, omnino contrariam, peccet; nempe si quis dicat, cùm sancti post acceptam semel gratiam, peccant ex aliquo consensu, non solum Deum offendi, sed ita grauiter offendi, vt ea peccata nolit ampliùs condonare: nec solum ipsorum fidem quatefieri, & Spiritum sanctum conturbari, sed ita prorsus & fidem deficere, & Spiritum sanctum extingui, vt ad veram pœnitentiam redire ampliùs non possint; ac proinde huiuscemodi hominibus, qui post gratiam semel acceptam, ex aliquo consensu peccarunt, etsi pœnitere se dicant, & pœnitentiam coram Ecclesia profiteantur, absolutionem tamen à peccatis esse denegandam. Atque hæc fuit doctrina Nouatianorum: ad quam confirmandam duobus locis ex Epistola ad Hebræos abutebantur: vno ex 6.cap. altero, ex 10. Certè si res ita se haberet, quod quicunque post acceptam semel gratiam, aliquod peccatum ex consensu admittit, is non possit ampliùs verè resipiscere, ideoque talis peccati remissionem consequi: miserrima esset omnium Sanctorum conditio in Ecclesia: & pœnitentia ab iis, qui sunt in & de Ecclesia, prorsus tolleretur.

Nemo enim fere est tam sanctus, qui non aliquando post acceptam gratiam, peccet aliquomodo volens, & consentiens. Iure igitur hoc tertium damnatur in Confessione Augustana, cùm aiunt; Damnantur & Nouatiani, qui nolebant absoluere lapsos post baptismum redeuntes ad pœnitentiam. In quibus verbis notanda est primùm particula illa, Redeuntes ad pœnitentiam. Illud enim sic intelligendum non est, quasi nollent absoluere illos, qui verè, & ex animo resipiscerent. Non enim fuerunt Nouatiani vsque adeò indocti, & in scripturis inexercitati, qui nescirent, verè & ex animo resipiscentibus, peccata à Deo condonari, iuxta illud, Quotiescunque ingemuerit peccator: iniquitatem eius non recordabor: Sed quia persuasi erant, qui post acceptam gratiam voluntate peccarent, & præsertim, qui Christum fidemque negarent, eos non posse ampliùs verè resipiscere, idque ex dictis Apostoli ad Hebræos perperam intellectis: ac proinde talia peccata non posse condonari: iccirco huiuscemodi peccatores non absoluebantur. Obseruandum est etiam quod aiunt lapsos, non autem prolapsos. Est enim magnum discrimen in Scripturis inter vtrunque. Labi, est in peccatum incidere, etiam voluntate, sed voluntate carnis contra voluntatem Spiritus, ideoque non tota, plenaque voluntate. Prolabi est tota & plena voluntate in peccatum ruere, & ad iniquitatem ex animo redire. Idcirco qui labuntur, resurgunt, & sui lapsus veniam consequuntur: Qui prolabuntur, non amplius resurgunt. De ijs enim qui prolabuntur intelligitur illud Apostoli Hebr. 6. Impossibile

est

est eos, qui semel fuerint illuminati, gustauerintque donum cæleste, & participes facti fuerint Spiritus sancti, gustauerintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi, si prolabantur, denuo renouari per pœnitentiam, ab integro crucifigentes sibimetipsis Filium Dei & ludibrio exponentes. Propterea ibi non ait simpliciter πεσόντας, sed παραπεσόντας: hi (inquit) impossibile est, vt denuo renouentur in resipiscentiam, seu per resipiscentiam. Negare absolutionem ijs, quos certò scimus prolapsos esse, non potest damnari: immò Iohannes in cap. 5. suæ Epistolæ, vt pro ijs non rogemus, monet: Quamobrem? quia isti non resipiscunt ampliùs ex animo: sed lapsis simpliciter absolutionem negare, est contra verbum Domini. Hi enim redeunt ex animo ad resipiscentiam. Ergo sancti quidem labuntur, sed nunquam prolabuntur: neque possunt (Deo illos semper retinente) prolabi, hoc est, plena & tota voluntate peccare. Hoc etiam passim tradit Bucerus: speciatim in Matth. cap. 12. Scitè igitur Confessio Augustana dixit, lapsos non prolapsos. Ipsi enim Nouatiani reuera lapsis negabant absolutionem: & ignorarunt hoc discrimen inter labi, & prolabi.

Denique quartum accedit, quod veram pœnitentiæ rationem, ideoque pœnitentiam ipsam tollit: hoc est autem, si quis dicat pœnitentiam fieri sine fide. vera enim pœnitentia est mentis renouatio, constans carnis mortificatione: sine fide autem non purificantur corda. Itaque iurè damnatur hic etiam error in Confessione Augustana. Ego verò nescio, quomodo doctrina aduersariorum consentiat, cum Confessionis Augustanæ doctrina. Nam ipsi aiunt amitti totam fidem per peccatum: Deinde iterum restitui per pœnitentiam. Quomodo obsecro ista cohærent? Si enim fides amissa denuo restituitur: ea certè vel ante vel post resipiscentiam restituatur, oportet. Si ante resipiscentiam: Ergo non restituitur per vel propter pœnitentiam. Si post: Ergo ipsi quoque sentiunt resipiscentiam posse esse sine fide: id quod damnat Confessio Augustana. Nisi fortè dicant neque ante, neque post resipiscentiam, fidem restitui: sed simul vtranque à Deo gratis dari. Verùm tum etiam sequetur: non ergo per resipiscentiam fidem restitui: cùm simul vtraque à Deo donetur. Ceterùm si dicamus, vt ego cum Augustino, Bucero, & alijs Patribus, doctisque viris doceo, veram fidem non prorsus è cordibus fidelium tolli, & fidem veram, semper coniunctam secum habere resipiscentiam, vt vbique docent Protestantes, præsertim in disputatione Ratisbonensi, & cum per peccata nostra suffocatur fides, suffocari etiam resipiscentiam, & cum iterum per gratiam Dei excitatur fides, simul etiam resipiscentiam, effectum fidei inseparabilem, excitari: si inquam sic doceamus: Neque cum primis dicemus hominem iustificatum ad tantam peruenire posse perfectionem, vt nullo modo ampliùs peccet: neque cum secundis docebimus hominem iustificatum, cum peccat, nullo modo vel Deum offendere, vel Spiritum sanctum, aut fidem amittere: (damus enim remitti feruorem Spiritus, sed neutrum penitus extingui:) neque cum tertijs negabimus sanctos, post acceptam semel gratiam, in peccata lapsos, pœnitere, ideóque remissionem suorum lapsuum consequi posse: nec denique cum quartis statuemus veram resipiscentiam sine vera fide locum in nobis habere posse. Hæc olim ad argumenta aduersariorum meorum.

Refutatio exceptionum, quas aduersarij ad nostra Argumenta adferre solent.

TRES ad summam sunt exceptiones, quibus aduersarij omnia, tum argumenta, tum Scripturarum, & Patrum testimonia eludere conantur.

Prima est: Nihil aliud illis concludi, nisi, quòd fideles non excidant gratia, nec amittant fidem FINALITER: cùm interim sæpiùs amittant, & excidant.

Respondeo: Tametsi ad hanc responsionem satis, vt credo, responsum est suprà cap. 2. ad exemplum Petri: quædam tamen si addam, haud ingratum fore piis lectoribus, persuasum habeo.

1. Aio igitur primùm Exceptionem hanc non congruere cum meorum aduersariorum doctrina: quippe qui aiunt quosdam esse, qui vera fide donati, ab illa tamen finaliter excidunt & pereunt: vt suprà multis exemplis, Saulis, Iudæ & aliorum demonstrare conati sunt. Quomodo hæc cum illa Glossa conciliari possunt? an non sunt hæc ex diametro pugnantia? omnes vera fide donati, Finaliter non excidunt: Et, multi vera fide donati FINALITER excidunt, & pereunt.

2. Deinde hac responsione deprauant Scripturas: quæ eodem sensu docent, pios non posse deficere, quo & Petri fides non defecit. Quomodo autem fides Petri non defecerit, supra explicatum est.

Et certè dicta Scripturarum de perseuerantia sanctorum, non posse intelligi, vt isti interpretantur, FINALITER: Dictum illud Christi de perseuerãtia, nemo ponens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei, satis apertè demonstrat. Si enim nemo ponens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei: Ergo quicunque incipit ponere manum ad aratrum, & posteà retrò aspicit, hoc est, planè desistit ab incepto: non est aptus regno Dei. Sancti autem nostri, non planè desistunt ab incepto: quia nunquam voluntatem credendi, & seruiendi
3. Christo, planè deponunt. Quorsum ergo illud FINALITER? Quod verò attinet ad Patres, nihil ineptius potest responderi. Nam vt de Augustino dicamus, ille Pater ait, lib. de Correp. & Grat. cap. 11. & 12. Sanctis nostris maiorem quam Adamo ideo datam fuisse gratiam, quia ille etsi habuit gratiam, qua posset, si vellet perseuera-
» re, non tamen habuit qua vellet perseuerare; nostri verò habent qua velint & pos-
» sint: Adamus tamen finaliter non excidit, est enim seruatus. Si igitur etiam sancti sic
» intelligantur non excidere, quia finaliter non excidunt: Vbi est ista maior gratia? I-
» tem sæpe ibidem de fide Sanctorum, procul dubio, inquit, non deficiet vsque in fi-
» nem. Item liberati à peccato (nempe sancti) serui facti sunt iustitiæ: in qua stabunt,
» inquit, vsque in finem. Item subuentum est igitur (inquit) infirmitati voluntatis
» humanæ, vt diuina gratia (in ablatiuo casu) indeclinabiliter & inseparabiliter age-
» retur: (nimirum ipsa humana voluntas) & ideo quamuis infirma, non tamen defi-
» ceret, neque aduersitate aliqua vinceretur. In ijs & alijs similibus Augustini locis nullum potest habere locum, illud aduersariorum FINALITER. Idem facile est vide-
4. re in dictis aliorum Patrum, de perseuerantia Sanctorum in fide. De Bucero nihil est dubij. Ipse enim subinde hanc particulam vrget, Fidem nimirum Electis semel dari, & semel datam amitti non posse. Matth. 16. in illud Et portæ infer: Aeternùm (inquit Bucerus) salui erunt, quotquot SEMEL fidem veram nacti fuerint. Item Iohan. 4 Qui autem biberit, non sitiet in æternum: In aperto est (inquit) Eum, cui SEMEL hic Spiritus contigerit, cui SEMEL credere fuit datum; eum nunquam posse gratia Dei excidere. Item Iohan. 6. Omne quod dat mihi Pater. Igitur

æternùm

æternùm salui sunt (inquit) quibus SEMEL datum est ad Christum venire. Item ibidem: Necesse est (inquit) vt æternùm apud ipsum maneant, & saluentur quicunque SEMEL ad ipsum venerint. Item Iohan. 10. Oues meæ: Docet (inquit) omnia à diuina Electione pendere, eosque quibus SEMEL datum fuerit oues esse, perire nunquam posse. Notandum illud SEMEL datum est oues esse. Qui igitur semel factus est ouis nunquam desinit esse ouis. Iohan. 12. Nunc Princeps huius Mundi: Qui Christum (inquit) semel verè receperunt: ij eo nunquam excident. Item Iohan. 13. Qui lotus est: Spiritus Dei (inquit) quos semel apprehenderit, nunquam donec omni mundos macula reddat vndequaque puros, destituit. Quis non videat hac particula SEMEL euanescere illud, FINALITER? Item idem Bucerus subinde vrget in suis dictis de perseuerantia Sanctorum has locutiones, nunquam excidunt sancti à fide & à Christo. Item perpetuò adhærent Christo. Item fides Sanctorum ÆTERNA & PERPETVA EST. Lutherus hanc veram fidem appellat Immotam. Item ait Spiritum 5.
sanctum in Electis fidelibus operari perpetuò, nulla facta mora & sine intermissione: item ait Christum orasse pro omnibus fidelibus, vt penes fidem rectam permaneant, in ea proficiant, ac pergant: & ab ea non desciscant: & ait orationem hanc Christi exauditam fuisse. Speciatim verò interpretatio ista cùm hoc finaliter tollit 6.
totam istam Christi ratiocinationem, quæ est Iohan. 10. cùm ait: Nemo potest eas rapere de manu mea, quia Pater maior omnibus est. Ego autem & Pater vnum sumus: vt ita liceat argumentari, si potest aliqua ouis Christi propter admissum aliquod peccatum excidere prorsus à Christo ad tempus: Ergo aliquid potest rapere oues Christi de manu Christi ad tempus: quanquam non Finaliter. Proinde erit aliquid fortius Christo & Patre ad tempus, licet non finaliter: & ita consequitur necessariò, Iniquitatem & Sathanam per iniquitatem, per id saltem tempus quo rapiunt ouem è manu Christi, fortiores esse Christo & Patre. Sunt autem hæc non tantùm absurda, sed & impia & blasphema.

Deinde hæc interpretatio per FINALITER, tollit naturam veræ fidei; Natura 7.
enim veræ fidei est, vt deficere non possit. Sic Augustinus de charitate ait in Epistola ad Iulianum Comitem, vt citatur in Decret. de Pœnitentia distinct. 2. Canon. 2. Charitas quæ deseri potest, nunquam vera fuit. Sic Bucerus in cap. 1. Luc. in illud: Seruiamus illi omnibus diebus vitæ nostræ: Quia deniq;, inquit, nihil verè bonum, quod finẽ accipit: addit omnibus diebus vitæ nostræ: Neque enim pietas est, quæ finẽ nouit. Si igitur fides semel accepta, amitti aliquando, siue ad tempus potest: consequitur necessariò, illam nunquam fuisse veram fidem. Vt interim taceam, quòd ista etiam expositio aliam veræ fidei naturam tollit, quæ est, vt sit semper viua, per dilectionem efficax, & quæ perpetuum habeat sibi adiunctum sanctitatis studium; quemadmodum Scripturæ docent & Patres vnà cum doctis nostri seculi hominibus testificantur.

Postremò ista interpretatio est verè pernicioſa. Tollit enim pœnitentiam, 8.
laxat frena cupiditatibus, reddit hominem securum, vt audeat etiam contra conscientiam peccare. Hoc manifestum est, quoniam quicunque certus est se habere veram fidem: certus est etiam iuxta hanc aduersariorum interpretationem, licet peccet contra conscientiam, & fidem ad tempus per peccata contra conscientiam penitus amittat: se tamen finaliter non posse excidere: Ideoque non posse perire. Peccari igitur posse etiam contra conscientiam: quoniam tandem finaliter fides restituetur, qua seruemur. Atqui dicent, etiam tua doctrina, Zanchi, qua dicis sanctos nunquam posse à fide penitus excidere, eandem parit securitatem, & pœnitentiam tollit. Minime verò. Ego enim dico talem fidem, de qua est quæstio, non posse stare aut esse cum peccato vastante conscientiam: & tales fideles non admittere talia peccata, & qui admittunt, eos nondum

habere hanc veram, de qua loquimur, fidem. Quare resipiscant, & rogent Dominum, vt det fidem veram. Deinde doceo & vrgeo quod ad veros fideles attinet, etsi non peccent vt impij toto animo plenaque voluntate: ipsorum tamen lapsus suapte natura, æterna morte esse dignissimos: item displicere Deo: item punitum iri à Deo: item illis, Spiritus ardorem remitti: fidei flammas suffocari; Spiritum conturbari; inuocationem impediri: imò & quantum in ipsis peccantibus est, totam fidem, & Spiritum extingui, quia per ipsos non stat, quin excidant prorsus à fide, & à Spiritu Dei penitus deserantur: resipiscant igitur & redeant ad Dominum, vti filij patri adhuc chari, à Christo nondum excisi, & à Spiritu Dei nondum penitus deserti. Deinde doceo fidem nostram semper esse imbecillam: semper igitur proficiendum esse in fide, & in vita Christiana. Doctrina igitur mea neque licentiam parit, neque pœnitentiam tollit: sed contrà, vtrumque facit ista altera doctrina, quæ docet veros fideles & contra conscientiam peccare, ac proinde fide prorsus excidere posse: Finaliter tamen fidem restitui, & ideò huiuscemodi homines necessariò tandem saluari.

Secunda Exceptio.

Altera exceptio aduersariorum ad mea argumenta de perseuerantia Sanctorum, nititur hac dictione, Quandiu. Ad illud enim: nemo rapiet eas de manu mea, sic respondent, Oues Christi non posse rapi è manu Christi: quandiu manserint oues Christi, & naturam ouium retinuerint. Item illud: Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam (scilicet Petri fidem, & aliorum fidelium) quandiu scilicet manserint in Petra fundati, & manserint Petri: sic ad reliqua Scripturarum loca. At quis non videt hanc esse nugationem, seu petitionem principij? & nihil aliud responderi, nisi tandiu fideles non poterunt excidere à fide, quandiu manserint in fide? id quod nihil aliud est, quàm dicere, tandiu perseuerabunt in fide, quandiu perseuerabunt in fide. Nam per quid fit aliquis ouis Christi? per fidem in Christum. & quid est retinere naturam ouis Christi? retinere veram fidem, & Spiritum Christi, quo Christum sequatur, & vocem eius audiat. Quid igitur est, tandiu non poterit ouis Christi eripi è manibus Christi, quandiu retinuerit naturam ouis, & manserit ouis: nisi tandiu aliquis manebit ouis Christi, & erit cum Christo, quandiu manserit ouis Christi, & fuerit cum Christo? seu tandiu retinebit aliquis fidem in Christum, & Spiritum Christi, quo factus est ouis Christi: quandiu retinebit fidem in Christum, & Spiritum Christi? Quæstio autem nostra est, an, qui semel donatus est vera fide, qua factus est ouis Christi, perpetuò sit mansurus ouis Christi: an verò possit desinere esse ouis Christi.

Ego nego posse excidere à fide: & consequenter nego, qui semel factus est vera ouis Christi, posse desinere esse ouem Christi, & meis argumentis tam vnum, quàm alterum euinco. Aduersarij affirmant posse excidere, & consequenter affirmant posse desinere esse ouem Christi. Cùm igitur ita ad argumenta mea respondent, se admittere, qui donatus est vera fide, eum non posse excidere à fide, & consequenter qui in manibus Christi est, non posse ex eius manu eripi, sed addita hac particula, nimirum quandiu manserit ouis Christi, & retinuerit naturam ouis: si non nugantur, ego nescio quid sit nugari. Quid est enim, concedo ouem Christi, non posse è manibus Christi eripi, quandiu manserit ouis, & naturam ouis retinuerit: nisi contendo fieri posse, & reipsa contingere, vt quæ in manibus Christi est ouis, à Christo excidat, desinatque ouis esse? Sed hoc est ô boni viri, quod controuertitur: An qui ouis Christi est, desinere possit esse ouis; & ita è manibus Christi eripi, æternumque perire. Ego nego: vos affirmatis: sententiam meam probo testimonijs doctorum virorum: vos hac responsione, hæc admittitis simul & negatis. Quòd verò qui semel factus est ouis Christi, is semper maneat ouis Christi: vnus Bucerus apertè docet in cap. Iohan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt: Docet (inquit

(inquit Bucerus) omnia à diuina Electione pendere: eosque quibus semel datum fuerit oues esse, perire nunquam posse. Hæc Bucerus. Cùm ait semel datum fuerit oues esse: docet semel tantum dari, vt aliquis ouis fiat. Non potest igitur aliquis semel factus ouis, desinere esse ouis: & secundò accipere, vt denuò fiat ouis. Cùm autem ait, eum cui semel datum est ouem esse, perire non posse: apertè concludit, qui semel factus est ouis, eum non posse desinere esse ouem: alioqui enim eum periturum esse. Est igitur mera nugatio ista, aliquem non posse è manibus Christi eripi, quandiu ouis manserit: si intelligas fieri posse, vt ex vera oue fiat non ouis.

Nunc subiicio rationes aliquot, & testimonia doctorum virorum, quibus planum fiet responsionem hanc, meram esse nugationem, & inane commentum: simulque confirmabitur eos, qui semel facti sunt per fidem oues, perpetuò manere oues Christi, & in fide. Si quis potest abiicere naturam veræ ouis, hoc est, non audire & 1.
sequi Pastorem Christum: non est vera ouis Christi. Nam veræ ouis natura est vt audiat pastorem, & eum sequatur. Quicunq; ergo pastorem non audiunt, nec sequuntur: declarant se non esse, nec vnquam fuisse veras oues. Cùm Christus ait Iohan. 10. Nemo potest rapere eas de manu mea: Sensus est, cùm semel per fidem traditi 2.
sumus in manum Christi saluatricem: nos perpetuo à Christo regi, duci, seruari: Ideo Bucerus exponens illud Ego cognosco oues meas, & cognoscor ab eis, sicut nouit me Pater, & Pater à me cognoscitur, ait hunc esse sensum: Ego cognosco oues meas, me agnoscit Pater: & cognoscor ab illis, vt Pater à me cognoscitur. Iam Pater cognoscit sic Filium, vt eum nunquam deserere possit, sed omnia in gloriam eius attemperet: sic iam & ipse cognoscit oues suas, in quarum salutem omnia ea facit & patitur. Filius vero cognoscit Patrem, vt in omnibus, gratiæ eius studeat: sic pendebunt tandem oues eius ab eo. Hæc ille. Non possunt igitur vnquam oues Christi à Christo deseri: nec ipsæ vicissim non pendere à Christo. Lutherus 3.
quoque in postillis pag. 54. exponens illud Populum peculiarem, primò ait verbum quo hîc Apostolus vsus est, τὸ περιούσιον peculium significare, quod alicuius hæreditate, aut alio pacto proprium sit. & ita passim in Scripturis populus Dei, ipsius peculium & hæreditas vocatur. Vt enim paterfamiliâs, quod sibi hæreditate obuenit, colere solet, exercere, & cura sua quotidiana melius reddere: ita Christus cui in peculium cessimus per fidem, exercet & excolit nos, vt quotidie meliores nobis ipsis euadamus, atque magis fructiferi. Hæc ille.

Bucerus in cap. 8. Iohannis, pagin. 704. Christus (inquit) fortiter tyrannidem peccati in piis reprimit: neque cedit, donec prorsus illam abiiciat. Si ergo Christus ita oues suas perpetuo agnoscit, & in manu sua retinet: &, si suum populum, suum inquam peculium perpetuò curat, & in suis pijs perpetuò peccati tyrannidem reprimit: quomodo fieri potest, vt oues desinant esse oues, & ipsius peculium, desinat esse eius peculium: & pij ita à peccatis opprimantur, vt desinant prorsus esse pij?

Lutherus in Postill. fol. 62. à baptismo, quo semel baptizamur, concludit sa- 4.
lutem nostram; nobis semel tantum donari. Non igitur iterum & sæpius: quod fieret si amissa priori fide, iterum alia restitueretur. Quo (scilicet baptismo nos totos regenerante) rursus, inquit, testatur, nostram nobis salutem semel donari: vt acquirenda operibus non sit.

Gratia Dei res est, quæ perpetuò in sanctis operatur: ita vt seipsam quo- 5.
que in eis conseruet. Lutherus in Postil. fol. 63. (Magna, fortis, præpotens, & mirè efficax res est diuina gratia: ipsa portat, ducit, vrget, trahit, mutat & operatur omnia in omnibus, adeò vt sentire eam, atque experiri cuiuis liceat. & in Psalm. 51. in illud Cor mundum crea in me Deus: postquam refutauit opinionem Sophistarum de Gratia, qui eam statuunt tanquam rem otiosam in omnia, ait,

Sed

Sed nos de gratia aliter docemus, & credimus: nempe quòd gratia sit continua & perpetua operatio, seu exercitatio: qua rapimur & agimur Spiritu Dei: ne simus increduli promissionibus eius, & cogitemus, atque operemur, quicquid Deo gratum est, & placet. Spiritus enim est res viua, non mortua. Item: Quare moneo vt iam vocabula Theologica assuescatis rectè intelligere: ne cùm auditis vocabulum creandi (nempe in, cor mundum crea in me Deus) cogitetis de vno aliquo momentaneo opere, sed de perpetua gubernatione, conseruatione, & augmento spiritualium actionum in corde fidelium. Hæc Lutherus. Iam si gratia est perpetua gubernatio, & operatio in corde fideli: non igitur illud vnquam deserit penitus, quin ibi operetur, etiam cùm dormimus.

6. Euangelium est ceu vterus Dei, in quo nos concepti, vt infantulus in vtero matris, continemur, enutrimur, effingimur: iuxta illud Esaiæ 46. Audite me domus Iacob, omnes reliquiæ domus Israël, qui ab vtero meo gestamini. Hæc Lutherus. Sicut igitur infantes perpetuò sunt in vteris matrum, donec fractis secundinis in lucem prodeant: Sic nos per fidem in Euangelium Filij Dei effecti, perpetuò ab Euangelij gratia gestamur, inque tenebris fidei viuimus, & nutrimur, donec in lucem æternam & cœlestem exuti corpore, & quasi fractis secundinis prodeamus.

7. Iohan. 8. Seruus non manet in domo (scilicet perpetuò:) filius autem manet in æternum. Ergo quicunque semel factus est filius Dei per fidem, manet perpetuò in domo Dei, cum Christo fratre, & cum Patre Deo, iuxta illud etiam Iohannis, si fuissent ex nobis (id est ex numero filiorum Dei) mansissent vtiq; nobiscum nempe in domo Patris Dei. Sed quia serui erant, non ex nobis: exierant à nobis è domo Dei.

Nugatorium igitur est dicere tandiu non posse ouem Christi è manibus Christi eripi, seu excidere à Christo; quandiu manserit ouis Christi, & retinuerit naturam ouis: quasi in confesso sit, possibile esse, vt ouis desinat esse ouis Christi: & hinc velis probare possibile etiam esse, vt quis excidat à Christo & à fide: cùm tam vnum quàm alterum sit impossibile propter diuinam promissionem, & Christi precationem.

8. Si quid potest fideles retinere in fide, ideoque in Christo ne prorsus ab ea, ideoque etiam ab eo excidant: id vel est ipse solus homo suo libero arbitrio, & suis viribus: vel ipse solus Deus sua sola gratia: vel partim Deus sua gratia, partim homo suo libero arbitrio. Primum dicere plusquam Pelagianum est: Tertium verò apertè Pelagianum: nam ipsi quoque salutem nostram partim gratiæ Dei, partim nobis tribuebant, nec totam salutem volebant soli gratiæ Dei acceptam ferre. Hoc dogma explosum est, & damnatum, etiam à Luthero, & alijs pijs nostri seculi hominibus. Reliquum igitur est, vt dicamus solum Deum eum esse, qui sua gratia suos fideles in fide, & in Christo retinere possit, si velit: Atqui vult. Id enim promisit dicens: Dabo timorem meum in corda eorum, vt non recedant à me. Hoc etiam vult Mediator noster Christus: sic enim dixit de Petro & alijs fidelibus, Rogaui vt non deficiat fides tua: item 17. Ioan. eandem voluntatem suam significauit Petro & Apostolis. Dubitandum igitur non est, quin in omnibus suis fidelibus Electis seruaturus sit fidem, ita vt penitus ab ea non excidant.

9. Sic de discipulis veris dixit Christus: si manseritis in sermone meo, & sermo meus in vobis manserit: veri discipuli mei eritis. Describit hîc naturam veri discipuli esse, vt maneat, id est, perseueret in sermone Christi, & illum in se manentem retineat. Ergo qui secus faciunt, declarant se non esse, nec fuisse verè discipulos Christi. Necesse igitur est, vt vera ouis semper maneat ouis, & naturam veræ ouis retineat.

Item

Item si quis potest reiicere naturam ouis, vt non credat Christo: Ergo fides illius erat temporaria, ideoque non vera. Necesse est igitur vt, qui verè credit, perpetuò retineat naturam veræ ouis, vt credat, seu perpetuò retineat verbum & fidem. Obiectum: At dices. Fides non vera, & temporaria est illa, quæ ita deficit, vt non ampliùs resumatur. Sic enim illi temporariæ fidei homines fecerunt Matth. 13. Ego verò loquor de ijs, qui ad tempus amittunt, & postea resumunt.

Respondeo: Si illa duntaxat dicitur temporaria, ideoque non vera fides, quæ non ampliùs resumitur, quia sic legimus de illis Matthæi 13. Ergo illa tantùm etiam est vera eoque perpetua, quæ nunquam amittitur. Nam illi quarti, qui veram habuerant fidem, nunquam leguntur amisisse ad tempus, & postea resumsisse: sed Christus ait eos retinuisse semen. Addo quòd temporarium opponitur perpetuo. Perpetuum autem est illud, quod nunquam deficit. Ergo temporarium est illud, quod aliquando deficit. Quæcunque igitur fides aliquando deficit.: illa temporaria est. His locis satis perspicuum factum est, fieri non posse, vt qui semel facti sunt oues Christi, filij Dei, habitacula Spiritus sancti, seu vasa gratiæ, desinant esse id, quod sunt: eoque responsionem aduersariorum, meram esse nugationem. Quid? quod ex hac exceptione, talis formatur Syllogismus, quo nostra doctrina magis ac magis confirmatur? Syllogismus autem talis est. Tandiu Sancti, oues Christi, à fide Christi, non excidunt: quandiu manent Sancti, & oues Christi. Atqui Sancti perpetuò manent Sancti, & oues Christi, ratio est: quia sicut non est verè continens, qui non sit perpetuò continens: ita non est verè Sanctus, qui non sit perpetuò sanctus. Quod dixi de continente tradit Aristoteles in 7. Ethicorum 2. & 9. cap. Verus continens, inquit, seu ἐγκρατὴς, ἔστιν ὁ ἐν τῷ λόγῳ, καὶ ὀρθῇ προαιρέσει ἐμμένων. Inde Eustathius interpres ait, absolutè & propriè in vera, id est, bona opinione, qui perseuerat, est continens; incontinens, qui non perseuerat. Et alius vir doctissimus, sine constantia, inquit, virtutum veritas consistere non potest. Id quod ipsum quoque doctissimum Bucerum non latuit, propterea in Luc. cap. 1. scriptum reliquit: Nihil esse verè bonum, quod finem accipit.

Item, Neque enim, inquit, pietas est, quæ finem nouit. Deus æternus est, & non mutatur, quem qui agnouerit, in æternum auelli ab obseruantia eius haud poterit. Hinc & Augustinus & Ambrosius scriptum reliquerunt, charitatem, quæ deficere potest, non esse veram charitatem.

Adde quòd sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio: vocatio nimirum secundùm propositum. Dicitur autem Deus aliquem secundum propositum vocare, puta ad sanctitatem, cùm illum facit sanctum: pœnitere verò, cùm, quod fecerat, mutat, vt non amplius id quod erat, aut quale erat, existat. Si igitur Deum nunquam pœnitet, eos, quos semel efficaciter ad sanctitatem vocauit, vocasse: consequitur qui sunt verè sancti, eos à Deo, vt prorsus desinant esse sancti, oues Christi, non permitti.

Tertia Exceptio: Fides, inquiunt, est triplex: iustificans: temporaria, & simulata. Prima est vera: secunda etiam vera: sic enim ait Philippus in illud ὄντως ἀποφυγόντας: & hæc temporaria amittitur. de tertia non disputamus.

Respondeo: Apostolus duplicem tantum docet esse fidem: veram, seu non simulatam: & simulatam, eoque non veram: quum ait, 1. Timoth. 1. Finis præcepti est charitas de corde puro, & fide non ficta: ἀνυποκρίτου. Docet enim ijs verbis Apostolus omnem fidem esse aut hypocriticam, aut non hypocriticam, sed veram. Si est hypocritica: illa non est vera, nec efficax per dilectionem, si non hypocritica:

ea

ea efficax est per dilectionem. Ideò hanc vocat ἀνυπόκριτον. Nulla igitur êst vera fides, nisi iustificans, Apostolo. Temporaria non est talis, ex qua dilectio. Non igitur vera fides.

Item Scripturæ cùm nominant fidem, qua in Christum credere iubemur, semper intelligunt fidem veram & iustificantem. Cùm de fide simulata loquuntur, addunt circumstantias quasdam, quibus intelligatur, ibi de simulata, non autem de vera sermonem haberi.

Iacobus itidem duplicem tantum ponit fidem, vnam viuam, qua Abraham iustificatus est. Alteram mortuam, qua etiam dæmones credere dicit: & illam comparat corpori humano viuo: hanc verò cadaueri sine spiritu. Sicut ergo homo vel pictus, vel mortuus, quia viuus non est, non est verus homo: ita fides mortua non est vera fides. Atqui fides temporaria non est viua: quia illa nemo regeneratur aut iustificatur.

Patres docent, eam charitatem, quæ potest deficere: non esse veram charitatem: vt supra ostensum est ex Augustino & Ambrosio. Non est igitur vera fides, quę potest deficere, id est, temporaria. Ita Bucerus in Lucam. Vera pietas non est, quæ finem nouit.

Interpretes etiam nostri Lutherus, Brentius, Musculus, aiunt fidem temporariam non esse veram fidem. Legantur in Euangelium Matthæi cap. 13. & Luc. 8. in parabolam seminis.

Musculus in locis communibus, loco de Patientia, cap. Quid sit patientia pag. 757. Illis non potest vera patientia tribui, quæ non sic est comparata: vt simul sit & voluntaria, & diuturna, quemadmodum & fides eorum, qui ad tempus credunt, & tempore tentationis deficiunt, vera fides non est, nec vera eorum dilectio, qui hodie diligunt, cras odiunt: ita nec vera patientia est, si ad tempus sis patiens, & paulò pòst patientiam in impatientiam mutes: sine constantia, veritas virtutum consistere non potest. Hæc ille.

Bucerus libro de vera Ecclesiarum reformatione impresso anno 44. multis in locis tradit fidem temporariam non esse veram fidem. Sic in Epistola ad Ephes. cap. 1. pag. 27. ait esse imaginem fidei, non autem veram fidem.

Manifestum igitur est temporariam fidem, non esse veram fidem, neque dignam nomine fidei, sed hypocriticam. Ceterùm duplex est huius fidei hypocrisis, vna cùm ita simulamus nos credere, vt nostra fidei simulatio non solùm Deo, sed etiam nobis ipsis nota, ac perspecta sit. Altera, quæ soli Deo nota est. Sunt enim non solum aliis, verum etiam sibi ipsis videntur verè in Christum credere: cùm tamen non verè credant: id quod tandem ab effectis patefit, quia à fide deficiunt. ij dicuntur à Christo παρόπταιροι. Fides hæc coram Deo semper est hypocrisis. Talis erat illorum fides, de quibus Ioan. 12. Multi crediderunt in eum: Iesus autem se non credebat eis, eò quod nosset omnes, &c. Omnis igitur fides vel est vera, ideoque iustificans: vel hypocritica, ideoque non iustificans. Quare inepta est aduersariorum partitio: & nihil ad rem facit.

Ad locum 2. Pet. 1. Supra responsum est. Ita manent firma atque inuicta, quæ pro perseuerantia Sanctorum, attuli argumenta: cùm nulla harum trium exceptionum, ea labefactare, nedum penitus euertere potuerit.

Atque hæc etiam olim ad meos accusatores: quæ omnia ad alterum Caput Tractationis de perseuerantia pertinent.

Quæ sequuntur duo capita, post compositionem, postque meum discessum à me vt absoluta tandem & perfecta prodiret tractatio, conscripta fuerunt.

Fidem

Fidem piorum, peccatis labefactari, & quænam huius rei cauſſa.

CAPVT III.

EX ijs, quæ diximus, ſatis liquere arbitror, licet, fidē in Electis nunquam penitus deficere, ſecundum Scripturas doceamus: minimè tamen, quin ea labefactetur, modò magis, modò minus, & quin in alijs diutius in alijs non tam diu, labefactata permaneat, à nobis vllo modo negari: qui agnoſcimus, contraria à contrarijs, oppugnari, infirmari, & ſi Deo placeat, tandem pelli atque ſubuerti. Fidei autem aduerſantur omnia peccata: quippe quorum & radix eſt infidelitas, & finis eſt vel Epicureus contemtus Dei, vel Iudaica deſperatio. Peccata autem non malè diuiduntur in ea, quæ omiſſionis: & in ea quæ commiſſionis nominari ſolent.

Non minus enim peccatur, ſi ea omittamus, negligamus, contemnamus, quæ fieri iubet Dominus: quàm, ſi ea, quæ prohibet, atque ne fiant, ſua cauet lege, committamus. Vnde præcepta & negatiua & affirmatiua, vetantia & iubentia. Cuiuſuis autem peccati ſtipendium mors eſt, ait Apoſtolus. Sicut igitur corporis humani vita, duobus, aut infirmatur, aut penitus amittitur modis, nempe, ſi vel ea, quæ ad vitæ conſeruationem neceſſaria ſunt, puta, cibum, potum, ſomnum, & alia huius generis, negligas: aut ſi, quæ ex diametro & per ſe vitæ aduerſantur, eamque violenter tollunt, veluti ſunt, venenata bibere, de turri ſeſe præcipitem dare, manum ſibi inferre, & alia his ſimilia, admittas: ſic vita animæ, quæ in fide per dilectionem efficaci conſiſtit: tum neglectis illis rebus, quæ ad eam fouendam & ſuſtentandam inſtitutæ ſunt, veluti ſunt, auditio & lectio verbi Dei, perceptio Sacramentorum, preces Eccleſiaſticæ, ſtudium ſanctæ vitæ, diſciplina Chriſtiana: tum manifeſtis facinoribus, & iniquis actionibus admiſſis, veluti ſunt ſcortationes, furta, ebrietates, & id genus alia, labefactatur: vt in ipſis verè fidelibus, qui aut ex infirmitate, aut ex ignorantia peccant, & quibus cùm cadunt, Dominus ſupponit manum ſuam, ne collidantur, fieri videmus: vel tandem penitus extinguitur, vt in temporarijs: qui ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt: de quibus nulla eſt controuerſia. Quod verò de prioribus dixi, hoc eſt, de pijs & veris fidelibus, hoc ita ſe habere: haud multis probationibus opus eſt, cùm nemo piorum hominum ſit, qui id non ſæpenumero in ſeipſo expertus ſit, atque etiam ſubinde non experiatur. Certè Dauid poſt admiſſum adulterium reipſa ſenſit, quod dicimus: ac proinde petijt, vt cor mundum in ſe à Domino crearetur, & Spiritus rectus innouaretur in viſceribꝰ ſuis. Hoc petere non potuiſſet ſi Spiritus ab eo prorſus receſſiſſet, & nihil fidei retinuiſſet. Spiritus enim eſt, qui interpellat pro nobis, id eſt, qui facit vt interpellemus, & inuocemus Deum: quomodo autē inuocabūt, in quem non crediderūt, ait Apoſtolus. Sed neq; petiiſſet innouari in ſe Spiritū; ſi eum nullo modo in ſe defeciſſe ſenſiſſet. Quis enim petat à medico curari, ſi nullo ſe morbo laborare ſentiat? Rurſus ſi medicum inuocat, quomodo planè mortuus eſt, nihilq; ſentit ſibi reliquum eſſe vitæ? Sed, quòd ſanctos deficiat Spiritus & fides, hoc ex ipſorū eſt peccatis, quòd verò non penitus ipſi à Spiritu S. deſerantur, nec fides penitus in eis deficiat, hoc eſt ex gratia Dei: qui eis, cùm labuntur, iuxta promiſſionem ſuam, ſupponit manum, ne collidantur & pereant.

Licet igitur ſancti nunquam penitus à Spiritu S. ſibi ipſis, neglecti relinquantur, aut fide prorſus deſtituantur, Deo illos, ne à ſe omnino deficiant, & pereant, iuxta factam promiſſionem, & propter Chriſti interceſſionē, conſeruāte, & timorē ſui in eis retinente: quis tamen, peccatis ipſorum, & Spiritum S. contriſtari, & fidem eorum languefieri, negare queat? Ita certè fides Sanctorum, peccatis concutitur, vt niſi Dominus eam ſuſtentet, mox ſit funditus ruitura. Quantus, obſecro,

fidei languor, quanta ardentis antea ignis suffocatio subsecuta est primam Petri negationem? Tanta certè, vt secundò, & tertiò Christum maiori cum impudentia, addito etiam iuramento & anathematismo, abnegarit: grauiora etiam admissurus flagitia & totam fidem illis tandem extincturus: nisi oculis suæ clementiæ; eum Christus respexisset, & in fide retinuisset, atque ad pœnitentiam excitasset.

Quòd porrò fides, earum rerum, quibus fouetur, intermissione langueſcat: ac tandem, nisi à Deo seruetur, prorsus deficiat, & penitus extinguatur: quis piorum hominum in seipso non sentiat? imò verò & in aliis non queat obseruare? Ignis nisi subinde ligna suppedites, paulatim remittit & tandem extinguitur. Vita animantium, si cibo & potu destituatur; perit. Quin & habitus animi, virtutum ac scientiarum, si debitis actionibus non exerceantur: tandem aliquando amittuntur. Apostolus verò ait fidem esse ex auditu, hoc est, virtute Spiritus sancti per auditionem verbi, in cordibus nostris ingenerari: & Dauid, Iustum ex assidua meditatione legis diuinæ fieri beatiorem: & non secus atque arborem ad riuos aquarum plantatam, prædicat viuum ac feracem bonorum operum, conseruari. Et
Matt. 18. Christus beatos prædicat, qui audiunt verbum & custodiunt illud: homines ex aqua & Spiritu sancto regenerari: esu carnis suæ viuificari: & eos in se, seque in illis manere: exercitio disciplinæ fratres lucrifieri Deo: & precibus Ecclesiæ, quicquid
2. Tim. 1. in nomine suo petitur, obtineri. Et Apostolus, donum veræ fidei, confessione, prædicatione, defensione, aliisque fidei operibus, in animis nostris, instar sopiti
2. Pet. 1. ignis exsuscitari, & reaccendi atque foueri. Et Petrus, per opera fidei, electionem & vocationem fieri certam. Si hæc vera sunt, vt sunt certissima: quis contrà non videat, harum rerum omissione & spiritualis exercitij in operibus pietatis intermissione, fidem ita paulatim langue fieri, vt, nisi Dominus succurrat, tandem planè interitura sit? Pertinet huc, quod Apostolus ad Heb. cap. 3. scribit, debere nos mutuò quotidie hortari ad fidem fideique opera, & dehortari à peccatis, dum dies est, & lux Euangelij lucet: ne (inquit) obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Ex neglectu enim verbi, & quotidianarum adhortationum prætermissione, peccatum vires recipit: & contrà, fides languet: & quò magis hęc languet, eò faciliùs peccatum nos, ad obediendum suis concupiscentiis, fallendo allicit: atque hinc paulatim obduratio cordium nascitur: quam defectio à Deo vero, & æterna damnatio consequuntur: quemadmodum & ex populo Israelitico multis contigisse ibidem narrat Apostolus. Sed bene habet: quod Deus eò non sinit suos electos à diabolo adduci: eos timore sui in officio retinens, & lapsos ad pœnitẽtiam releuans. Deus stat suis promissis: & precatio Christi efficax est. Dabo timorem meum, inquit, in corda eorum, vt non deficiant à me. Rogaui pro te Petre, ait Christus, vt non deficiat fides tua. Vtrunque ergo nos docemus: Fidem in Sanctis & sæpenumero labefactari, & nunquam tamen penitus deficere: labefactari nostro vitio, non deficere gratia Dei, propter Christum. Et vtrumque in sanctis ideò locum habet: quia ipsi constant & carne & Spiritu, quorum vno seruiunt legi Dei & ea delectantur; altero autẽ legi peccati, & ab eo sæpe vincuntur: Deo interim eorũ Spiritum, & voluntatẽ, ne tota & prorsus in peccatum consentiat, conseruante. Regeneratio enim vt semel tantùm fit: sic semper, dum sumus in hoc mundo imperfecta est. Hinc fit, vt peccemus, Spiritum S. contristemus, fidem concutiamus, & labefactemus. inde verò vt voluntas Spiritus in peccatum non penitus consentiat, timorem Dei, non excutiat, fidem non prorsus amittat: quod sanè si fieret, aut electi perire possent, tandemque perirent: aut eos sępe regenerari oporteret: quorũ neutrum cum S. literis est consentaneum, de primo enim
Iohan. 10. dicit Christus, nemo rapiet eas, è manu mea: Vitam æternam do eis, nec peribunt in
1. Petr. 1. æternũ: & Paulus quos iustificauit, hos & glorificauit. de altero dicit Petrus eos esse rena-

rénatos, ex ſemine, non corruptibili, ſed incorruptibili, per ſermonem Dei viuentis, & manentis in æternum: quibus verbis ſignificauit talem eſſe regenerationem, quale & ſemen ex quo illa fit: nunquam igitur interire & corrumpi, poſtquam ſemel facta eſt. Quo pertinet etiam illud, Qui natus eſt ex Deo non peccat nec poteſt peccare: toto ſcilicet corde, & pertinaciter: quia ſemen Dei manet in illo, qui ſcilicet ſemel natus eſt ex Deo: cuius rei Symbolum eſt, quòd baptiſmo, Sacramento regenerationis, ſemel tantùm obſignantur fideles. Semel igitur & non ſæpius regenerantur electi, & horum baptiſma, vim ſuam in eis retinet perpetuam. Regenerati autem (vt Apoſtolus docet) adoleſcunt, donec ad plenitudinem ætatis Chriſti perueniant; regente illos ſemper Spiritu Chriſti, & lapſos erigente, & vitam ac fidem in eis ſeruante; vt fœdus cum illis ſemel contractum, iuxta promiſſionem factam per Ieremiam, & alibi ſæpius per alios Prophetas confirmatam, firmum ac ſempiternum permaneat. Hæc eſt enim cauſſa, cur Spiritus S. licet nos in varia labi peccata permittat, vt inde nos eſſe homines agnoſcamus, & hoc agnoſcentes humiliemur, & humiliati, nos per opera iuſtificari non poſſe intelligamus, & alijs etiam peccãtibus compatiamur: non tamẽ nos, omni prorſus fide, qua vnica vitam à Chriſto haurimus, extincta, in peccatis perire ſinat: ſed ea tãquam igne ſub cineribus conſeruata, nos, vt ut languidos & ſemi mortuos, viuos tamen in Chriſto retinet: Quorſum? nimirum, ne fœdus quod in Chriſto renouatum & confirmatum eſt, vllo modo irritum fiat: atque vt hinc intelligamus, quòd fides in nobis, nosque in Chriſto ſeruemur, hoc totum ex mera & gratuita Dei erga nos bonitate, & in ſuis promiſſionibus conſtantia, propter Chriſtum, proficiſci: eoque totam ſalutem noſtram, ſoli gratiæ Dei in Chriſto, acceptam ſemper feramus. Hic eſt finis. *1. Ioh. 3.* *Iere. 31. & 32.*

Quapropter, quę Apoſtolus de ſe, deque alijs Apoſtolis in alio negotio ſcripſit: ea & nos in hoc altero, non ineptè dicere poſſumus Habemus Theſaurum hunc in vaſis teſtaceis. "

Magnus ſanè Theſaurus eſt vera fides, quæ Chriſtum apprehendit & retinet. Nos autem reuera vaſa ſumus fragilia, peccatis & corruptioni obnoxia, propter veterem hominem, quem nobiſcum ſemper circumferimus: vt res ſit ingenti admiratione digna, quòd tantus Theſaurus in nobis tam fragilibus vaſis, & peccatorum plenis, conſeruetur: Næ ſanè, ſi nos illã ſeruaremus: ſed ideo Deus in tam fragilibus vaſis illam ipſe ſeruat, vt inde magis & clarius ipſius potẽtia illuceſcat. Ideo ſubdit: Vt exuberãtia potentiæ ſit Dei, non ex nobis. Ideo enim reliquit in nobis carnem, à " qua in varia peccata impellimur: vt & nobis & alijs manifeſtum fiat; fidem in nobis, non à nobis, ſed à Deo pro ſua gratuita bonitate & propter Chriſtum, ne ab illo diuellamur, & pereamus, cuſtodiri. Hoc explicatur in ſequentibus verbis.

Etenim in omnibus premimur: at non anxij reddimur. Tot tantæque ſunt ten- " tationes, quibus ad omnia facinorum genera ſollicitamur, vt in ſummas ſæpenumero anguſtias redigamur. Sed Deus ſuarum memor promiſſionum, exitum nobis tandem aperit, ne à Sathana oppreſſi, captiui & mancipia illius omnino fiamus. Labora- " mus inopia: & non deſtituimur. Inopia noſtra magna eſt, quia nec merita habemus, " nec vires ad promerendum, niſi mortem æternam: ſed non deſtituimur, quia ex diuitiis ſuis, nobis abunde ſuppeditat Chriſtus: & hac de cauſſa ſeruat in nobis fidem, vt ea, ceu manu, ſuppeditatas nobis diuitias capere poſſimus. Niſi hanc enim fidem in nobis ſeruaret: quomodo non deſtitueremur? At non deſtituimur. Perſecutionem " patimur: at non deſerimur. Quãta ſit ſpiritualis perſecutio, qua fideles perſequitur Sathan, illos per carnem & mundum in varia delicta pellicendo: quis ſanctorum eſt, qui non experiatur? Sed interim quod cupit ille & tentat, nempe vt nos à Chriſto ſeparet, & fidẽ in nobis penitus extinguat, hoc non conſequitur: quid ita? Quia Deus non deſerit nos, ſed in Chriſto per fidem retinet.

Deijcimur, at non perimus. Quid vis amplius? Sancti dum pugnant contra Diabolum & carnem, & mundum, sępenumero non solùm grauia accipiunt vulnera, sed etiam in terram prosternuntur: num propterea de illorũ vita actum est, & perierunt? At non perimus, inquit Apostolus: quamobrem? quia Dominus sua adest potentia & nos excitata fide subleuat: ac vires, quibus redintegremus pugnam, subministrat.

Etsi igitur fides in sanctis labefactatur: Deus tamen illam euerti & penitus perire non sinit. Annon & arbores hyeme in medijs niuibus positæ perijsse: & sol crassis obductus nubibus suum splendorem amisisse: & ignis sub cineribus, prorsus extinctus esse: & homo aut ebrius omnem amisisse rationem, aut deliquium animi passus, vitam cum morte commutasse, ab imperitis iudicabitur? Similia tamen hæc sunt dumtaxat, non res ipsa: Ac quòd in illis seruetur vita, lux, ignis, ratio, à natura est: quòd autem in sanctis fides, à gratia Dei, propter ipsius promissiones, & propter Christi merita & intercessionem, proficiscitur. suapte enim natura, cùm peccant sancti, sicut ipsi per se rei æternæ mortis fiunt, quanquam propter firmam Dei Electionem, & quia in Christo sunt, perire non possunt: sic etiam merentur, vt quicquid Spiritu Dei in eis accensum fuerat fidei & charitatis, totum illud penitus extinguatur, licet Deus id fieri non permittat propter Christum in quo Electi sunt, redemti, & inniti. Quòd ergo ipsorũ fides tantùm labefactetur, & labefactata seruetur, & seruata redintegretur, atq; etiam augeatur; hoc nulli alij rei quàm soli Dei gratiæ in Christo, acceptum ferre debemus: qui ideò thesaurum hũc in vasis testaceis collocauit, eumque in illis seruat: vt exuberantia potentiæ sit ipsius Dei & non ex nobis.

Vsus doctrinæ de perseuerantia Sanctorum.

CAP. IV.

DOCTRINA verò hæc, non solùm inutilis non est, aut vt nonnulli calumniantur, perniciosa: verùm etiam multò plures & maiores habet vsus, quàm multi existiment: imò verò in Ecclesia Christi ita pernecessaria est eius cognitio, vt, quomodo hac oppugnata, aut veritas multarum Dei promissionum, aut efficacitas intercessionis Christi pro nobis, defendi, aut salus fidelium promoueri queat, non videam. Quomodo enim seruari possit, qui, aut de veritate ac complemento illarũ diuinarum promissionũ, quæ de perpetua Dei erga nos sunt gratia; aut qui de efficaci Iesu Christi intercessione, pro continuanda in nobis fide atque salute, dubitet? Certè aliam ob causssam neque Deus se effecturum, vt semper eum timeamus, pollicitus est: neque Christus se pro nobis orasse, vt non deficiat fides nostra, Ecclesiæ patefecit, nisi vt de vtroq; capite certò persuasi, & fidē retineremus, & hanc retinentes, seruaremur, & ex nostra salute, ipse glorificaretur. Audiamus igitur, aliquot promissiones diuinas hac de re: Veniet Sioni, & eis qui de Iacob resipuerint, Redemtor: dicit Dominus. Ego enim ait Dominus: hoc fœdus meum cum eis pangam. Spiritus meus, qui erit in te, & verba mea, quæ ponam in ore tuo: nunquam excident de ore tuo: neque de ore seminis tui, dicit Dominus, à modo vsque in seculum. *Iesa 59.*

Hæc est promissio, non autem præceptum, vt manifestum est: & sicut Rom. cap 11. vbi initium huius promissionis citatur, Apostolus confirmat. Huius enim subdit confirmationem, dicens: Sine pœnitentia sunt dona & vocatio. Fuit autem facta ad vniuersam Ecclesiam Israeliticam: sed ad electos tantùm ex Israel pertinebat priori loco, vt Rom. 11. docetur: Deinde ad omnes etiam electos ex gentibus: sicut in eodem loco ad Rom. apparet. Nam etiam illa propositio, sine pœnitentia sunt dona & vocatio, qua promissionem Dei confirmat Apostolus, non solùm de donis in Israelem, sed etiam de gratijs in electos ex gentibus, collatis, intelligitur.

Quæ

Quæ autem de ſalute, protectione, atque firmitudine totius Eccleſiæ Deus promiſit: eadem etiam ad ſingula Eccleſiæ membra, hoc eſt, ad ſingulos electos pertinent: vt fatentur omnes docti: & ipſe etiam Brentius in Ieſaiæ cap. 33.

Porrò Deus, quæ de nouo fœdere ſimpliciter promiſit: ea ſimpliciter etiam, & reipſa omnino præſtat. Cùm igitur electis vniuerſis & ſingulis per Ieſaiam promittat, ſe effecturum, vt Spiritus, quem erat illis per Chriſtum daturus: & verba Euangelij, quæ erat in illorum ora & corda poſiturus, nunquam excide-rent: cumque dona ac vocatio ſecundùm propoſitum, ſint ſine pœnitentia: fieri nequit, vt ex electorum cordibus Spiritus, atque verbum Chriſti, prorſus eripian-tur, atque tollantur.

Sed clariorem locum habemus apud Ieremiam cap. 31.

Ecce dies veniet, dicit Dominus, & feriam cum domo Iſrael & cum domo « Iuda fœdus nouum: non iuxta fœdus, quod pepigi cum patribus eorum, tempo- « re, quo, apprehenſa manu eorum, eduxi eos è terra Aegypti: quod fœdus meum « ipſi irritum fecerunt: & ego oſtendi me eſſe dominum eorum: dicit Dominus. Hoc « verò fœdus eſt, quod feriam cum domo Iſraelis, poſt dies illos, dicit Dominus; in- « ſeram legem meam in interiora eorum, & in cor eorum ſcribam eam: eroque Deus « eorum: & ipſi erunt mihi populus. Et non docebit vltrà quis proximum ſuum, di- « cens, cognoſce Dominum: ſed omnes me cognoſcent à minimo eorum, ad maxi- « mum eorum, dicit Dominus: quia propitius ero iniquitatibus eorum: & peccata « eorum non recordabor ampliùs. «

Multa quidem in hoc contextu digna ſunt obſeruatione: ſed quæ ad rem no-ſtram maximè faciunt, duo ſunt: Primum: fœdus nouum opponit veteri, hac et-iam in parte, quòd vetus fuit temporarium, nouum autem æternum: Cauſſam ve-rò, cur illud fuerit temporarium, in ſe non fuiſſe, docet Deus: quaſi verò deſierit ipſe beneficijs declarare ſe eſſe populi Dominum: (& ego oſtendi, inquit, me eſſe eorum dominum) ſed culpam hæſiſſe in populo, quòd legem, vt promiſerat, non ſeruando, irritum fecerit fœdus. Cùm igitur promiſerit Deus, ſe effecturum, nem-pe per Chriſtum, vt fœdus ſit reapſe æternum: an non contrà promittit, ſe effectu-rum, vt populus non ampliùs illud ſua inobedientia irritum faciat? Ex parte enim Dei primum quoque fuerat firmum: ſed ideò ex parte populi non fuit, quia, quæ promiſerat, non præſtitit. Si igitur ſimpliciter promittit fore, vt ſit firmum & æternum: profectò promittit, ſe effecturum, vt à populo promiſſa præſtentur & Lex ſeruetur. Hoc verò, primùm in Chriſto homine perfectè impletum eſt, qui pro nobis legem impleuit: & ita, fœdus vt æternum eſſet, effecit, id quod & ſuo ſan-guine confirmauit. Deinde in ſingulis fidelibus impletur ex parte, quatenus Spiri-tu condelectantur Lege Dei, licet carne ſeruiant ſæpe legi peccati. Eſt autem præ-cipua pars obedientiæ, fides in Deum, qua noſtræ inobedientiæ condonatio, & per-fectæ Chriſti obedientiæ imputatio apprehenditur.

Quomodo igitur veritas huius promiſſionis defendi poteſt: ſi, quod aduerſarij contendunt, concedatur? nempe, fideles, qui ad nouum fœdus pertinent, ſuis pecca-tis omnem penitus amittere fidem?

Sed audi alterum huius promiſſionis caput. Modum ſubdit, quo ſe effectu-rum promittit, vt fœdus maneat æternum ex parte etiam populi. Modus iſte in duobus poſitus eſt: Primum in eo, quòd nouus populus legem in corde ſcriptam habiturus erat, eoque illam amaturus, ea ſe oblectaturus, eamque vt ſeruet, ſponte operam daturus: alterum in eo conſiſtit: quòd, quicquid interim per carnem deli-querit iuſtus: totum hoc gratis condonabitur propter Chriſtum: eoque ſinguli e-lecti, veram fidem, per quam reſipiſcant & remiſſionem peccatorum apprehen-dant, habituri, & retenturi ſint: non enim peccata condonantur, niſi credenti-

bus & resipiscentibus. Primum tradit, cùm ait: Inseram legem meam in interiora eorum, &c. Alterum, cùm subdit, quia propitiabor iniquitatibus ipsorum. His duabus rebus fit, vt etiam ex parte populi fœdus maneat æternum: vera scilicet & æterna Dei cognitione, perpetuo Legis amore, diuinæque voluntatis faciendæ studio: & deinde perpetua resipiscentia peccatorum, & fide, qua eorum remissionem apprehendant.

Nam contra, ideò vetus pactum, factum fuit irritum, quia populus legem non habebat scriptam nisi in tabulis lapideis, & chartaceis: eoque illam non amabat: quia in corde non habebat. Deinde, cùm peccabat, eum suorum peccatorum non pœnitebat; eoque nec remissionem consequebatur.

Vt igitur vltimum fœdus maneat æternum: vera ac perpetua promittitur Dei cognitio, diuinæque voluntatis dilectio, & condelectatio. Hæc enim significantur illa phrasi: Scribam legem meam in cordibus eorum. Et præterea promittitur solida fides ac pœnitentia, qua peccatorum remissio impetratur. Deo autem hæc gratis præstante, quis ea non habeat? Deo inscribente in alicuius corde, fidem, spem & charitatem, quæ sunt summa legis: quomodo ex eo corde expungi hæc penitus possunt? Si Deus efficaciter efficere vult, vt eum cognoscamus, in eum credamus, in eo speremus, eum timeamus & amemus: quomodo possumus ita peccare, vt eum ignoremus, vt omnem in eum fidem, spem, timorem, dilectionem exuamus? Ego certè quomodo veritas huius promissionis gratuitæ defendi queat, nisi fateamur, quæ hìc promittuntur, ea in omnibus electis impleri, eoque in illorum cordibus semper manere insitam fidem, & legis amorem, atque studium: videre non possum.

Sed aliud etiam audiamus.

Ierem. 32. de populo Noui Testamenti, tam ex gentibus quàm ex Iudæis, qui
» Christo erat adducendus, sic ait: Et erunt mihi in populum & ego ero illis in Deum.

Hoc fit per gratuitam adoptionem, qua ille sponte assumit electos in populum suum, & in filios suos; condonatis peccatis & donata fide, qua efficit, vt vicissim nos illum agnoscamus, pro Deo & Patre nostro. Ac fœdus in hoc consistit vt Deus sit nobis in Deum, & nos illi in populum. Vtrumque verò promittit se effecturum; & sunt ita hæc coniuncta, vt neque nos possimus ei esse in populum, nisi ipsi fiat nobis in Deum, neque ille nobis sit in Deum, nisi nos vicissim fiamus ei in populum. Sunt enim correlatiua Deus & populus: Pater & Filius. Et cùm dicit: Ero, & erunt: non intelligit, modò ero & modò non ero: nunc erunt populus, postea non erunt: sed constantiam & perpetuitatem significat, his verbis: Ero & erunt: Quasi diceret: Perpetuò erò illis in Deum, & illi in sempiternum erunt mihi in populum. Quomodo autem potest quis in populum esse Deo, sine fide, & sine timore, ac reuerentia, obseruantiaque ergo Deum? & quomodo Deus esse nobis potest in Deum, sine condonatione peccatorum, ac perpetua gratia, & dilectione in Christo: in quo nos sibi adoptauit?

» Ergo fieri nequit, quin, quibus Christus cœpit esse in Deum, ijs semper ma-
» neat in Deum: & vicissim quin, quos fecit sibi esse in populum, eos efficiat perpetuò sibi esse in populum. Promissio enim hæc, quia simpliciter in Christo facta est, tota gratuita est: à sola Dei gratia, à nobis autem minimè vlla ex parte, dependens. Gratuitæ adoptioni subdit gratuitam regenerationem, & gratuita eius effecta, dicens.

» Et dabo eis cor vnum & viam vnam, vt timeant me cunctis diebus: vt bene
» sit illis.

Quos sibi in Christo adoptat in populum suum: ijs etiam certè dat cor vnum, viam vnam, & facit, vt se timeant, idque non ad certum tempus, vt postea timere

&

& colere eum desistant: sed vt timeant cunctis diebus vitæ suæ. Quid pro dono veræ perseuerantiæ clariùs?

Dabo, ait: nec vllam addit conditionem: Ergo certò dat, quæ hîc promittit, omnibus; quos in Christo elegit, & adoptauit. Deo autem dante, quis non accipiat & habeat? Quænam verò dat? Primùm; Regenerationem promittit per vnum & eundem Spiritum. Est enim hic locus explicandus per illum Ezech. 11. Auferam cor lapideum & dabo cor carneum, id est, flexibile in obedientiam fidei & in obsequium Christi.

Ego dabo. Ergo non alius, neque homo ipse, potest sibi mutare cor. Quare merum Dei donum est regeneratio. Cor sedes est affectuum, & cognitionis in sacris literis: Vnde & Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam. Promittit ergo & fidem & spem & charitatem, totamque pietatem.

Dabo: Nulla addita conditione. Tota igitur gratuita, regeneratio, fides, spes, charitas. Quare nihil impedire potest, quin Deus suum præstet promissum: quia promittit, non solùm finem, sed omnia etiam media ad finem.

Vnum, inquit, Cor: Cur vnum? Quia efficit, vt omnes fideles, sicut per vnum Spiritum regenerantur: sic vnum habeant velle, vnam & eandem in Christo & cultu Dei, consensionem: Et sic de Christianis legimus, Erat illis anima vna & cor vnum: nempe in Deo. Non enim omnis consensus, sed tantùm, qui in Deo est, & in eius verbo, probatur Deo, eoque & promittitur. *Actor. 4.*

Addit: Et viam vnam. Nomine viæ intelligitur actionum nostrarum & totius vitæ instituendæ ratio. Via enim est motus, & profectio quædam. Ratio igitur huius vitæ, via appellatur. Sic apud Iesaiam, Non sunt viæ meæ ait Deus, sicut viæ vestræ, id est, agendi rationes. Hoc sequitur à priori tanquam effectum à caussa. Ergo, vt velle, quod significatur per cor: sic perficere, quod innuitur nomine viæ, donum Dei est: quia & interna pietas, & externa pietatis opera, non ex nobis, sed simpliciter à Deo sunt; & certò donantur electis ad finem vsque. Cùm enim ait; viam, intelligit, viam, per quam in cœlum vsque perueniant: Ergo donum perseuerantiæ, in finem vsque promittitur.

Vnam, inquit, viam.

Vnus igitur & idem cultus, vna fidei Confessio, vna viuendi regula promittitur electis, & adoptatis in Christo: à quo? à Deo. Ergo talis cultus talisque vitæ ratio, quæ sit secũdum verbum Dei, promittitur. Quare, quòd quis non consentit cum hypocritis, & cum hæreticis, in ijs quæ non consentiunt cum verbo Dei: non propterea extra numerum eorum, quibus facta est hæc promissio, esse censendus est.

Rursus, qui in Christo electus & adoptatus est: etiamsi in hac via promissa, nonnunquam ex imbecillitate virium, labatur, aut aliquo modo declinet, non tamen penitus recedit: sed & surgit, & mox redit, susceptumque iter continuat, hoc enim se in illis effecturum promittit Deus: cùm ait: Dabo viam vnam: in qua scilicet continenter ambulent: & labentes resurgant: donec ad me vsque in cœlum perueniant. Hanc constantiam perpetuam explicat, dicens: Vt timeant me, omnibus diebus. Nomine timoris, totum cultum intelligit: nomine verò omnium dierum, totum cuiusque fidelis vitæ curriculum. Manifestè autem hac particula, excluduntur ab hac promissione, omnes illi, qui aut nunquam credunt: (nunquam enim timent Deum) aut temporaria fide credunt: quando non timent Deum cunctis diebus, sed ad tempus, eoque nec vera fide credunt. Non enim ex corde illo nempe puro, quod vnum omnibus suis electis dat Dominus, credunt: neque ex bona conscientia Christum confitentur: quippe qui non confitentur ex via illa pura, quam Deus omnibus suis vnam & communem pollicetur. Nam temporarij, malè sibi conscij sunt, cùm Deum confiteantur verbis, factis autem negent: neque hoc animo

credunt, & cõfitentur, vt părati sint pro hac Confessione cum Christo mori aut crucifigi: sed tantùm dum Euangelium res adfert secundas, & ipsorum cupiditates non impedit. Libenter enim sunt in monte Thabor, cum Christo glorioso: sed in montem Caluariæ, cum eodem spinis coronato ascendere recusant. Cùm igitur omnes credentes aut temporarij sint, eoque non vera & sincera fide: aut perpetui, eoque vera & pura fide præditi: ab hac autem promissione excludantur temporarij: quis non videat promissionem hanc de timendo Deo cunctis diebus ad omnes verè fideles, de quibus solis nostra est disputatio, & thesis, pertinere: eoque illos perpetua fide credere, & Deum, cunctis diebus timere? Si enim Deus, quæ hîc promittit, efficaciter ea efficit in suis electis, & in Christo adoptatis: qui fieri potest, vt, cùm labuntur in peccata, desinant timere Deum, & omnem penitus fidem amittant? Ac si dat illis cor vnum purum & viam vnam bonam, idque vt se timeant cunctis diebus, quomodo ex corde peccant, destinataque malitia, ac non potiùs ex carnis infirmitate?

Si etiam vult Deus (quemadmodum subdit Propheta) vt bene sit illis, electis scilicet & adoptatis in Christo & filijs eorum, filijs scilicet tam secundum carnem, quàm secundùm Spiritum: & ideo, vt bene sit illis, id est, vt æternam felicitatem consequantur, dat illis cor vnum, & viam vnam, & efficit vt se timeant cunctis diebus: quomodo igitur constabit, quod quidam imperitissimè docuerunt, electos sanctos, ita posse fieri reprobos & ita amittere fidem, vt in æternum damnentur? O supinam Theologorum imperitiam. Sed, vt, quod de perseuerantia sanctorum docuit, illud magis confirmet: subdit Propheta:

» Dabo timorem meum in corda eorum, vt non recedant à me.

Hoc oraculum passim vrgetur ab Augustino, aduersus Pelagianos, ad probandum perseuerantiæ donum in sanctis, electisque omnibus. Et Hieronymus in hunc locum præter alia scribit: Sic liberum donat arbitrium: vt tamen ipse timor, qui tribuitur, gratia permaneat largitoris.

Nota verbum: PERMANEAT. Permanet igitur timor in sanctis: non viribus ipsorum, prudentia, diligentia, meritis; sed gratia largitoris Dei: & non simpliciter manet in sanctis, sed permanet, inquit Hieronymus, id est semper, & constanter manet, nec prorsus deficit. Et cur hoc in illis efficit Deus? Causam subdit. Vt, inquit, non deficiant à me.

Duo promittit: Vnum, se effecturum vt à se non deficiant electi: Hic est finis totius promissionis: alterum, medium quoque, quo retineantur, ne deficiant: hoc est, timor, quem, ait, se inditurum in corda eorum. Si igitur Deus nolit suos à se deficere: quis defecerit? Si, ne deficiant indit eis timorem; quomodo hunc timorem amittere penitus possunt? Et si hunc indit in corda: quomodo hoc non delectabuntur, & eum, charum non retinebunt?

Ne quis verò dubitare possit, an Deus suis electis, quos vera fide semel donauit, gratuitum perseuerantiæ donum promiserit se daturum, ac proinde, vt à fide prorsus non deficiant, effecturum: Ecce Apostolum optimum Prophetarum interpretem, qui hoc luculenter testificatur 2. Thess. cap. 3. Postquam enim de hypocritis, qui fidem videntur habere & non habent, dixisset, Non omnium est fides, nempe vera: subiecit de veris fidelibus: sed Deus fidelis est, qui stabiliet vos & custodiet à malo. Cur vocat Deum fidelem? quia stat suis promissis: quid promisit? quod subdit, constabiliturum se fideles (in fide) & custoditurum à malo; hoc est, à Diabolo, ne ita illos tentet, vt à fide deficiant. Promisit igitur duo Deus: se suos in fide constabiliturum: &, vt ne à fide deficiant, à Sathanæ insidiis, ne scilicet talia admittant peccata, cum quibus fides consistere non potest, præseruaturum. Quorsum verò hæc Apostolus? vt argumento à tali promissione de dono perseuerantiæ ducto,

ducto, Theſſalonicenſes ad conſtantiam in fide hortetur, atque exſtimulet. Doctrina igitur, qua docemus, Deum nunquam permiſſurum, vt ſui electi deficiant prorſus à fide, verè Prophetica & Apoſtolica eſt: & ad retinendos fideles in fide, accommodata: & ex conſequenti contraria, hæretica eſt, & pernicioſa.

Quis verò hinc non videat, tum vt tueamur fidem Dei in ſuis promiſſis, tum vt ſalutem proximi & noſtram promoueamus: neceſſariam eſſe hanc doctrinã, qua docemus, qui ſemel vera fide donati ſunt, eos à tali fide penitus excidere non poſſe, propter promiſſiones Dei? Altera cauſſa, cur doctrinam hanc de gratuita Sanctorũ perſeuerantia retinendam in Eccleſia eſſe iudicemus, eſt, vt efficacem Chriſti pro hoc dono interceſſionem tueri poſſimus. Si enim cum aduerſariis ſtatuamus, ſanctos propter quoduis ex aliquo conſenſu admiſſum peccatũ, omnem penitus amittere fidem: quomodo illam Chriſti precationem, qua docuit ſe pro omnibus verè in ſe credentibus (quorũ tamen peccata præuidit) precatũ eſſe, ne ipſorum fides, in quouis ſcilicet afflictionum & tentationum genere deficeret: efficacem fuiſſe, tueri poterimus? De hac precatione Luc. 22. ſic legimus: Chriſtum, (qui præuiderat grauiſſimas Sathanæ tentationes, quibus captata ex paſſione Chriſti occaſione, conaturus erat omnem penitus fidem è cordibus diſcipulorum excutere, adeoq; eò adducturus erat Petrum, vt turpiter Chriſtum abnegaret) dixiſſe Petro, & in eius perſona reliquis omnibus: Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit, vt vos ventilaret ſicut triticum; ſed ego rogaui pro te ne deficiat fides tua. Quibus ex verbis colligo primũ, Sathanæ conſilium fuiſſe, ſicut iam omnem fidẽ in Chriſtũ, excuſſerat ex animo Iudæ: ſic etiam capto Chriſto, reliquos diſcipulos turbare; atq;, vt omnẽ, quam de Chriſti Deitate & regno fidẽ conceperant, planè abijcerent, omnibus virib. conari: id quod facilè cõſecutus fuiſſet, niſi Chriſtus, oratione, iuxta promiſſiones diuinas, pro Apoſtolis, vt in fide ſeruarentur, ad Patrem facta, illius conatus impediuiſſet. Secundo igitur loco, intelligimus, Chriſtũ ſeſe Sathanæ, pro ſalute diſcipulorũ, ne illorum fides deficeret, precibus apud Patrem oppoſuiſſe. Speciatim verò pro Petro, hoc ſupplicaſſe: quia præuidebat, illum grauius, quàm alios tentatum iri: vſq; adeo, vt ter ſuum Dominũ eſſet negaturus: precatum igitur fuiſſe, ne propter talem abnegationem, aliáve peccata, Pater ſineret Petri fidem deficere; ſed eam, etiam inter negandum, ſuſtentaret, atq; foueret. Ceterùm, quia fides in eo conſiſtere non poteſt, qui ex animo, & toto corde, ac deſtinata malitia peccat, vt in Iuda liquidò apparet: ideo rogaſſe Patrem, ne vel Petrum vel alios electos diſcipulos, eo modo peccare permitteret, quo Iudas & alia Sathanæ mancipia peccarunt, & peccant: ſed licet carne peccemus, Spiritu tamen, quod malum agimus, non probemus: & quod victi metu mortis, ore negamus, illud ipſum corde retineamus: &, ſi carne ſeruiamus legi peccati, mente tamen condelectemur lege Dei: ac quod etiã carne peccamus, illud mox deteſtemur, & defleamus, atq; à peccatis reſurgamus. Mihi dubium non eſt, quin, cùm Chriſtus ait Petro, precatũ ſe eſſe pro illo, ne deficiat eius fides, indicare ſimul voluerit, ſe hæc omnia quibus fides ſeruetur, petiiſſe. Nam & res ipſa in Petro hoc manifeſtè confirmat: quippe, qui & antequam Chriſtum negaret, hoc non habuit in animo; neque cùm negauit, eum negauit ex corde & ex deſtinata malitia: & ideo etiam, poſtquam tertiò negauit, Chriſto illum intuente, exiuit foras & fleuit amarè. Et vnde hæc omnia? à gratia Dei, propter precationem Chriſti, qui pro Petro rogans ne fides eius deficeret, ſimul etiam, ne ita peccare permitteretur, quo fides prorſus deficere poſſet, petiit: id quod liquet ex oratione, quam habuit ad Patrem Ioh. 17. Vbi dicit: Serua eos à malo: Item: Sanctifica eos in veritate. Hæc certè fuit ſumma petitionis Chriſti tam pro electis omnibus vereque fidelibus, quàm pro Petro: ne ſcilicet fides noſtra deficiat; eoque nec ea admittamus, quibus deficere penitus poſſit.

Eſt autem certum, precationem Chriſti, exauditam fuiſſe à Patre: quia ea petiit, quæ cum diuinis promiſſionibus, vt ſupra viſum eſt, conſentanea erant, de

inſerendo ſcilicet timore Dei, in corda electorum, ne prorſus ab illo deficiant: ſed eum timeant cunctis diebus.

Niſi ergo fateamur, propter promiſſionem Dei, & propter precationem Chriſti, fieri non poſſe, vt electi fideles ex animo, vt reprobi, peccent, & eorum fides penitus deficiat: quomodo, aut veritatem promiſſionum Dei, aut efficacitatem precationum Chriſti tueri poterimus?

Harum rationum vnaquæque ſola ſatis ad hoc eſſe poſſet & deberet, vt doctrinam de perpetua Dei gratia erga electos, deque perpetua electorum in Deum & in Ieſum Chriſtum fide, in Eccleſia conſtanter retineamus: ſed accedit & tertia, eaque grauiſſima cauſſa, cur contraria ferri nullo modo poſſit aut debeat: nimirum, quia non ſolum veritatem multarum promiſſionum, & efficacitatem precationis Chriſti tollit: verùm etiam, quia ipſorum hominum ſalutem impedit: fidei exercitia; inuocationem, acceſſum ad Deum, ſpem ſalutis, dilectionem Dei extinguit.

Si enim quis poſt, & propter admiſſum aliquod peccatum, perſuaſus ſit, vt perſuadere volunt aduerſarij, ſe etiam gratia Dei omnino excidiſſe, & omnem penitus fidem amiſiſſe; quomodo poterit ad Deum inuocandum accedere? Dicente
Rom. 10. Apoſtolo: Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo ſpem concipere impetrandæ ab eo, ſui peccati remiſſionis, cui perſuaſum habet ſe eſſe in odio, & nullo modo placere poſſe? Hebr. 11. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Quomodo in eius conſpectum prodire, ab eo quippiam petere; à cuius gratia prorſus excidiſſe, & à quo planè reiectum ſe eſſe credat? Quis etiam eum amet: à quo ſe odio haberi exiſtimet? Quis eius ſeruitio conſecrare ſe audeat; quem ita ſeuerum eſſe iudicat, vt propter quamuis offenſam, licet non ex animo, ſed ex infirmitate carnis admiſſam, ſeruos ſuos, omni ſuo fauore ſpoliatos, à ſe omnino propellat? Quid autem aliud eſt perſuadere, vt quiſque ſe propter peccatum, quod ſciens commiſit, omni prorſus fide deſtitutum eſſe credat: quàm ei animum ad reſipiſcentiam adimere & ad deſperationem adigere? Quando ſine fide, nemo à peccatis reſipiſcere poteſt. Contra, cùm nos doceamus ex verbo Dei, in ſanctis, etiam poſt ipſorum delicta, à clementiſſimo Deo, propter Chriſtum mediatorem, & interceſſorem, cuius ſunt membra, quanquam infirma, & ex lapſu in peccatum luxata, fidei tamen radicem, & vitalem ſpiritum pro infinita ipſius miſericordia conſeruari: tacitè ſimul etiam monemus, vt quas Deus pro ſua clementia, & propter Chriſti interceſſionem, fidei reliquias atque ſcintillas, in ipſis reliquit: eas ne penitus ſuffocent, ſed à Deo clementiſſimo Patre foueri, & augeri, humiliter petant: eoque ſeſe ad veram reſipiſcentiam excitent, cum vero cordis dolore, & lacrymis: ne forte, ſi maneant impœnitentes, & præfracti, eos tanquam temporarios hypocritas, & reprobos mittat in gehennam, quam certè ſuis peccatis ſibi promeruerunt: quando Apoſtolis etiam ipſis dixit Chriſtus, oſtendam vobis quem timere debeatis: Timete eum, qui poſtquam occiderit corpus, poteſt & animam mittere in gehennam.

Non enim ſine cauſſa relictas in ipſis eſſe fidei reliquias: Sed vt inde excitati, ad optimum Patrem cum filio prodigo redeant, dicentes: peccaui in cœlo & coram te: Et cum Dauide, Miſerere mei: cor mundum crea in me Deus: redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & cætera quæ ſequuntur.

Neque enim doctrinam de perſeuerantia, ſimplicem & nudam, ſed veſtitam doctrina de pœnitentia: neque fruſtra & temerè eam populis proponimus: ſed vt, quorum peccata grauiter reprehendimus, eos aduerſus deſperationem, in fide retineamus: cuius ſemen in cordibus electorum, à Deo, propter ſuas promiſſiones, & propter Chriſti interceſſionem ac merita conſeruari prædicamus. Quorſum

sum igitur nostra, de perseuerantia Sanctorum, doctrina: nisi vt sancti lapsi etiam in grauia peccata, ne se tamen à Sathana obrui desperatione permittant: sed vt potiùs retento in primis fundamento gratuitæ & immutabilis electionis, cuius testimonia in seipsis, non pauca experti sunt: retentis item gratuitis & immutabilibus promissionibus de perseuerantia Sanctorum: & quòd omnes obsignati sint Spiritu promissionis Sancto, arrhabone hæreditatis nostræ perpetuo, donec in plenam cœlestis hæreditatis possessionem introducamur: retento denique gratuito & immutabili beneficio Christi, qui pro suis electis semel mortuus est, semper autem ne pereant, & ne ipsorum fides deficiat, apud Patrem interpellat: sese in fide firmos contineant, & per eam ad veram resipiscentiam excitentur? Quid enim est fides aliud, quàm certa, de gratuita, æterna, & immutabili beneuolentia Dei, in Christo erga nos, deque peccatis omnibus, misericorditer nobis propter Christum condonatis, deque perpetua Spiritus Sancti nos præueniente & subsequente gratia, è sacris literis & ex auditu Euangelij concepta persuasio? Vnde autem vera resipiscentia, verum peccati odium, verum ac serium sanctæ vitæ studium: quàm ex hac firma & certissima fide? Apostolus certè Petrus, docet per hanc fidem, Dei nos virtute custodiri ad salutem, quæ parata est reuelari tempore vltimo. Cuius autem virtute custoditur fides ipsa? num nostra? an verò eiusdem Dei? Sed quibus mediis custoditur? Annon præter alia, diuinarum promissionum inculcatione de certa salute per Christum? Fides enim ex auditu; auditus autem per verbum Christi. Vnde autem doctrina de perseuerantia Sanctorum: nisi ex promissionibus diuinis, & ex doctrina Euangelij, à nobis probata est? Si autem ex fide oritur salutaris resipiscentia: Quomodo igitur doctrinâ de perseuerantia tollitur pœnitentia: ac non potiùs constabilitur? *1. Petr. 1.*

Non possum non hîc repetere, quæ suprà ex sanctissimo & doctissimo totius Germaniæ Theologo, bene merito, Martino Bucero, in Iohan. cap. 6. retuli.

Primùm in margine sic habetur:

Nihil vtilius quàm prædicare credentibus, impossibile esse, vt vnquam gratia excidant.

Deinde in commentario hæc leguntur. Reliqua commendant nobis iterum Christi incomparabilem dignitatem, fidei præstantiam, & electionis Dei immutabilem virtutem. Nemo siquidem Christo vnquam credet non electus, non à Patre Filio donatus: sic nemo quoque illi donatus, non veniet ad eum: cumque venerit, nunquam poterit ab ipso auelli. Fortior namque is est, qui in filiis Dei agit: quàm, qui in mundo. Non glorificantur, nisi iustificati: non iustificantur, nisi vocati: non vocantur nisi prædestinati. Hi autem, qui à Deo, qui mutari nequit, prædestinati ad vitam sunt, & eam æternam: impium est cogitare, vitam horum, quam semel fide perceperunt, non esse æternam, & hos perire posse cõtra decretum Dei. Hæc cùm nullis persuaderi possint nisi electis, id est, Spiritu Dei donatis, ac ita ex Deo renatis: his autem tam absit, vt ignauiam prædicata pariant, vt nihil æquè illos ad amorem Dei, atque inde ad omne opus bonum queat excitare: satis constat illos nescire quid dicant, qui negant ista palàm prædicanda. Vtique, quo maiorem quisque Dei erga se amorem agnoscit; eò ardentiùs illum redamabit. Reprobi si istis offendantur, non mirum est: illi nulla re non offenduntur. Sacra, sanctis & electis sancta sunt: ijs debent lucidè & clarè impertiri: quicquid inde veneni, more araneorum, reprobi hauriant. Hæc beatissimus Bucerus, olim Argentinensis Ecclesiæ Episcopus, & Doctor. O magnam temporum mutationem.

Eant

Eant igitur & melius discant principia Theologiæ, qui hanc oppugnant doctrinam: cùm ea manifestè eò spectet, vt fides parens pœnitentiæ, in animis fidelium, virtute Dei, conseruetur; & vt nos per hanc fidem, ad salutem custodiamur. Quod si qui fortassis illa ad carnis securitatem abutantur: culpa non hæret in doctrina, sed in carnalibus ac reprobis hominibus: quibus & Christus est petra scandali: & Euangelium odor mortis ad mortem: & libertas Christiana, licentia carnis: & quibus denique omnia cedunt ad mortem: sicut contrà, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: etiam peccata, inquit Augustinus: non ex sui natura, sed ex Dei gratia. Solet enim Deus, optimus animarum nostrarum medicus, suos electos in quædam crassiora & notiora labi peccata permittere: vt subtiliora, minusque cognita, (quale est exempli caussa, pernicioſissimum superbiæ vitium, quæ in bonis potissimùm operibus insidiatur) in lucem nobis proferat, & prolata purget: non secus ac medici, venena venenis purgare, & dolores doloribus tollere consueuerunt: qua de re Augustinus, de Natura & Gratia cap. 27. & 28. & alibi.

Ad summam: Deus Pater Christum Filium suum nunquam deseruit, etiam cùm maximè, vt in cruce, eum deseruisse videretur: Ecclesia autem corpus Christi est, & singuli fideles, illius membra. Horum igitur nemo vnquam dicit, aut dicere potest, cur me dereliquisti? quin etiam in corde suo dicat, dicereque debeat, Deus meus, Deus meus. Deus Abrahæ, & veri seminis eius: Deus eorum est, fœdere sempiterno. Iustus certè ex hac fide viuet: & Deum semper agnoscet pro Deo suo, & inuocabit vt patrem & vt sui amātem redamabit, obseruabit. Faxit hic optimus Pater Deus, vt hæc dulcissima doctrina, ab omnibus & rectè, & ad salutem intelligatur: ac quàm suauis ea sit & salutaris afflictis conscientiis, vero animi sensu & viua experientia persentiatur, ac cognoscatur.

Martinus Bucerus in disputatione contra Melchiorem Hoffmannum de Prædestinatione & lib. Arbitrio, habita Argentinæ Anno 1533. proposit. 43.

» Ex Fide, qua credimus nos esse electos, & Deum velle in nobis habitare, & o-
» mnia bona operari: consequitur, vt vltrò & libenter studeamus huic diuinæ gratiæ
» & vocationi consentienter viuere, gratosque nos erga Deum toto corde, animo, o-
» mnibusque viribus exhibere.

Ego verò addo: Tantum beneficiorum Dei spiritualium ad salutem animæ pertinentium, quale est & donum Perseuerantiæ, vnumquemque in se habere: quantum è manu Dei in Scripturis loquentis, promittentis & offerentis, manu suæ Fidei accipit: iuxta illud Christi: sicut credidisti fiat tibi.

TAmetsi quæ sequitur tractatio de libro Vitæ, ea in libris quoque de Natura Dei explicata est: Duabus tamen de caussis nequaquam hic eam prætereundam esse duximus: tum vt quæ ad controuersiam illam Argentinensem pertinebant, ea omnia in vnum corpus collecta, posteritati integra permaneant: tum etiam quia nonnulla minimè contemnenda hic continentur, quæ in libris de Natura Dei, ideò omissa fuerunt, quia ad illud nostrum de attributis Dei institutum non pertinebant. Boni ergo consulas Lector hanc nostram repetitionem, te etiam atque etiam rogamus.

DE LIBRO VITAE, IN QVARTVM IESAIAE CAPVT, IN EA VERBA: ET FIET, VT,

qui reliquus fuerit in Sion, & qui residuus fuerit in Ierusalem, Sanctus vocetur: omnis (scilicet) qui Hierosolymis ad vitam scriptus fuerit.

SINE vlla controuersia alludit Propheta ad librum illum vitæ, de quo prius Moses mentionem fecerat in lib. Exod. cap. 32. cùm dixit: Domine, nunc remitte peccatum hoc eorum: aut si non vis (remittere) expunge me de libro tuo quem scripsisti, id est, de libro vitæ: vt omnes interpretantur.

Quoniam autem de hoc libro vitæ, mentio fit sæpissimè in Scripturis (vt Exod. 32. quem locum iam citaui. Psalm. 69. imprecatur suis & Dei hostibus exitium æternum, & ait: Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Psal. 139. In libro tuo omnes scripti erant. Daniel. 12. loquens Michaël angelus Danieli, de strage quæ futura erat per Antichristum, ait: Et in tempore illo seruabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro. Ezech. 13. loco libri vitæ, habet Scripturam domus Israel. Etiam in Nouo testamento sæpius. Luc. 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis: id est, in libro vitæ. Philip. 4. Sanè rogo & te socie germane, adiuua eas quæ in Euangelio decertarunt mecum, vnà cum Clemente quoque, & reliquis cooperatoribus meis: quorum nomina sunt in libro vitæ. Apocal. 3. Non delebo nomen eius de libro vitæ. Item 20. Et alius liber apertus est, qui est liber vitæ. Item: Qui non est scriptus in libro vitæ, missus est in stagnum. Item 21. Non intrabit in eam ciuitatem aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.) Quandoquidem igitur sæpius mentio occurrit huius libri in Scripturis, occasione accepta ab hoc loco Iesaiæ, de hoc libro tres mihi Quæstiones explicandæ sunt. Prima: Quid sit iste liber. Ad intelligentiam verò huius loci Iesaiæ, explicatio hæc necessaria est. Secunda Quæstio: An qui semel scripti sunt in libro illo, possint inde deleri. Quæstio hæc explicabitur: quoniam sæpius legimus in Scripturis, vt in Exod. & in Psalmis, precari sanctos, vt ex libro illo aliqui expungantur. Contrà Iesaias, dum hîc ait, omnes illos qui scripti sunt ad vitam (iuxta priorem interpretationem) fore sanctos: videtur innuere, non posse eos qui scripti sunt in libro vitæ, non fieri sanctos: & non posse non viuere, ideoque non posse inde deleri. Tertia Quæstio: Cùm Deus non solùm ad vitam multos prædestinarit, vnde fit vt in libro vitæ scripti dicantur: sed alios etiam ad mortem ordinarit: cur horum caussa non traditus fuit in sacris literis etiam liber mortis?

Quod ad primam attinet: illud primùm nos non latet, Deo nullum esse librum materialem, in quo scribat: sed cùm attribuitur liber aliquis Deo, illum metaphoricῶs esse accipiendum, pro firma certaque Dei notitia, quam de nobis nostrisque rebus & actionibus habet, atque ab æterno habuit. Sicut enim nos in libro scribimus ea quæ nouimus: & ideo scribimus, vt quoniam memoria facile excide-

rent, firmiter eorum notitiam in libro saltem aliquo retineamus: ita iuxta hanc metaphoram certa firmaque & æterna Dei de nobis, nostrisque rebus & actionibus præscientia, quin etiam certum firmumq; decretum & præscientia eorum quæ ipse facturus est, liber Dei appellatur. Sic Augustinus & alij omnes interpretantur librum Dei: id est, præscientiam Dei.

Tres autem libros lego in Scripturis Dei attribui. Vnus est, in quo scripti fuisse dicuntur omnes homines, eorumque nomina, antequam etiam nascerentur: omnes inquam homines, qui vnquam nascituri erant. Huius libri meminit Dauid Psal. 139. vers. 16. loquens ibi de prouidentia Dei, qua omnia, antequam fiant, præuidit, ait: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis. Sic habet vulgata editio. Quanquam variè vertatur hic versus: hæc tamen mihi placet: Informem massam meam (id est embryonem) viderunt oculi tui: & in libro tuo omnes conscripti (scilicet homines erant) cùm dies formarentur, & ne vnus quidem in eis esset. Quasi dicat: Quid dico quòd me, cùm formarer in vtero, præuideris? Immò cùm dies initio mundi formarentur, & ne vllus quidem hominum adhuc (in viuis) esset, omnes scripti erant in libro tuo: id est, omnes tibi notissimi, & in præscientia præuisi, acceu in libro quodam conscripti erant. Hic liber pertinet ad prouidentiam, & nihil est nisi præscientia, qua Deus præuidit ab æterno homines omnes, eorum nomina, & quæcunque acturi erant.

Secundus liber est, in quo scribi dicuntur omnes homines iam nati, & quæcunque agunt: vt secundum sua quisque facta, etiam iudicetur. De hoc Iohannes in Apoc. 20. loquens de iudicio illo vniuersali, in quo omnes secundum sua ipsorum facta iudicabuntur, ait: Et vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni. Et libri aperti sunt, & iudicati sunt mortui ex ijs quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. Id est, aperti sunt libri, in quibus singuli, singulorumque nomina & acta, quæ viui gesserant, scripta erant. Hic liber nihil est aliud, quàm cognitio, quam Deus habet eorum omnium, quæ quisque gessit: vt secundum ea iudicetur: quare pertinet ad iudicium vniuersale Dei: & est ceu liber iudicis, in quo scribuntur rei, & omnia illorum acta. Quanquam obiter hic etiam notandum est, in Apocalypsi 20. fieri mentionem cuiusdam libri, qui Liber Vitæ appellatur, cùm dixisset: Vidi mortuos pusillos & magnos, stantes in conspectu throni: Postea subdidit: Et alius liber apertus est, qui est vitæ. Augustinus Tom. 5. de Ciuitate Dei libro 20. cap. 14. sic exponit: Qui est vitæ, scilicet vniuscuiusque: Et esse hunc, diuersum librum à libro vitæ, scilicet æternæ: De quo in fine capitis ait Iohannes: Et missi sunt in stagnum, quicunque non fuerunt inuenti scripti in libro vitæ, scilicet prædestinationis. Quid est igitur liber ille vitæ vniuscuiusque? Augustinus loco suprà citato, vult esse cognitionem, qua quisque (idque per vim Diuinam) in die iudicij cognoscet, quicquid in vita egit boni vel mali: propria erit conscientia. Quare hic liber pertinet ad hoc secundum genus librorum: id est, ad librum iudicij, de quo iam dixi: Verba Augustini hæc sunt: Et alius (inquit Iohannes) liber apertus est. Quædam igitur vis est intelligendi diuina, qua fiet, vt cuique opera sua bona vel mala, cuncta in memoriam reuocentur: & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset vel excuset scientia conscientiam: atque ita simul & omnes & singuli iudicentur: quæ nimirum vis diuina, libri nomen accepit: in eo quippe quodammodo legitur, quicquid à faciente reconditur.

Tertius est liber, qui dicitur vitæ, scilicet æternæ: Sed hic etiam duplex est.

Vnus

Vnus temporalis: in quo aliqui scripti sunt ad vitam non perpetuò aut firmiter, sed ad tempus, secundum præsentem iustitiam, & apparentem, non veram in Christo insitionem: è quo tandem excinduntur, ideoque ad vitam æternam non verè præsciti esse cognoscuntur: Id quod deleri de libro vitæ, Augustinus & alij interpretantur. De hoc Psal. 69. Deleantur de libro viuentium: id est, Videntur quidem per hypocrisin, quia in Ecclesia sunt, & in fœdere continentur, videntur inquam esse scripti in libro vitæ: Tu autem declara eos non esse scriptos in libro viuentium: id est, retege illorum ὑποκρισιν: & ita cum iustis non scribãtur, id est, non appareant amplius esse scripti. Hic liber hoc sensu non est liber ille vitæ, in quo Deus conscriptos habet suos ad vitam: non enim agnoscuntur à Deo, tanquam ad vitam pertineant: sed est liber potiùs, in quo (vt ita loquar) & Ecclesia & ipsimet se scripserunt ad vitam: id est, est cognitio, qua Ecclesia illos in numero eorum qui ad vitam sunt electi, habet & agnoscit: idque propterea, quòd videt illos secundum externam vocationem & iustitiam in fœdere Dei de vita æterna contineri. Et est cognitio, vel opinio potius, qua ipsi quoque hypocritæ putant se ad vitam æternam pertinere: idque, quia cernunt se aliquam habere in Christum (licet nunquam veram) fidem, & aliquam (licet hypocriticam) iustitiam. At vbi Deus illorum hypocrisin retegit, & palàm damnat: tum & Ecclesia, & ipsimet agnoscunt, se non fuisse in vero & æterno Dei libro scriptos: & tunc dicuntur deleri de libro. Quin etiam dici potest esse cognitio Dei, qua Deus ipse videt eos secundum præsentem externam iustitiam, quodammodo pertinere ad æternam vitam: quanquam secundum internam & veram iustitiam, nouit eos non pertinere ad vitam. Delentur autem de libro hoc, cùm externam etiam iustitiam amittunt. Tunc enim nullo modo apparent ad æternam vitam pertinere.

Alter est liber æternus ipsius Dei: in quo firmiter & æternùm conscripti sunt ad vitam æternam, omnes verè filij Dei, idque ab æterno. De hoc Dan. 12. Philip. 4. Apocal. 20. 21. & de hoc etiam hîc Ies. 4. loquitur.

Quid igitur est hic liber? Est illud: Nouit Dominus qui sint sui: Scimus librum appellari, vbi multa scribuntur. Multa enim scribi non possunt in vno folio, sed in libro aliquo iustæ magnitudinis. Scimus etiam res scribi non solùm in chartis, sed etiam in corde, in mente, in intellectu. Sic enim loquitur Apostolus 2. Corinth. cap. 3. Item Ieremias: Scribam leges meas in corda eorum. Librum igitur vitæ dico esse pectus seu mentem illam diuinam, in qua ab æterno iuxta suum propositum & definitum consilium conscripsit ipsemet Deus ad vitam æternam omnes, quos sibi placuit eligere in filios, in fratres Christi, & consortes cœlestis regni: idque ex sua pura gratia, & non ex meritis hominum præuisis. Seu est (vt clarius loquar) ipsa æterna & firma certorum hominum in mente Dei ad vitam æternam conscriptio, seu electio & prædestinatio: quam indubitatò sequitur efficax vocatio, iustificatio & glorificatio: vt est ad Rom. 8. Seu est (vt breuius dicam) illa æterna Dei præscientia, qua, quos suos esse voluit, semper agnoscit & agnouit, de qua. 2. Timoth. 2. Nouit Dominus qui sint sui. Ideò sæpius in Euangelio ait Christus, se dicturum impijs: Non noui vos. De electis verò ait: Ego agnosco eos. *Ieremi. 31.*

Augustinus Tom. 5. de ciuitate Dei. lib. 20. cap. 15. exponens verba Iohannis Apocal. 20. Qui non inuenti sunt scripti in libro vitæ, missi sunt in stagnum ignis, &c. hæc scribit: Non Deum iste liber commemorat (id est, liber iste apertus non admonet Deum qui sint seruandi) sed prædestinationem significat eorum quibus æterna dabitur vita. Neque enim nescit Deus eos, & in hoc libro legit vt sciat: sed potiùs ipsa eius præscientia de illis, qui falli non potest, liber est vitæ, in quo sunt scripti, id est, præcogniti.

Nunc (vt ad alteram quæstionem veniamus) cùm Moses Exod. 32. dicat, Dele me seu expunge de libro: & Psal. 68. Deleantur de libro viuentium: quærunt omnes, An fieri possit, vt qui semel in libro illo vitæ æternæ scriptus fuit, expungi post. ea ex eo possit: id est, Qui prædestinatus est ad vitam, possit perire:

Principiò, Sophistarum quorundam refero responsionem, qui hanc propositionem, Petrus (verbi gratia) ad vitam æternam electus, potest damnari (quod idem est ac si dicas, potest deleri de libro vitæ) dicunt in sensu (vt loquuntur) diuiso esse veram: in sensu verò composito, falsam. In sensu autem diuiso, intelligunt id, quod alij vocant, simpliciter: in sensu verò composito, id quod dicimus, ex suppositione. Ergo an prædestinatus ad salutem possit damnari, seu qui scriptus est in libro vitæ, possit inde expungi: dicendum esse contendunt. In sensu diuiso posse: nempe, Ille, qui est prædestinatus, si in seipso, absque eo, quòd sit prædestinatus, consideretur, potest damnari: quia non est simpliciter necessarium vt saluetur, sed tantùm ex suppositione, id quod est in sensu composito: hoc est, si ille qui est prædestinatus ad vitam, consideretur coniunctus cum sua prædestinatione, & ab illa non separetur, propositio est impossibilis, nempe, quòd qui est prædestinatus ad vitam, quatenus prædestinatus est, possit damnari. Hæc est illorum responsio.

Secundò: Catharinus nouum dogma commentus est. Is statuit, quosdam, eosque paucos, esse prædestinatos: hoc est, præ alijs ad æternam vitam singulariter electos. Et hos ita à Spiritu sancto per totam vitam regi, & in fide conseruari, vt ab ea nunquam excidant, multò minus ab æterna vita. donari enim hos perseuerantia in fide: quia ex sola prædestinatione hæc omnia dona habent, & consequenter æternam vitam. Hos igitur non posse vllo modo ex libro expungi. Reliquos homines non esse quidem prædestinatos ad salutem, sed neque tamen ita ab illa reiectos, vt nullo modo saluari possint, si velint. Omnibus enim offerri gratiam tãtam, quanta sit satis ad salutem consequendam. Ceterùm horum quosdam esse, qui gratiam oblatam nunquam recipiunt: hos igitur nunquam in libro conscribi. Alios autem esse, qui gratiam amplectantur ad tempus: sed eos tandem gratiam reijcere, & damnari. Hos igitur, cùm gratiam recipiunt, scribi in libro vitæ: cùm verò reijciunt, deleri de libro. Postremò, alios gratiam modò recipere, modò reijcere: sed tandem finaliter in gratia mori: hos igitur quoque, modò scribi, modò expungi. Ceterùm quia hoc est ipsius somnium, quosdam scilicet saluari, qui non sint prædestinati ad salutem: ideo eius responsionem reijcimus. Imò quoniam nos, cum de libro vitæ loquimur, prædestinationem intelligimus: & quos paucos esse dicit prædestinatos, nos dicimus esse omnes, qui saluãtur: & de ipsius sentẽtia, prędestinati è libro nunquã expunguntur: ideo cõcludimus, Quicunq; in libro vitę scripti sunt, eos nunquã deleri.

Tertiò, referam responsionem Thomæ in prima parte, quæstion. 24. artic. 3. Liber vitæ (inquit) est conscriptio prædestinatorum ad vitam æternam, ad quam ordinatur aliquis ex duobus. Primò, ex prædestinatione diuina: & hæc ordinatio nunquam deficit. Secundò, ex gratia ordinatur aliquis ad vitam. Quicunque enim habet gratiam Dei, dignus est vita (per gratiam verò intelligit rem creatã in anima, donũ Spiritus S. non æternam beneuolentiam, & fauorem Dei:) & hæc ordinatio deficit interdum. deficiunt enim aliqui à gratia per peccatum mortale: & ita etiam deficiunt ab ordinatione, qua propter gratiam, quam habebant, ordinati erant ad vitam æternam. Hæc Thomas. Concludit: Illos igitur, qui ad vitam æternam sunt ordinati ex prædestinatione, non posse deleri de libro, nec amittere vitam æternam: Quare? Quia scripti sunt in libro simpliciter, ad vitam æternam ex prædestinatione Dei, quæ mutari non potest, habendam: (conclusio hæc vera est) Illi verò (inquit) qui ordinati sunt ad habendam vitam non ex prædestinatione, sed solum

lum ex gratia deleri possunt: Quare? Quia non sunt scripti in libro simpliciter: id est, ad habendam vitam ex sola prædestinatione, quæ est immutabilis: sed secundum quid, id est, ad habendam vitam ex gratia, quæ amitti potest. In hac Thomæ responsione quædam sunt vera, quædam falsa.

Quod ait Thomas, qui sunt ex prædestinatione ad vitam æternam, ideoq; scripti in libro vitæ, non posse ab illa ordinatione excidere, ideoque non posse è libro vitæ deleri: vt Christianè & piè dictum amplector. Quod verò ait, quosdam non ex prædestinatione, sed ex gratia ad vitam esse ordinatos: si intelligit de vera gratia, vt de vera fide, deque gratia veræ regenerationis, non admitto: Quia gratia hæc non potest contingere nisi prædestinatis, & effectus est prædestinationis. Quomodo igitur, qui non sunt ordinati ad vitam ex prædestinatione, ordinati esse possunt ex vera gratia, prædestinationis effecto? Si verò intelligit de gratia, vt de fide temporaria, quæ non est vera fides: tunc, quod ait ex gratia hac quosdam esse ad æternam vitam ordinatos, partim admitto, partim non admitto. Admitto, secundum præsentem iustitiam in facie Ecclesiæ: quatenus in Ecclesia multi videntur ex hac fide temporaria ad vitam ordinati, cùm tamen non ita sint coram Deo. Non admitto autem, quia reuera neque coram Deo, neque à Deo ordinati fuerunt ad vitam æternam. Quare quod etiam subdit, hos deleri de libro vitæ: impropriè dictum est, cùm in ipso prædestinationis libro nunquam fuerint conscripti.

Vera & simplex responsio est, quam Augustinus, & alij post Augustinum Patres ex verbo Dei proferunt: Qui verè fuerunt in libro vitæ conscripti, eos nunquam inde deleri posse. Quod perinde est ac si dicas: Qui semel fuerunt prædestinati ad vitam æternam, ab illa non possunt in mortem æternam reijci. Hoc ita esse, infinita testimonia Scripturarum euincunt. Quæ singula recitare, operæ precium non est in præsentia: duo aut tria sufficiant. Iohan. 6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eijciam foras, sed resuscitabo illum in nouissimo die. Dedit autem Pater Christo, electos in prædestinatione, cùm illos prædestinauit in Christo ad vitam æternam. Veniunt ad Christum, per fidem: non eijciuntur foras, quia perseuerantiæ donum accipiunt, & manent semper cum Christo: non igitur possunt perire. Iohan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & nemo potest rapere eas de manu mea. Hic locus etiam apertus est. *Iohan. 6.* *Iohan. 10.*

Sed locus ad Rom. 8. omnem tollit dubitationem, cùm ait: Quos præsciuit, eosdem & præfiniuit conformes fieri imaginis Filij sui, vt ipse sit primogenitus inter multos fratres. Porrò quos præfiniuit, eosdem & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit: quos iustificauit, hos & glorificauit. Quatuor annuli sunt vnius cathenæ, qua è cœlo demissa, Pater in cœlum trahit electos: annuli inquam quatuor indissolubiles. Primus est, prædestinatio ad vitam in Christo: Secundus, vocatio efficax ad Christum: Tertius, iustificatio per Christum: Quartus, glorificatio cum Christo. Glorificatio igitur, quæ futura est in vita æterna, separari non potest à primo annulo, neque primus ab vltimo. Quare prædestinati perire non possunt. Huiusce verò conclusionis ratio est, quam Paulus docet Rom. 11. Dona Dei & vocatio sunt sine pœnitentia: Ergo multò magis prædestinatio est sine pœnitentia. Ideo Augustinus Tom. 8. in Psalm. 68. exponens verba, Deleantur de libro viuentium, ait: Fratres, non sic accipere debemus, quòd quenquam Deus scribat in libro vitæ, & deleat illum. Si homo (Pilatus) dixit, Quod scripsi, scripsi: (de titulo, vbi scriptum erat, Rex Iudæorum:) Deus quenquam scribit, & delet? Præscius est, prædestinauit omnes ante constitutionem mundi, regnaturos cum Filio suo in vita æterna. Hos, quos conscripsit, ipsos continet liber vitæ. Denique in Apocalypsi quid ait Spiritus Dei, cùm de pressuris ab Antichristo futuris loqueretur eadem Scriptura? Consentient illi (inquit) omnes, qui non sunt *Rom. 11.*

ſcripti in libro vitæ. Proinde ſine dubitatione non erunt conſenſuri, qui ſcripti ſunt. Iſti ergo quomodo inde delentur, vbi nunquam ſcripti ſunt? Hoc dictum eſt ſecundum ſpem ipſorum: quia ibi ſe ſcriptos putabant. Quid eſt, Deleantur de libro vitæ? vt ipſis conſtet, non illos ibi eſſe. Ex hac locutione dictum eſt in alio Pſalmo: Cadent à latere tuo mille, & dena millia à dextris tuis: id eſt, multi ſcandalizabuntur, etiam ex eorum numero, qui ſe ſperabant ſtaturos ad dexteram tuam, ſeparati ab hœdis ſiniſtris: non quia cùm ibi ſteterit aliquis, poſtea cadet, aut cùm ſederit cum illo quiſquam, abijcietur: ſed quia multi caſuri erant in ſcandalum, qui iam ibi ſe eſſe putabant: id eſt, multi qui ſperabant ſeſſuros ſe tecum, multi qui ſperauerant ſtaturos ad dexteram, ipſi caſuri ſunt. Sic ergo & hic, illi qui ſe ſperabant tanquam merito iuſtitiæ ſuæ in libro Dei ſcriptos, quibus dicitur, Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere: cùm perducta fuerit damnatio eorum, etiam ad cognitionem illorum, delebuntur de libro viuentium: id eſt, non ibi ſe eſſe cognoſcent. Nam verſus qui ſequitur, exponit quod dictum eſt: Et cùm iuſtis non ſcribantur. Dixi ergo, deleantur ſecundum ſpem eorum: Secundum autem æquitatem tuam, quid dico? Non ſcribantur. Hæc ille. Non ergo poſſunt deleri. Etenim ſi adduci Deus poſſet ad eos delendos: nulla re adduceretur, niſi peccatis ipſorum. non eſt enim alia cauſſa expunctionis, niſi peccatum. At ſicut Deus non potuit impediri à peccatis electorum præuiſis, quin illos elegerit ad vitam, & in libro vitæ conſcripſerit: ita propter eadem peccata non poteſt adduci, vt illos è libro vitæ expungat, quos ſemel ibi gratis pro ſua tantùm gratia conſcripſit. Imò quia conſcripti ſunt ad vitam, etiam à Deo cuſtodiuntur, ne ita peccent, ſicut reprobi peccant: hoc eſt, ex animo, & deſtinata malitia, & pertinaciter ac perſeueranter, ita vt tandem damnari cogantur. Quia igitur gratis ſecundum ſuum beneplacitum elegit & ſcripſit nos in libro vitæ: ideo certa & firma eſt noſtra ſalus: & ex libro iſto nullo modo expungi poſſumus, quicunque ibi ſumus conſcripti. *1. Ioh. 5.*

Hæc eſt concluſio Reſponſionis ad hanc quæſtionem, quæ certa & perſpicua eſt. Ideo Ieſaias (iuxta priorem interpretationem huius contextus) ait ſanctos fore, quicunque ſcripti ſunt ad vitam: id eſt, neceſſariò erunt ſancti, & viuent: quia ſcripti in libro vitæ.

At, quomodo igitur intelligendi ſunt loci ex Exodo & Pſalmis adducti, Dele me de libro: item, Deleantur de libro viuentium? Accipite modò horum locorum explicationem.

Quod ad locum Exodi attinet, variè hunc expoſuerunt interpretes. Primò: Rabbi Sapheradi (vt Munſterus refert) ait Moſen locutum fuiſſe de libro legis, qui dicitur liber vitæ: eò quòd præcepta vitæ contineat. Petijt igitur à Deo, ſecundùm hunc Rabinum, vt ſi nollet populo parcere, ſe deleret de libro legis, vt nulla vnquam ſui memoria in lege ampliùs extaret: Quaſi dicat: ſi tu non vis parcere populo, ſed illum perdere, quia legem hanc, quam mihi dediſti, iam tranſgreſſus eſt: ego nolo ampliùs nominari in hac tua lege, & illam populo promulgare: quaſi ego hac ſeuera lege ſim autor, vt totus populus perdatur. Dele me ergo de libro legis potius.

Secundò: Alij Moſen loquutum fuiſſe ſentiunt, non de libro vitæ æternæ, ſed de libro vitæ præſentis. Quaſi dicat: ſi tu vis populum hunc ob hoc peccatum perdere, ego malo mori, quàm videre tantam populi huius calamitatem & ſtragem. Aut igitur populo parce: aut me vnà cum populo interfice. Satius fuerit, vt ego moriar, quàm vt tantum populum in fœdus tuum adſcriptum, & tot miraculis ex Aegypto liberatum, cum perpetua tui nominis ignominia in hoc Arabum deſerto perire videam. Quid enim dicet mundus? Te & me hunc populum ſeduxiſſe, & ceu oues ad macellum adduxiſſe. Ergo potius me dele de libro præſentis

vitæ,

vitæ, quàm vt sinas me tanti populi stragem atque exitium videre. Iuxta hanc expositionem videtur indicari à Mose liber, in quo vita vniuscuiusque scripta sit: seu, quot quisque annis, aut mensibus & diebus viuere debeat: Et videtur petere, vt sibi potius maturetur mors, quàm vt sinatur interitum tanti populi videre.

Tertiò: Quidam de libro vitæ æternæ intelligunt locum: sed Mosen cùm conditione locutum aiunt, quam tamen locum habere non posse sciebat. Ait enim: Dimitte eis hanc noxam: aut si non vis (scilicet remittere, sed penitus perdere) expunge me de libro vitæ æternæ. Iam Moses (inquiunt) certò sciebat, Deum non perditurum totum populum, quem iam in fœdus suum asciuerat: propterea quod fidem Dei irritam facere non poterant peccata populi. Cùm igitur conditionaliter loquatur, Si non vis parcere: sciat autem certò, Deum nolle populum perdere: iccircò dicens, Aut dele me, nihil petijt: & hac locutione non indicat fieri posse, vt quis è libro vitæ deleatur. At ait ibi apertè Deus, respondens Mosi: Qui deliquerit in me, delebo ego eum de libro vitæ. Peccata igitur populi possunt mouere Deum, vt fidem datam non præstet: & vt deleat è vitæ libro eos, qui ibi conscripti sunt?

Respondeo: Nomine libri vitæ intellexit fœdus, quod cum toto corpore illius populi pepigerat Deus. Id electis futurum erat perpetuum & ab eo fœdere non poterant excidere: illi enim erant verum semen Abrahæ: Reprobis verò, temporarium: quia sua infidelitate erant inde abscindendi, vt Apostolus docet Ro. 11. nec tamen propterea fœdus futurum erat irritum, nec fides Dei poterat fieri irrita: quia in electis mansurum erat firmum. De libro igitur huius fœderis loquitur: non libro vitæ, id est prædestinationis: Et de reprobis, non de electis intelligebat Dominus. Quòd si quis contendat, eum loqui de libro prædestinationis, & non tantùm de reprobis, sed etiam de electis: tunc dicam, etiam nihil hac locutione concludi, cùm sit conditionalis. Est enim sensus: si quis deliquerit, scilicet, ita, vt me penitus deserat, & toto corde in me peccet, ita vt ad me per pœnitentiam non redeat: delebo eum. Atqui hoc modo non possunt peccare illi, qui in libro vitæ æternæ scripti sunt. nam de ijs Ierem. ait: Scribam in corda eorum legem meam, & timorem meum dabo in corda eorum, vt non recedant à me. Immò Moses ipse electis ex populo ait Deut. 30. Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Quare neque verba hæc conditionaliter prolata concludunt, scriptos in libro æternæ prædestinationis, inde expungi posse. *Ierem. 31. & 32.* *Deut. 30.*

Quartò: Alij interpretantur quidem de libro vitæ æternæ: sed Mosen præ maxima charitate erga populum, & pro zelo gloriæ Dei, quam videbat periclitari, si tantus populus deleretur, κατ' ἀδύνατον locutum fuisse, & optasse (id quod tamen sciebat fieri non posse) se potius damnari in mortem æternam, quàm vt tantus populus perderetur, & simul gloria Dei periclitaretur. Quare Mosen his verbis nequaquam indicasse, posse quempiam è libro vitæ, in quo semel est scriptus, deleri: cùm locutus sit κατ' ἀδύνατον. Quasi dicat: Si fieri potest (id quod non potest) dele me potius de libro vitæ, quàm vt populus iste perdatur: Sicut & Paulus Rom. 9. optauit anathema esse à Christo, pro fratribus.

Quintò: Alij volunt Mosen nomine libri vitæ intellexisse catalogum populi Dei, seminis Abrahæ, seu illam fœderis communicationem, à qua excluſæ erant gentes: & in qua omnes Iudæi, etiam non prædestinati, comprehendebantur. erat enim ceu liber, in quo scripti omnes Iudæi, vt in familia Dei censerentur. Quasi dicat Moyses: Si non vis, ô Deus, parcere populo, sed illū à cōmunione fœderis tui reijcere: dele etiam me de libro hoc, id est, de cōmunione fœderis tui: expūge me ex albo &

libro populi tui. Hæc expositio simplicior est. Dominus enim statim respondet Moysi: Qui peccauerit in me, hunc ego expungam è meo libro. Quasi dicat: Non expungam, non excludam à communione fœderis mei, nisi illos qui peccauerint in me. Illi enim non erunt participes vitæ, quam in fœdere meo promisi: illique
Ezech.18. non censebuntur in meum populum & familiam. Huc spectat & illud Ezech. Si iustus auerterit se à sua iustitia, & fecerit iniquitates, secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecit, in recordationem non venient. Hoc est deleri è libro vitæ, non censeri ampliùs in familiam Dei, in communionem sanctorum, in fœderis diuini communicationem, in qua antea continebatur, & ceu scriptus videbatur: id quod fit propter peccata, infidelitatem, & defectionem à Deo.

Ezech.13 Huic expositioni videtur fauere illud Ezech. In arcano populi mei non erunt, & in Scriptura (id est, in catalogo) domus Israël non scribentur. Cùm igitur iuxta hanc interpretationem Moses non loquatur de libro prædestinationis ad vitam æternam: ideo ex hoc loco Moysis non potest concludi, deleri quempiam posse ex libro electionis.

Quocunque modo exponamus hunc locum: videmus hinc non consequi, quòd quis possit deleri è libro prædestinationis, in quo semel conscriptus est.

Sed quid ad locum Psalmi: Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur?

Hic etiam locus potest sic exponi, sicut locum Exodi, postremò declarauimus. Loquitur Dauid de Iudæis hypocritis, qui etiam ipsi in familia Dei censebantur, & participes erant diuini fœderis, vnà cum sanctis. Cùm autem impij essent, & inimici Dei: propterea precatur Deum Dauid, vt illos expellat à consortio sanctorum, eijciatque ex hac fœderis communione: ne vllam cum iustis, id est, cum populo Dei, habeant communionem. Et hoc est deleri è libro vitæ, & cum iustis non scribi. Et hæc etiam simplex est expositio: vt idem sit liber viuentium & iustorum, id est, fœdus Dei.

Quidam tamen volunt, diuersum esse librum viuentium à libro iustorum. Videntur velle, librum viuentium esse fœdus, quod Deus in Veteri testamento cum Patribus pepigit: Quod ideò viuentium liber dicitur, quia qui fecerit hæc, viuet in eis. Iustorum verò librum, fœdus Noui testamenti: quod certè adiunctam habet prædestinationem æternam, vt fundamentum: Quod etiam ideò liber iustorum dicitur, quia per fidem Noui testamenti iustificamur. Impij ergo illi, de quibus Propheta loquitur, deleti sunt de primo libro, quia legem non seruarunt: nec sunt scripti in secundo, quia nunquam crediderunt in Christum, nec sunt electi ad vitam æternam. Ab hac non videtur dissentire Hieronymus, qui Tom.8. hunc locum exponens, ita ait: Duos hîc libros indicat scriptos, viuentium, & iustorum: in quo ante aduentum Dei, Prophetæ ac Patriarchæ scripti sunt: de quo Moses peccante populo ait, Si non dimittes eis noxam, dele me de libro tuo. Iustorum verò dicit illum, de quo Dominus ad eos, qui per fidem sunt secuti, ait: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Persecutores ergo isti, & à primo libro deleti sunt, & in secundo non sunt scripti. Hæc Hieronymus: in Psal.68.

Augustinus Tom.8. exponit aliter hunc locum. Sensus secundum Augustini interpretationem, hic est: Domine damna & perde hos impios hypocritas, qui se putant scriptos esse in libro vitæ, & cum sanctis esse connumeratos: & ita declara, eos non esse scriptos in libro vitæ, neque cum iustis conscriptos. Quare deleri aliquem è libro vitæ, est, declarari illum non esse scriptum in libro vitæ. Verba Augustini superiùs recitata sunt.

Stat

Stat igitur firma concluſio: Ex libro vitæ neminem, qui ibi ſcriptus ſit à Deo ante mundi conſtitutionem, expungi poſſe. Nunc addo: Neque quempiam, præter eos, qui in eo ſcripti ſunt ante mundi conſtitutionem, poſſe eo in libro conſcribi. Clauſus eſt liber, obfirmatusque ſignaculis: in die iudicij aperietur, vt qui ſcripti ſunt legantur.

Auguſtinus de Correpț. & Gratia cap. 13. Hæc de ijs loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei: quorum ita certus eſt numerus, vt nec addatur eis quiſquam, nec minuatur ex eis.

At Deuter. 1. Dominus Deus noſter addat ad hunc numerum multa millia: vbi Gloſſa ait, Ad hunc numerum, id eſt, definitum apud Deum: Nouit qui ſunt eius, qui numerat multitudinem ſtellarum.

Reſpondeo: non loquitur de numero prædeſtinatorum, ſed de numero populi, id eſt, eorum qui in fœdere Dei numerabantur, ſecundum præſentem iuſtitiam, non ſecundum æternam prædeſtinationem. Ac de ſecunda Quæſtione ſatis.

Ad Quæſtionem tertiam: Si liber vitæ eſt præſcientia diuina eorum, qui ad vitam ſunt conſcripti, id eſt, electi: Deus autem non ſolùm præſciuit electos, ſed etiam reprobos, qui & quot eſſent damnandi: Cur igitur in Scripturis non ſtatuitur etiam liber mortis, ſeu illorum, qui ad mortem ſunt deſtinati?

Reſpondeo, Metaphora, iuxta quam præſcientia electorum dicitur liber vitæ, non fert, vt præſcientia reprobatorum appelletur liber mortis: apud nos enim non conſueuerunt vnquam conſcribi, niſi illi qui eliguntur, non autem illi qui reijciuntur. Exempla habes in militia, & in ſenatoribus. Cùm Imperator aliquis exercitum colligit, non ſolet conſcribere niſi eos, qui eliguntur in milites: reliqui non ſcribuntur. Ita cùm colligitur Senatus, illi tantùm conſcribuntur, qui in Senatores eliguntur: reliqui ciues minimè. Ita etiam apud Deum, non dicuntur ſcripti, niſi illi qui ſunt ad vitam electi: reliqui in ſua morte ſinuntur, negliguntur que.

De gradibus noſtræ ſalutis: atque in primis de Gratia Dei: in ea verba Ieſaiæ Cap. 4.

In die illa erit germen Domini, &c.

DIximvs, in hac promiſſione ſummam & gradus ſalutis noſtræ contineri. Quorum primus eſt, ipſa gratia Chriſti, ſeu gratia Dei in Chriſto: Secundus, prædeſtinatio, ſeu conſcriptio ad vitam æternam: Tertius, vocatio ad Chriſtum & ad ſanctitatem. Quartus, iuſtificatio, ſeu remiſſio peccatorum, ablutio à ſordibus: quam conſequitur ſanctificatio & reformatio. Quintus, ipſa perpetua Dei gubernatio: quam conſequitur æterna pax, vita, glorificatio.

Nunc, vt de ſingulis capitibus quàm breuiſſimè aliquid dicamus: dicendum primùm eſt de gratia Dei in Chriſto, eatenus tantùm, quatenus facit ad hos gradus explicandos.

Gratia (quod ad eius notationem attinet) ita propriè appellatur, eò quòd gratis detur: vt Auguſtinus in Epiſtola ad Sixtum preſbyterum, & alibi ſæpius docet.

cet. Et hæc notatio conuenit omnibus gratijs Dei: dantur enim omnes gratis. Nam quod Augustinus ait gratiam ita appellari duas ob causas, tum quia gratis datur, tum quia gratos facit, non conuenit hoc gratiæ omni: vt gratiæ prophetiæ, linguarum,
1. Cor. 12. gratiæ sanandi, & alijs, de quibus 1. Cor. 12. Iccirco vera huius vocis generatim acce-
Rom. 11. ptæ etymologia est, quia gratis detur. Rom. 11. Sic ergo etiam in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei, saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non est gratia: id est (vt Augustinus optimè interpretatur) Gratia non est gratia vllo modo, si non est gratuita omni modo. Idem Tom. 7. de Natura & gratia cap. 4. Hæc igitur Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salui fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur: propter quod etiam gratia nominatur. Hæc de notatione.

1. Gratia Dei (quantum ad præsentem explicationem attinet) accipitur bifariam. Primò, pro fauore beneuolentiaque Dei æterna, qua nos in Christo dilexit: & à qua permotus fuit, vt nos ad æternam vitam eligeret, redimeret, vocaret, iustificaret, glorificaret. Sic solemus fauorem principis, & beneuolentiam qua nos complectitur, gratiam principis appellare: & illum esse in principis gratia, cui princeps fauet, & quem princeps diligit. Ita gratia Dei hoc primo dicitur modo. Et hoc pacto gratia in Deo est, in nobis tantùm eius cognitio & sensus. de hac
Rom. 5. Tit. 2. Apparuit gratia Saluatoris nostri Dei, omnibus hominibus. Rom. cap. 5. Iustificati per gratiam ipsius: id est, fauorem & beneuolentiam. Item: Multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius Iesu Christi, in plures abundauit. Hæc gratia est amor ille gratuitus, quo nos dilexit ab æterno Deus: de quo Rom. cap. 9. Iacob dilexi, Esau odio habui. Duplex enim amor Dei. Vnus quo omnia quæ condidit
Sap. 11. diligit: de quo Sap. 11. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: id est, omnibus benefacis. Sic etiam reprobos diligit: omnibus enim benefacit. Al-
Rom. 9. ter amor est, quo solùm electos diligit: de quo Rom. cap. 9. Iacob dilexi, &c. Hanc gratiam dedit nobis ante tempora æterna: sed manifestata est postea in tempore,
2. Tim. 1. tum cùm promisit, tum maximè cùm dedit Christum. 2. Timoth. 1. Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora æterna, manifestata autem nunc per aduentum Saluatoris nostri: id est, ab æterno diligebat nos Deus in Christo: sed amorem hunc non nouimus, nisi tum maximè cùm venit Christus, & se ob salutem nostram venisse dixit, & patefecit quòd Deus Pater ob nimiam charitatem, qua dilexit nos, Filium suum miserit in mundum. Hæc est prima significatio nominis gratiæ. Et hæc gratia, causa est & fons aliarum gratiarum omnium.

2. Secundò accipitur gratia pro huius primæ gratiæ effectis, seu donis, quæ Deus ob suam gratiam & beneuolentiam in nos confert. Et solent vocari dona, &
Rom. 6. verò etiam gratiæ: vt gratia regenerationis, gratia fidei, vita etiam æterna gratia dicitur. Sed hæ duplicis sunt generis.

Quædam gratiæ seu dona sunt, quæ nobis donantur ad salutem nostram, & nostrum bonum: qua de causa, gratiæ etiam gratum facientes appellantur, vt Gratia fidei, charitatis, regenerationis, vita æterna. Et hæ gratiæ non verè dantur, nisi electis. Fides enim vera & viua, initium est reliquorum huius generis donorum
Act. 13. in nobis. Hæc autem est tantùm electorum. Acto. Crediderunt quotquot præordi-
Tit. 1. nati erant ad vitam æternam. Tit. Fides electorum dicitur. Quædam dantur ad aliorum salutem: vt est gratia loquendi linguis, gratia prophetandi, de quibus 1. Cor. 12. Hæ dantur etiam reprobis: sed ad aliorum, id est, electorum salutem, ad Ecclesiæ Christi vtilitatem, & instaurationem Sanctorum. Qua de causa, gratiæ tantum gratis datæ vocantur.

At,

At, si dantur etiam reprobis, quomodo igitur semper proficiscuntur hæ secundæ à prima illa quæ est dilectio æterna? Vtique: sed à gratia & fauore illo, non erga illos quibus dantur: sed erga illos, in quorum salutem, etiam reprobis dantur.

Modò quæ gratia est illa, quam (iuxta doctissimi interpretis sententiam) intelligimus nomine germinis Domini? Possumus intelligere vtramque, & beneuolentiam ac fauorem Domini: & eius effecta omnia, ac dona, tam quæ ad nostram, quàm quæ ad aliorum salutem faciunt. Hæc enim copiosissima tum fuerunt in Apostolis, reliquiis Israël: tum erunt in aliis reliquiis, quæ conuertentur in fine seculi. Sed in primis intelligimus gratiam, id est, fauorem & beneuolentiam Dei. Hæc enim vndiquaque germinat & relucet, si quis donatus fide eam contemplari possit. Quid enim è terra, cùm tot vberes fructus affert: quid è mari, vnde tot piscium genera in nostram vtilitatem: quid è cœlo, è stellis, denique è creaturis omnibus relucet, nisi hæc æterna erga nos electos Dei beneuolentia & fauor? Hæc igitur gratia, iure germen vocatur: & fructibus terræ, qui vndiquaque pullulant, propter sua effecta comparatur.

Tota salus ex gratia.

Electio.

Hanc autem Dei gratiam in Christo, dico fontem esse, vnde salus nostra scaturit, & quæcunque attinent ad salutem nostram profecta sunt: Imò est initium, medium, & consummatio salutis nostræ: ita vt sine hac, nulla ratione haberi possit salus, & vita æterna. Quod verissimum esse, hac inductione fiet perspicuum. Nemo potest saluari, & vitam æternam consequi, nisi sit ad illam prædestinatus & electus. Regnum enim Dei non dabitur nisi illis, quibus paratum est à constitutione mundi: Matth. 25. Venite benedicti, possidete regnum quod vobis paratum est. Item Christus: Non est meum (inquit) dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo: At vnde nostri electio? seu vnde motus Deus, vt nos præ alijs ad vitam æternam in Christo elegerit? num ex præuisis operibus nostris? Minimè. Excludit hoc passim Scriptura, Rom. 9. Antequam quicquam boni aut mali fecissent, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori. Sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau odio habui. Non ex operibus: scilicet neque quæ fecissent, quia nondum nati: neque quæ ipsi suis viribus erant facturi, quia hæc omnia peccata: neque quæ facturi ex gratia Spiritus sancti, quia præterquam quòd & hæc ob carnis contagionem & imperfecta & contaminata sunt, cadunt etiam sub prædestinationem, & sunt eius effecta: Ephes. Ipsius factura sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit vt in illis ambulemus. Ergo non ex operibus est prædestinatio: sed vnde? Ex gratia, ex fauore, ex amore, quo Deus in Christo nos ab æterno est complexus: seu ex gratuita sua erga nos bona voluntate & εὐδοκίᾳ. Ab hac enim adductus fuit Deus, vt præ alijs nos eligeret. Finis verò fuit, amor suæ gloriæ: vt patefieret eius bonitas, iustitia, misericordia, amor: & ita laudaretur Deus, Ephes. 1. Elegit nos in Christo, in sese, iuxta beneplacitum voluntatis suæ (en vnde motus Deus) in laudem gloriæ gratiæ suæ (en caussam finalem) 2. Timoth. 1. Deus saluos nos fecit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam (id est, propositum gratuitum, quod ab amore erga nos profectum est) quæ data est nobis per Christum Iesum ante tempora æterna, sed palàm facta est nunc per apparitionem seruatoris nostri Iesu Christi.

Ephes. 2.

2. Tim. 1.

Manifestum est igitur, gratiam Dei, seu eius erga nos fauorem & amorem in Christo, gratuitamq; erga nos bonam voluntatem, caussam fuisse, vt nos præ alijs ad vitam æternam elegerit. Quare gratia fons est salutis nostræ.

Scio

Scio prædestinationem & electionem nostri, esse fundamentum salutis nostræ: Sic enim Paulus 2. Timoth. 2. vocat: Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sint sui: Sed cùm discrimen sit inter prædestinationem seu electionem, & inter ipsam caussam electionis: dico, gratiam hanc, seu gratuitum Dei propositum, & voluntatem atque amorem, caussam esse electionis, itemque initium salutis nostræ.

Christi beneficium. Nemo potuisset saluari, nisi Christus venisset, & suo sanguine pro peccatis mundi, diuinæ iustitiæ satisfeciisset: Actorum 4. Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri: At vnde Christi ad nos aduentus, & passio, satisfactio & omnia bona? Ex gratia, seu ex æterna erga nos Dei dilectione: Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.

Vocatio. Nemo (adultus) potest seruari, nisi ad Christum, eiusque Euangelium vocetur: & quidem efficaciter: At vnde hæc vocatio? Ex gratia. 2. Timoth. 1. Vocauit nos vocatione sua sancta, secundum propositum & gratiam, quæ data est nobis ante tempora æterna: Vnde & Paulus Galat. 1. se vocatum dicit à Christo, per gratiam suam.

Fides. Nemo potest saluari, nisi fidem habeat in Christum, qua assentiatur vocanti: vel saltem Spiritum fidei. nam & pueri Spiritum fidei habeant, si debeant saluari, necesse est: cùm vnusquisque iustus sit ex sua fide, & ex ea viuat: At vnde fides? Ex gratia. Ephes. 2. Gratia salui facti estis, per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.

Bona voluntas. Nemo (adultus) potest saluari sine bona voluntate, qua velit in Christum credere, & velit quod in Euangelio offertur amplecti, & velit seruare mandata. At vnde hæc voluntas? Ex gratia. Præparatur enim voluntas à Domino: Item Phil. 3. Deus operatur in nobis velle & perficere, pro sua bona voluntate, id est, gratia. Augustinus de Gratia & libero arbitrio, ad Valentinum cap. 16. Certum est nos mandata seruare, si volumus: sed præparatur voluntas à Domino. Item, certum est nos velle, quum volumus: sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est Psalm. 36. à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.

Iustificatio. Nemo potest seruari, nisi iustificetur, & iustus fiat: Psal. Oculi Domini super iustos: vultus autem Domini, id est, ira, super facientes mala: At vnde iustificatio nostra? Ex gratia. Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius.

Regeneratio. *Sanctificatio.* Nemo potest saluari, nisi per Spiritum regenerationis regeneretur & sanctificetur: Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. At vnde Spiritus quo regeneramur? Et vnde hæc sanctificatio? Ex gratia: Ioel. 2. Effundam ego (ait Dominus) de Spiritu meo super omnem carnem: Tit. 2. Quem effudit in nos abundè: Ephes. 1. Prædestinauit nos, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius: elegit inquam secundum propositum voluntatis suæ.

Charitas. Nemo (adultus) potest saluari, sine charitate in Deum & proximum. 1. Cor. 16. Qui non diligit Dominum Iesum, sit anathema: 1. Iohan. 2. Qui non diligit fratrem, manet in morte. At vnde hæc charitas? Ex gratia à Deo. Is enim sua dilectione, qua nos prius dilexit, parit in nobis dilectionem, qua vicissim nos eum diligamus. 1. Iohan. 4. Non quasi nos dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos, misit Filium suum. Huc & illud Rom. 5. Diffusa est charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Augustinus: Amor quo diligimus Deum, non est nisi à Deo. 1. Iohan. 4. Charitas ex Deo est.

Bona opera. Nemo potest saluari, nisi (si per ætatem licet) bonis etiam operibus studeat, inque illis ambulet. Hæc enim sunt testimonia fidei; & prædestinati in iis ambulant: vnde Ephes. 2. Ipsius factura sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit

vt in

vt in illis ambulemus. At vnde bona in nobis opera? Ex gratia: Ezech. 36. Dabo Spiritum meum in corda eorum, & faciam vt ambulent in præceptis meis.

Nemo potest saluari sine continua peccatorum (quotidie enim labuntur sancti) remissione: At vnde hæc remissio peccatorum perpetua? Ex gratia: Esa. 43. Ego, ego, qui deleo iniquitatem, propter me: id est, propter meam gratiam & voluntatem. *Remissio peccatorum.*

Nemo potest seruari, nisi perseueret in fide, in bonis operibus, in dilectione: denique nisi perseueret in Christo: Matth. 24. Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit. At vnde hæc perseuerantia? Ex gratia Dei. Ierem. 32. Dabo timorem meum in corda eorum, vt non recedant à me: Philip. 1. Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, sed etiam vt patiamini pro illo: Ecce perseuerantiam. *Perseuerantia.*

Quid ipsa vita æterna? vnde? Ex gratia datur. Rom. 6. Gratia Dei, vita æterna.

Pertinet huc pulcerrima Fulgentij explicatio, quam de effectis gratiæ habet ad Monimum lib. 1. pag. 8. Ipse (Deus) donat gratis indigno gratiam, qua iustificatus impius illuminetur munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis, vt præueniente misericordia bonum velle incipiat, & subsequente misericordia bonum quod vult, facere valeat. Vtrumque autem prædestinando Deus præparauit in illa incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renouandi dispositum, vt eius voluntas in opere nouo noua esse non possit. Donat etiam gratiam digno, in retributione mercedis æternæ, vt scilicet, siue cùm impium piè iustificat, iustus: (quia de ipso Apostolus dicit: vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide est Iesu:) seu cùm iustum iustè glorificat, pius: (Quia quos iustificauit, illos & glorificauit:) Eadem sit operatio gratiæ, quæ meritum hominis bonum, & initiat ad iustitiam, & consummat ad gloriam: Primò inchoans in homine voluntatem bonam, deinde eandem voluntatem adiuuans inchoatam, vt eadem voluntas, & diuino dono bona sit, & diuino adiutorio malam superare concupiscentiam possit, & Deo perficiente talis postmodum ipsa voluntas sit, vt malam concupiscentiam habere non possit: Ac sic in præsenti vita gratiæ adiutorio infirmitati non cedat, in futuro autem, gratiæ beneficio, infirmitatem non habeat: Et nunc recreetur continuo iuuamine medicaminis, tunc verò fruatur æterna plenitudine sanitatis. Hæc autem Deus, sicut in prædestinatione semper habuit, sic per gratiam, sicut prædestinauerat, facit.

En quo pacto omnia, tum quæ ad salutem nostram faciunt, & necessaria sunt, tum ipsa salus, omnia inquam sunt ab hac Dei gratia, seu fauore, & dilectione qua nos ab æterno in Christo complexus est: Ab hac inquam gratia, quæ à Isaia germen Domini, & fructus terræ appellatur. Hæc enim est germen, vnde omnes ij fructus, quos recensui, nascuntur. Iure ergo dixi, hanc esse fontem, vnde tota nostra salus: esse principium, medium, & consummationem salutis nostræ. Quare non ab re Isaias in hac diuina promissione, quam de Ecclesiæ salute & felicitate facit, primo loco posuit gratiam Christi. Proinde tota nostra salus est gratuita: & quia est gratuita, ideo certa: & quia certa, ideo debemus liberati omni timore & metu, læto animo & hilari conscientia continenter gratias agere tanto cœlesti Patri in Christo, debemusque Deo cum Dauide dicere: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Nihil restat, nisi quod sequitur: Calicem salutis accipiam, & nomen Domini inuocabo. Nomine inuocationis, totus Dei cultus intelligitur. Debemus ergo Deo fidere, sperare in Deum, diligere Deum: ad eius voluntatem, nostram conformare: mandatis eius implendis studere: & ad quæuis tormenta, propter Domini nostri Iesu Christi seruatoris nomen, æquo animo ferenda, nostra corda præparare. Hic est enim finis tot tantorumque eius erga nos

beneficiorum. hic est finis, cur Deus gratuitam esse voluerit, ideoque certam nostram salutem, quemadmodum Zacharias in Cantico cecinit: vt scilicet de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia, coram ipso omnibus diebus nostris. Faxit Dominus, vt ita à nobis fiat.

De Prædestinatione.

Quosdã esse electos: quosdam reprobos.

QVOD verò ad alterum nostræ salutis gradum, hoc est, ad prædestinationem attinet: etsi Deus omnes homines amat, quosdam tamen, & non omnes, ad salutem æternam esse electos ac prædestinatos, manifestum fit ab ipsa etiam dissimilitudine, quæ in rebus omnibus à Deo conditis conspicitur. Quanquam enim omnia, quæ sunt, Deus ipse condidit: ideoque omnia etiam diligit (sicut legimus, in Sapientiæ libro: Diligis ô Deus omnia quæ sunt, & nihil eorum odisti, quæ fecisti) diuerso tamen amore à Deo diligi, inde colligere est, quòd diuersas eorum conditiones esse voluit: quemadmodum cernimus, longè aliam conditionem & virtutem communicatam esse plantis, quàm lapidibus: & aliam animalibus, quàm plantis: longè verò diuersam hominibus, quàm brutis. Hæc certè diuinarum benedictionum diuersitas, diuersum esse Dei erga res à se creatas amorem, apertè demonstrat. Ita, tametsi omnes homines diligit, cùm omnium etiam sit creator, rector, & Dominus: non eodem tamen amore omnes ex æquo prosequitur: id quod diuersa, quam inter ipsos esse voluit, conditio apertè conuincit. Cùm enim omnes ex æquo peccarint, alios tamen ita diligit, vt à peccatis per Christum liberet, vt ab inferis eripiat, vt donet fide in Christum, vt ex filijs Adæ Spiritu sancto regeneret in filios Dei, vt in aduersis donet patientia, vt faciat ambulare in præceptis suis, vt eis det Spiritum timoris, quo non recedant à se: vt denique donet vitam æternam. Alios verò ita diligit, vt tamen nihil harum rerum diuinarum & cœlestium illis impertiat: sed in suis peccatis, in suaque corrupta natura, ideoque in manu Sathanæ, in morte, in inferno illos deserat.

Dominus Iesus Matth. 24. miram diuersamque fore hominum conditionem in aduentu suo ad iudicium, docet ijs verbis: Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, alter relinquetur: duæ molentes in mola, vna assumetur, altera relinquetur: duo in lecto, alter assumetur, alter relinquetur. Sed certè diuersa hæc hominũ conditio, post conditum orbem quotidie spectatur. Nam præterquam quòd duo peccant, homo & angelus: & vnus, id est, homo assumitur a peccato: alter, id est, angelus in peccato relinquitur: duo etiam sunt primi fratres, Abelus & Cainus: & vnus assumitur in gratiam, vitamque æternam: alter relinquitur in peccato, morteque æterna. Duo etiam fratres Isaacus & Ismael: vnus assumitur, alter relinquitur. Rom. 9. Neque omnes qui sunt semen Abrahæ, ij filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen. Duo vterini gemelli, Iacob & Esau: vnus assumitur in gratiam, & diligitur à Deo, Iacob: alter relinquitur, & odio habetur, Esau: vnde illud: Iacob dilexi, Esau odio habui. Duo eunuchi peccant in suum regẽ Pharaonẽ, propter quod ambo etiam in carcerẽ conijciuntur: sed inde vnus ad pristinũ officium assumitur, alter relinquitur & tandem in furcam adigitur. Duo regna Iuda & Israël, ambo propter sua scelera in captiuitatem ducũtur: sed inde tamen vnum assumitur, nimirum Iuda: alterum relinquitur, Israel. Tempore Christi duo erãt populi, Gentilis & Hebræus: vnus assumitur, Gentilis, ad gratiam Euangelij: alter (id est, maxima Iudæorum pars) relinquitur in sua cæcitate, & in peccatis. Vnde Christus: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Item: Multi venient ab oriente, &c. filij autẽ regni eijcientur in tenebras

bras exteriores. Duo Apostoli in Christum peccant, Petrus & Iudas: vnus assumitur, Petrus: alter in peccato relinquitur, Iudas. Duo latrones in cruce cum Christo: vnus assumitur, alter relinquitur. Quòd verò singularibus populis & hominibus contigit, idem contigit toti hominum generi. Hoc enim in peccatum lapso, ac ceu in duas partes diuiso: vna pars assumitur ad gratiam & gloriam, altera in peccato & morte relinquitur. Et proinde ab æterno partem vnam Deus decreuit assumere (isti sunt electi:) alteram verò in suis peccatis relinquere (isti sunt reprobi.)

Diuersissima igitur est hominum omnium à Deo amatorum conditio. Quoniam alij quidem ita amantur à Deo, imò ab æterno fuerunt amati, vt eos amarit ad æternam salutem: hoc est, constituerit illos seruare: Alij verò ita amantur, & varijs beneficijs afficiuntur, vt tamen ad æternam vitam eos Deus non amet. Neque tamen hinc vllo modo Deus vel iniustitiæ, vel προσωπολημψίας accusari potest: quòd res à se conditas non omnes iisdem affecerit qualitatibus, & iisdem facultatibus ornarit: sed alias fecerit viliores, alias nobiliores: alias ad contumeliam, alias ad honorem: sicut Apostolus dicit de figulo, ad Rom. cap. 9. Idque propterea, quòd liber est Deus, & nulla lege erga quempiam tenetur. Ita eandem ob causam de nullo crimine accusari potest, quòd homines à se conditos, & à se amatos, non omnes tamen eodem amore prosequatur: sed quosdam ad æternam salutem & vitam gratis elegerit: alios verò ab hac gratia reiecerit, & ad æternam mortem destinarit: cùm illud factum sit per misericordiam, hoc verò per iustitiam. Vnde Augustinus contra Iulianum Pelagianum: In vna eademque causa, alius relinquitur, iustitia iudicante, non fato: alius assumitur, gratia præstante, non merito. Et Apostolus, cùm hoc discrimen diuinæ erga homines voluntatis, quòd scilicet alios ad æternam vitam elegerit, alios verò reiecerit, explicuisset, mox carnis prudentiæ occurrens, dixit: Nunquid igitur est iniquitas apud Deum? Absit: Mosi enim dicit: Miserebor, cuius miserebor: & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstabo. Equibus verbis, & ex verbis de Pharaone dictis concludit Apostolus: Itaque cuius vult miseretur, & quem vult indurat.

Hæc est prædestinatio, de qua dicturi sumus. Ceterùm quò melius omnia intelligantur, quatuor nobis capita in hac tractatione explicanda sunt. Primùm, de discrimine harum vocum, *Præscientiæ*, *Prouidentiæ*, *Prædestinationis*. Aliquando enim in Scripturis, sæpe verò in Patribus, hæ tres voces promiscuè, vna pro alia, vsurpantur: cùm tamen inter eas sit non parua differentia. Secundò, de etymologia huius vocis prædestinare, vnde prædestinatio: seu τὸ προορίζειν, vnde προορισμὸς: deq; triplici huius vocis significatione. Hinc tertium, Quid sit prædestinatio generatim accepta. declarata definitione, duæ quæstiones explicabuntur: Vna, an omnes homines sint prædestinati vel ad vitam, vel ad mortem. Altera, an omnia quæ agunt homines, tam mala quàm bona, cadant sub prædestinationem. Quartum caput: quid propriè sit prædestinatio in specie accepta, nempe prædestinatio Sanctorum. De hac enim propriè loquitur hoc in loco Iesaias, cùm ait illos repertum iri sanctos, qui sunt scripti in libro vitæ: vt suo loco declarauimus. Ex hac verò definitione aliquot conclusiones elicientur: & testimonijs Scripturarum & Patrum confirmabuntur.

De nomine præscientiæ, prouidentiæ, prædestinationis.

CAPVT I.

PRÆDESTINATIONEM partem esse prouidentiæ diuinæ, Theologi omnes vno consensu fatentur. Discrimen igitur inter ea aliquod sit necesse est: sicut inter genus & speciem. præscientiam verò necessariò concludi in prouidentia, & in prædestinatione: manifestum est. Quare præscientia generalior vox est, quàm prouidentia vel prædestinatio. Quod igitur discrimen inter hæc assignatur?

Præscientia Dei, est cognitio, qua Deus præcognouit ab æterno, non tam ea quæ ipsa facturus erat, vel est: quàm quæ non ipse, sed alij facturi erant vel sunt, nempe peccata. De ijs quæ ipse facturus erat (iuxta Patres) est illud: Quos præsciuit (scilicet se facturum sanctos, & similes imagini Filij Dei) eos & prædestinauit: quanquam hîc illud verbum προέγνω nonnullis perinde est, atq; præamauit, & vt suos præcognouit. De iis quæ alij facturi erant, ait: Præsciui furorem tuum contra me. Est igitur præscientia, tam eorum quę ipse facturus erat: quàm eorum quæ non ipse, sed alij erant facturi: Et tantùm ad intellectum pertinet. Prouidentia verò, & prædestinatio, sunt eorum duntaxat, quæ ipse facturus erat. Sed hîc discrimen quoddam notandum est inter prouidentiam & prædestinationem. Prouidentia est omnium rerum, seu ad omnia opera Dei se extendit, vt Scriptura testatur, dicens: Tua autem prouidentia ab initio cuncta gubernas. Prædestinatio verò est tantùm hominum (adde & angelorum) seu ad creaturas tantùm rationales extenditur. quanquam enim aliquando apud Patres prædestinatio pro prouidentia vsurpetur, tanquam species pro genere, atque ita ad omnia extendatur: proprié tamen prædestinatio ad creaturas tantùm rationales pertinet. hæ enim solæ dicuntur prædestinari à Deo, vel ad bonum, id est, ad gratiam & gloriam: vel ad malum, id est, ad pœnam. Notandum est etiam hoc: præscientiam in Scripturis aliquando accipi pro prædestinatione: Rom. 11. Non repulit Deus plebem, quam præsciuit: id est, prędestinauit, vt Augustinus de Bono perseuerantię cap. 18. exponit. est enim προέγνω, hoc est, præamauit, & vt suam ab æterno nouit.

Rom. 8.

4. Reg. 19

Ceterùm prædestinatio hęc, prout est species prouidentiæ, bifariam accipi-
1. tur. Aliquando generatim, pro prædestinatione tam malorum quàm bonorum. Hoc pacto dicitur Deus prædestinasse homines ad omne illud, quod præuidit se in hominibus facturum, siue per iustitiam, siue per misericordiam. Hoc modo accipit Augustinus: Inter gratiam porrò (inquit lib. 1. de prædest. Sanctorum cap. 10. litera C.) & prædestinationem hoc tantum interest: quòd prædestinatio est gratię præparatio: gratia verò, iam ipsa donatio. Quod itaque, ait Apostolus: Non ex operibus, ne fortè quis extollatur: ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis: gratia est. Quòd autem sequitur: Quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prędestinatione quippe Deus ea præsciuit, quę fuerat ipse facturus: Vnde dictum est, Fecit quæ futura sunt. Prędscire autem potens est etiam quæ ipse non facit: sicut quæcunque peccata. quia etsi sunt quędam, quę ita peccata sunt, vt pœnę etiam sint peccatorum (vnde dictum est: Tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quę non conueniunt) non ibi tamen peccatum Dei est, sed iudicium. Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratia est: Gratia verò, est ipsius prædestinationis effectus. Hæc ille.

Pro-

Prosper in Responsionibus ad capita Gallorum, cap. 15. docet, primùm discrimen esse inter præscientiam & prædestinationem: quòd etiam mala, nempe peccata, quæ alij facturi erant, præscierit: non autem quempiam ad ea facienda prædestinarit: prædestinauerit verò tantùm bona, quæ ipse erat facturus: nempe vel gratiam & gloriam in electis, vel pœnam vltionemque peccati in reprobis, quæ bona est. Dubium non est (inquit) sine vlla temporali differentia Deum & præsciuisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erant autore facienda; vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda: Præsciisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Potest itaque sine prædestinatione esse præscientia: Prædestinatio autem sine præscientia esse non potest.

Item in Sententiis de singulis capitulis Gallorum, sententia super 6. cap. Prædestinatio quoque Dei semper est in bono: quæ peccatum, sola hominis voluntate commissum, aut remittendum nouit cum laude misericordiæ: aut puniendum cum laude iustitiæ.

Fulgentius quoque vsus est hac voce prædestinationis, pro prædestinatione tam malorum quàm sanctorum: & eam ita in genere acceptam definit, ad Monimum lib. 1. Neque enim (inquit) alia est eius prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio: in qua nullius causa mali poterit inueniri: quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati. Clariùs autem idem paulò pòst explicans: Et quia malæ voluntatis (ait) perseuerans iniquitas, inulta remanere non debuit: tales ad interitum prædestinauit, quia talibus iustæ punitionis supplicium præparauit. Quod vtique manifesto Dominus ipse sermone perdocuit, in eo quòd à se ostendit paratum non solùm regnum, vbi lætentur boni: sed & ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ecce, ad quid Dominus iniquos & impios prædestinauit: id est, ad iustum supplicium, non ad aliquod opus iniustum: ad pœnam, non ad culpam: ad punitionem, non ad transgressionem: ad interitum, quem ira iusti iudicis peccantibus reddidit: non ad interitum, quo in se iram Dei, peccantium iniquitas prouocauit. Item: Iniqui ergo (inquit) prædestinati sunt ad mortem secundam, id est, ad stagnum ignis & sulfuris. Item lib. 2. ad Monimum, ex Augustini & Prosperi verbis eam sic definit: Prædestinatio Dei nihil aliud est, quàm præparatio operum eius, quæ in æterna sua dispositione aut misericorditer se facturum præsciuit, aut iustè.

Anselmus lib. de Concordia præscientiæ & liberi arbitrij: Prædestinatio (inquit) non solùm bonorum est, sed etiam malorum.

Deinde accipitur prædestinatio in specie, pro prædestinatione sanctorum, de qua iam dicturi sumus. De prædestinatione verò impiorum dicemus aliàs, in sexto scilicet cap. Iesaiæ: vbi est proprius locus.

De verbo prædestinandi: & quorum nam sit prædestinatio.

CAP. II.

QVANTVM verò ad notationem huius vocis prædestinare attinet, duplex est vox: vna Latina, prędestinare: altera Gręca, qua vtitur Paulus ad Rom. προορίζειν. Prędestinatio, à destinare est: Destinare autem duo significat Latinis. Primùm quidem deliberare, definire, constituere apud se aliquid agere: Ita 2. Machab. 6. Eleazarus destinauit in corde, non admittere illicita propter vitæ amorem. Deinde *Rom. 8.*

significat mittere & dirigere ad aliquem finem. Suetonius in Galba: Aliamq; ûe legationem ad prætorianos cum mandatis destinarunt. Quidam igitur Latini Theologi, iuxta vtramque significationem, accipiendam esse prædestinationem docent. Primò, quò ad Deum, prædestinare est proponere, decernere, deliberare de aliquibus saluandis, & aliquibus perdendis: Deinde, quò ad ipsos homines prædestinatos, prædestinari est præmitti, & ceu dirigi in certum finem, vel vitæ æternæ, id quod fit per Spiritum sanctum: vel mortis, id quod fit per spiritum Sathanæ, in peccata agentis.

Thomas Aquinas hanc etymologiam secutus est in I. p. q. 23. art. 1. in corpore quæstionis. Summa hæc est: Cùm prædestinatio sit pars prouidentiæ: prouidentiæ autem officium sit, res in finem suum dirigere, & mouere: duplex verò finis sit rationalis creaturæ: vnus naturalis, creaturæ proportionatus, ad quem potest suis viribus peruenire: alter supernaturalis, qui excedit proportionem naturæ creatæ, qui est vita æterna: hunc finem assequi non potest, nisi ad illum ab alio, nempe à Deo, transmittatur: sicut sagitta à sagittario ad signum seu scopum. Ratio igitur istius transmissionis, seu decretum transmittendi aliquem ad vitam æternam, prædestinatio rectè nominatur, nempe sanctorum. Hæc est Thomæ explicatio.

Dictio etiam Græca προορίζειν, duo significat: præfinire, seu antequam agas aliquid definire: & vnumquodque, antequam fiat, ad suum certum finem & vsum deputare, atque ab aliis rebus segregare. Sic Leuit. 20. & Num. 16. Verbum Hebraicum (*habhdel*) quod est Græcè προορίζειν, significat separationem & electionem populi à reliquorum populorum colluuie, & in suum proprium vsum segregationem. Iam cùm Deus nihil agat, quod prius non definierit agere: & deinde omnia, antequam fierent, ad certum suum finem & vsum deputarit, vnumquodque (quantum ad hunc suum vsum attinet) ab aliis separando: iccircò prædestinatio Dei primò in genere accepta, significat propriè decretum Dei, quo singulas res, antequam cõditæ essent, ab æterno ad certum aliquem vsum & finem destinauit.

Significatio huius vocis prædestinatio, prima.

Hoc pacto prædestinatio erit non tantùm hominum, sed etiam creaturarum tam irrationalium quàm rationalium. Sic solemus dicere de pluuia, igne, de domo aliqua conflagrante, deque rebus singulis: sic fuisse prædestinatas, vt contingerent tali tempore: id est, in talem vsum fuisse destinatas ab æterno Deo. Et hæc est prima & generalissima eius significatio.

Secunda.

Cæterùm Patres frequentiùs vocem hanc prædestinationis ad homines ipsos contrahunt, tam malos quàm bonos, vt ipsi propriè dicantur fuisse prædestinati vel ad vitam, vel ad mortem: non autem aliæ res rationis expertes. Sic vox Prædestinationis contracta ad homines ipsos, significat decretũ Dei æternum, quo vnumquemque hominum ad certum vsum & finem deputauit: alios nimirum ad hunc vsum & finem, vt æternùm viuant cum Christo beatam vitam, ideoque in eis bonitas & misericordia Dei declaretur: alios verò in hunc, vt æternùm propter sua peccata, cum Sathana in igne crucientur, ideoque in eis iustitia & potentia Dei illustretur. Hoc pacto, Prædestinatio erit non tantùm bonorum, sed etiam malorum: vt tam mali dicantur prædestinati, sed ad mortem, quàm boni prædestinati dicuntur ad vitam. Sic Scriptura rem ipsam tradit: vt Rom. 9. Antequam quidquam boni vel mali egissent, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Sic Act. 1. de Iuda Apostoli Deum orantes dicunt: Iudam præuaricatum esse ab Apostolatu, vt abiret in locum suum. Quid hoc est, nisi vt abiret in locum damnatorum, & in mortem æternam, ad quam cum Sathana prædestinatus fuerat? Sic Patres, Augustinus, Fulgentius, Honorius, Anselmus, & alij, tam impios quàm pios dicunt esse prædestinatos: sed ad contrarios fines & vsus, sicut ostensum est.

Imò

Imò in hanc significationem, quatenus de malis etiam dicitur, eâdem voce vsus est Spiritus sanctus in Actis cap.4. quum Apostoli dixerunt de Herode & Pilato, illos fuisse congregatos aduersus Iesum, vt facerent quæcunque manus tua, (ô Deus) & consilium tuum προώρισε γενέσθαι. Ceterùm aliis in locis non lego vsurpatam fuisse hanc vocem à Spiritu sancto, nisi quum de electis loquitur: Sicut etiam ait Rom.8. Quos præsciuit, & prædestinauit, &c. Et sic vsus in Scholis obtinuit, vt vox hæc prædestinatio singulariſſimè ad ipsos pios seu sanctos contrahatur, & loco electionis vsurpetur.

Sic Augustinus, & alij, Prosper, Fulgentius, Honorius, Anselmus, cùm definiunt prædestinationem, ad electos eam contrahunt, dicentes: Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.

Hæ sunt tres huius vocis significationes: quarum prima ad omnes creaturas pertinet: secunda ad omnes homines extenditur: tertia ad ipsos tantùm electos & sanctos restringitur, & propriè dicitur prædestinatio sanctorum.

Prædestinationis definitio: Definitionisque confirmatio.

CAP. III.

IVXTA has tres significationes, prædestinatio trifariam definiri potest. Iuxta primam definitur sic: Prædestinatio est sapientissimum, æternum, immutabileque Dei decretum: quo vnamquanque rem, antequam crearetur, ad suum certum & vsum & finem deputauit, seu destinauit. De hac in præsentia non loquimur.

Iuxta secundam: Prædestinatio est sapientissimum, æternum, immutabileque decretum, quo Deus apud seipsum pro sua libera voluntate ab æterno constituit: Primùm, omnes homines, tum creare, tum vt in peccatum laberentur, & in mortem ruerent, permittere: Deinde, horum alios in Christo, sua tum gratia, tum æterna vita gratis donare: alios verò hac gratia non dignari: Sed cum Sathana, tum excæcare & indurare, tum æterno exitio perdere: idque vt in illis diuina bonitas & misericordia, in istis verò diuina potentia & iustitia declaretur, atq; ita in omnibus Deus glorificetur.

Definitio hæc habet omnes suas causas. Causa agens, Deus est, cum suo æterno immutabilique decreto. Materialis, homines omnes prædestinati: alij ad vitam, alij ad mortem. Formalis, ipsa hominum, antequam vel crearentur, vel in peccatum & mortem labi permitterentur, deputatio: quorundam quidem ad æternam salutem & vitam, quorundam verò ad æternam damnationem & mortem. Finis duplex. Electorum quidem ad vitam, vt in ijs bonitas & misericordia Dei illustretur: reprobatorum verò ad mortem, vt in illis potentia & iustitia Dei declaretur: atque ita in vtrisque glorificetur Deus. Causa impulsiua, cur, cùm omnes ex æquo prouiderit in peccatum lapsuros, quosdam tamen inde liberare & seruare, aliis in suo peccato & morte relictis, decreuerit, fuit ipsa libera Dei voluntas: quæ quatenus respicit electos, amor erga illos: quatenus reprobos, odium erga illos appellatur.

Primò, quòd sit *Decretum Dei*, patet ex significatione & etymologia ipsius vocis prædestinare, vt ante dictum est. Et Paulus ad Romanos, ad Ephesios, & alibi, vocat prædestinationem, propositum voluntatis Dei. *Probatio definitionis.*

2. Deinde, quòd *Aeternum*, patet à perfectione diuinæ & scientiæ & voluntatis: nihil enim vel cognoscit vel vult iam Deus, quod etiam non nouerit & voluerit ab æterno. Prædestinatio autem nihil est, nisi & præscientia & voluntas Dei. Ergo prædestinatio est æterna, seu æternum est decretum. Et Scriptura apertè fatetur, prædestinatos nos fuisse ante mundi constitutionem: item, Ante tempora æterna.

3. Tertiò, quòd *Immutabile*, patet ex perfectione diuinæ naturæ: mutatio enim sententiæ, imperfectionem iudicij significat. Psal. verò ait: Consilium autem Domini manet in æternum. Et 2. Timoth. 2. Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sint sui.

4. Quartò, *Quo Deus apud seipsum ab æterno constituit, &c.* Deus solus prædestinat, non homines seipsos prædestinant: neque horum voluntas, caussa potest esse prædestinationis: sed Deus, pro sua libera voluntate.

5. Quintò, *Omnes homines, &c.* nullus est enim, qui non sit prædestinatus, vel ad mortem, vel ad vitam: vt postea probabimus. Non loquimur hîc de angelis, qui etiam ipsi prædestinati fuerint, alij ad vitam, alij ad mortem: neque de Christo hîc sermo est: neque enim prædestinatus fuit, vt ad tempus in peccatum labi permitteretur. Sed de solis hominibus loquor.

6. Sextò: *Tum creare: tum vt in peccatum laberentur, & in mortem ruerent, permittere.*) Hoc addidi, ne quis existimet peccatum fortuitò euenisse, non autem diuino consilio. nam etiam hoc cadit sub prædestinationē. Peccatum quidem ipsum effectus non est diuinæ prædestinationis: quia Deus nemini malitiam indit, qua peccet: Sed non sine diuina præscientia, & ordinatione contigit.

Et in hunc sensum Augustinus, Fulgentiusque, præsertim ad Monimum contendit, Deum neminem ad peccatum prædestinare. Quare? Quia malitia peccandi à Deo non est. Prædestinatio autem tantùm operum Dei est. Neque enim (inquit Fulgentius) alia est eius prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio, in qua nullius caussa mali poterit inueniri: quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati. Hæc ille. Origo peccati malitia fuit Sathanæ. hæc ex Deo non est: quare nec peccatum hominis. At permissio, & voluntaria quidem permissio, qua Deus sinit homines labi in peccata: opus Dei est. Ergo ab æterno prædestinauit, id est, decreuit permittere, hominem labi in peccatum. Quare permissio peccati, sub prædestinatione concluditur. Huc illud Prouerb. 16. Omnia propter semetipsum creauit Dominus, etiam impium ad diem malum. Sed de hoc aliàs.

7. Septimò: *Horum verò alios.*) Hoc etiam probandum erit. Est enim humanum genus in duas diuisum partes: In electos ad vitam, & reprobatos ad mortem. Harum duarum partium humani generis, typus, vel potius exemplum fuit ille fœtus duorum gemellorum in vtero Rebeccæ, de quibus sic dixit Dominus Gen. 25. Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex visceribus tuis diuidentur.

8. Octauò, *In Christo.* Ephes. 1. Deus enim Pater neminem decreuit seruare nisi per Christum, & omnia bona communicare tantùm per Christum. Propterea sicut vocatio, & iustificatio, & glorificatio fit per Christum: sic etiam prædestinatio in Christo facta fuit. & extra Christum nemo vel electus, vel vocatus, vel iustificatus, vel glorificatus vnquam fuit, aut esse potest.

9. Nonò: *Tum gratia, tum vita æterna.*) Nomine gratiæ complector non solùm Dei fauorem, & beneuolentiam: sed omnia Dei dona, quæ ad salutem consequendam faciunt: Fidem, & opera fidei, & perseuerantiam. Omnia enim hæc effecta sunt prædestinationis: Vita æterna, est vltimum effectum.

Decimò

Decimò, *Gratis:* non propter opera præuisa, vel vsum liberi arbitrij, sed gratis. *10.* Tota enim salus gratuita est: vt postea probabitur: Ideo Paulus dicit: Secundum beneplacitum voluntatis suæ.

Vndecimò: *Alios non dignari.)* Patet ab effectu. Videmus quòd, cùm omnes *11.* homines ex æquo nati sint in peccatis, alios tamen inde eripit, alios non: alijs dat fidem, aliis non dat. Ergo non est dignatus omnes eadem gratia: & hoc est reprobare.

Duodecimò: *Excæcare, indurare.* Scriptura tradit apertè, Deum quosdam, id est, *12.* reprobos excæcare & indurare. Ergo prædestinauit eos ad indurationem, & excæcationem, quæ sunt pœnæ præcedentium peccatorum.

Decimotertiò: *Vt in illis misericordia & diuina bonitas.* Ephes. 1. Ad laudem glorię *13.* gratiæ suæ: ideo Rom. 9. vasa misericordiæ appellantur: eò quòd in hunc finem eos elegerit, vt in eis, ceu vasis, sua misericordia locum haberet, & mundo patefieret. *In illis diuina potentia & iustitia declaretur.* Rom. 9. In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam. Item: Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, aptata ad interitum? Ideo vocantur vasa iræ.

Decimoquartò: *Atque ita in omnibus glorificetur Dominus.* Finis vniuersalis *14.* atque vltimus & reprobationis quorundam, & electionis aliorum, est gloria Dei. Prouerb. cap. 16. Omnia propter semetipsum creauit Dominus, etiam impium ad diem malum. Et quòd ex perditione impiorum resultet gloria Dei, docet Esaias cap. 3. cùm ait: Et exaltabitur Dominus solus in die illa: Idem Iesaias capit. 5. versu 16.

Hæc est definitio prędestinationis in genere sumtæ, quatenus omnes homines tam malos quàm pios complectitur. Sed quoniam de prædestinatione tantùm Sanctorum nobis est sermo in hoc loco Iesaiæ, qui eam vocat librum vitæ, ideo non ampliùs in hac generali immorabor.

Tantùm quædam in hac definitione notanda sunt. Primùm eam sumtam & conflatam esse tum ex caussis, tum ex effectis. Caussæ superiùs explicatæ fuerunt. Effectorum verò prædestinationis, quædam sunt communia reprobis & electis, quædam singulorum propria. Communia sunt, creari, & sini vt labantur in peccatum & mortem: omnes enim creati, permissi sunt in peccatum & mortem ruere. Electorum propria sunt, donari gratia, & vita æterna in Christo, gratis: neque enim reprobi donantur vnquam gratia, id est, vel fauore & beneuolentia Dei, vel gratia regenerationis, vel vera fide, vel operibus veræ fidei, vel perseuerantiæ dono: nec denique vita æterna: Sed solis electis, & omnibus electis hæc donantur. Sunt ergo hæc in electis, propria effecta prædestinationis. Propria reproborum sunt, primùm excludi ab hac gratia & vita æterna: deinde, relinqui in peccatis, excæcari, indurari: ac denique cum Sathana æterno exitio perdi. Solis enim reprobis hæc contingunt: sunt ergo ipsorum propria.

Secundò notandum, definitionem hanc esse dispositam iuxta eum ordinem effectorum Dei, quo illa operatur Deus in prædestinatis omnibus. prius enim creauit homines: deinde permisit labi in peccatum, & ruere in mortem: tertiò, hinc quosdam gratia donat, à peccatis liberat, iustificat, regenerat, sanctificat, ducit in vitam æternam, & omnia gratis in Christo: quosdam verò in peccatis relinquit, immò & in pœnam præcedentis peccati excæcat & obdurat per ministerium Sathanæ, & tandem in orcum iustissimè deijcit, & æterno exitio perdit. Hunc ordinem effectorum Dei in hominibus, tradunt sacræ literæ. Licet ergo sic argumentari: Deus primò creauit homines: deinde permisit eos labi in peccatum, & per pecca-

peccatu m in mortem: tertiò, horum ex peccato & morte quosdam pro sua gratia eligit, ac Christo donat: eos per Christum iustificat, donat perseuerantia, ducit in æternam vitam: alios vero hac gratia non dignatur, sed in peccatis suis relinquit, & propter illa excæcat etiam, & indurat, ac tandem in æternam mortem iustissimè tradit. Quæ autem nunc facit, ab æterno voluit facere, & sciuit se facturum: id quod nihil aliud est, quàm prædestinare. Ergo prædestinauit primò homines creare: deinde permittere eos omnes in peccatum labi, & in mortem ruere: postremò, quosdam gratis à peccato & morte per Christum liberare, iustificare, donare perseuerantia, ducere in æternam vitam: alios verò hac gratia non dignari, sed in suis peccatis & morte relinquere, & propter illa indurare, excæcare, & tandem æterna morte pro sua iustitia afficere. Quis hanc argumentationem à posteriori, potest improbare?

Possumus & inuerso ordine, ab vltimo effecto exorsi, sic definire, vel potius describere prædestinationem. Aeternum est, immutabileque decretum, quo Deus apud se constituit ab æterno, idque citra hominum merita. suæ tum misericordiæ, tum iustitiæ patefaciendæ, ideoque suæ gloriæ illustrandæ gratia, quosdam æterna vita beare, quosdam verò æterna morte perdere: atque vt vtrumque commodè, id est, vt & illud misericorditer, & hoc iustè fieret, decreuit primùm permittere omnes homines iam conditos, in peccatum labi, & in mortem ruere: deinde hos, quos ad vitam deputarat, per Christum saluare, efficaciter vocare, iustificare, regenerare, & perseuerantia in fide vera donare: quos verò ad interitum, eos in peccatis deserere, excæcare, obdurare.

Differentia inter vtramque est, quòd illa prior est iuxta ordinem effectuum, prout sunt in executione. Primò enim Deus creat, permittit vt in peccatum ruant: deinde donat gratiam: postremò vitam æternam. Hæc verò posterior, est iuxta ordinem effectuum, prout sunt in intentione. Etsi enim in Deo non sit neque prius, neque posterius: res tamen, quas decreuit, habent naturaliter suum prius & posterius: ita vt dicere possimus, Deum priùs destinasse homines ad suos fines, quosdam ad vitam, quosdam ad mortem: Deinde ea statuisse, quæ ad hos fines consequendos faciunt: qualia sunt post permissionem peccati, gratia in electis, & excæcatio atque obduratio in reprobis. In exequenda verò sua prædestinatione, primò electos donat gratia, fide, fructibus fidei, postremò vita æterna: reprobos verò primò in peccatis deserit, excæcat, obdurat: deinde morti æternæ adiudicat. Primum enim in intentione seu in consilio: semper vltimum est in executione: & certò ita se res habet. Sed prior etiam vera est, & minus simpliciores offendit.

Quæstio 1. An omnes absolutè et simpliciter prædestinati sint, aut ad vitam, aut ad mortē.

Iam duæ quæstiones, quæ ex definitione oriuntur, explicandæ sunt. Prima: An omnes homines sint prædestinati vel ad vitam, vel ad mortem æternam: idque non conditionaliter, si crediderint, vel non crediderint (vt quidam noui Pelagiani docent) sed absolutè: ita, vt etiam ideo credant, quia fuerunt prædestinati ad credendum: alij verò non credant, quia reprobati.

Respondeo: Maximè. Hoc est perspicuum, primùm quidem ex definitione, iam allata: deinde multò magis ex locis Scripturarum sacrarum, vnde definitio desumta est. denique ex rationibus à Scriptura deductis: tres affero.

Argumẽtum I.

Vult & facit Deus, vt aliquibus prædicetur Euangelium, quod est instrumentum salutis, aliquibus non prædicetur: vnde & ad illos mittit Apostolos & concionatores, ad hos verò neminem: Immò si aliqui ad eos velint ire prædicatum, aliquãdo prohibet, ne eant: Actor. cap. 16. prohibetur enim Paulus à Spiritu sancto, ne in Asia loquatur verbum Dei: item ne eat in Bithyniam, ibique prædicet: nempe pro eo tempore. Contrà iubetur ire in Macedoniam, ibique prædicare: Item ire Corinthum, ibique Euangelium annuntiare. Act. 18. Et rationem adfert Deus, dicens:

Populus

Populus est mihi multus (scilicet electus: id quod significatur illa particula Mihi, alioqui etiam in Asia multus erat populus, sed non Deo, id est, electus) in hac ciuitate. Quo ex loco colligere est, Deum nolle prædicare Euangelium, vbi nullus est ex suo populo. Hoc enim esset spargere margaritas ante porcos.

Ergo hominum omnium alij sunt prædestinati ad audiendum Euangelium, alij ad non audiendum, ideoque ad mortem. Ab æterno enim voluit Deus, vt aliquibus prædicaretur Euangelium, aliquibus non. Huc illud Christi Matth. 11. Gratias tibi ago Pater, quòd abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti paruulis: ita Pater, quia sic placuit tibi.

Eorum qui audiunt Euangelium, alijs aperit cor ad intelligendum, datque fidem vt credant, ideoque saluentur: alijs non aperit cor, nec fidem dat: vt patet exemplis infinitis, in sacris literis. Actor. 19. Mulieri purpurariæ aperit Deus cor, vt credat ijs, quæ dicuntur à Paulo: alij autem fœminæ Pythonissæ non aperit. Est enim fides donum Dei, & hoc dat cui vult. Ergo ab æterno decreuit, alijs dare fidem ad salutem, alijs non dare. Quare omnes sunt prædestinati, aut ad vitam, aut ad mortem.

At datur fides etiam impijs, reprobis, qui non perseuerant.

Respondeo: Vera & viua, ideoque perpetua fides non datur reprobis: sed tantùm electis. Hæc enim, fides electorum, à Paulo ad Titum 1. appellatur: & Actorum 13. legimus, illos tantùm credidisse, qui fuerant ad æternam vitam præordinati. Sic ab ipsa regeneratione, & alijs fidei effectis duci possunt argumenta: Alij regenerantur, alij non regenerantur: idque fit, quia Dominus alios vult regenerare, alios non. Ergo alij prædestinati sunt ad regenerationem, ideoque ad vitam: alij non, ideoque ad mortem: cùm sine regeneratione, ad vitam æternam peruenire nemo possit.

In fine seculi Deus ex omnibus hominibus, qui ante se congregati erunt, aliis dicet, Percipite regnum, quod vobis paratum est: aliis, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, &c. Matth. 25.

Ergo omnes homines sunt prædestinati, vel ad vitam, vel ad mortem æternam. Si enim alios introducet in vitam æternam, alios verò abiiciet in æternam mortem: vtique vtrunque faciet, quia volet & illos æterna vita donare, & istos æterno supplicio afficere. Non enim nisi volens facit, quicquid facit ipse Deus: vt ait Augustinus in Enchiridio ad Laurentium. Si autem volens vtrumque faciet, Ergo ab æterno voluit & decreuit id facere: propterea quod nihil nunc vult, aut posthac volet, quod non ab æterno voluerit. Vnde Augustinus 15. de Trinitate ait, Deum nihil posse velle voluntate noua & accedente. Voluntas autem hæc, est prædestinatio ipsa.

Huc adferantur sententiæ Scripturarum, quæ apertè docent, ab æterno quibusdam hominibus præparatum fuisse regnum Dei: aliis verò ignem æternum cum Sathana. Matth. 25. Possidete regnum, quod vobis paratum est à Patre meo. Aliis: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ergo omnes sunt prædestinati, vel ad vitam, vel ad mortem. Verum est igitur, quod diximus in definitione, quòd Deus suo decreto æterno decreuit, hominum aliis gratiam & gloriam donare: alios indurare, excæcare, perdere.

Quæst. 2. An omnia tam mala, quam bona quæ admittūt homines: sub prædestinatione contineantur.

Ex hoc eodem loco, quo diximus Deum decreuisse ab æterno dare alijs gratiam & fidem, vnde fit vt bene operentur: alios in suis peccatis corruptaque natura deserere, adde excæcare, atque indurare; vnde fit vt nullam fidem adhibere possint Euangelio: sed sua infidelitate reijciant, ideoq; magis peccent: Nunc alia sese offert quæstio: an omnia quæ agunt prædestinati, siue mala (vt faciūt reprobi) siue bona, vt faciunt electi, cadant in prædestinationem: id est, An ideo electi credant, beneque operentur, quia ad credendum & bene operandum sunt prædestinati: & reprobi

probi an ideo non credant & peccent, quia non sunt prædestinati ad fidem, neque ad bona opera: eoque nec ad vitam, sed ad mortem. Respondeo, de electorum bona voluntate, fide, fideique operibus dubitandum non est, quin effecta sint prædestinationis: hoc est, quin ideo credant & bene operentur, quia ad credendum & ad bene operandum sunt prædestinati. Etenim (vt à fide incipiam) de fide, quæ initium & caussa bonorum operum est, ait Lucas Actorum 13. prædicationi Pauli eos tantùm credidisse, qui erant præordinati ad vitam æternam. Quid hoc est, nisi, Ideo crediderunt isti, non alij: quia isti præordinati erant ad credendum, & ad vitam æternam, quæ sine fide haberi non potest, alij autem non?

Ephes. 1. Elegit nos, vt essemus sancti & immaculati. non ait: Quia futuri eramus sancti, ideo elegit: sed elegit, vt essemus. Ergo sanctitas nostra, & quicquid ad sanctitatem facit, cadit in prædestinationem, & effectus est prædestinationis.

Ephes. 2. Ipsius opus sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit, vt in illis ambulemus. Ergo quòd quis etiam ambulet in operibus bonis: caussa est, quia ita prædestinatus est à Deo, vt in eis ambulet.

Iohan. 10. reprobis ait, Non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Ergo quòd aliquis credat, caussa est, quia est ex ouibus, id est, electis.

1. Corinth. 7. Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem. Non ait, quia fidelis eram: sed, vt fidelis essem.

Doctrina hæc manifesta est in Scripturis, comprobata à Patribus, recepta ab orthodoxa Ecclesia. De electis igitur dubium non est, si credant, si bonum velint, si sancti sint, si bona opera faciant: ideo illos credere, ideo bene velle, ideo esse sanctos, ideo bene operari, quia prædestinati sunt à Deo ad hanc gratiam. Omnia enim hæc bona in sanctis, effecta sunt prædestinationis.

Legitote hac de re post Augustinum in libro de Prædestinatione sanctorum, & ad Simplicianum, & vbique ferè, ipsum etiam D. Prosperum, eius discipulum, cùm alibi, tum in Responsionibus ad capitula Gallorum, & in libro contra Cassianum. Item Fulgentium in libro ad Monimum primo, qui est de Prædestinatione. Ait enim concludens, inter alia: Hæc autem omnia (id est, vocationis nostræ initia, & iustificationis augmenta, & glorificationis præmia) in prædestinatione Deus semper habuit: quia & in vocatione, & in iustificatione, & in glorificatione sanctorum, gratię suæ opera futura præsciuit.

At de reproborum infidelitate, & reliquis peccatis, an cadant sub prædestinationem: difficilior est quæstio. Fulgentius in libro ad Monimum de prædestinatione: Prosper & alij permulti, contendunt, neminem à Deo prædestinatum fuisse ad peccandum: ideoque mala quæ agunt reprobi, cadere quidem in præscientiam, quia à Deo præuisa fuerũt: sed non in prædestinationem, quia peccata, non sunt Dei opera, neque à Deo: prædestinatio autem est præscientia & præparatio operum Dei, quæ ipse facturus erat: vt Augustinus & Fulgentius definiunt. Quare quòd reprobi peccent, in caussa non esse prædestinationem, sed suam ipsorum malam voluntatem. Quòd verò electi benè operentur, in caussa non esse ipsorum liberum arbitrium, sed prædestinationem: nam etiam voluntas præparatur à Deo. hæc omnia piè & Christianè dicta. nam reuera nemo prædestinatus est, propriè loquendo, ad peccandum: licet quisq; ad ea facienda, quæ facit, destinatus sit: nempe quatenus opera sunt, non autem quatenus sunt peccata: & hæc fuit mens Patrum. Ceterùm viderunt Patres, si absolutè dixissent, impios ideo peccare, quia fuerint prædestinati ad peccandum: homines impios, quæ est ipsorum malitia, omnem peccati caussam & culpam in Deum reiecturos fuisse: Iccircò ne impijs frena ad peccandum laxarent, continuerunt se ab huiuscemodi locutionibus: quas tamen non rarò vsurpat Spiritus sanctus in sacris literis.

Ac

Ac primùm quidem ſacræ literæ, quòd impij vel non credant in Deum ac Chriſtum, vel non bene operentur: apertè aiunt hoc ideò fieri, quia non ſint prædeſtinati à Deo ad fidem, & ad bona opera.

1. Reg.2.de filiis Heli Scriptura ait, illos non paruiſſe Patri eos corrigenti: Quare? Quia eos Deus volebat occidere, ait Scriptura: id eſt, quia prædeſtinati erant ad mortem.

Matth.13. Semen cecidit in terram bonam, & fructum adfert: Quid ita? Quia terra bona. Reliquæ partes, quæ inter ſpinas, inter patroſa, & in viam ceciderunt, non adferunt fructum: Quamobrem? Quia non in terram bonam ceciderunt: Quaſi dicat: Reprobi, etſi audiant verbum: fructum tamen non proferunt ex verbo, quia non ſunt electi, ſed reprobi.

Matth.13. Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei: cæteris in parabolis, vt videntes non videant, &c. Cur igitur impij non percipiunt myſteria regni Dei, ideóque non credunt, & ſaluantur? Quia illis non eſt datum: hoc eſt, quia non ſunt electi ad hoc.

Iohan.8. Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis. Quid hoc dicto Chriſti clarius? Ibidem: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis: hoc eſt, quia non habetis Spiritum Dei, neque ad habendum eſtis prædeſtinati.

Iohan.12. Propter hoc non poterant credere, quoniam rurſus Ieſaias dixit: Excæcauit oculos eorum, ne videant. Quòd ergo reprobi non credant, neque bene operentur, Scriptura apertè dicit hoc eſſe, quia non ſunt ex numero electorum, & ad vitam prædeſtinatorum. Immò & altius aſcendens tradit: impios, ſi aliquod opus agant, quòd tamen in ipſis peccatum eſt, ideo illud facere, quia ita præordinatum à Deo fuerat, vt hoc facerent.

Actorum 2. Petrus docet, quòd Iudæi crucifixerint Chriſtum per manus iniquorum (quod maximum fuit ſcelus) ideo hoc illos feciſſe, quia ſic in prædeſtinatione præfinierat Deus: vt ſcilicet per illos traderetur, & crucifigeretur: alioqui id non facturos, ſi Deus in eorum manus, illum ad occidendum non tradidiſſet, & tradere decreuiſſet. Hunc etiam locum ſic interpretati ſunt, præter Auguſtinum, viri alij noſtri ſeculi doctiſſimi.

Actorum 4. Tota Eccleſia ait, Herodem & Pilatum conueniſſe cum gentibus & populis aduerſus Chriſtum, vt facerent, quæ Deus ſuo æterno conſilio decreuerat per manus illorum fieri. Quaſi dicat: ideo ij duo impij condemnarunt Chriſtum (quod maximum fuit ſcelus) quia conſilium Dei ita decreuerat, vt facerent.

Apoſtolus etiam ait Rom.9. Reprobos eſſe vaſa iræ, apparata ad interitum: nempe à Deo: Vbi ait doctiſſ. Muſculus: Hinc eſt, quòd nihil planè emendantur impij, vt ut corrigantur: Quare? Quia parati ſunt ad interitum: Hæc ille. Idque confirmat exemplo filiorum Heli, de quibus 1.Reg.2. Et Auguſtinus de Prædeſtinatione ſanctorum, exponens illud Iohannis 6. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: Ergo (inquit) omnis qui venit ad Chriſtum, ideo venit, quia audiuit ex Patre, & didicit: Et, Omnis qui non venit ad Chriſtum, ideo non venit, quia non audiuit à Patre.

PLVRA teſtimonia adferam aliâs, cum peruenero ad 6. cap. Ieſaiæ, vbi locus proprius eſt hanc doctrinam explicandi. Satis ad explicationem definitionis allatæ, hæc pauca attuliſſe teſtimonia: quibus manifeſtum factum eſt, & bona opera, quæ non faciunt impij, & mala, quæ agunt; contineri ſub prædeſtinatione, non tantùm ſub præſcientia: hoc eſt, & ideo non bene agere impios, quia non ſunt ad bonum prædeſtinati: & ideo malum agere, quia ſunt reprobati. Sic loqui-

tur Spiritus sanctus in Scripturis: Ideo non creditis, quia non estis ex ouibus. Sed hic prudentia carnis fremit, & multa obiicit. Cæterùm responsiones ad obiecta carnis, differo vsque ad 6. Caput. ibi respondebo ad omnia, quæ caro obiicere solet. In præsentia duo tantùm, quæ faciunt ad explicationem huius quæstionis, declarabo.

Obiectum. 1. PRIMVM: Si impij non credunt, quia non sunt ex ouibus, sed ex hœdis: Ergo videtur prædestinatio caussa esse peccati, vt scilicet reprobi non credant, neque bene operentur.

RESPONDEO: ἀλογισμὸς est non caussæ vt caussæ. Etsi enim homo non potest credere, nisi sit prædestinatus ad fidem: non tamen sequitur, prædestinationem caussam esse, vt aliquis non credat. Prædestinatio enim caussa est omnis boni, & nullius mali. Causa efficiens & vera peccati: est malitia & corruptio naturæ nostræ. Exemplum: Sine gratia Dei, & sine Spiritu Dei, nemo potest credere, legémque Dei seruare. Spiritum sanctum autem Deus dat cui vult, & cui non vult non dat, pro suo arbitrio, eóq; iusto. Cum ergo quis destitutus Spiritu Dei non credit: nunquid noluntas (vt ita loquar) Dei dicenda erit caussa, cur ille non credat? Minimè, cum sit tantùm denegatio seu remotio caussæ sine qua non: id est, remotio voluntatis & gratiæ Dei, sine qua voluntate credere nemo potest. Etenim si Deus vellet hunc donare Spiritu suo crederet: sed quia non vult donare: ideo iste non potest credere. Caussa igitur propriè efficiens peccati, est ipsa propria innatáque infidelitas ac malitia, talis & tanta: quæ, si Dominus nolit eam tollere, efficiat vt impij non possint non peccare. Capite hoc simile. Natus est aliquis claudus: fac vt ego possim curare, si velim: sed nolim: neque enim debito aliquo teneor. Quòd ergo ille claudicet: in caussa est proprium illius vitium ac morbus: non autem voluntas mea, qua illum sanare nolo. Sic prædestinatio & voluntas Dei, non ideo caussa dici potest, cur impij non credant, quia illos noluit ad fidem prædestinare: Sed propria, & vera caussa, cur non credant, est propria ipsorum & innata ab Adamo cæcitas atque malitia.

Obiectum. 2. ALTERVM, quod hic explicandum venit, est hoc. Si ideò (verbi gratia) Pilatus & Herodes conuenerunt aduersus Christum, quia à consilio æterno fuerant ad hoc prædestinati: & si quæ agunt mala impij, ideo agunt, quia ad hæc fuere præordinati: videtur ergo Deus prædestinasse aliquos ad peccandum: id quod Patres omnino impugnant, & meritò.

RESPONDEO: Sunt, & quidem non vulgares, neque indocti viri, qui hoc facile concedunt: prædestinatos esse à Domino aliquos ad peccatum. Cum enim Scriptura dicat, Deum tradere quosdam in reprobum sensum, excæcare, obdurare, tradere in desideria cordis sui: Quare non etiam dicere liceat, Deum prædestinasse quosdam ad excæcationem, & ad ea quæ excæcationem consequuntur: hoc est, ad peccata? Sed ego aliter respondeo. In quouis peccato duo sunt: Opus ipsum, seu actio: alterum, ipsa malitia peccantis, qua fit, vt opus illud, alioqui suapte natura bonum, malum & peccatum fiat. Quòd ergo nullum opus agant impij, ad quod non sint à Deo prædestinati, omnino fatendum est. Nihil enim fit in mundo, quod Deus non ab æterno præscierit futurum, & quod etiam non decreuerit fieri: hoc autem est prædestinare. Item omnes actiones, quà actiones sunt, actiones sunt etiã Dei: operatur enim omnia in omnibus. Nihil autem agit Deus in nobis, quod non ab æterno prædestinauerit se facturum in nobis, & vt fieret per nos. An non peccant impij Tyranni, cum pios propter Christum, & propter benefacta persequuntur, affligunt, occidunt? An non verò Dei voluntate hæc fiunt per impios? Petrus certè hoc disertè tradit: dicens, Melius est enim, vt bene agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quàm malè facientes. *1. Pet. 3.*

Si

Si hoc Deus vult, & voluntas Dei æterna est: an non igitur ab æterno Deus impios Tyrannos, ad pios malis afficiendos prædestinauit? Sed notandum est, piorum afflictiones, quatenus à Dei sunt voluntate, bonum opus esse: nihil enim vult seu approbat Deus, quod non sit bonum: Quatenus autem sunt à voluntate impiorum, mala esse opera, & peccata: Neque enim hæc agunt, vt diuinæ obediant voluntati, imò norunt se facere contrà, quàm Deus mandauit: Adde quod in alium etiam finem hæc agunt, quàm Deus per illos hæc fieri vult. Proinde idem factum, quatenus à Deo est, Deo ipsi probatur: quatenus ab impiis, improbatur, eóque & punit. Ergo verum est, nullum opus fieri ab impiis, ad quod faciendum non fuerint ab æterno prædestinati. Quòd verò homines sint prædestinati propriè ad peccandum; dari non potest: quia κακίαν, id est, malitiam, vitiúmque quo peccant impij, neque à Deo, neque à Dei prædestinatione habent, sed à Sathana: & in ipsis residet ab Adamo. Atque hoc est, quod Patres oppugnant: Fulgentius: Porrò autem (inquit) in iniquis puniturus est Deus, quòd vt essent mali non dedit, nec eos ad iniquitatem aliquam prædestinauit. Nemo ergo prædestinatus est ad peccandum: id est, ad faciendum opus aliquod malum, quà malum & peccatum est: sed omnes sunt prædestinati ad facienda ea omnia quæ agunt, non quà peccata sunt, sed qua sunt opera & actiones quædam, quæ suapte natura bonæ sunt. Proinde iure puniuntur à Deo Herodes & Pilatus, ambo impij, ob illa perpetrata opera, ad quæ tamen perpetranda fuerant prædestinati: Quare? Quia non ea fecerunt benè, sed malè: id est, contra legem Dei, malitiáque sua opus Dei contaminarunt.

Proinde diligenter obseruandum, quod est in Actorum 2. Ibi Petrus, etsi Iudæos dixerit impleuisse consilium Dei, crucifigendo Christum (quia ad hoc faciendum fuerant prædestinati:) tamen eos accusat peccati maximi, & vt resipiscant hortatur. Quid ita? Quia consilium & opus Dei, sua malitia infecerunt. Odio enim in Christum, non vt obedirent Deo, curarunt Christum crucifigendum.

Videtur quæstio hæc vtcũque explicata: An omnia, quæ agunt homines, tam mala quàm bona, contineantur in prædestinatione. De electorum operibus bonis nulla, est apud pios dubitatio: De operibus verò malis, Scripturæ affirmant contineri (quà scilicet opera Dei sunt) in prædestinatione: quà verò sunt peccata, continentur in præscientia, non in prædestinatione: Permissio tamen peccati, quia illa est bonum opus Dei, continetur in prædestinatione.

DE PRÆDESTINATIONE SANCTORVM.

CAPVT IV.

Iam vt ad quartum Caput veniam, cùm duplex sit prædestinatio, vt ex definitione allata patet, vna piorum, altera impiorum: de impiorum prædestinatione in 6. capite Iesaiæ dicemus: de prædestinatione verò Sanctorum nunc videndum est diligentiùs, quid sit, & quid de ea Sacræ literæ tradant.

Multæ & variæ à Patribus definitiones allatæ fuerunt. Augustinus de Prædestinatione sanctorum cap. 10. sic definit: Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio: gratia autem ipsius est Prædestinationis effectus. Idem de bono perseuerantiæ, cap. 14. sic: Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Item de prædestinatione

ſanctorum: Prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi. Item de fide ad Petrum: Prædeſtinatio eſt gratuitæ donationis præparatio.

FVLGENTIVS ad Monimum lib.1. Neque enim alia eſt (inquit) prædeſtinatio, niſi futurorum operum eius æterna præparatio: in qua nullius cauſſa mali poterit inueniri, quia ex voluntate Dei nunquam proceſſit origo peccati. Item: Ipſa eſt enim prædeſtinatio Dei, ſempiterna ſcilicet diſpoſitio futuri operis ſui. Item lib.2, Prædeſtinatio Dei nihil eſt aliud, quàm præparatio operum eius, quæ in æterna ſua diſpoſitione, aut miſericorditer ſe facturum præſciuit, aut iuſtè.

THOMAS Aquinas.3.p.q.24.art.1. Prædeſtinatio proprièaccepta, eſt diuina quædam præordinatio ab æterno, de iis quæ per gratiam Dei ſunt facienda in tempore. Item 1.p.q.23.art.2. Prædeſtinatio eſt quædam ratio ordinis aliquorum in ſalutem æternam, in mente diuina exiſtens.

Nos aliqua ſuprà dicta repetemus: & inde definitionem prædeſtinationis ſanctorum colligemus.

Apoſtolus Rom.8. cum loquitur de prædeſtinatione ſanctorum, vtitur verbo προορίζειν: ὅτι ὃς προέγνω καὶ προώρισε, τούτους καὶ ἐκάλεσεν. Ita ad Epheſ. Elegit nos ante mũdi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & irreprehenſibiles in conſpectu eius, in charitate: προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν. Verbum autem hoc, vt ſuprà dixi, duo ſignificat: Primò, præfinire & conſtituere apud te aliquid agere, antequam agas. Hoc pacto ſignificat προορισμὸς decretum Dei, quo ſtatuit quoſdam ſibi in filios eligere. Secundò ſignificat, quamque rem in ſuum finem deſtinare, atque ita à reliquis rebus ſegregare, ſeligeréque: quod Moſes per Hebraicum verbum *(habhdel)* in Leuit.20. & Num.16. exprimit, cum loquitur Deus in Moſe de electione & ſegregatione ſuorum à reliquis populis, deputationéque ad certũ ſuum finem & vſum, à quo alieni ſunt gentiles. Hoc pacto προορισμὸς ſignificat quorundam hominum à reliquorum hominum colluuie ſeparationem ſeu electionẽ, atque in certum ſuum vſum (nempe, vt ſint vaſa miſericordiæ, membra Chriſti, templa Spiritus S.) & in certum finem (nempe ad vitam æternam) deputationem. Sic ergo definiri poteſt.

Definitio. PRÆDESTINATIO ſanctorum, eſt æternum immutabiléque decretum, quo Deus citra vlla hominum merita, apud ſe conſtituit, certos quoſdam homines in vitam hanc ſuo tempore productos, & opera diaboli in peccatum & mortem vnà cum aliis lapſos, gratis à peccato & morte, atque à reliqua hominum colluuie ſegregatos, Chriſto inſerere, pérque fidem iuſtificare: & Chriſto inſitos ac iuſtificatos regignere, & ad ſuá placita ſanctificare: ſanctificatos perpetua quotidianorum peccatorum condonatione, perpetuáque Spiritus ſancti gratia comitari: denique vti Dei filios, ac regni cæleſtis cum Chriſto hæredes, beata & æterna vita donare: totúmque hoc, vt in iis miſericordia & bonitas Dei perpetuò illuſtretur, ipſéque Deus ſemper glorificetur.

DESCRIPTIO hæc prædeſtinationis ſanctorum à ſuperiore deſcriptione, quãtum ad eam partem, quæ ſanctorum eſt, attinet, nihil diſtat, niſi quòd hac multos effectus gratiæ ordine illo, quo etiam ſolet Deus in electis eos operari, explicaui: cum ibi ſimpliciter dixerim, tum gratia, tum vita æterna donare. Sunt autem hi effectus gratiæ Dei.

1. PRIMVS: *A peccato & morte, per ſanguinem Chriſti liberare.* Hoc factum eſt in cruce, cum Chriſtus ſanguine ſuo electos Patri reconciliauit: & chirographum decreti, quod erat aduerſus nos, deleuit, & cruci affixit.

2. SECVNDVS: *Per Spiritum ſanctum ſuo tempore vocare*: nempe vocatione efficaci. Hæc enim fit per Spiritum ſanctum, internè vocantem. *Suo tempore*: quoniam non omnes electi eodem tempore efficaciter vocantur, ſed ſuo quiſque tempore: à Patre ſcilicet præfinito.

TERTIVS:

TERTIVS: *A reliqua hominum colluuie segregare.* Ante vocationem enim electi mixti sunt cum reprobis, & corpore & Spiritu: cum eadem sapiant quæ alij, quæ scilicet sunt carnis. Vocati autem per Spiritum sanctum segregantur: id quod Christus in Euangelio vocat, eligere de mundo. 3.

QVARTVS: *Christo inserere*: quod fit, cum participes simus Spiritus Christi, de qua insitione Paulus Rom. 6. 4.

QVINTVS: *Iustificari.* Insiti Christo, & donati eius Spiritu, per fidem apprehendimus remissionem peccatorum, & iustitiam Christi: id est, sentimus nos Deo patri propter Christum gratos, charos, dilectos esse factos. 5.

SEXTVS: *Regignere.* Iustificati enim per Spiritum sanctum, regeneramur ex filiis Adæ in filios Dei, & in nouam creaturam. 6.

SEPTIMVS: *Ita regeniti sanctificamur ad ea facienda, quæ Deo placent:* Hoc est, ad studium bonorum operum, & obedientiam legis. 7.

OCTAVVS: Sed quoniam filij Dei quotidie peccant ex imbecillitate carnis, propter quæ peccata opus habent quotidie dicere, Dimitte nobis debita nostra: ideo sequitur alius effectus, qui est, quòd Deus comitatur iustificatos perpetua quotidianorum peccatorum *Remissione*: hoc est, non imputat illis peccata, qui sunt in Christo: vt est Rom. 8. 8.

NONVS: *Præsentia Spiritus sancti nunquam deseruntur.* Is enim electos, iustificatos, & Christo insitos, gubernat, regit, & ne pereant, defendit & custodit. Ierem. 32. Dabo timorem meum in corda eorum, vt non recedant à me. 9.

DENIQVE, *Vita æterna donat*: non solùm animos electorum (id quod fit, cũ hinc auolant ad cælum) sed etiam corpora: id quod fiet in resurrectione, quando exuta omni mortalitate, induentur immortalitate. Hæc autem ita se habere, nemo mediocriter in pietate Christiana institutus ignorat. Quare ne in re perspicua immoremur, Testimonia Scripturarum, quibus singula hæc gratiæ effecta comprobem, non citabo. Quasdam tantùm conclusiones de Prædestinatione Sanctorum scitu necessarias, & consolationis plenas, ex hac descriptione colligemus: & quæ opus habuerint probatione, testimoniis Scripturarum & Patrum confirmabimus.

PRIMVM: Ex eo, quod diximus, prædestinationem esse æternum decretum, colligimus: falsum igitur esse, quod quidam Sophistæ negarunt, Deum non prædestinasse in præterito, sed prædestinare semper in præsenti: cum Deus nõ sit sub tempore. Contrà Paulus in præterito semper profert, Elegit nos, prædestinauit nos, & quidem ante mundi constitutionem. Etsi enim Deus non sit sub tempore: nos tamen, qui prædestinamur, sumus sub tempore: ita vt, si hodie (verbi gratia) prædestinemur, cras simus prædestinati necesse sit. 1. *Fuimus prædestinati ab æterno.*

DEINDE colligimus: Si est æternum decretum, ergo ab æterno fuimus Deo chari & dilecti. Testimonia extant in Scripturis. Iohan. 17. Dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Dilexisti autem me ante mundi constitutionem. 2. Timoth. 1. Gratiam hanc nobis datam ante tempora æterna, manifestatam autem per apparitionem Iesu Christi, scribit Apostolus.

SECVNDVM: Ex eo, quod diximus, decretum hoc esse immutabile, colligere promtum est: salutem electorum esse certissimam: Ideóque electos perire non posse. Hoc confirmari potest infinitis locis Scripturarum. Præter illa autem loca, quæ extant in Veteri testamento, præsertim in Psalmis & Prophetis, de certissima electorum salute: in Nouo testamento passim occurrunt hac de re testimonia. 2. *Salus Electorum certissima.*

Matth. 24. de seductione, quæ fiet per Antichristum, ait Christus: ita vt si fieri possit, in errorem etiam ducantur electi. Ergo, cum non possit fieri vt seducantur, certa est illorum salus.

Matth.16. Ecclesiam, ideóque electos, fundatos esse ait suprà petram, ita vt portæ inferorum non possint prævalere aduersus eam.

Iohan.10. Nemo potest rapere eas (oues meas) de manu mea. Item 6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet: & ego non eiiciam foras.

Ibidem: Hæc est voluntas Patris mei, vt omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo. Euangelium Iohannis refertissimum est iis sententiis, de certitudine salutis electorum.

Rom.8. Quos prædestinauit, hos vocauit, iustificauit, glorificauit. Quid ergo dicemus? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Certus sum, quòd neque mors, neque vita, &c. poterunt nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Item cap.11. Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.

2. Timoth.2. Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc: NOVIT Dominus qui sint sui.

1. Iohan.2. Exierunt à nobis, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Qui ergo electi sunt ad vitam æternam, non possunt omnino deficere à corpore Christi, quod est Ecclesia sanctorum.

3. Certus est electorum numerus.

TERTIVM: Ex eo quod diximus, certos quosdam homines fuisse prædestinatos ad vitam; colligimus, certum esse numerum electorum, qui nec augeri nec minui possit. Confirmatur etiam Scripturarum testimoniis. Iohan.13. Ego scio quos elegerim. Ergo certus est numerus.

Iohan.10. Christus de ouibus dicit, quòd pastor eas vocat nominatim. Ergo certus numerus.

2. Timoth.2. Signati sunt omnes electi hoc sigillo, Nouit Dominus qui sint sui. Ergo certus est numerus.

Luc. 10. Nomina vestra scripta sunt in cælis. Ergo certus numerus apud Deum.

Augustinus de Corrept. & Gratia cap.13. Hæc de iis loquor, qui prædestinati sunt in regno Dei: quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis. Falsum est ergo, quod docent iam quidam, omnes pro miscuè esse prædestinatos, hac conditione, vt quicunque crediderit saluetur. Contrà se res habet: Quidam enim sunt ita ad vitam prædestinati, vt quia prædestinati sunt, sint etiam credituri, & credendo in æternam vitam ingressuri. Alij verò non sunt ad vitam prædestinati: ideo etiam non sunt credituri, ac proinde nec in æternam vitam peruenturi. Qui enim prædestinati sunt ad vitam æternam, sunt etiam prædestinati ad fidem habendam.

4. Electio, tota gratuita est.

QVARTVM: Ex eo quod diximus, citra vlla hominum merita Deum prædestinasse, quos prædestinauit ad vitam: colligimus, prædestinationem esse totam merè gratuitam: Deúmque à nulla re permotum ad nos prædestinandos ad vitam, quàm à sua mera voluntate, seu à suo erga nos æterno amore, sed in Christo. Hoc confirmandum est pluribus argumentis & testimoniis Scripturarum: ídque, quoniam & hoc maximi momenti est, totáque ratio prædestinationis sanctorum in hoc vno sita est: & multos, eósque illustres viros & Patres habemus, qui sententiæ nostrę aduersari videntur. Iudicat enim humana prudentia, Deum eos ad vitam æternam prædestinasse, quos præuidit Euangelio credituros, legémq; Dei seruaturos (quasi verò non etiam ad fidem & bona opera prædestinarit, quos ad vitam prædestinauit) atque ita totam Dei prædestinationem, à præuisis nostris meritis dependere. Fuerunt autem eorum, qui hæc iudicarunt, sententiæ quatuor, hæq; diuersæ.

Q. An ex præuisis operibus, facta sit prædestinatio: Diuersæ sententiæ.

1.

PRIMA: Quidam (& hic fuit Origines) somniarunt, omnes hominum animas initiò simul creatas fuisse in cælo, ibíq; alias peccasse, alias non peccasse: pro diuer-

diuersitate autem meritorum, diuersa etiam corpora, & diuersos status in hoc mũdo sortiri. Deum igitur merita cuiusque animæ, antequam vniatur corpori, præexistentis in cælo, videntem, quosdam prædestinasse ad mortem, quosdam ad vitam, pro diuersitate meritorum. Sed hanc excludit Apostolus Rom. 9. Cum nondum nati essent: aut quidquam boni vel mali egissent, vt secundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori. Sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

2. Alij, Deum spectasse cuiusque merita, quæ quisque habiturus erat in hac vita, in corpore iam existens: atque iuxta illa præuisa merita prædestinasse quoque aliquos ad vitam, aliquos verò ad mortem.

In hac sententia fuerunt multi Patres: Immò & Augustinus aliquando hoc sensit, exponens verba illa, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, lib. 83. Quæstionum, quæstion. 68. Tom. 4. habet hæc verba: Cui vult miseretur Deus, & quem vult indurat. Sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest. venit enim de occultissimis meritis. Quin & ipsi peccatores, cùm propter generale peccatum vnam massam fecerunt, non tamen nulla inter eos est diuersitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum sint iustificati, digni efficiãtur iustificatione: & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione. Hæc ille. Sed hanc postea sententiam, quod ad primum membrum attinet: idem Augustinus damnauit, docens non ex meritis nostris, sed ex gratia Dei esse, quòd simus prædestinati ad vitam æternam: vt postea ostendemus ex Augustino. Hanc etiam confutauit Aquinâs.

3. Alij, Deum spectasse in vnoquoque homine proprium liberi arbitrij vsum, an esset vsurus bene sua gratia, & fidẽ præstiturus Euangelio, nec ne: Et prout ea quemque bene vsurum præuidit, ad hanc percipiendam illum prædestinasse. In hac sententia fuit Ambrosius, ad Rom. 9. loquens enim in Dei persona, ait: Dabo gratiam ei, quem scio toto corde reuersurum ad me, post errorem. Augustinus etiam aliquando ita sensit: vt patet in Epistola ad Xistum. Sed hanc etiam sententiam ipse retractauit, & apertis Scripturarum testimoniis ostendit, etiam bonum vsum liberi arbitrij esse effectum prædestinationis: ideo non potuisse esse caussam aut meritum, propter quod Deus prædestinauerit quempiam ad gratiam & ad gloriã. In libro quoque de Prædestinatione sanctorum, hunc errorem refutauit. Quin etiam Thomas Aquinas hunc refutat in 1. p. q. 23. art. 5.

4. Alij volunt, caussam aliquam seu rationem esse in Deo, præter eius voluntatum, cur vnum elegerit, alterum reprobarit: Sed caussam & rationem hanc esse nobis occultam. Et hoc innuere Apostolum Rom. 11. Cum verba de hac quæstione faciens, dicit inscrutabilia esse Dei iudicia, & imperuestigabiles vias eius. Si esset (inquiunt) mera Dei voluntas caussa, cur quidam ad vitam, alij mortem sint prædestinati: non essent iudicia Dei inscrutabilia, quia posset quisque dicere, caussam esse voluntatem Dei.

In hac sententia est Bonauentura, & citat dictum Augustini, quod sententiæ huic fauere videtur, ex libro Retract. Deus proponit, eligit & reprobat veritate certissima, & à nostris sensibus remotissima. Sententia hæc videtur aliquibus incongrua non esse: sed refutatur à Richardo, & aliis. Quòd citat ex Paulo ad Rom. 11. Si mera Dei voluntas caussa esset prædestinationis, iudicia Dei essent scrutabilia, quia assignari caussa iudiciorum Dei posset: nihil est. Nam primò, si etiam aliqua esset ratio ex parte nostra, cur vnum eligeret, alterum reprobaret: non essent inscrutabilia. possemus enim dicere, aliqua in hoc futura merita præuidisse Deum, non in illo. Secundò, ipsa voluntas Dei per se iustissima est, & ratio rerum omnium. Excludat ergo omnia nostra merita, & vsum liberi arbitrij, & quicquid in nobis est: postea dicat, voluntatem Dei esse caussam rationabilem: dabimus.

Orthodoxa sententia

CONCLVSIO igitur esto, Prædestinationem sanctorum totam esse gratuitã; sanctósque ad vitam æternam, ad gratiam, & omnia Dei dona prædestinatos fuisse gratis: hoc est, citra vlla sua merita: vel præterita, hoc est, quæ præcesserint in cælo cuiusque hominis natiuitatem, vt finxit Origenes: vel quæ futura erant in hac vita; Et citra præuisum bonum vsum liberi arbitrij, & citra omnem in nobis caussam: præter voluntatem Dei, & meritum Christi.

HÆC enim conclusio est Pauli, in Epistolis, ad Romanos, ad Ephesios, vbique: Est Augustini in lib. de Prędestinatione sanctorum, & de Bono perseuerantię: denique in libris ferè omnibus, quos edidit post susceptum episcopatum. Est Prosperi, est Fulgentij, est Honorij: est etiam saniorum Scholasticorum, Thomæ, Richardi, Vldarici in sua summa, Ægidij Romani, Gregorij Ariminensis.

ARGVMENTA autem ad hanc quæstionem probandam, ex variis locis sacrarum Scripturarum sumuntur. Referam in summa, quę Augustinus ad hanc probandam adfert in lib. de Prædest. sanctorum, & bono perseuerantiæ.

Prædestinationem Sãctorum totã esse gratuitam: Argumentum primum.

ARGVMENTVM primum, ab effectis prædestinationis ad ipsam caussam sumitur. Eo modo Deus decreuit ab æterno nobis dare sua beneficia, & gratiã & gloriam, quo modo illa dat. Si enim gratis tibi librum dono, proculdubiò gratis quoque dare decreui. Atqui gratiam & gloriam, & omnia bona, quæ nobis dat Deus, dat gratis, citra vlla merita nostra, & citra vsum bonũ liberi arbitrij, & citra vllam nostram rationem, præter Dei voluntatem & meritum Christum. Minorem hanc probat Augustinus, per totum librum 1. & 2. hoc est, de Prædestinatione sanctorum, & de Bono perseuerantiæ, hoc modo: Fides, quæ est initium & ostium salutis: opera fidei, quæ sunt via & iter ad salutem: finis fidei, nempe perseuerantia in fide vsque in finem, quæ quidem perseuerantia est postremus terminus itineris ad salutem, seu ad vitam æternam: denique ipsa quoque vita æterna, nobis à Deo donantur gratis, non propter nostra merita, nec propter bonum vsum liberi arbitrij nostri. Ergo gratis quoque, non propter nostra merita, nec propter præuisum bonum vsum liberi arbitrij, Deus ea nobis dare ab æterno decreuit, & prædestinauit. Hoc est primum argumentum Augustini.

QVOD verò & fides, & opera fidei, & finis fidei, id est, perseuerantia, & deniq; vita æterna gratis donentur à Deo, multis è Scriptura citatis locis, & ductis argumentis probat. Ac primò fidem gratis donari, iis euincit locis, qui docent eam esse merum Dei donum.

Fidem esse Dei donum gratuitum

Iohan. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in illum. Item: Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Quæ verba perpèndens D. Augustinus, contra duas epistolas Pelagianorum lib. 1. cap. 19. ait, Christum dicere Traxerit, non Duxerit: Cur? Ne vllam nostram præcedere credamus voluntatem, aut meritum. Quis enim trahitur (inquit) si iam volebat? & tamen nemo venit, nisi velit: trahitur miris modis, vt velit, ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari: non vt homines (quod fieri nequit) nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant. Hæc Augustinus.

Ephes. 2. Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donũ est.

AT Pelagiani excipiebant, Fidem quidem esse donum Dei, quoad incrementum: sed non quoad initium. sic enim sentiebant, quod etiam multi hodie: Deus primò facit, vt prædicetur nobis Euangeliũ: hoc est, gratia Dei. Secundò, vbi audiuimus nos Euangelium, in nostra potestate situm est, velle illi assentiri, vel non assentiri. Tertiò, Deus verò, vbi videt hanc nostram bonam voluntatem, quæ est initium fidei: donat perfectionem fidei, sine quo augmento illud fidei initium non prodesset. Augustinus igitur multis rationibus probat, etiam initium fidei donum esse Dei: ideóq; gratis dari. quarum rationum hæc est prima.

IPSVM

IPSVM incrementum fidei, quod ô Pelagiani dicitis donari, non autem initium: vel est gratia Dei, vel non est gratia Dei. Si non est gratia: Ergo fides nullo modo erit gratia Dei, sed à nobis. Si verò augmentum, gratia est Dei: & hoc augmẽtum datur alicui, quia habet initium, & non datur alij, quia non habet initium, quod à nobis esse dicitis: ergo gratia dabitur secundum merita: id est, augmentum fidei, quod est gratia Dei, propter initium fidei, quod est opus nostrum. Atqui hoc absurdum est, & hæreticum: gratiam dari secundum merita: Alioqui enim gratia non esset gratia: id quod etiam Pelagiani in Palæstinæ Synodo victi rationibus, damnarunt, licet non ex animo. Ergo falsum est, initium fidei à nobis esse, non autem à Deo. *Fidẽ, etiã quoad initium, esse donum Dei Ratio. 1.* *Rom. 11.*

INITIVM fidei est, cogitare ea quæ sumus credituri. Augustinus: Quid enim est credere, nisi cum assensu cogitare? Atqui non possumus à nobis cogitare, quæ sunt nobis ad credendum à Deo proposita. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Ergo initium fidei à nobis non est, sed à Deo. *2.* *2. Cor. 3.*

Philip. 1. Vobis datum est pro Christo, vt credatis in eum: non ait, vt perfectius credatis: sentiens, & initium & incrementum fidei esse à Deo. *3.*

QVOD Deus promittit, ipsemet præstat, non alij: alioqui non esset promissio, sed prædictio. Atqui promisit fidem gentibus, & electis omnibus. *4.* *Ierem. 31.*

DEVS vel potest initium fidei dare, sicut & augmentum: vel non potest. Si non potest, Ergo Deus non est omnipotens: Et cum tu possis eam habere ex te, non ex Deo, potentior eris. Si potest: cur ergo non fateris, etiam initium fidei à Deo dari? Quid enim (ait Augustinus) tu tibi primas vendicas partes, vt nouissimas ab illo merearis accipere? Quid aliud ais hoc modo, nisi vt asseras gratiam secundum merita nostra dari? Atque ita gratia iam non sit gratia? redditur namque hoc pacto, non donatur gratis. Debetur enim credenti, vt à Domino ipsa fides augeatur: & sit merces fidei cœptæ, fides aucta. *5.*

1. Cor. 4. Quid habes, quod non accepisti? Hac autoritate (ait Augustinus) vtebatur D. Cyprianus, ad docendum, quòd in nullo gloriandum quando nostrum nihil est. Hoc loco & testimonio Cypriani conuictus Augustinus, coactus fuit, errorem suum retractare: quo, antequã esset Episcopus, dixerat, fidem à nobis in nobis esse: per hãc verò impetrari à Deo reliqua dona, sanctitatem, iustitiam. Ipse hoc fatetur in libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 3. Si enim dicas, Omnia alia à Deo habeo, fidem non habeo: tibi statim dicet Apostolus, Quid habes, quod nõ accepisti? Si dicas, Augmentum fidei habeo à Deo, initium à meipso: protinus dicet Apostolus, Quid habes, quod non accepisti? Et probat Augustinus de Prædestinatione sanctorum cap. 5. Paulum hic loqui de donis spiritualibus, quorum primum est fides. Videte locum. *6.*

Coloss. 4. Orationi instate, orantes simul & pro nobis, vt Deus nobis aperiat ostium verbi sui. Augustinus de Prædestinatione sanctorum cap. 20. Quomodo aperitur ostium verbi, nisi cum sensus aperitur audientis, vt credat? Concludit dicens: Quid est igitur, Orantes simul & pro nobis, vt aperiatur ostiũ verbi: nisi apertũ testimonium, & apertissima demonstratio, etiam ipsum fidei initiũ esse donum Dei? *7.*

AD prædicationem Petri multi auditores confluunt, & omnes audiunt. Quidam tamen credunt, alij non credunt. Vnde hæc diuersitas? Dices: Quia illi volunt credere, isti nolunt. Bene dictum. Sed vlterius quærit Augustinus: vnde fit, vt isti velint, hi autem nolint credere? Oportet altius ascendere, ad caussam scilicet superiorem, quæ voluntatem hominis mouet: hic est Deus, de quo Philipp. 2. Deus operatur in nobis velle & perficere. Caussa igitur est, quia pręparatur volũtas à Deo in illis, vt velint: non præparatur in istis. Caussa est, quia Deus operatur in illis velle, *8.*

in istis

in istis non operatur. Caussa est, quia Deus illorum voluntates mouet efficaciter, istorum non mouet.

At quomodo mouet voluntates hominum Deus? Respondet Augustinus: Miro modo, intus docendo & trahendo.

Iohan.6. Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Ibidem: Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Ex quibus duobus locis Augustinus haurit tres Conclusiones.

1. Omnis qui audiuit à Patre, & trahitur, venit ad Christum: hoc est, Nullus est qui audiat, qui trahatur, & non veniat.

2. Omnis qui venit ad Christum, ideo venit, quia audiuit à Patre, & didicit, & trahitur.

3. Omnis qui non venit ad Christum, ideo non venit, quia non audiuit à Patre. si enim audiuisset, & didicisset, venisset. Cur autem quosdam trahat, alios non trahat: hoc venit de iudicio, illud de misericordia. Ratio hæc, est in lib. de Prædest. Sanctorum cap.8.

9. Ephes.6. Pax fratribus & charitas, cum fide, à Deo patre. Augustinus de Bono perseuerantiæ, cap.17. A quo igitur pax & charitas, ab eo est & fides. Charitas autem ex Deo est, ait Apostolus, & Iohan.1. Epistola, cap.4. At (inquies) Christus præcipit vt credamus: Credite Euangelio: Si credideris, saluaberis. In nostra ergo potestate situm est credere. Respondet Augustinus de Prædestinatione sanctorum cap.19. Et facere quod iubet, & accipere quod promisit, vtrumque Dei donum est. Sed ideo & præcipiuntur nobis, & dona Dei esse monstratur, vt intelligatur, quòd & nos ea facimus, & Deus facit vt illa faciamus. Sic in Ezech. ait: Ego faciam, vt faciatis id est, Ego faciam vos facere, quæ iubeo vt faciatis. Vnde Augustinus alibi, alloquens Deum ait: Da quod iubes, & iube quod vis. His atque aliis multis rationibus probat Augustinus, fidem, & quo ad initium, & quo ad incrementum, totam esse merum Dei donum, ideóque dari gratis à Deo.

II. *Opera bona esse dona Dei.*

Quòd verò & bona opera, quæ sunt effecta fidei, dona sint Dei, primò quidem hinc patet: quia si caussa, quæ est fides, donum Dei est, ergo & eius effecta. Sed Augustinus adfert alias rationes, & testimonia è Scripturis. Sunt autem hæc ferè.

Iacobi 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est descendens à Patre luminum.

Philip.2. Deus operatur in nobis velle & perficere.

1. Corinth.4. Quid habes, quod non acçepisti?

Sap.8. Et vt sciui, quoniam aliter non possum esse castus seu continens, nisi Deus det (& hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius hoc esset donum) adij Dominum, & deprecatus sum illum.

Ezech.36. Faciam vt ambuletis in præceptis meis.

Ecclesia rogat: Da, vt cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt: & te gubernante, eadem faciamus.

Ephes.2. Ipsius opus sumus, creati in operibus bonis, quæ præperauit vt in illis ambulemus. Ergo etiam effecta fidei, id est, bona opera, dona sunt Dei.

III. *Perseuerãtiã esse donum Dei.*

Quòd verò etiam perseuerantia in fide vsque in finem, sit donum Dei gratuitum, probat multis rationibus in libro de Bono perseuerantiæ. Et fortè titulus erat, DE DONO PERSEVERANTIÆ. nam & in 1. cap. initio sic ait: Perseuerantiæ donum, qua vsque in finem perseueratur in Christo. Rationes Augustini, & testimonia è Scripturis, hæc sunt.

Philip.1. Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in illum, sed etiam vt patiamini pro illo. Horum vnum (ait Augustinus) pertinet ad initium, alterum

alterum ad finem: vtrumque tamen est donum Dei, vtrunque donatum. initium Christiano, est credere in Christum: finis melior nullus, quàm pati pro Christo.

1.Pet.2. Melius est benefacientes, si velit voluntas Dei, pati, quàm malefacientes. Augustinus: Cum dicit (inquit) Si voluntas Dei velit, ostendit diuinitùs donari omnibus sanctis, vt pro Christo patiantur: illis scilicet, qui patiuntur pro eo: quia multi, licet non patiantur, tamen ad regnum cælorum perueniunt.

2.Thess.2. Deus pater noster exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

Philip.1. Qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in finem.

1.Pet.vlt. Deus autem omnis gratiæ, ipse perficiet, firmabit, solidabítque.

Psalm.79. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi, & non discedimus à te. Augustinus de Bono perseuerantiæ, cap.7. Quis est iste vir dexteræ Dei? Iste non est Adam primus homo, in quo discessimus ab eo (scilicet Deo) sed est Christus, per quem, opere ceu manu Dei fit, vt nõ discedamus ab eo. Manus ergo (inquit) Dei est ista, non nostra, vt non discedamus à Deo. Perseuerantia igitur donum Dei est.

Ierem.32. Dabo timorem meum in corda eorum, vt non recedant à me.

PETIMVS in oratione Dominica perseuerantiam, idque in omnibus ferè petitionibus, quæ ibi continentur: vt Cyprianus ostendit in sua expositione orationis Dominicæ. ergo donum Dei est.

IV. *Vitam æternã donũ esse Dei.*

QVÒD etiam vita æterna sit donum Dei, testatur Apostolus Rom. 6. Gratia Dei, vita æterna.

QVOD si quis dicat, vt Thomas dixit, prædestinationem Dei, quantum ad gratiam, gratuitam esse: quia prædestinauit eam dare gratis, quod etiam nomen ipsum docet: sed quantum ad gloriam, non esse gratuitam, quia hanc reddit meritis, quæ ex gratia habemus: Respondeo, Hoc falsum esse: tum quoniam nulla nostra sunt merita, si propriè loquamur, sicut idem Thomas fatetur: tum, quoniam Paulus eam vocat gratiam. Postremò, quoniam contrà potius Deus ideo prædestinauit nobis dare gratiam, quia voluit vt per illam consequeremur gloriam: igitur gratis vitam dare decreuit. sed quia ad illam consequendam necessaria est gratia, vt fides: ideo hanc quoque donare constituit. *Rom.6.*

REPETAMVS igitur argumentum primum, quo probare instituimus prædestinationem totam esse gratuitam. Eo modo decreuit Deus dare nobis sua beneficia, gloriam & gratiam, quo etiam illa dat. Dat autem hæc gratis. dat enim fidem, tam quoad initium, quàm quoad augmentum, gratis: dat opera fidei gratis: dat finem fidei, id est, perseuerantiam gratis. Ergo hæc dare gratis prædestinauit. Prædestinatio igitur tota est gratuita. Hoc est primum argumentum Augustini, & certè ἀπόδειξις est irrefutabilis.

ALTERVM argumentum, quo probat prædestinationem sanctorum esse gratuitam, à pueris ducitur: est autem hoc.

Filij fidelium infantes hinc ad cælum migrant: ergo ad illud fuerunt prædestinati. Quibus meritis? Non suis præteritis, quia nulla habuerunt: non futuris, quia nulla habituri erant: neque propter præuisum bonum vsum liberi arbitrij, quia ad illum non peruenerunt, morte præuenti. Quid ergo? Nunquid fortè prædestinauit eos propter merita, quæ habuissent, si vixissent? Quidam Pelagiani hoc dicebant. Sed diluit Augustinus hanc exceptionem lib.1. de Prædest. sanctorum cap. 12. & de Bono perseuerantiæ cap.9. vsque ad 11. Nemo vel punitur, vel præmium accipit, pro iis vel malis vel bonis, quæ acturus erat: & Rom.14. Omnes astabimus ante tribunal Christi, vt quisque referat, prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum. Ait, gessit, non autem gesturus erat. *Argumentum secundum: Prædestinationem sanctorum esse gratuitã*

SECVN-

SECVNDÒ sequeretur, quòd Tyrij & Sidonij non essent condemnandi, quia acturi fuissent pœnitentiam, si virtutes factæ fuissent inter illos, sicut in Capernaum, Corazim & Bethsaida.

TERTIÒ, igitur Christus præuideret futurum id, quod nunquam est futurum: nempe futura opera puerorum, quæ nunquam erunt: ideóque præuideret falsum, si propter opera seu merita, quæ habituri fuissent, si vixissent, pueros prædestinasset: quia nunquam fuissent. Pueri ergo propter solam Dei gratiam prædestinati sunt ad vitam æternam. Si pueri, ergo & adulti: quia vna est omnium conditio & ratio. Ideo Augustinus de Bono perseuerantiæ, cap. 11. Ex ore infantium & lactentium Deus perfecit laudem gratiæ suæ & gloriæ: vt quod in iis fieri videmus, hoc etiam in maioribus fieri non dubitemus. Legitote caput ipsum 11.

Argumentum tertiũ

TERTIVM argumentum, ab exemplo Christi ducitur. Christus quà homo, prædestinatus fuit à Patre, vt conciperetur de Spiritu sancto, & nasceretur, & esset filius Dei: Prædestinatus est, inquam, ex mera gratia & voluntate Patris, sine vllis suis meritis. Ergo neque nos prædestinati sumus ex meritis, sed ex mera gratia. Legitote hoc argumentum Augustini, in lib. de Bono perseuerantiæ cap. 24. Quisquis (inquit) fidelis vult prædestinationem bene intelligere, attendat ipsum (scilicet Christum) atque in illo inueniat seipsum.

Testimonia Scripturarum.

SVNT postea multæ autoritates Scripturarum, quas citat Augustinus sparsim. 3. Reg. 19. & citatur ad Rom. 11. à Paulo, ad hoc propositum de prædestinatione Reliqui mihi 7000. virorum, qui non curuarunt genua coram Baal. Verba hæc perpendens Augustinus de Bono perseuerantiæ, cap. 18. Non ait (inquit) relicta sunt mihi, aut reliquerunt se mihi: sed Relíqui mihi. Ergo gratis relíqui.

Iohan. 15. non Apostolis tantùm, sed omnibus piis ait Christus: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Augustinus de Prædestinatione sanctorum, cap. 17. Si autem ideo Deus eos prædestinauit, & elegit, quia vel crediturí erant, vel bene operaturi: Ergo ipsi eum prius elegerunt, credendo in eum, vt eligi mererentur ab eo. Aufert autem hoc omnino, qui ait: Non vos me elegistis Significat Christus, in seipsis nihil habuisse, quare eligerentur, nisi ipse sua gratia illos anteuertisset. Videte ibi, quæ circa hoc argumentum sequuntur. Consonat iis, quod contra Iulianum Pelagianum lib. 5. ca. 3. scribit: Nullum elegit dignum, sed eligendo effecit dignum: nullum tamen punit indignum.

Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.

Rom. 9. locus est proprius de hac re: Cum nondum nati essent, aut egissent aliquid boni vel mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Maior seruiet minori.

Ephes. 1. Elegit nos in Christo, ante constitutionem mundi, vt essemus sancti. Cum ait, In Christo, excludit omnia nostra merita, & dignitatem. Est enim, ac si dicat: Quia in nobis ipsis non eramus tanta excellentia & gratia digni: ideo in Christo, & in gratiam Christi, ad tantam dignitatem, excellentiam & hæreditatem, fuimus electi: deinde in Christo, hoc est, vt per Christum, & propter merita Christi seruaremur.

Item: Elegit nos secundum beneplacitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ: imò præparauit opera, in quibus ambularemus. Igitur non propter opera seu merita fuimus electi.

Item, Elegit vt essemus sancti, non quia eramus: igitur non propter merita electi sumus, sed vt haberemus merita.

2.Timoth.1. Vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis ante tempora æterna.

Ita Epheſ.1. ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, quod propoſuerat in ſemetipſo. Quid eſt in ſemetipſo? Quaſi dicat: Extra ſe nihil conſiderauit, cuius rationem haberet in nobis eligendis.

CONCLVDIT Auguſtinus, electionem ſanctorum totam eſſe gratuitam. Ita contra Iulianum Pelagianum lib.6.cap.8.concludit: Quos elegit ante mundi conſtitutionem, per electionem gratiæ: non ex operibus vel præteritis, vel præſentibus, vel futuris: alioqui gratia iam non eſſet gratia. Hæc eſt doctrina ſacræ Scripturæ, & Catholicæ Eccleſiæ: totam ſalutem noſtram eſſe gratuitam: abſolutámque cauſſam noſtræ ſalutis eſſe gratiam DEI.

ET certè quibus doctrina hæc diſplicet, non ſunt niſi inimici gratiæ Dei. volunt enim iſti Pelagiani, vt etiam aliqua ex parte à ſeipſis pendeat ſalus, & à ſuo libero arbitrio. Quare? Vt ſint tutiores de ſua ſalute. Quaſi verò tutior ſit noſtra ſalus in manibus noſtris, quàm in manu Dei. At (vt inquit Auguſtinus) tutiores viuimus, ſi totum damus Deo: vbi enim tutior eſt noſtra ſalus, quàm in voluntate Dei firma & immutabili? Si à nobis penderet, incerta eſſet ſalus: quia mutamur. Sed ideo certa eſt, quia in voluntate Dei eſt ſita. Quos enim ſemel elegit, ſaluat. Legantur etiam quæ ſcripſit D.Fulgentius ad Monimum lib.1.pag.18. vſque ad 21. vbi pulcrè demonſtrat, & prædeſtinationem, & vocationem, & iuſtificationem, & glorificationem beneficia eſſe ac dona gratuita. Ac de quarto, hoc eſt, de gratuita prædeſtinatione, ſatis.

V. *Sine bonis operibus nemo adultus in cælum aſcendit.*

QVINTVM: Ex eo verò, quod diximus in definitione Prædeſtinationis ſanctorum, Deum prædeſtinaſſe etiam opera, in quibus ambulant electi: concluſio illata eſt, nullos eſſe electos (de adultis loquor) qui hinc in cælum migrēt ſine bonis operibus. Confirmata fuit exemplo etiam Latronis: nam in eo fuerunt omnia iſta bona opera, agnitio peccati ſui, confeſſio Chriſti, patientia, fraterna correctio, &c. Quare præpoſterè illos argumentari, qui dicunt: Si ſum prædeſtinatus, etiam ſine bonis operibus ſeruabor.

HÆC eſt fallacia diuiſionis: Diuidunt enim res inſeparabiles, effecta à ſua cauſſa. opera enim bona effecta ſunt prædeſtinationis, & ab illa pendent: ideóque ſeparari non poſſunt. Sic potius argumentandum eſt: Prædeſtinatus ſum ad vitam æternam: ergo mihi ambulandum eſt in bonis operibus, quandoquidem prædeſtinatis ad vitam præparata ſunt etiam bona opera, in quibus ambulent. Atque hæc eſt via ad cælum ordinaria.

VI. SEXTVM: Ex omnibus iis prædeſtinationis effectis, quæ enumerauimus, colligimus: Igitur quicunque cernit in ſe hæc effecta, id eſt, videt ſe vocatum, ſentit ſe iuſtificatum, donatum fide, patientia in aduerſis, ſtudio bonorum operum, & aliis gratiæ effectis: certiſſimè ſibi perſuadere debet, ſe eſſe ex numero prædeſtinatorum. Confirmatur hæc concluſio. Duo enim ſunt, quæ electos reddunt certiores, quòd ſint electi ad vitam. Primum eſt, teſtimonium Spiritus ſancti internum. 1. De hoc Paulus Rom.8. Spiritus autem (ſcilicet Dei) reddit teſtimonium Spiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei: ergo etiam quòd prædeſtinati ad vitam. Et hoc eſt ceu argumentum à priori ſeu à cauſſa, quæ eſt Dei bonitas, & gratia & charitas, diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, Rom.5. 2. Alterum ſunt effecta prædeſtinationis, ſeu gratiæ: vocatio, iuſtificatio, bona opera. De iis Petrus, 2.Epiſt.1. Quapropter magis ſtudete, vt per bona opera (ſicut habent quidam codices Græci) firmam & certam faciatis veſtram vocationem & electionem. Cui facienda eſt certa vocatio noſtra, & electio, per bona opera? Non Deo: Quia

certa fuit & est Deo, antequam essemus conditi: sed nobis, & proximo. Discernuntur enim hac nota electi à reprobis: quòd illi ambulant, & perpetuò pergere conantur in studio bonorum operum: atque ita pergunt, vt tametsi nonnunquam inter ambulandum labantur, tamen dolentes lapsus suos, mox erecti à Spiritu Dei, surgant, & suum iter continuent, peccato in illis nunquam regnante: quia peccato perpetuò reluctantur, eique nunquam ex animo obtemperant: de quibus 1. Iohan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, non peccat (scilicet ex animo, & ad mortem, seu peccatum regnans) nec potest peccare, quia semen Dei manet in illo. Isti autem, nempe reprobi, nihil minus curant, quàm vt obtemperent legi Dei, & ambulent in studio bonorum operum. Sunt enim captiui à Sathanæ, ambulant in tenebris, nesciũt quò eant, in ipsorum cordibus regnat peccatum, & ipsi illud tanquam suum regem amant, libenter & ex animo illius concupiscentiis, tanquam regiis mandatis obtemperant, idque semper & vbique, & pro tota sua virili. Proinde isti reprobi, etsi ad tempus aliquando videantur credere in Christum, studere bonis operibus, & ideo esse ex numero electorum: reuera tamen non sunt, nec reuera credunt in Christum, nec reuera amant legem Dei, & perpetuò mentiuntur. De iis prima Iohan. 3. Omnis qui peccat (scilicet ex animo) non nouit Deum: hoc est, declarat se nunquam vera in Deum fide fuisse præditum. Videmus igitur, quantum discriminis sit inter electos & reprobos: quòd electi, præsertim post regenerationem, perpetuò studeant legi Dei faciundæ, & ambulant in eis operibus, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus: & hac ratione certam reddunt suam vocationem & electionem. Reprobi verò, etsi nonnunquam ad tempus simulent fidem & sanctitatem: intus tamen nunquam verè credunt in Christum, nec amant legem Dei. Faxit Dominus, vt quisque nostrûm ambulet in via electorum, & veræ fidei operibus: vt certam, tum sibi tuum aliis, suam reddat electionem, Amen.

DE IMPIORVM EXCAECATIONE, ATQVE INDVratione: dég, eorum æterna ad excæcationem & indurationem, atque ideo ad interitum prædestinatione, Quæstiones quinque: ex eiusdem H. Zanchij in Cap. Esaiæ 6. in ea verba: Excæca cor populi huius: Prælectionibus desumtæ.

PRIMA.

An Deus ipse aliquos induret, excæcet, tradátque in reprobum sensum: vt faciant quæ non conueniunt, atque ita pereant?

ALTERA.

Quos nam excæcet, & induret?

TERTIA.

Propter quam caussam aliquem induret, atque excæcet?

QVARTA.

Quomodo, seu quibusnam mediis Deus induret & excæcet: num sola permissione, aut gratiæ duntaxat subtractione: an verò externa etiam, & interna actione?

QVINTA.

Cum Deus nihil agat, quod non ab æterno prædestinauerit, & decreuerit se facturum: an Deus aliquem ad excæcationem, ac proinde ad malum prædestinauerit?

Quæstio

Quæstio. I.

QVOD ad primam attinet quæstionem, An Deus ipse aliquos induret, excæcet, tradátque in reprobum sensum, vt faciant ea, quę non conueniunt, & ita pereant: Respondeo. Scripturæ simplicissimè id, & disertis verbis tradunt: Exod. 4. Volebat liberare populum suum, multis iam annis sub dura seruitute Ægyptiorum oppressum: volebat inquam liberare, maximis & multis portentis editis, & per omnia secula memorando Ægyptiorum exitio (quemadmodum postea cõtigit) atque ita tum potentiam suam aduersus hostes, tum erga suum populum beneuolentiam mundo declarare. Ad hoc autem faciendum necesse erat, vt Pharao, Domino suum dimitti populum iubenti, resisteret: Resistere verò ita, vt restitit, non poterat, nisi cor suapte natura, nimirum corrupta, durum, magis etiam ac magis induraretur. Dominus ergo simplicissimè pronuntiat Moysi, se Pharaonis cor induraturum, dicens: Vide, vt omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone. At si ipse statim dimittat populum, quorsum opus erit vt faciam portenta? Respondet Dominus: Ego indurabo cor eius, & non dimittet populum. Dominus simplicissimè loquitur cum suis filiis, vt intelligatur. Simplicissimè igitur sentiendum est, Deum induraſſe cor Pharaonis, ne dimitteret populum suum: de modo postea dicemus. Exod. 7. idem repetiit Dominus: Tu Moses loquêris (scilicet fratri tuo Aaroni) quæ mandauero tibi: & frater tuus Aaron loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Israël de terra sua: At ego indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo signa mea, & portenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos Pharao: & immittam manum meam in Aegyptum, & cognoscent Aegyptij, quòd ego sum Deus, &c. Exod. 10. Vade ad Pharaonem: Ego induraui cor eius, &c.

AT capite 8. legimus, Pharaonem, suum ipsius cor aggrauasse. Respondeo: Verum est, quia & culpa, propter quam indurabatur à Deo, hærebat in Pharaone: & Pharao ipse non indurabatur inuitus: sed sciens ac volẽs contra mandatum Dei, cor suum obfirmabat. Interim tamen certum etiam est, Deum tanquam iustum iudicem, primarium fuisse indurationis istius autorem. nam prius dixerat cap. 4. Ego indurabo: & idem vrgetur alibi.

Rom. 9. Deus quos vult indurat, & quorum vult miseretur. Rom. 1. Tradidit illos Deus in reprobum sensum, & in desideria cordis eorum, vt faciant ea quæ non conueniunt. Ita hic locis Esaiæ 6. perspicuus est. Quod enim iubet Prophetam facere, ipse per ministerium Prophetæ fecit. Sic Iohan. 12. exponit dicens: Propterea non poterant credere, quia rursus dicit Esaias: Excæcauit (scilicet Dominus) oculos eorum, & indurauit cor eorum, &c. Quanquam Actorum 26. Paulus dicit: Et oculos suos occluserunt (scilicet ipsi Iehudæi) ne quando viderent oculis, &c. Sed hoc modo loquitur Paulus: quia ipsorum malitia in causſa fuit cur excæcarentur: sicut etiam in libro Sapientiæ: Excæcauit eos malitia eorum, &c. Ideo excæcatio hæc, & induratio non potest verti vitio ipsi Deo: sed ipsis hominibus, propter suam ipsorum contumaciam. Manifestum est igitur, Deum quosdam excæcare & indurare, & in reprobum sensum tradere, inque desideria mala.

Quæstio. II.

QVOD ad secundam attinet quæstionem: Quos nam induret, excæcet, tradátque in reprobum sensum: Respondeo: Electos nunquam, sed tantùm reprobos: nec hos quidem omnes (nempe hoc singulari, de quo loquimur, excęcatio-

nis genere) sed tantùm insignes quosdam impios & contumaces. Quanquam enim reprobos omnes tãdem deserat, nec illuminet, nec eorum corda emolliat, atq; ita omnes tandem excæcet, & induret ac perdat (omnes enim reprobi tandem excæcantur, & indurantur, vt Rom.11. patet: Electio consecuta est, cæteri verò excæcati sunt) non de omnibus tamen in vniuersum legitur in Scripturis, quòd illos Deus excæcet, induret, in reprobum sensum tradat, vel eis immittat Spiritum erroris & deceptionis, vt credant mendacio: sed de quibusdam tãtum insignibus impiis & contumacibus reprobis, infidelibúsq; id tradunt sacrę literæ. Exempla: Vt, Pharao insignis impius, dicitur induratus fuisse à Deo: sic populus iste Iudaicus, præfractus & cõtumax: vt etiam legitur in Epistola ad Rom.11. Dedit illis Dominus Spiritum compunctionis. Sic illi sapientes Rom.1. qui, cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed mutauerũt gloriam eius in similitudinem imaginis corruptilis hominis, dicũtur traditi in reprobum sensum. Sic.2. Thess.2. de illis infidelibus, qui veritati prædicatæ & agnitæ noluerũt credere, ait Apostolus, Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

De omnibus autem reprobis ait, 2. Corinth. 4. Quòd si etiam opertum est Euangelium nostrum, in iis, qui pereunt, opertum est, in quibus Deus huius seculi (id est, Sathan, iussu Dei omnipotentis) excæcauit mentes infidelium. Quamuis igitur omnes reprobi deserantur à Deo, & ita etiam ipsi destituti lumine Spiritus sancti excæcentur, & destituti gratia regenerationis indurentur, & tandem pereant: tamen cum in Scripturis legimus Deum aliquos induraſſe, excæcasse, de quibusdam insignibus impiis & contumacibus intelligitur: vt illi loci, in quibus hæc leguntur, satis aperte indicant.

Quæstio III.

Qvòd attinet ad tertiam, Cur Deus istos excæcet & induret: Respondeo: Si causſam finalem requiras, triplex est.

Vna spectat ipsos contumaces, qui excæcantur. ea est, vt hoc spirituali flagello, quod tandem ad æternam mortem ducit: propter præcedentia peccata, & inprimis propter contumaciam contra Dominũ, puniantur. Solet enim Deus peccata peccatis punire. Hæc causſa est manifesta, Rom.1. & alibi sæpe. Excæcat ergo eos, ne conuertantur, & ita ne sanentur (vt hic docet Iesaias:) atque ita vt tandem damnentur, & maiores grauioresque pœnas luant.

Secvnda ad ipsos electos pertinet. Ea est, vt exemplo horum impiorum, qui propter contumaciam & alia scelera adeò excæcantur & indurantur, vt non possint amplius resipiscere, & saluari: discant timere Dominum: discant non repugnare, & contumaciter recalcitrare Domino: discant cõtinere se, suósque sensus omnes in verbo Domini, nec ab eo vel ad dextram, vel ad sinistrã deflectere: quandoquidem Dominus contumaces rebelles, quique sine timore Domini in peccatis ambulare pergunt, tandem excæcat, indurat, vt nulla amplius de eis superſit spes salutis. Omnia enim in salutem cedunt electis: ita vt etiam reprobi creati sint propter ipsorum salutem: vt Augustinus tradit Tom.7. contra Iulianum Pelagianum libro 5. capite 8.

Tertia ad ipsum Deum, eiúsq; gloriam & iustitiam pertinet: atque, hæc est prȩcipua, & verè finalis causſa. Ea est, vt iustitia & potentia Dei in ipsis impiis hac ratione, id est, excæcatione & induratione, toti mundo patefiat, dum contumaces punit. Causſa hæc perspicua est in Pharaonis induratione, Exod.4. & 7. Ergo indurabo cor Pharaonis, & non dimittet populum: & (ita) immittam manum

manum meam in Ægyptum, educámque populum meum de Ægypto iudiciis maximis: & agnoſcent Ægyptij, quòd ego ſum Dominus. Et clariùs Paulus cauſſam hanc Rom. 9. ex Exod. 9. ſumtam, explicat dicẽs: Dicit enim Scriptura Pharaoni: in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te potentiam meam, & annuntietur nomẽ meum in tota terra: id eſt, in hoc ipſum te finxi, in hoc te in lucem produxi, in regem extuli, hac poteſtate præditũ orbi te exhibui, te excęcaui & induraui, ne dimitteres populum. In quem finem? Vt hac ratione, tot ſignis & portẽtis meis editis, & tanta potentia mea populo è manibus tuis erepto, te palàm punirem: & in te, tanquam exemplo per omnia ſecula memorando, iuſtitiam & potentiam meam toti orbi manifeſtarem: efficerémque, vt nomen meum vbique nominaretur. Si ergo cauſſam finalem quæras, cur Deus excæcet, indurétq; hos contumaces: habes triplicem, vt demonſtraui. Si verò quæras, quæ ſit cauſſa, cur Deus iſtos excæcet & induret, non item alios: ea duplex eſt. Vna, in ipſis eſt hominibus, qui excæcantur & indurãtur. Ea eſt peccatum ipſum, atq; in primis ipſa hominum aduerſus Deum contumacia, peruicacia, rebellio: quia ſcilicet Deo ſæpe vocanti contumaciter reſiſtunt, pergúntq; ſine timore in peccatis ſuis ambulare. Peccatis enim & ſceleribus impiorũ mouetur Deus ad pœnas de ipſis ſumendas. Cauſſa hæc perſpicua eſt Rom. 1. Quia cum cognouiſſent Deũ, non ſicut Deum glorificauerunt, &c. Propterea tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, &c. Item: Et quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & ſeruierunt potius creaturæ quàm creatori: propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ, &c. Item: Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. Sic 2. Theſſal. 2. Eò quòd charitatem (ſeu dilectionem) veritatis non receperunt, vt ſalui fierent: ideo immittit illis Deus operationem (id eſt, efficaciam) erroris (ſeu illuſionis) vt credant mendacio, vt iudicentur omnes (hoc eſt, damnentur) qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Cauſſa igitur impulſiua, & proxima, cur Deus excæcet quos excæcat, in ipſis eſt hominibus: & eſt ipſum peccatum, atq; in primis (vt dixi) ipſa contra Deum contumacia, pertinacia, rebellio.

ALTERA cauſſa in Deo eſt. Ea verò eſt, ipſum æternum Dei propoſitum, ſeu libera voluntas. Cum enim in omnibus hominibus peccatum inueniatur: imò in multis & contumacia & peruicacia quædam, quos tamen non excęcat, nec indurat, ſed illuminat & emollit: cur quoſdam emolliat, alios verò induret, cauſſa eſt ipſa Dei voluntas, quia ſic Deo placet. Cauſſa hæc apertiſſima eſt in Scripturis. Rom. 9. Ergo quorum vult miſeretur, & quos vult indurat. Si enim duo ſint ex æquo peccatores, & impij, & rebelles, quorum tamen vnus ex numero electorum ſit, alter verò ex numero reprobatorum: Deus electi miſeretur, & cor eius emollit, reprobũ verò excæcat & indurat. Cauſſa, cur vterque mereatur indurari, in vtroq; æqualis eſt: quo fit, vt qui induratur, iuſtiſſimè induretur: quia cauſſa indurationis in ipſo reſidet. Cur tamẽ alterum emollit, & alterum indurat? Quia ſic Domino placet. An non Dominus eſt omnium? An non poteſt miſericorditer vnum emollire, & iuſtè alterum indurare? Qui ergo, vt heri dixi, ſentit ſe emolliri, & illuminari, ideóque ſaluari: ſupra cælos mente conſcendat, agnoſcátque hanc ſalutem proficiſci è gratuita Dei erga ſe beneuolentia, gratia, prædeſtinatione: & gratias agat Deo patri per Ieſum Chriſtum. Qui verò ſentit ſe excęcari, indurari, vel ſaltem non, ſicut alterum, illuminari: deſcendat in ſeipſum, & ibi, id eſt, in ſe ipſo inueniat cauſſam ſuæ indurationis, ſuum eſſe peccatum, ſuam pertinaciam: eam deploret, deteſtetur, veniam petat, ſuplicet ſe liberari, & emolliri, ſi fortè Dominus miſerearur. Iam tenemus cauſſas, & finales & impulſiuas, cur Deus, quos excæcat, & indurat: excæcet & induret.

Quæstio IV.

QVOD attinet ad quartam quæstionem, quomodo excæcet, induret, tradat in reprobum sensum, & desideria cordis: Tametsi Quæstio hæc difficilior est, explicabo tamẽ, vtut potero breuissimè & dilucidè. Primò: Quidam dicunt, Deum quos excæcat, excæcare sola permissione. Sic, tradere aliquos in desideria cordis eorum, interpretantur, permittere & derelinquere eos in desideriis suis, quibus antea æstuabant. Et talis fuit expositio Iuliani Pelagiani: vt patet in Augustino, Tom. 7. contra Iulian. Pelag. lib. 5. cap. 3. quam expositionem ibidem etiam Augustinus confutat. Isti putant Deum simpliciter nihil agere in impiis, qui excæcantur: sed tantùm, quòd cum videat aliquẽ periclitari vt excæcetur, vel induretur, permittat, & quidem dolens, illum suo libero arbitrio: vt si excæcari velit, excæcetur. Non secus atque si quis stans in littore, videat in mari nauim periclitari vt submergatur: & dolens de eius submersione, permittat tamen submergi. Sed expositio hæc non congruit: Primò, iis locutionibus, quæ actionem quãdam Dei in iis, qui excæcantur, significant, cum dicit Scriptura, Deus excæcauit, Deus indurauit, Deus tradidit in desideria cordis eorum. Secundò non congruit dictis Scripturarum, quæ disertè tradunt, Deum operari omnia in omnibus: item, corda omnium in manu esse Dei, & Deum illa flectere quocunque velit. Tertiò: si tantùm permissione Dei excæcarentur, id est, quia deseruntur: non hac particulari locutione vterentur Scripturæ, de quibusdam particularibus & insignibus impiis: vt de Pharaone, de quibusdam Iudæis, &c. Omnes enim reprobi deseruntur à Deo, & permittuntur in suis desideriis. Grauius igitur aliquid indicant hę locutiones, quàm solam permissionem: quandam nimirum voluntariam Dei actionem in impiis, qua eos excæcat. Fateor in Psalm. 80. inueniri talem locutionem, Dimisit eos in desideria cordis sui: sed talis permissio Dei non est inuoluntaria, quia nihil inuito Deo fit, nec sine vlla prorsus actione Dei: quia Deus operatur omnia in omnibus: vult ergo, & facit, vt in suis desideriis impij viuant.

Alij intelligunt, Deum excæcare & indurare homines gratiæ suæ subtractione, id est, subtrahendo gratiam & auxilium suum, quo illi indigni erant: & ita sinendo illos ruere præcipites in desideria mala, excæcationem, &c. Fingunt ij Deum ita excæcare & indurare subtractione gratiæ suæ: quemadmodum si nauta, qui suo auxilio, industria & opera nauem regebat, exeat è naui, & subtracta sua opera sinat illam mergi. Sed neque id sufficit ad hoc, vt dicatur Deus excæcare & indurare aliquem ob rationes suprà allatas. Actionem enim quandam indicant hę locutiones, non autem solam gratiæ subtractionem: reprobis enim atque impiis omnibus tandem subtrahit suam gratiam: nec tamen omnes, sed præcipuos quosdam indurare dicitur.

MELIVS igitur sentiũt, qui dicunt Deum quosdam excæcare & indurare externa quadam sua actione, sed indirectè: quædam illorum oculis & auribus obiiciendo, per quæ illi deberent illuminari, emolliri, à peccatis & desideriis malis retrahi: sed sua ipsorum culpa & vitio, per illa sibi à Deo oblata, magis excæcantur, indurantur, impinguntur, ruunt in alia peiora desideria, flagitia, &c.

HÆC obiecta, sunt prædicatio verbi, miracula, Sacramenta, diuitiæ, dignitates, imperia, & alia beneficia, quæ in illos confert Deus: quibus deberent impij potius illuminari, vt cognoscerent Dei bonitatem, & emolliri ad Deum amandum quàm excæcari. Imò sunt etiam flagella, quibus deberent impij incitari ad agnoscendam Dei iram, iręq; caussam, hoc est, suum peccatũ: atque ita, ad Deum timendum prouocari atque impelli. Sed quia illis abutuntur: per accidens fit, & indirectè, vt iis obiectis, tam beneficiis quàm flagellis, magis excæcentur & indurentur: sicut heri declarauimus.

Capite

Capite exempla in Pharaone, in Iudæis & Phariſæis. Viſis miraculis, auditóq; ſermone Dei per Aaronem ad ſe facto, Pharao magis induratur: Phariſæi itidem, audita ſuſcitatione Lazari, magis obdurati ſunt quàm antea: Vnde colligũt conſilium, dicentes, Quid facimus? Quia hic homo multa ſigna facit. Hoc pacto Chriſtus petra ſcandali illis fuit: ſed indirectè, & per accidens. Hoc pacto Apoſtoli odor erant mortis in mortem, iis qui pereunt: ſed ex accidenti. Sicut etiam ſuauiſſimum vinum, mortem affert ægroto: ſed id vitio ægroti, non autem vini fit. Quia tamen ille ægrotus non moreretur ita citò, niſi vinum illi datum fuiſſet: dicimus, illum qui dedit vinum bonum ægroto, ægrotum occidiſſe. Sic, niſi Deus offerret impiis iſtis miracula, verbum, Sacramenta, & alia beneficia, item niſi ita durè flagellarentur, non ita indurarẽtur & excæcarentur. Sic etiam Chriſtus ait de Iudæis: Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. Ideo dum hæc illis obiicit Deus, & illi iis ſuo ipſorum vitio excæcantur: dicitur Deus illos indurare. Senſus hic verus eſt. Et huc pertinet illud Ieremiæ 6. verſu 21. Ecce ego pono (ait Dominus) populo illi offendicula, & offendent in ea patres & filij ſimul: vicinus & ſocius eius peribunt. Sed neque hoc ſufficit, meo iudicio. Requiritur enim adhuc interna actio Dei in corde impij: quia omnium corda ſunt in manu eius, & ipſe ea flectit quocunque vult, ait Scriptura.

QVARTA itaque, veriorque ſententia eſt, quandam Dei actionem requiri: qua agat in corde impij: quia externa obiecta, ad illum indurandum non ſufficiunt. Patet hoc primò in excæcatione & induratione Pharaonis, Exod. 7. & 9. in hac excæcatione & induratione Pharaonis tria video cõcurriſſe: Prædicationem verbi per Aaronem: Miracula quæ per Moyſen edebantur: & actionem Dei internam, qua cor illius indurabat. Sic enim Deus hæc tria diſtribuit: Moſi dat vim edendi miracula. Aaroni virtutẽ loquendi, ſibi reſeruat vim indurandi. ait enim: Ego verò indurabo cor Pharaonis.

DEINDE, Exod. 14. locus eſt perſpicuus: Iubet Dominus, vt populus iam ex Ægypto egreſſus, iter ſuum conuertat Phibairoth, ſeu ante fauces Hairotha. Quare? Hoc conſilio, vt Pharao arbitratus Iſraëlitas regionum ignaros hęrere, & ſyluis concluſos teneri, Domino ipſius cor indurãte, Iſraëlitas perſequeretur: & ita à Domino ipſe in naſſam traheretur deceptus, & in eo, eiúſque exercitu perdito, Deus glorificaretur. Hic apertè ait Dominus: Et indurabo cor eius, & perſequetur vos. Indicat hic Dominus, ſe interna actione cor Pharaonis induraſſe. Immiſit enim in cor eius opinionem, qua deceptus putauit populum ſyluis concluſum, facile poſſe capi. Adde, quòd Deut. 28. vbi deſcribũtur maledictiones, quas prædicit venturas ſuper eos, qui legem Domini non audiunt: inter alias hanc recenſet Moſes: Dominus percutiet eos amentia, cæcitate, Spiritu vertiginis, &c. Indicat hic locus, Dominum rebelles & contumaces ſolere interna ſua actione, ſed ineffabili, excæcare, amẽtes reddere, Spiritu vertiginis agitare. Huc illud Ier. 13. verſu 12. loquens enim de populo hoc Judaico, quòd eum Dominus eſſet Spiritu vertiginis & infatuationis agitaturus: Spiritum vertiginis vino & ſiceræ cõparat: populum verò lagenæ, quæ vino & ſicera impleatur: Dominus autẽ eſt, qui implet lagenam hanc vino hoc: Omnis lagena, inquit, implebitur vino & ſicera. docet autem, Dominum interna actione, impios rebelles Spiritu vertiginis agitare: vt ceu ebrij, qui ſui compotes non ſunt, ſtulta agant. Pertinet huc & illud, Prouerb. 21. Cor regis in manu Domini, & quocũque voluerit flectet illud: manifeſtè docet his verbis, omniũ corda in manu eſſe Domini, & Dominũ ea vertere quocũq; vult. Quomodo? interna ſua, ſed iuſta actione. Hac de re legatur Augu,

Tom.7.lib.de Gratia & libero arbitrio,cap.20. & 21. Ibi permultis autoritatibus & exemplis Scripturarum oſtẽdit, Deum omnium hominum voluntates & corda,interna ſua, ſed ineffabili actione flectere quocũque vult.Idem docet de Prædeſtinatione ſanctorum lib.1.cap.10. Agit Deus (inquit) quod vult in cordibus hominum,vel adiuuando, vel iudicando: vt per ea impleatur, quod manus eius & conſilium prædeſtinauit fieri. Legitote reliqua. Item,in eodem Tom.7.lib.5. contra Iulianum Pelagianum,cap.3.col.1067.& deinceps. Iulianus Pelag. contẽdebat, hæc dicta Scripturarum (nempe Deum excæcare, indurare, tradere in deſideria cordis,& in paſſiones ignominiæ) ſic eſſe intelligenda:quod Deus hæc faceret in impiis,illos deſerendo, & per patientiam permittendo illos excæcari, & in deſideria varia tradi:id eſt,in deſideriis,quibus antea æſtuabant, relinquendo: negabat autem Deum per potentiam ſuam illos in hæc talia facta & ſcelera tradere:vnde & hæc verba Iuliani recitat Auguſtinus column. 1067. Quomodo igitur (dicebat Iulianus) per potentiam tradentis Dei putandi ſunt in talia facta cecidiſſe?Contra quam Iuliani ſententiam ſcribit Auguſtinus, & in ſumma concludit,Deum hæc operari in impiis,non per patientiã tantùm, & permiſſionem: ſed per potentiam ſuam,illos in hæc peccata,cæcitatem,& alia impellendo: non tamen inuitos,aut coactos,quãquam miris & ineffabilibus id modis faciat. Vnde
» col.1069.ſic contra Iulianum ait:Quid eſt autem quod dicis:Cum deſideriis ſuis
» tradi dicuntur,relicti per patientiam intelligendi ſunt, non per potẽtiam in pec-
» cata compulſi?Quaſi non ſimul poſuerit hæc duo idem Apoſtolus, & potentiam
» & patientiam,vbi ait: Si autem Deus volens oſtendere iram, & demonſtrare po-
» tentiam ſuam,pertulit in multa patientia vaſa iræ? Quid horum tamen dices eſ-
» ſe,quod ſcriptum eſt:Et Propheta ſi errauerit,& locutus fuerit: ego Dominus ſe-
» duxi Prophetam illum, & extẽdam manum meam in illum,& exterminabo eum
» de medio populi mei Iſraël:patientia eſt,an potentia?

Item eádem column. 1069. prope finem, contra eos, qui iactant, permittere Deum fieri mala,quaſi nolens permittat,ait: Deum permittere mala, ſed volentem permittere:eò tamen non peccare Deum,licet poſſit eos impedire: id quod nobis certè contingere non poteſt.Nos certè (inquit Auguſtinus) ſi eos,in quos nobis poteſtas eſt, ante oculos noſtros perpetrare ſcelera permittamus: rei cum ipſis erimus. Quàm verò innumerabilia ille (Deus) permittit fieri ante oculos ſuos,quæ vtiq;,ſi noluiſſet,nulla ratione permitteret, & tamẽ iuſtus & bonus eſt? Itẽ col.1071.contra ſentẽtiam Iuliani ait: Quis verò ita deſipiat, vt cum audierit, quod in Pſal. canitur,Ne tradas me Domine à deſiderio meo, peccatori: hoc dicat oraſſe hominem, ne Deus ſit patiens erga illum:ſi Deus nõ tradit vt mala fiãt, niſi patientem bonitatem prębendo cum fiunt?Quid eſt autẽ, quod quotidie dicimus,Ne nos inferas in tentationem:niſi, vt non tradamur concupiſcentiis noſtris? Hæc ille.Sed notandum,hanc Dei actionem,qua dicimus eum excæcare & indurare reprobos,bifariam conſiderari poſſe: Primò immediatè,quatenus ſcilicet Deus immediatè, ſine interno alterius miniſterio, excæcare & indurare prædicatur in Scripturis:vt cũ dicunt,Deus indurauit cor Pharaonis. Immittit enim in illorum corda, cogitationes per ſe bonas, ſicut & oculis bona obiicit obiecta: ſed quibus illi abutentes, magis ac magis obdurantur: vt Paulo ante dixi de Pharaone. Secundò mediatè, quatenus ſcilicet Deus per miniſterium Sathanæ, ſui carnificis,excæcare & indurare dicitur: vt 2.Corinth.4. In quibus (ſcilicet pereuntibus & reprobis) Deus huius ſeculi (id eſt,Sathan,qui etiam dicitur princeps huius mundi,in Euangelio Iohannis) excęcauit mentes infidelium. Sæpenumero enim Deus, volens impium aliquem punire, tradit illum in manus Sathanæ, car-

carnificis diuinæ iustitiæ: vt ipse eum excæcet, induret, in praua desideria tradat, in passiones ignominiæ: ipse autem carnifex Sathan diligenter suum facit officium. Hoc est, quod ait Paulus: Deus seculi, id est, Sathan, excæcat mentes infidelium. Quanquam nonnulli etiam ex Patribus locum hunc sic ex posuerunt: Deus, scilicet verus, excæcauit mentes infidelium. *Iren. lib. 3. cap. 7.*

DVBITANDVM igitur non est, Deum quosdam (id est, reprobos, & in primis verbi Dei contemtores) excæcare, indurare, & in desideria cordis & praua flagitia tradere: idq; non tantùm permittendo (quæ permissio semper est voluntaria) nec tantùm gratiam subtrahendo: nec tantùm externa offendicula, in quæ impingant, reprobis obiiciendo: sed etiam interna quadam particulari, sed ineffabili actione: eáque vel immediatè per se, vel mediatè per ministerium Sathanæ, eos in cæcitatem, obdurationem, & praua desideria impellendo, sed non cogendo. Neque ob id tamen Deum esse, vel dici posse peccati autorem, vel causam: quia semper iustus est, & nihil agit iniustè: neque iniustitiam cuipiam indit, instillátue. At hic multũ obstrepit prudentia carnis, multáque habet quæ obiiciat. Si hæc ita se habeant (inquit humana prudentia) Quomodo ergo Deus iubet, ideóque vult, vt homo vitet peccata, non mœchetur, non furetur, sed potius vt resipiscat: Sic enim iubet, Non mœchaberis, non occides: Pœnitentiã agite, conuertimini ad me, si ipse est qui excæcat, indurat, ne conuertantur, ne resipiscant, & tradit in varia desideria, in passiones ignominiæ, vt faciant quæ non conueniunt? An non hoc est illudere hominibus? Sic certè iudicet prudentia carnis. *Obiecta prudentiæ carnis.*

HÆC & alia multa obiicit: ad quæ singula, si respondere velim: nimis prolixus fuero. Itaque rogo legatis obiecta hæc prudentiæ carnis, & quid ad hæc etiam responderi debeat, in Comment. Buceri super cap. 9. Epistolæ ad Rom. in conciliatione harum sententiarum: Deus quos vult indurat, & Deus vult omnes homines saluos fieri: & quæ cum vtrisque consonant. Summa responsionis ad hæc omnia, est: In iis Dei iudiciis, quæ sunt abyssus multa, non esse audiendã prudentiam carnis nostræ: sed simpliciter sequendum Dei verbum, quod apertè tradit, Deum omnibus præcipere vt credant, vt vitent peccata, vt resipiscãt, atque hoc esse officium nostrum. Eundem tamen etiam Deum quosdam excæcare ne credant, indurare ne resipiscant, tradere in desideria cordis, vt faciant quæ non debent: atque hoc esse iudicium Dei iustissimum: & licet nobis occultum, adorandum tamẽ. In iis igitur iudiciis non esse audiendam carnem. Si enim rationi humanæ de omnium iudice Deo iudicare semel permittas: semper illa habebit, quod in iudiciis Dei criminetur. Sũt multa, quæ Deus vult vt adoremus & suspiciamus: non autẽ vult vt cognoscamus & videamus. Mysteria diuina, quæ erant in Sancto sanctorum, volebat Deus ab omnibus adorari & suspici: non autem videri aut contrectari: sed contentos omnes esse debere iis, quæ tum audiebantur, tum cernebantur in altero atrio, quod Sanctum vocabatur. Debemus igitur cõtenti esse iis, quæ audimus & cernimus in Ecclesia, verbo scilicet reuelato, & Sacramentis: quæ autem latent in Sancto sanctorum, hoc est, in cœlo, & in pectore Dei, inuestiganda nobis non sunt: sed tantum suspicienda, atque adoranda.

IDEM docent etiam Patres. Tertullianus contra Marcionem lib. 2. pag. 181. de eadem materia loquens: Stultissimi (ait) qui de humanis diuina præiudicant. Ad vnam tantùm obiectionem (quoniam magni est momenti, multíque docti & pij eam subinde vrgent, contra hanc, quam explicauimus, doctrinam) respondebo. Quomodo (inquiunt) cohærere hæc possunt: Deum tradere homines in desideria cordis, vt faciant quæ non decent: & excæcare & indurare, ne possint credere, ne possint resipiscere: & tamen Deum non esse autorem peccati?

RESPONDEO

RESPONDEO: Suprà etiam alio modo oſtendi, non eſſe Deum cauſſam & autorem peccati: quia cauſſa peccati in hominibus ipſis reſidet, nõ in Deo, apud quem nulla eſt iniquitas. Ea eſt corruptio naturæ, ſeu praua concupiſcentia, ſeu voluntas deprauata, & peccatum originis. Hęc autem corruptio ex Deo non eſt, qui naturam integram & bonam fecit: ſed tum ex diabolo eſt, qui primos parentes ſeduxit: tum ex libero Adami arbitrio, qui cum poſſet non peccare, liberè tamen peccare voluit. Hæc ratio optima eſt, ad oſtendendum, Deum non eſſe autorem peccati. Sed iam addamus aliam declarationem, ad præſentis obiectionis ſolutionem.

NOTANDVM itaq; eſt: cæcitatem, obdurationem, in deſideria mala impulſionem, & alia ſimilia multa, trifariam cõſiderari poſſe: quatenus peccata ſunt: quatenus ſunt pœnæ præcedentium peccatorum: Et quatenus ſunt cauſſæ aliorũ ſequentium peccatorum. Hæc enim ſunt, & peccata, & pœnæ peccatorũ, & cauſſæ peccatorum: vt Auguſtinus fuſè docet Tom. 7. contra Iul. Pelag. lib. 5. cap. 3. vbi & particularem huius excæcationis Iudaici populi mentionem faciens, quam hic prædixit Ieſaias, ait col. 1066. Sicut cæcitas cordis, quam ſolus remouet illuminator Deus, & peccatum eſt, quo in Deũ non creditur: & pœna peccati eſt, qua cor ſuperbum digna animaduerſione punitur: & cauſſa peccati eſt, cũ mali aliquid, cæci cordis errore committitur: ita & concupiſcentia carnis, aduerſus quam bonus concupiſcit Spiritus: & peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobedientis: & cauſſa peccati eſt, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis. Cum igitur cęcitas, induratio, & id genus alia, conſiderari poſſint trifariam: primò vt peccata, deinde vt pœnæ peccati, tertiò vt cauſſæ peccati: ad dubitationẽ ſic reſpondemus: Deũ nõ illa cuiquam infligere quatenus peccata ſunt, nec quatenus cauſſæ ſunt aliorum peccatorum: ſed tantum, quatenus ſunt pœnæ præcedentis peccati. iis enim ceu pœnis & flagellis punit præcedentia peccata: id quod facere, iuſti iudicis, non autem autoris peccati opus eſt. Quis enim accuſare poteſt Deum, quòd puniat peccata quibus velit flagellis & pœnis? Ita fit, vt cum Deus aliquem excæcat, indurat, tradit in reprobũ ſenſum, in deſideria, in paſſiones ignominiæ: nullo pacto accuſari poſſit vt autor peccati, ſed potius laudandus ſit vt iuſtus iudex. Ratio: Quia nõ hæc infligit cuipiã, vti peccata ſunt, aut cauſſæ peccatorum: ſed tantum, quatenus ſunt pœnæ peccatorum. Sic etiam Tertull. contra Marcionem lib. 2. pag. 180. excæcationẽ Pharaonis ait inflictam ei fuiſſe, quatenus pœna erat peccati. Quòd verò poſtea cõſequatur, vt cæcitas hæc & obduratio ſit in homine & peccatum, & peccati cauſſa: hoc non eſt à Deo, neq; hoc ſpectat propriè Deus. Hoc tantum ſpectat Deus, vt præcedentia peccata iis ſpiritualibus flagellis puniãtur: quia nullum flagellorũ genus grauius, atrocius & acerbius iſto reperiri poteſt. Deus ergo autor eſt omnis pœnæ peccati, quæcũq; illa ſit: quia omnis pœna peccati, quâ pœna eſt, bona eſt, quia iuſta eſt. Tertul. cõtra Marcion. lib. 2. pag. 180. Non eſt (inquit) autor Deus peccati: quia peccatum, qua peccatũ, malũ eſt, & iniuſtum: Deus autem iuſtus, iniuſti autor eſſe non poteſt. Similibus rẽilluſtro.

Simile 1. Pharmacum aliquod vehemens, vt (verbi gratia) quod conficitur ex agarico, diagredi, & aliis fortibus mendicamentis, ad malos crudiſſimóſq; humores expellendos accommodatis: (ſolent enim medici etiam venenis venena expellere) nunquam ferè humores malos expellit, quin etiam bonos magna ex parte cum malis extrudat: nec prodeſt corpori, quin etiã aliqua ex parte noceat. Hoc pharmacum & bonum eſt, & malum: bonũ, quà malos humores pellit: malum, quà etiam bonos extrudit. Medicus qui pharmacum ægroto præſcribit, in quem finem dat? In hunc tantum, vt malis humoribus purgatis, ægrotum ſanet: nullo

nullo autem modo dat, vt bonos expellat. Si ergo ad illud bonum, hoc est, ad expulsionem malorum humorum, consequatur etiam hoc malum, vt boni simul pellantur nunquid accusari potest medicus, quasi autor mali, quod illud bonum consecutum est? Minimè: quia illud pharmacum non dedit, quà malum est & lædit: sed quà bonum est & prodest. Cæterùm cum voluerit medicus hoc vti pharmaco, vti re aptissima, & omnium accommodatissima ad curandum ægrotum: necessariò consecutum est, vt etiam aliqua ex parte fuerit ægroto incommodum. Ita cum Deus pro suo optimo iudicio aliquem hoc flagellorum genere, tanquam optimo, & diuinæ Iustitiæ commodissimo, punire vult: consequitur quidem necessariò, vt tale flagellum in eo qui punitur, sit peccatum, & caussa peccati: Sed accusari non potest Deus, vt caussa & autor talis peccati: cum illius autor tantum fuerit, quatenus pœna est peccati.

Simile secundum, à lege. Lex, quæ data fuerat ad cohibenda peccata, auxit peccatum: vt est Rom. 7. id quod futurum præuiderat Deus. Nunquid igitur dicetur Deus, quia legẽ dedit, autor fuisse vt augeretur peccatũ? Minimè. Quare? Quia nõ in hunc finem dedit legem, sed in longè alium: nempe vt peccatum cognosceretur, & cohiberetur. Consecutum verò est vitio carnis nostræ, vt per legem auctũ fuerit peccatum. Ita etsi cæcitas, induratio, &c: quibus Deus peccata punit, in homine impio peccata sint, & caussa peccati: Deus tamen huius peccati autor dici non potest: quia non eis vtitur, quatenus peccata, sed tantùm quatenus pœnæ sunt peccatorũ.

Simile tertium: Concupiscentia in homine inhabitans, & contra Spiritum pugnans, an non in homine relicta est vt pœna peccati, idque iusto Dei iudicio? Maximè. Et tamen ob id nemo dicit, Deum esse autorem peccati: cum ipsa concupiscẽtia sit peccatum, & caussa peccati. Quid ita? Quia non est à Deo, quà peccatum est: sed quatenus pœna peccati. Ita & de excæcatione dicendum est.

Hoc igitur firmum teneamus: Deum autorem esse omnis boni, minimè verò mali: id est, peccati, quatenus peccatum est. Hæc est definitio Dei: hoc tradunt Sacræ literæ: Psalm. 5. Deus non volens iniquitatem tu es: quà scilicet iniquitas est. Patres omnes idem confitentur. vnde Clemens Alexandrinus in Stromat. lib. 4. pag. 146. D. citata sententia ex lib. Regum, quæ ait, Absurda non faciet omnipotens: Quid ad hanc (inquit Clemens) vocem adhuc dicunt hæreses, cum omnipotentem bonum Deum prædicet Scriptura, vitij & iniustitiæ minimè esse autorem? Item lib. 5. pag. 184. D. Eius qui elegerit (scilicet malum culpæ) non potest in Deũ caussa conferri. Deus enim nunquam est caussa malorum. O Troiani bellicosi (inquit Lyricus:) Iupiter regnator superûm, qui omnia aspicit, non est mortalibus caussa malorum.

Sed cum hoc tamen ne negemus (id quod apertum est in sacris literis, & Patres ipsi confirmant) Deum quosdam excæcare, indurare, in hunc finem, ne conuertantur, sed pereant. Si caro obstrepat: obturemus illi os, illo Pauli, O homo tu quis es? &c.

Quæstio. V.

Quod attinet ad quintam quæstionem: An Deus, qui in tempore excæcat, ad excæcationem ab æterno prædestinauerit: Responsio facilis est ex iis, quæ diximus. Quia nihil in tẽpore agit Deus, quod ab æterno non præcognouerit, & decreuerit se facturum: Ideo cum manifestum sit, Deum quosdam excæcare: consequitur necessariò, eosdem etiam ad excæcationem prædestinasse. Sed hic in memoriam reuocanda est distinctio superius ex Augustino allata: Excæcationem considerari posse, tum quà pœna est præcedentis peccati: tum quà peccatum est, & caussa peccati. Suprà dictum est autem, Deum non infligere cuipiam simpliciter

ter excæcationem, quà peccatum est, & causſa peccati: quia Deus non delectatur peccato, nec est autor peccati: ſed tantùm quà pœna est præcedentis peccati, quia iuſta est: & quia iuſta, ideo bona: & quia bona, ideo à Deo. Ergo manifeſtum est, neminem prædeſtinari ad excæcationem, quà peccatum est, ſed tantum quà pœna peccati est.

Hvc pertinet quæſtio illa, qua etiam Scholaſtici cum Patribus quærunt, An Deus quempiam prædeſtinauerit ad malum. Diſtinctio talis de malo affertur ab omnibus, ab ipſo etiam Tertulliano lib. 2. contra Marc. pagina 180. Reſpondens ad illud, Ego creans malum, ait, malum eſſe duplex: malum pœnæ, & malum culpæ. Malum culpæ, peccatum ipſum est, quâ peccatum, Deo diſplicens, & cum Dei lege pugnans. Malum pœnæ est, omnis peccati pœna, quæcunque illa ſit. Sunt autem hæ pœnæ duplicis generis: Quædam ſunt tantùm pœnæ & ſupplicia peccatorum: quarum aliæ ſunt æternæ, vt in inferno: aliæ temporales, vt in hoc ſeculo. Aliæ verò ſunt ita pœnæ peccatorum, vt ſint peccata, cauſæq; peccatorum. Cum hæc ita ſe habeant, iuxta hanc mali diſtinctionem, ad quæſtionem variè reſpondetur iis concluſionibus.

Cõcluſio I. Prima: Deus neminem prædeſtinauit ad malum culpæ, quatenus culpa est peccatum: pugnans contra Dominum. Etenim Deus non est autor peccati, quà peccatum est, & malum pugnans cum lege Dei. Est enim autor tantùm bonorum: quando etiam mala, quæ ſunt pœnæ, bona ſunt. Huc ſpectant ſententiæ Patrum, cum tradunt, Deum neminem ad peccatum prædeſtinaſſe.

Ivstinvs Martyr in Dialogo cum Tryphone, pag. 143. Cæterùm Deum nõ eſſe in cauſſa, vt prædeſtinati ſint iniuſti, ſiue angeli ſiue homines: ſed ſua quemque culpa talem eſſe, qualis apparebit, iam antè docui. Hæc D. Iuſtinus.

Fvlgentivs lib. primo ad Monimum, pag. 8. vtitur hoc argumento: Peccatum, quà ſcilicet peccatum est, non est opus Dei, nec connumeratur inter opera Dei, quæ omnia valde bona ſunt. Ergo illud non prædeſtinauit Deus. Concludit in ſumma, malos non ad culpam, ſed ad pœnam prædeſtinatos fuiſſe. Idem pulcrè explicat pag. 22. demonſtrans peccatũ non eſſe ex Deo, ſed ex Diabolo: quia omnis peccati initium est ſuperbia illa, qua Diabolus aduerſus Deum elatus fuit.

Secunda Concluſio. Cæterùm peccatum, cõſideratum etiam vt peccatum, quatenus ad gloriã Dei illuſtrandum, non ſuapte natura, ſed bonitate Dei facit: eatenus peccatum, & malum culpæ, præordinatum est à Deo. Exempla: Prædeſtinatus fuit Iudas ad prodendum Chriſtum, id est, ad faciendum id, quod in ipſo futurum erat peccatum: & hoc voluit Deus, non ſimpliciter, ſed quatenus ex hoc peccato Deus ipſe erat magnum bonum collecturus, ſalutem ſcilicet humani generis, & illuſtrationem gloriæ ſuæ. Herodes item & Pilatus prædeſtinati ad condemnandum Chriſtum fuerunt. *Actor. 4.* Sic enim aiunt Apoſtoli: Conuenerunt verè in ciuitate iſta, aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Iſraël, ad faciendum quæcunque manus tua & conſilium tuum prius decreuerat vt fierent. Etenim, an non Deus præſciuit, quid eſſent iſti facturi? Vtique. Quare autem præſciuit, niſi quia ita ordinauit? Nihil enim propriè futurum præſcit, niſi quod ipſe velit & ordinauit. Sicut enim ad ſuam ſapientiam pertinet, omnia præſcire: ita ad eius omnipotentiam, omnia manu ſua & arbitrio moderari, & diſpenſare, &c. Lapſi ergo homines omnes, atq; in primis Adam: quia ita expedire cenſuerat Deus: ac proinde tandem illos volens permiſit peccare. Cauendum est enim ne quidpiam inuito Deo eueniſſe dicamus. Legantur ij loci in Auguſtino, Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 14. cap. 11. Sed quia Deus, inquit, cuncta præſciuit, & ideo hominem quoque peccaturum ignorare non potuit · ſecundum id quod præſciuit, atque diſpoſuit, ciuitatem ſanctam debemus aſſerere: non ſecundum

dum illud, quod in noſtram cognitionem peruenire non potuit, quia in Dei diſpoſitione nō fuit: nec enim homo peccato ſuo diuinum potuit perturbare conſilium: quaſi Deum, quod ſtatuerat, mutare compulerit: cum Deus præſciendo vtrunque præuenerit: id eſt, & homo, quem bonum ipſe creauit, quàm malus eſſet futurus: & quid boni etiam ſic de illo eſſet ipſe facturus, &c.

ITEM eodem libro, cap. 26. col. 800. litera A: veruntamen omnipotenti Deo ſummo, ac ſummè bono creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adiutori ac remuneratori, malarum autem relictori & damnatori, vtrarumque ordinatori, non defuit vtique conſilium, quo certum numerum ciuium ſua ſapientia prædeſtinatorum, etiam ex damnato genere humano ſuæ ciuitatis impleret: non eos iam meritis (quandoquidem vniuerſa maſſa tanquam in vitiata radice damnata eſt) ſed gratia diſcernens: & liberatis non ſolum de ſe ipſis, verùm etiam de nō liberatis, quid eis largiatur, oſtendens. Non enim debita, ſed gratuita bonitate tunc ſe quiſque agnoſcit erutum à malis, cum ab eorum hominum conſortio fit immunis, cum quibus illi iuſta eſſet pœna communis. Cur ergo non crearet Deus, quos peccaturos eſſe præſciuit: quandoquidem in eis, & ex eis, & quid eorum culpa mereretur, & quid ſua gratia donaretur, poſſet oſtendere: nec ſub illo creatore ac diſpoſitore peruerſa inordinatio delinquentiū, rectum peruerteret ordinem rerum? Item ibidem cap. 27. Proinde peccatores, inquit, & angeli & homines, nihil agunt, quo impediantur magna opera Domini, exquiſita in omnes volūtates eius. Item paulò pòſt, ſub finem capitis: Cum igitur huius futuri caſus humani Deus non eſſet ignarus, cur eum non ſineret immūdi angeli malignitate tentari? Nullo modo quidem, quòd vinceretur, incertus: ſed nihilo minus præſcius, quòd ab eius ſemine, adiuto ſua gratia, idem ipſe diabolus fuerat ſanctorum gloria maiore vincendus. Ita factum eſt, vt nec Deum aliquid futurorum lateret, nec præſciendo quenquam peccare compelleret: & quid intereſſet inter propriam cuiuſque præſumtionem, & ſuam tuitionem, angelicæ & humanæ rationali creaturæ, conſequenti experientia demonſtraret. Quis enim audeat credere, aut dicere, vt neque angelus neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe? Sed hoc eorum poteſtati maluit non auferre: atque ita, quantum mali eorum ſuperbia, & quantum boni ſua gratia valeret, oſtendere. Item Tom. 7. de Correp. & Gratia, cap. 9. colum. 1339. Quippe ſaluberrimè confitemur, quòd rectiſſimè credimus, Deum, Dominumque rerum omnium, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis oritura præſciuit, & ſciuit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere: ſic ordinaſſe angelorum & hominum vitam, vt in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium: deinde, quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, iuſtitiæq; iudicium.

TERTIA concluſio: Deus quoſdam ab æterno prædeſtinauit ad malum pœnæ: quod tantùm eſt pœna peccati, & non peccatum: ſiue hæc pœna ſit temporalis tantum, ſiue æterna. Cōcluſio perſpicua eſt, de temporalibus. Quoſdam enim in hoc ſeculo temporalibus pœnis punit: vt fame, peſte, gladio, &c. Ergo ad has eos prædeſtinauit. De æternis patet. Quibuſdam enim dicet: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Nec tamen iniuſtus eſt, quia omnis peccati pœna iuſta eſt. Deus ergo ad eam quempiam prædeſtinans, iuſtus eſt, & iuſtè agit. III.

QVARTA concluſio: Deus quoſdam prædeſtinauit ad pœnas peccati, quæ etiam peccata ſunt, & cauſſæ peccatorum: vt ſunt, excæcatio, & induratio: non quà peccata ſunt, aut cauſſæ peccatorum, ſed tātùm quà pœnæ ſunt peccatorum. Patet de Pharaone, Exod. 9. quod etiā ad Rom. 9. citatur: In hoc ipſum excitaui te, IV.

id est,prædestinaui,finxi,&c. Actor.4. Pilatus & Herodes prædestinati dicuntur ad condemnandum Christum. Condemnare Christum fuit peccatum, & causſa peccati,quia inde in alia peccata prolapſi:& pœna peccati, id est, infidelitatis in Christum:ad hanc ergo, vt pœnam prædestinati fuerunt. Eandem doctrinā tradit Auguſtinus multis in locis. Nec tamen iniuſtus est Deus: quia ad hanc prædestinauit,vt ad pœnam peccati, non vt ad peccatum. Omnis autem pœna peccati iuſta est, quæcunque illa sit. Et ideo Tertullianus lib.2. contra Marcionem pag.180. poſt allatam mali diuiſionem in malum culpæ & pœnæ, ſub quo malo pœnæ collocat & Pharaonis excæcationem & indurationem, ait: Malorum quidem peccati & culpæ autorem (ſcilicet primum) diabolum: malorum verò ſupplicij & pœnæ, Deum creatorem eſſe :vt illa pars malitiæ deputetur, iſta iuſtitiæ, mala condenti iudicia, aduerſus mala delicta. De iis ergo creator profitetur malis,quæ congruunt iudici:quæ quidem illis mala ſunt, quibus rependuntur : cæterùm ſuo nomine bona, quæ iuſta ſunt,&c.

Conclvsio hæc, præter alios, est etiam Buceri in multis locis: ſed ſpeciatim in Com. in 8. cap. ad Rom. in quæſtione de prædeſtinatione. pag. 358. facit enim triplicem prædeſtinationem. Vnam,rerum omnium in genere:& hęc nihil aliud est (vt ipſe tradit doctiſſimè) quàm cuiuſque rei in ſuum finem deputatio. Alteram,ſanctorum: & hæc est æterna quorundam certorum hominū è reliquis hominibus electio,atque ad vitam æternam,ideóque ad ea,quæ ad vitam æternā habendam faciunt,deſignatio & deputatio. Tertiam, reprobatorum: atque hæc est quorundam etiam certorum hominum ad mortem æternam , ideóque ad excæcationem & indurationem,aliáque mala,iuſta, licet nobis occulta, deſtinatio,ídque in finem hunc præcipuum,vt in iis gloria & iuſtitia Dei appareat.

Dvplex enim finis, cur Deus quoſdam excæcet, & ad excæcationem prædeſtinauerit:proximus,& vltimus.Proximus est,vt in ipſis, qui excæcātur & pereunt:peccata puniantur: & ideo Rom.9. Vaſa iræ,aptata in interitum vocantur. Finis autem vltimus,est gloria Dei:id est,vt in iis vaſis irę,iuſtitia Dei contra peccatum manifeſtata,ipſe vt iuſtus glorificetur.Prouerb.16. Fecit Dominus omnia propter ſemetipſum,etiam impium ad diem malum.Rom.9. In hoc ipſum excitaui te,vt oſtendam in te potentiam meam. Accedit iis tertius finis, qui est ſalus electorum:Rom.9.& 11.

Illvd verò notandum est & memoria retinendum , cum dicimus Deum aliquem excæcare,indurare,&c.nō ita intelligendum eſſe, quaſi Deus aliquem ex illuminato & vidente cæcum faciat:ex molli & flexili ad obediētiam Dei, durum reddat: denique, ex bono in malum conuertat. Abſit vt hoc cogitemus. nemo enim fit Deo autore malus. Sed cùm omnes reperiat malos,cæcos, duros: quoſdam pro ſua bonitate & miſericordia illuminat, mollit, bonos facit: quoſdā verò pro ſua iuſtitia & iuſto iudicio, non ſolùm in ſuis tenebris, duritie & peccatis deſerit:ſed etiam vt peccata peccatis puniat, eos magis excæcat, indurátque: ídque eo modo,quo ſuperiùs declarauimus.

Textus Iesaiæ 6. Vade excæca cor populi, &c.

Qvare cū ait, Excæca cor,&c. non ita intelligendum est, quaſi iubeat Prophetæ,vt populum hunc de vidente cæcum,de audiente ſurdum,de intelligente & fideli infidelem,de molli durum & obſtinatum reddat: Abſit: Sed indicat primò, qualis ſit populus: nempe cæcus, ſurdus, durus, præfractus, contumax: & ſecundò,qualis ſit ad Prophetæ prædicationem futurus, ſcilicet cæcior, ſurdior, præfractior , contumacior : ita volente & ordinante iuſto iudice Deo , in pœnam præcedentis contumaciæ & obſtinationis: ſeu Deo hoc ſpirituali pœnarum genere populum , propter præcedentem contumaciam, puniente. Iubet ergo,vt prædicet:prædicit autem , quem exitū habitura ſit ipſius prædicatio:

maiorem

maiorem ſcilicet populi excæcationem, & indurationem, Deo ita populum caſtigante. Proinde ex hoc loco diſcimus, iuſtiſſimum eſſe, vt, qui ſua propria malita ſubiipſis oculos claudunt, ne videant: aures obturant, ne audiant: & cor obdurant, ne intelligant, & pereant, & ita non conuertantur, & ſanentur: iuſtiſſimum inquam eſſe, vt ij in eiuſmodi oculorum excæcatione, aurium obturatione, cordis obduratione, magis & magis obfirmentur: donec impleta malitiæ & impietatis menſura, extremo tandem exitio perdantur. Hæc ſunt iuſtiſſima Dei iudicia, nobis etiam certè pertimeſcenda. Quæ enim hîc prædixit Ieſaias, non ſolùm ſuo & Chriſti tempore impleta fuerunt, ſed etiam nunc implentur: nec ad Iudæos tantùm, ſed etiam ad nos pertinent. Verbum Dei ſyncerè prædicatur, Sacramenta purè adminiſtrantur in Eccleſia, multa Dei iudicia contra impios quotidie ſpectantur: ſed quid? Multi oculos ſibi ſua malitia claudunt, ne videant: aures obturant, ne audiant: cor indurant, ne intelligant, ne conuertantur & ſanentur. Quid igitur? Metuendum, ne iuſto Dei iudicio fiat, vt quo plura vident & audiunt, eo magis excæcentur & indurentur: donec impleta impietatis menſura extremo tandem exitio perdantur. Loquor de Germanis: loquor de iis, qui Euangelicos ſeſe appellant: loquor de nobis ipſis.

DE REDEMTIONE ECCLESIAE, CERTITVDINE QVE SALVTIS NOSTRÆ: IN ILLVD VATICINIUM Ieſaiæ, cap. 9. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: &c. Quòd ſcilicet quiſque tenetur credere, ſe eſſe ex electorum numero: & quibus rationibus ſeſe in hac fiducia confirmare poſſit, & ſtabilire.

HACTENVS interpretati ſumus præſens hoc vaticinium, quantum ad hiſtoriæ, quæ tempore Ieſaiæ in illa Hieroſolymitana Eccleſia contigit, veritatem attinebat: nempe non futuram Hieroſolymitanam calamitatem ab Aſſur infligendam, talem, qualis fuit Iſraëlitica ab eodem Aſſur inflicta: ſed omnino lucem Iudæis affulſuram, id eſt, vrbem ab obſidione & tyrannide Aſſur, ídque propter Chriſtum, fauore & zelo Patris liberandam. Nunc idem vaticinium iterum diligentiùs eſt nobis excutiendum, quatenus pertinet ad veram Hieroſolymam, id eſt, Eccleſiam Chriſti: quæ non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus collecta eſt. Non enim Propheta, cum hæc vaticinaretur, reſpiciebat in illam duntaxat terrenam Hieroſolymam, & carnalem populum, & externum regnum Dauidis: ſed longiùs, & vltra hoc carnale, in ipſum ſpirituale Chriſti regnum, oculos ſuos intendebat: ideóque non ſemel tantùm, ſed iterum & ſæpius impletum eſt, ac impletur quotidie vaticinium hoc. Huc facit, quòd Matth. 4. partem huius vaticinij impletam ſuo etiam tempore oſtendit, verſu 13. 14. 15. 16. cum ait: Cum autem audiſſet Ieſus Johannem traditum eſſe, ſeceſſit in Galilæam: & relicta Nazareth, profectus habitauit in Capernaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim, vt impleretur, quod dictum fuerat per Jeſaiam prophetam: Terra Zabulon & Nephtalim, vergens ad mare, vltra Jordanem, Galilæa gentium, populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & iis, qui ſedebant in regione & vmbra mortis, lux orta eſt.

DVBITANT hic interpretes, quomodo Matthęus citarit hunc locum Ieſaię, ad oſtendẽdum, debuiſſe Chriſtum in Galilæam proficiſci, & ibi exordiri prædicationem, qua lux affulſit illis populis: vt impleretur vaticinium illud Ieſaię, Terra Zabulon & Nephtalim, &c. Cum Ieſaias locutus fuerit, tum de clade, quã terra Zabulon & Nephtalim accepit à rege Aſſyriorũ: tum de luce, quę affulſit Hieroſolymæ in obſidione Sennacheribi. Videtur omnino Matthæus abuſus fuiſſe hoc loco, cum (vt prima frõte videtur) extra propoſitum Prophetæ illum citet.

RESPONDENT docti interpretes: Primùm, verum eſſe, Ieſaiam non eſſe immediatè vaticinatum de initio prædicationis Chriſti, quòd hæc debuerit primùm fieri in hac regione Galilææ, ideóque quòd lux illa primùm huic regioni debuerit affulgere: ſed de re, quæ ſuo tempore contigit, id eſt, de liberatione Hieroſolymæ ab obſidione Sennacheribi.

SECVNDÒ aiunt, neque Matthæum citaſſe hunc locum ſimpliciter, quaſi ſenſerit, immediatè Ieſaiam vaticinatum fuiſſe de initio prædicationis Chriſti in Galilæa faciẽdo, quódve lux Euangelij eſſet huic regioni Zabulon & Nephtalim primum affulſura: ſed alluſione vſum fuiſſe, ac propter ſimilitudinem quandam, quæ eſt inter vaticinium Prophetæ & hoc præſens factum Chriſti, dixiſſe illud Ieſaiæ vaticinium impletum fuiſſe in hoc facto Chriſti: Quaſi dicat: Ita Chriſtus relicta Nazareth, venit in Galilæam, in terram Zabulon & Nephtalim, & illis hominibus lucem Euangelij ſui cœpit in ea regione diſpergere, vt quodammodo impletum tum fuerit dictum Ieſaiæ: Terra Zabulon & Nephtalim: Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & habitantibus in regione & vmbra mortis lux orta eſt. Alluſionem igitur fuiſſe: nõ autem ſimplicem, propriam, & immediatam illius vaticinij impletionem.

HÆC eſt communis & ſimplex reſponſio. ſicut etiam illud Oſeæ, Ex Ægypto vocaui filium meum, per allusionem dictum intelligunt interpretes: id eſt, ſicut populus Iudaicus vocatus fuit ex Aegypto, ſic etiam Chriſtus. Ideo etiã in Chriſto quodammodo impletum eſt illud Oſeæ, Ex Aegypto vocaui filium meum.

ITA Chriſtus ipſe declarare videtur dicta hæc prophetarũ permulta, quæ primùm ante ſuum aduentum ἰσοφικῶς impleta fuerunt: poſtea, cum ad Chriſtum applicantur, applicari per alluſionem: propter aliquam ſimilitudinẽ inter Chriſti facta, & illa prophetarum vaticinia. Exemplum: vt cum ait Matth. 12. Sicut fuit Ionas in vtero ceti, ſic erit filius hominis in corde terræ. Item Ioan. 3. Sicut Moſes exaltauit Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis: Et has alluſiones frequentes eſſe in Scripturis.

Cæterùm mihi aliter, citra vllius præiudicium, dici poſſe videtur. Si enim ſimpliciter dicamus, tãtum per alluſionẽ quandam multa huiuſcemodi prophetarũ dicta citari, & Chriſto applicari: cogemur fateri, Euãgeliſtas dicta hæc citaſſe extra propoſitum prophetarum. Proinde habebunt fortaſſis Iudæi, quod in noſtris Euangeliſtis carpant & calumnientur: quippe qui dicta prophetarum aliò, quàm prophetis propoſitum fuit, nimirum ad Chriſtum, torquere videantur.

SIC ergo mihi dicendum videtur: Scopum prophetarum omnium in id genus vaticiniis, quæ ad Chriſtum & ad regnum Chriſti, ab Euãgeliſtis & Apoſtolis applicãtur, reuera fuiſſe ipſum Chriſtum, & regnum Chriſti: ideóque reuerà, & ſecundum propoſitum prophetarum, vaticinia hæc ab Euangeliſtis ad Chriſtum, & ad Chriſti regnum accommodari, & iure optimo adduci.

Cæterùm notãdũ, vaticinia hæc duplicis eſſe generis. Quædã ita aperta & nuda ſunt, nullis figurarũ velaminibus tecta, vt de nullo, neq; de vlla re, quã de Chriſto, déq; Chriſti regno immediatè intelligi queant. Et hæc ſunt, quæ in nullo alio vnquã ante Chriſtum impleta ſunt: ſed in Chriſto primũ, & in eius ſpirituali regno com-

complementum acceperunt. vt (verbi gratia) hoc præsens vaticinium de Christo: Puer natus est nobis, filius datus est nobis: cuius imperium erit super humerum eius, & vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, heros fortis, pater æternitatis, princeps pacis: ad proferendum imperium, & ad pacem, quę finem non habet: super solium Dauidis, & super regnum eius (sedebit) vt instauret illud, & fulciat illud iudicio & iustitia, ab hinc vsque in æternum, &c. in nullo vnquam impletum fuit hoc vaticinium, nisi in Christo.

Alia verò sunt, quæ quibusdam figurarum velaminibus ita tecta fuerunt, vt prius in aliis, ceu in Christi & eius regni typis, impleri cœperint, quàm in Christo & eius spirituali regno perfectum complementũ habuerint: cũ tamẽ ea ad Christum & eius regnum, ceu ad proprium scopum, principaliter à Prophetis dirigerentur. Et hæc sunt, quæ aliquam historiæ, quæ ante Christi aduentum contigit, veritatẽ prius habuerunt, quàm in Christi persona & spirituali eius regno impleri cœperint. Quale est hoc vaticinium de liberatione Ecclesiæ ab hostibus per Christum, & propter Christum: sed velatũ illa historia liberationis Hierosolymę, ab obsidione Sennacheribi. Item quale est illud Oseæ, quum dixit: Ex Ægypto vocaui filium meũ non tantùm hoc dixit de euocatione populi ex Ægypto, sed in primis de reditu Christi ex Ægypto, vaticinatus est Propheta: verũ ita, vt sub vocatione Israëlitici populi ex Ægypto, ceu sub typo, vocationem Christi per angelum ex Aegypto principaliter intellexerit. Sic Moses, quando exaltauit serpentem: principaliter indicare voluit, Christum exaltandum in cruce.

In vtroq; igitur horum vaticiniorum genere propositum prophetis fuisse, loqui principaliter de Christo, déq; regno eius, tanquam omnium suorum vaticiniorũ scopo & fine, dubitandũ non est: quò illud pertinet: Finis legis est Christus.

Quod cum ita sit, ergo cum Euangelistæ hæc secundi quoque generis vaticinia citant, & ad Christum eiúsque regnum referunt: non citãt extra propositum prophetarum: ideóq; talibus dictis non abutuntur, neq; per solam allusionem ea ad Christum applicant: sed propriè, & iuxta mentem Spiritus S. in prophetis, ea ad Christũ referũt, quia Christus scopus fuit prophetis in omnibus iis vaticiniis. Ex iis perspicuũ fit, Matthęũ, locum Iesaiæ minimè extra propositũ prophetę citasse. Iesaias enim (vt antè dicere cœperã) cum hæc vaticinaretur, oculos principaliter intẽdebat in Christũ, eiúsq; spirituale regnũ: quòd scilicet electis omnib. quocunq; in loco essent, siue in terra Zabulon, siue in Galilæa, in magnis peccati tenebris cõstitutis, lux Christi erat affulsura. Sed hoc vaticiniũ sub velo illius historię velatum protulit. Proinde cum Matthęus vna ex parte sciret, vaticiniũ hoc propriè & principaliter dictum fuisse à Iesaia de Christo & eius regno, & alia ex parte videret, Christum luce suæ prędicationis cœpisse Galilęã, Zabulõ & Nephtalim illustrare: iccirco locum hunc Iesaiæ ad illud factum Christi applicauit, & quidem propriè, sine vlla allusione: idque vt ex Christi facto & Jesaiæ dicto innueret, hunc Jesum verum fuisse Ecclesiæ liberatorem & saluatorem, lucémque illam, quæ illuminare debebat Ecclesiam Dei. Et quoniam Christi regnum etiam in terris continuatur in finem vsque seculi: ideo sicut alia de hoc regno vaticinia, ita hoc prędens, non semel & iterũ, sed sępenumero impletum est, & quotidie impletur in Ecclesia Christi: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit magnam lucem: & qui sedebant in regione & vmbra mortis, lux splenduit super eos. Hęc fu- «
sius fortè, quàm par erat, explicuimus: sed id non ab re. Feci primùm, vt Mat- «
thæum Euangelistam defenderem, nõ abusum fuisse illo loco Jesaiæ: sed propriè, non autem per simplicem allusionem citasse: quia hoc fuit propositum Prophetæ. Deinde, vt regulam traderem, qua omnia de Christo eiúsque regno vaticinia discamus interpretari: Tertiò, & per consequens, vt intelligeretis, totum vatici-

nium hoc noni capitis, quod explicauimus iuxta hiſtoriæ veritatem, principaliter referendum eſſe ad Chriſti regnum, id eſt, ad Eccleſiam: ſed ita tamen, vt veritas etiam hiſtoriæ firma retineatur. Etſi enim verè hæc, quæ hic vaticinatus eſt, corporaliter Hieroſolymæ contigerunt, in obſidione Sennacheribi, vt expoſuimus, & bene etiam Hebræi exponunt: tamen non eſt cur negemus, Ieſaiam iis verbis, de vera in primis Hieroſolyma, hoc eſt de Chriſti Eccleſia vaticinatum fuiſſe. Ergo vaticinium hoc interpretemur, quatenus ad Eccleſiam Chriſti, ex Iudæis & gentibus collectam, pertinet.

SVMMA EORVM, QVAE DICTVRI SVmus de Eccleſia Chriſti.

DE Eccleſia Chriſti, quæ eſt vera Hieroſolyma, & de qua hîc propriè vaticinatur Propheta, ſub typo tamen Hieroſolymæ terrenæ, ſeptem hic à Propheta ſummatim traduntur.

1. PRIMVM, graues eſſe tenebras & calamitates, tum terrenas, tum ſpirituales: partim, in quas ſtatim poſt & propter peccatum cecidit: partim quibus quotidie premitur. Atque hoc quidem primum commune habet Eccleſia Chriſti cum Eccleſia Antichriſti, ſeu Eccleſia piorum cum Eccleſia impiorũ: ſed quæ ſequuntur Capita, non ita communia ſunt, ſed propria Eccleſiæ Chriſti.

2. SECVNDVM igitur eſt, liberatio, qua Eccleſia Chriſti, partim ſemel per Chriſtum & in Chriſto liberata fuit: partim in ſeipſa in dies liberatur à ſuis calamitatibus, diuina luce tenebras illius quotidie magis ac magis diſpellente: donec tandem (id quod futurum eſt in fine ſeculi) perfectiſſimè ab omnibus malis & hoſtibus liberetur.

3. TERTIVM, quòd hoc beneficium liberationis & tantæ lætitiæ, ita proprium eſt Eccleſiæ Chriſti, id eſt, electorum: vt nullo modo ad reprobos pertineat: tametſi iſti plures ſint illis: id quod admirans Propheta exclamat, Multiplicaſti gentem, at non magnificaſti lætitiam.

4. QVARTVM, eſt fructus qui hanc liberationem continuò ſequitur: quis, qualis, & quantus ſit: Et quidem fructus iſte, eſt lætitia Spiritus.

5. QVINTVM, quando & vnde propriè Chriſtiani hunc fructum, id eſt, lætitiam Spiritus ſentiant.

6. SEXTVM, eſt cauſſa totius liberationis: quæ duplex eſt: vna, per quam, & propter quam: Hæc eſt Chriſtus, & merita Chriſti. Altera eſt Quæ, id eſt, efficiens: eaque primaria & principalis: Hæc eſt æternus & conſtans amor Dei ſpecialis erga ſuam Eccleſiam, id eſt, electos.

7. SEPTIMVM, ſunt media, quibus quiſque electus ſeſe in certitudine de ſua ſalute æterna, confirmare poteſt.

HÆC omnia ſeptem capita habemus à Propheta in hoc præſenti vaticinio de ſalute Eccleſiæ.

I. QVÒ ad PRIMVM: ſunt in hoc vaticinio Ieſaiæ, quod hiſtoriam attinet, duæ ciuitates, Hieroſolyma & Samaria: & duo populi, Iſraëlitæ & Iudæi. fuêre ambæ obſeſſæ à regibus Aſſyriorum: ideóque vterque populus in maximis ambulauit tenebris. Sed diuerſus fuit exitus: quia Iſraëlitis nulla affulſit lux, Iudæis verò affulſit. Iſraëlitæ enim expugnata Samaria, in perpetuam captiuitatem abducti: Iudæi verò, conſeruata Hieroſolyma minimè ab hoc rege abducti fuêre: ideóque non fuit talis caligo Hieroſolymæ, qualis Iſraëlitarum.

1. HIEROSOLYMA typus fuit ciuitatis Dei, id eſt, veræ Eccleſiæ Chriſti: & Iudæi typus electorum, id eſt, verorum Iudæorum, qui non in manifeſto, ſed in occulto Iudæi ſunt: & circumciſi corde, non carne: vt eſt Rom. 2. Hi ſunt in ciuitate Dei.

SAMA-

SAMARIA, typus fuit ciuitatis huius seculi: & Israëlitæ, typus reproborum & hypocritarum: qui in hac habitant ciuitate.

VTERQVE populus peccauit: quia contemto verbo Dei, Pythonicorum consilia audierunt. Sic omnes homines, tam electi quàm reprobi, peccarunt in Adamo: quando contemto verbo & præcepto Domini, Pythonis, id est, Serpentis consilium omnes audiuimus.

PROPTER illud peccatum (vt de aliis taceam) vterque populus in magnas incidit calamitates: quia vtraque ciuitas obsessa, vterque populus in magnis fuit tenebris. Ita omnes homines, tam electi quàm reprobi, post & propter peccatum illud contẽti verbi Dei, & auditi consilij serpentis (vt alia peccata omittã) in magnas, tã spirituales quàm corporales, calamitates incidimus. Consecutæ sunt etenim omnes nos primùm hæ tenebræ, cæcitas mentis, ignorantia Dei, duritia cordis, exagitatio conscientiæ, ceu impulsus quidam continuus: deinde externa mala, corporis morbi, fames, variæ cruces, & mors ipsa. Denique obsessi omnes fuimus à rege Assyriorum, & toto eius exercitu potentissimo: id est, à Sathana & diabolis omnibus, à carnis concupiscentia, ab illecebris mundi, & à morte.

HÆ sunt communes calamitates, in quas omnes, tam electi quàm reprobi, propter peccatũ, iusto Dei iudicio cõiecti fuimus: sicut Rom. 5. docet Apostolus.

MAGNA certè fuit & est hæc calamitas, quæ toti humano generi tam electis quàm reprobis, contigit: & ita magna, vt omnes pariter in terra vmbræ mortis, ceu mortui sederimus. Cæterùm diuersus est exitus: cuius causa fit, vt calamitas & caligo hæc, quæ contigit Hierosolymæ, id est, Ecclesiæ Dei, seu electis: non sit similis illi, quæ contigit Israëlitis, id est, reprobis & hypocritis.

QVOMODO? Populus enim (electorum) ambulantium in tenebris, vidit lucem magnam: hoc est, lux cælestis nobis reipsa affulsit, & semper affulget: reprobis verò non verè affulsit, nec affulget, nec affulgebit vnquam, ita vt eius verè fiant participes: ídque iusto Dei iudicio, tametsi nobis occulto.

SECVNDVM igitur Caput huius vaticinij est, liberatio, qua Ecclesia electorũ Dei, partim semel per Christũ & in Christo, qui est ipsa lux cælestis, liberata fuit: partim quotidie liberatur, donec perfectissimè tandem in fine seculi liberetur: & tunc plenissimè videbit lucem magnam, & Christum in cælis, qui lucem habitat inaccessam. Notetis, quæ dico. Primùm dico, partim liberata fuit: deinde dico, partim quotidie liberatur, donec perfectissimè liberetur. Ergo tres significo liberationes: quarum prima, fons est reliquarum. Ac prima quidem liberatio habet partes. Vna est, quòd Christus ipse lux diuina, sese carni nostræ inseparabiliter & ὑποστατικῶς vniuit: sicut lux, quę primo die creata fuit, vnita postea fuit corpori solari inseparabiliter: & ita lux hęc, id est, Christus Deus & homo, pro electis mundo apparuit, & pro electis orauit, non pro mundo: pro electis sacrificium obtulit Patri, & pro tota electorum Ecclesia satisfecit: ita reipsa per Christum & in Christo, corã patre Ecclesia liberata fuit. Hoc enim fuit propositũ æternum Dei patris, & filiis, & Spiritus S. vt filius pro electis tantum ad ęternam vitam, carnem sumeret, oraret, moreretur, satis faceret, resurgeret, ascenderétque in cælum, & plenam regni cælestis possessionem nomine omnium electorum perciperet.

II.

Liberatio prima.

HÆC est prima pars: huc faciunt multæ sententiæ Scripturarum, cum ita absolutè loquuntur, quòd per sanguinem Christi redemti simus, saluati per Christum, & in Christo, tanquam in capite membra. 1.

ALTERA pars est, quòd Ecclesia non solùm per Christum corã Patre liberata fuit: sed ipso etiã Christi Spiritu, depulsis è mente tenebris infidelitatis, & luce fidei in ipsius mentem illapsa, vidit hanc lucem Christum sibi affulsisse: hoc est, pro se incarnatum, passum & mortuum: sensítq; realiter in seipsa liberationem hanc, 2.

hoc est, se esse prorsus liberatam, iustificatam, seruatam. Ita luce fidei sibi donata, videt lucem Christum, hoc est, beneficium Christi percipit & sentit. Huc faciũt infinitæ sentẽtiæ: vt cum Scriptura tradit, quod per fidem & fide iustificamur, & seruamur: hoc est, fide videmus & sentimus, ideóque recipimus salutẽ nostram in Christo. Ideo non temerè Propheta vsus est illa repetitione: Populus qui ambulauit in tenebris, vidit lucem: & habitantibus in terra vmbræ mortis, affulsit lux. Christus affulsit Ecclesię, & quodammodo toti mundo, quantũ ad sufficientem satisfactionem, & quantum ad prædicationem Euangelij: sed nõ omnes, qui erant in tenebris, viderunt hanc lucem: tãtum electi, quibus aperti fuerũt oculi à Spiritu S. luce fidei lucẽ Christũ viderunt, & illius beneficij participes facti sunt.

Electis igitur solis Christus lux affulsit internè in cordibus: ideóque soli electi crediderunt, & salui facti sunt, & fiunt.

Actor. 13. Et crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Quid hoc est aliud, nisi soli electi ad æternam vitam prędordinati, viderunt lucem magnam, & solis electis lux affulsit? Huc illud Pauli 2. Corint. 4. Deus, qui iussit è tenebris lucem splendescere, ipse luxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Iesu Christi. Iste locus Pauli declarat præsentem versum Iesaiæ: Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Sensus est: Deus, sicut in creatione iussit lucem è tenebris splendescere: ita nunc Spiritus illuxit in cordibus nostris: id est, luce fidei nostra corda illuminauit, & ceu oculos nobis aperuit. In quem finem? Subdit: Ad illuminationem claritatis Dei in facie Christi: id est, vt hac luce fidei, videre possimus lucem clarissimam Euangelij, Deum ipsum, qui in Christo resplendet.

DVPLICEM hîc ponit Paulus illuminationem: vnam, qua videmus: alteram, quam videmus. Ita Iesaias vtramque innuit illa repetitione: Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & iis qui sedebãt in regione vmbræ mortis, lux affulsit. Populus, qui amhulauit in tenebris, vidit lucem magnam: ecce vnam, quam vidit. Sequitur altera, qua vidit, cum ait: Populo sedenti in regione vmbræ mortis, lux affulsit. Hæc est prima liberatio per Christũ, quæ duas habet partes, vt vidistis: redemtionem ipsam, & redemtionis communicationem, seu fidem qua ipsum videmus, ideóque & amplectimur, redemtionisque fimus reipsa participes. Huius autem primæ liberationis minimè participes sunt reprobi. Primò: quoniã etsi Christus pro illis etiam sufficienter (vt loquuntur Scholastici) mortuus est, pro illis tamen secũdum ipsius propositum mortuus non est: sicut etiam ipse disertis verbis dixit: Se non rogare pro mundo, sed pro electis, qui crediturí erant. Secundò, quoniam etsi ipsis etiam reprobis affulsit externè Euangelium (nam plerisque illorum etiam prædicatum est) tamen lux fidei, qua Euangelij lucem viderent, & amplecterentur, illorum cordibus non affulsit: nec affulget.

Secunda liberatio. Sequitur secunda liberatio: Ea est, qua quotidie magis ac magis à malis, tam spiritualibus quàm corporalibus, quæ nos etiamnum in finem vsque seculi circumstant, per eundem Christum liberamur. Nam quandiu sumus in hac carne, semper obsidemur à Sathana, ab infinito exercitu dęmonum, qui circum nos volitant, quíque in hoc aëre habitant: vt ait Paulus. Obsidemur à carnis concupiscentia, à peccato in carne nostra inhabitante, à mundo, à tyrannis, ab hæreticis, à falsis fratribus: denique ab omniũ postremo & potẽtissimo hoste, qui est mors: ab iis inquã hostibus, qui partim sunt spirituales, partim corporales, obsidemur, & oppugnamur: vt non quęcunque volumus Spiritu, ea facere possimus, vt est ad Gal. 5. & ad Rom. 7. Sed ab his etiam per Christum liberamur: nõ quòd nos prorsus desinant obsidere ij hostes: sed quòd nos expugnare nõ possint propter Christum, qui pro nobis & in nobis contra eos fortiter pugnat.

QVO-

QVÓMODO liberamur? Fide & Spiritu. Fide, quia scimus eos non posse nos expugnare,& penitùs suo imperio subiicere,vt illis etiam Spiritu pareamus:cum Christus in nobis sit, & nos in ipso per fidem. Ait autem Paulus Rom.8. Nihil damnationis esse iis,qui sunt in Christo Iesu.Spiritu verò, quoniam indies magis ac magis, dum Spiritus noster per Spiritum Christi forteſcit: caro & alij inimici nostri magis infirmantur. Huc spectat illud Apostoli 2. Corinth.4. cum dixisset: Deus,qui iussit de tenebris lucem splẽdescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei:Quæ verba, vt vidimus, faciunt ad explicationem huius versus,Populus qui ambulauit in tenebris,vidit lucem magnam: & ad primam liberationem pertinent:Postea,quoad hãc alteram & obsidionẽ & liberationem,subiecit dicens:Habemus autẽ thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit victoris Dei,& nõ ex nobis.In omnibus tribulationẽ patimur,sed non angustiamur: aporiamur (id est,ad summam angustiam redigimur) sed non destituimur (hoc est, nõ vincimur & opprimimur malis) persecutionẽ patimur, sed nõ derelinquimur:humiliamur,sed non confundimur: deiicimur, sed nõ perimus: semper mortificationẽ Domini nostri Iesu Christi in corpore nostro circumferẽtes,vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui viuimus, in mortẽ tradimur propter Iesum Christum, vt vita Domini nostri Iesu Christi manifestetur in carne nostra mortali. Et infrà: Licet is qui foris est, noster homo corrũpatur:tamen is qui intus est,renouatur de die in diẽ.Ecce obsidionem:ecce etiam liberationem.Sic Christus Apostolis Iohan.16. In mundo pressurã habebitis (ecce obsidionem:) in me autem pacem. (ecce liberationẽ.)

SVMVS igitur semper in aliquibus tenebris, sed lux semper etiam è cælo nobis affulget:habitamus in terra vmbræ mortis, sed semper etiam nobis vitam ex alto donari sentimus.Atque hæc est liberatio secunda.

CONTINVATVR autem ista, vt dixi, & per hostes nostros obsidio, & per Christum nostrum ab obsidione liberatio, in finem vsque seculi: donec tandem perfectissimè ab hac obsidione liberemur:& perfectissimè lucem magnã, quæ in cælis est, videamus, excitatis etiam à morte corporibus nostris ad æternam vitam. Ideo Paulus de hac loquens,ait Rom.7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sentiebat continuari hanc obsidionem in finem vsque seculi. Ideo dixit: Quis me liberabit? Sed quia sentiebat etiam continuari liberationem,quę perfectissimè futura est in resurrectione:ideo subdit, Gratia Dei per Iesum Christum. Atque illa tertia erit perfectissima ab obsidione omnium inimicorum nostrorum liberatio. nouissimè enim etiam inimica destruetur mors, vt 1.Corinth.15.ait Apostolus. *Tertia liberatio.*

ECCE triplicem liberationem, quam habemus per Christum ab obsidione hostium nostrorum: ideóque ecce quomodo populus (electorum) hoc est, Ecclesia Dei, qui ambulat in tenebris, & vidit, & videt quotidie, & videbit in perpetuum,lucẽ magnam:& lux eis affulsit, affulget semper, & in æternũ affulgebit. Huius autem lucis & liberationis participes non fuerũt vnquam,aut futuri sunt, ipsi reprobi:idque iusto Dei iudicio,licet nobis occulto.Lux enim venit in mundum,& ipsi dilexerunt magis tenebras quàm lucem. Ita facti sunt saltem inexcusabiles:quia causſa cæcitatis in ipsis est. Atque hoc satis esse debet cuique pio, in hoc mysterio magis admirando,quàm hominibus inuestigando. Sic etiam facit Propheta,cum per ἀποστροφὴν conuersus ad Dominum, & tantam Dei in electos bonitatem admirans, & tam iustum Dei iudicium reprobos obstupescens, ait: Multiplicasti gentem,& non magnificasti lætitiam. Sequitur ergo.

TERTIVM Caput: nempe hoc beneficium, seu hanc per Christum ab hostibus liberationem,ita propriam esse electorum,id est,Ecclesiæ Christi, vt nullo modo III.

modo ad reprobos pertineat, tametsi isti longè plures sint illis. Propheta hoc admirans, exclamat ad Dominum, dicens: *Multiplicasti gentem, at non magnificasti lætitiam.* Præter alias expositiones, quas in hunc locum attulimus, puto, quò ad historiæ veritatem, hanc etiam non alienam fuisse à mente Prophetæ. Spectãs Propheta hoc singulare beneficium, quod Deus in Iudæos pro sua misericordia, non autem in Israëlitas pro suo iusto iudicio contulit: nempe quòd Iudæos ab expugnatione Sennacheribi regis Assyriorum seruarit, ne in perpetuam captiuitatem abducerentur: Israëlitas verò, qui longè plures erant Iudæis, permiserit ab aliis regibus Assyriorum expugnari, & in perpetuam captiuitatem abduci, cum admiratione exclamauit dicens: *O Deus, multiplicasti gentem hanc* (scilicet totum corpus populi ex Israële nati) *at non multiplicasti lætitiam*: quia hoc beneficium & conseruationem regni, in solis Iudæis esse voluisti: Israëlitas autem, qui sunt multò plures, deseruisti, & in tenebris reliquisti.

His verbis duo egit Propheta. Primum, quasi gratias egit Deo, quòd tanto beneficio dignatus sit Judæos: cũ eo non sit dignatus Israëlitas. Qua in re indicauit Deus, se pluris facere Judæos quàm Israëlitas: nempe propter promissionem factam ipsis speciatim Judæis, tribui Iuda & domui Dauidicæ. Secundò, admiratus est, & adorauit iudicium Dei: occultum quidem, sed tamen iustum: quòd scilicet Israëlitas, qui maxima pars erant totius illius corporis Israëlitici, permiserit à regibus Assyriorum expugnari, & in perpetuam captiuitatem abduci, totúmq; illorum regnum funditus euerti: cum tamen Iudæi etiam, non minus grauiter peccarint in Deum, quàm Israëlitæ. vbi videmus Prophetam iudicium hoc Dei duntaxat admirari, non autẽ causas quærere & interrogare: sed relicto hoc iudicio aduersus Israëlitas, statim redit ad magnificãdum beneficium Dei, in Iudæos collatum, & ait: Lætabuntur (scilicet ipsi Iudæi) de quibus dixerat: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Hanc interpretationem, quoad historiæ veritatem, non puto alienam esse à mẽte Prophetæ. nam rem ita se habuisse, manifestum est. Deinde Oseæ. 1. cap. qui de eadem re, de qua hic etiam Iesaias loquitur, sic Deum loquentem introducit: Vltrà non miserebor domus Israëlis, quin potius in vniuersum tollam eos: domus verò Iudaicæ miserebor, & seruabo eos in Domino Deo eorum: non autem seruabo eos per arcum, nec per gladium, nec per bellum, nec per equos, nec equites. Iam verò, quatenus oculos extendit Propheta in regnum Christi spirituale, quod ex gentibus & Iudæis cõstat, sic voluit dicere: Tu quidem Deus multiplicasti genus humanum mirum in modum, at non magnificasti lætitiam: quia cum omnes in Adamo peccarint, paucos tamen quosdam pro misericordia tua inde selegisti ad huiusce redemtionis & lætitię participationem: aliis omnibus pro iusto tuo, at nobis occulto iudicio, in peccato & æterna damnatione relictis: omnes quidem vocasti, sed paucos elegisti. Atque hoc summoperè tuam erga nos beneuolentiam & gratiam commendat: quia cum nos perinde atque alij indigni essemus hac gratia, ea tamẽ nos præ aliis dignatus es. Ergo iure lætabimur, & lætabuntur omnes electi huius lucis participes, coram te. Hic est sensus.

Nec dubito, quin alluserit Propheta ad illam duplicem de multiplicando semine Abrahæ similitudinem: quando dixit primò: Multiplicabo semẽ tuum sicut Stellas cęli: secundò, Multiplicabo sicut arenam maris. Indicare voluit Dominus (vt Iustinus quoque interpretatur, in dialogo cũ Tryphone Iudæo) numerosissimum quidem futurum populum, qui ex Abrahamo erat oriturus: sed tamen comparatione reproborum, paucos futuros electos: comparatione Judæorum secundum carnem, paucos futuros filios Abrahæ secũdum Spiritum: sicut etiam Stellæ, respectu arenæ, paucæ sunt. Similitudine enim Stellarũ intellexit electos,

&

& pios omnes: ſimilitudine verò arenæ maris, reprobos impios. Illi enim pertinent ad regnum cæleſte, & lucidi ſunt, immò lux in Domino; & incorruptibiles futuri ſunt ac beati. iſti verò pertinent ad regnum huius ſeculi, cuius princeps eſt Sathan: & ſunt terreni, tenebricoſi, immundi, vt arena. Hoc igitur beneficium redemtionis proprium eſt electorum, qui pauciores ſunt reprobis. Et ideo ij electi lætabuntur coram te. Hic eſt fructus, qui ex redemtione conſequitur, lætitia coram Domino. Sequitur ergo

QVARTVM Caput: nempe quis, qualis, & quantus ſit ille fructus, qui ex hac redemtione electos pios conſequitur. Is eſt lætitia vera, ſolida, ſpiritualis, immenſa & æterna coram Deo: ſicut paſſim in Scripturis habemus, regnum Dei eſſe gaudium & pacem in Spiritu ſancto, Rom. 13. Et iuſtos ſemper lætari in Domino, Pſalmi docent: Et Paulus ſubinde: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico Gaudete. Ideo Ieſaias inquit: Lætati ſunt coram te iuxta lætitiam (quæ eſt) in meſſe, & quemadmodum exultant (milites) quando diuidunt ſpolia. IV.

PRIMÒ hac particula CORAM TE, indicat, lætitiam Chriſtianorum, quam nobis reliquit Chriſtus, veram eſſe & ſolidam lętitiam (ſicut iuſtitia coram Deo, eſt vera iuſtitia) ideóque & perpetuam. Lætitia, quam adfert mundus & caro, nõ eſt ſolida: ideóque nec perpetua. Sæpe poſt magnum riſum & lætitiam, magnæ ſequuntur lachrimæ & planctus. Quare? Quia lætitia non fuerat ſolida & vera lætitia. Non talis eſt lætitia, quam iuſti habẽt in Chriſto. Ideo Iohan. 16. ait Chriſtus: Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Secundò indicat, lætitiam hanc Chriſtianorum non eſſe in carne, nec coram mundo: ſed propriè in corde, & coram illo, qui corda intuetur, Deo. Immò coram mundo ſunt afflicti, ſæpe dolent, triſtantur, lugent: ſed coram Deo in corde & in Spiritu læti ſunt, exiliúntque gaudio: Iohan. 20. Mũdus gaudebit, vos verò cõtriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Et Apoſtolus: Et pax Chriſti, quæ exuperat omnem ſenſum, exultet in cordibus veſtris. Ideo ait CORAM TE. Quaſi dicat: Pij, etſi coram mundo non ſemper læti erunt: tamen coram te, ô Deus, ſemper lætabuntur. Hoc eſt proprium filiorum Dei, qui vera fide ſciunt ſe ſeruatos eſſe per Chriſtum, vt ineffabili gaudio in cordibus ſuis ſemper exiliãt. Magna res eſt hoc gaudium: ita vt niſi quis illud in ſeipſo ſentiat, quid illud ſit, prorſus ſcire nequeat. Lætabuntur igitur coram te:

SICVT qui lætantur in meſſe, & qui diuidunt ſpolia. Hæ duæ ſimilitudines non tantùm demonſtrant lætitiam electorum magnam eſſe, ſed etiam appoſitiſſimè id faciunt: vtpote ad præſentem cauſſam accommodatiſſimæ.

PRIMA. Magnum eſt certè gaudium eorum, qui diu fame preſſi, poſtea meſſe collecta, & pane inde confecto, ſe ad vitam alunt: alioqui mox morituri. Ita nos, ante exortam Euangelij lucem, & ante acceptam fidem in Chriſtum, fame fuimus confecti, & ceu mortui. Vbi verò affulſit nobis lux Euangelij & fidei, collegimus meſſem. Quam? Promiſſiones Euangelicas, quæ ſeminatæ fuerãt à prophetis: & ex illis fide eruimus triticum, & panem viuum, qui eſt Chriſtus (is enim in promiſſionibus latebat, ſicut granum & panis inſpicis.) Et hoc pane verè alimur ad vitam æternam. Quanto gaudio nunc afficiuntur Spiritus fidelium? Ideo dicit: Lętabuntur, ſicut qui lętantur in meſſe. Item, Chriſtus ſeminauit iuſtitiam, ſua opera & merita omnia in agro Eccleſiæ: nos, vbi affulſit lux Euangelij, fide collegimus omnia, & noſtra facta ſunt: Opera Chriſti, iuſtitia Chriſti, quicquid Chriſti eſt, noſtrum eſt: immò poſtquam affulſit lux fidei, totus factus eſt noſter. Sicut Paulus dicit: Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Iure igitur lætabuntur Chriſtiani, ſicut qui lætantur in meſſe.

SECVN-

SECVNDA similitudo: *Lætabuntur, sicut qui diuidunt spolia.* Diuidere spolia hostium, signum est victoriæ, & triumphi de hostibus expugnatis. Diuidere igitur spolia, accipitur pro triumphare de deuictis hostibus. Quantum gaudium sit illis, qui de expugnatis hostibus triumphant, & illorum etiam spolia in signum victoriæ secum portant in triumpho, nemo est qui nesciat. Ita nos Christiani, vnà cum Christo, de deuictis nostris hostibus omnibus, peccato, morte, Sathana, mundo triumphabimus. Vnde Paulus primò triumphum Christi describit, Eph. 1. Suscitans illum (Christum) à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum & potestatem, &c. Deinde statim subdit nostrum triumphum in cap. 2. dicens: Et vos conuiuificauit, cum essetis mortui delictis: & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu. Ecce triumphum nostrum.

IVRE igitur lætabuntur Christiani, sicut qui diuidunt spolia: id est, sicut qui de deuictis hostibus, distributis illorum spoliis, triumphant: quoniam & ipsi verè per Christum triumphant de hostibus suis. At vnde, & quando præcipuè hac lætitia exultant Christiani? Nunc Propheta.

V. QVINTO loco specialiùs explicat naturam tantæ lætitię, & quando electi hanc in se lætitiam sentiant. *Quando* (inquit) *iugum oneris eius, & virgam humeri eius, sceptrum exactoris, confregisti in eo secundum diem Midian.*

SVMMA: Tunc hac vera, solida & perpetua lætitia afficimur nos electi Christiani, quando vera fide, quæ clarissimum est viuúmque lumẽ, videmus, ac reipsa sentimus nos verè liberatos esse per Christum, à tyrannide mortis & Sathanæ, & à iugo peccati & legis: idque solius Dei potẽtia, deuictis insuper hostibus nostris, & condemnatis, igníque æterno adiudicatis Sathana & angelis eius. Quando inquam hæc ita se habere, fide viua & clara & in nobis ipsis sentimus: tunc lætamur coram Deo, sicut qui in messe, & qui diuidunt spolia. Hæc enim sunt materia lætitiæ nostræ. Ideo quando hæc sentimus, tũ fieri nequit, quin vera solida & ineffabili lætitia afficiamur. Hæc est summa horum duorum versuum, tertij & quarti.

QVANDO (inquit) iugum oneris eius, & virgam humeri eius, sceptrum exactoris confregisti in eo secundum diem Median. Jugum onerosum (inquit) cõfringes. Omnia iuga, quæ confregit Christus, onerosissima nobis erant: & vsque adeò nos premebant, vt nec ea ferre, nec oculos ad cælum tollere possemus.

I. PRIMVM iugum fuit, peccatum cum morte, quod nobis Adamus supra humeros imposuit, & impositum reliquit. De hoc iugo Ecclesiast. 40. Molestia magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue supra filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium: cogitationes eorum, & timores, cordis adinuentiones, & expectationes, & dies exitus, &c.

CONFREGIT hoc Christus, nempe iugum peccati: quia etsi illud adhuc nobiscum gestamus: tamen primò effecit, vt nos coram Deo nequaquam grauet: id
1. est, vt non imputetur. Secundò: Quia suo Spiritu quotidie illud mortificat & in-
2. firmat, donec tandem penitùs aboleatur.

1. IVGVM itidem mortis confregit: quia primò ademit ei suam (vt ita dicam)
2. immortalitatem: resurgemus enim. Secundò: Quia effecit vt nos certiores facti de nostra resurrectione, déque nostra salute per Spiritum Christi, minimè mortem timeamus: ideóque grauis nobis non sit.

II. SECVNDVM iugum fuit, durissima exactio totius legis implendæ: cum eiusdem legis maledictione, si à nobis perfectè non obseruaretur, coniuncta. Jugum hoc grauissimum fuit, & (vt Græcè dicam) ἀφόρητον. De hoc iugo Act. 15. Petrus cõtra eos Judæos, qui volebant circumcisioni ipsos etiam gentiles, qui ad Christũ con-

conuertebantur,astringi:(Erat autem circumcisio testimonium totius legis implendæ,vt est in Epist.ad Galatas:) Nunc ergo (inquit Petrus)quid tentatis Deũ? vt imponatur iugum supra ceruices discipulorum,quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?

CONFREGIT hoc iugum Christus:Primò,quia liberauit nos,tum ab illa exacta totius legis obedientia,tum à legis maledictione. Secundò, quia Spiritu suo nobis donato effecit, vt legem si non omni, magna tamen ex parte impleamus. Et si quid per carnis infirmitatem vel omittimus, vel contra eam committimus: illud nobis non imputetur: perfecta legis impletione, quæ solius est Christi, nobis etiam propter Christum imputata.Huc illud Pauli Galat.3.Christus redemit nos de maledictione legis, factus pro nobis maledictio. Rom.8. Deus misso filio suo,de peccato damnauit peccatum,vt iustitia legis impleretur in nobis. Iugum ergo onerosum confregit Christus.

Item confregit *Virgam humeri nostri*: virgam inquam exactoris nostri. Virga hæc fuit, iræ Dei æternæ metus, quo ceu virga durissima quotidie cædebantur conscientiæ nostræ:quippe qui conscij eramus,quòd debita nostra Deo nec persoluebamus, nec persoluere poteramus: & tamen Deus eleuata virga iræ suæ, persolutionem debitorum nostrorum continenter à nobis exigebat. Durissima fuit hæc virga exactoris.Sed hanc confregit Christus.*Primò*:quia pro nobis debita omnia nostra Patri persoluit, & chirographum debiti, quod erat contrarium nobis,confregit: & ita confractum in testimonium persoluti debiti, affixit cruci: ita vt iure Pater ab electis,pro quibus Christus satisfecit, debitorum solutionem exigere amplius nequeat:Col.2.Et vos,cum mortui essetis per delicta & præputium carnis vestræ,simul cùm illo viuificauit,cõdonans nobis omnia delicta, deleto quod aduersus nos erat chirographo, quod erat nobis cõtrarium per decreta: & illud sustulit è medio, affixũ cruci, expoliatósque principatus ac potestates ostentauit palàm,triumphans de illis per semetipsum. *Secundò*:quia donata nobis fide, effecit vt sentiamus persoluta esse nostra debita: ideóque liberati omnibus debitis,virgam æternæ iræ Dei non ampliùs timeamus, neque conscięntia nostra ampliùs ea virga cædatur. *Tertiò*: quia donato Spiritu suo, facit vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus seruiamus Deo Patri, & obsequia nostra ei propter Christum gratissima sint,perinde ac si perfectissima essent.

HVC illud Zachariæ, Lucæ 1.Laudandus Dominus Deus Israëlis, quia visitauit & perfecit redemtionem populo suo. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.Sicut locutus est per os sanctorum,qui ab æuo fuerunt, Prophetarum suorum, vindicationem ab inimicis nostris, & è manu omnium, qui oderunt nos: vt faciat misericordiam cum Patribus nostris, ac memor sit testamenti sui sancti: iusiurandum quod iurauit Abrahæ patri nostro, vt daret nobis: vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus ipsi in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ.

Virga etiam exactoris, tyrannis erat Sathanæ aduersus nos: qua quotidie ad obsequia illi præstanda, & ei in omnibus parendum, cædebamur, & compellebamur. Virgam hanc exactoris,id est, tyrannidem Sathanæ, confregit Christus sua virga,id est,cruce:ita vt in nos nullũ ius amplius habeat Sathan. Huc illud Heb. 2.Et per mortem destruxit eum,qui habebat mortis imperium,Iohan.12. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foràs. Et hoc quidem sentimus fide. Deinde donato suo Spiritu, facit, vt etiãsi Sathã virga sua tẽtet nos cædere, ei tamen nos fortiter resistere valeamus: immò contrà, illum quodammodo feriamus:tãtum abest vt possit nos suo imperio subiicere.Huc illud 1. Pet. 5.Diabolus circumit,quærens quem deuoret:sed vos ei resistite,fortes in fide.

VIRGA etiam exactoris potentia est tyrannorum & principum huius seculi: seu tyrannis mundi huius in filios Dei. Hanc etiam confregit Christus : Primò, quia effecit, vt tyranni, etiamsi corpora nostra cædere suis virgis possint, animas tamen ferire aut perdere minimè valeant. Huc illud. Matth.10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Secundò, quia donato suo Spiritu, facit vt neque illorũ vel minas, vel tormenta, vel cruces timeamus: vel si carne timemus, non tamen Spiritu succumbamus, immò lætissimo etiam fortique animo tormenta quæque perferamus. Huc illud Iohan.16. Confidite, ego vici mundum. Ideo Act.5. ibant Apostoli gaudentes, à conspectu concilij.

OMNIA ista iuga, omnes has virgas, omnes has tyrannides confregit Christus. Quomodo? Respondet, dicens : *Sicut in die Midian.*

DIES Midian, pro victoria cõtra Midianitas accipitur. Duo indicat hęc particula: Primùm, hostes nostros fractos & expugnatos fuisse à Christo, sua solius virtute: ideóque nos à iugo peccati & mortis, à iugo & maledictione legis, à virga irę Dei, à virga & tyrannide Sathanę & mundi liberatos esse, sine viribus & operibus nostris; sola Christi virtute. Non enim Gedeon & illi 300. Israëlitæ, tãtum Midianitarum exercitum expugnarunt, cũ & pauci essent, & omnes inermes: sed Deus solus autor fuit totius illius victoriæ. Sic & Hierosolymitani, ab obsidione Sennacheribi liberati nõ fuerunt suis viribus, nec suis armis exercitum illum partim perdiderunt, partim fugarunt, sed solus Deus per angelum. Sic nos nõ expugnauimus hostes nostros, nos non confregimus iugum nostrum onerosum: sed Christus, sua tantum virtute. Huc pertinent infinitæ sententiæ Scripturarum, quæ salutem nostrã omnino negant operibus aut viribus nostris deberi, sed soli Dei misericordiæ, & virtuti Christi acceptam ferunt: vt illud Tit.3. Nõ ex operibus, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Deinde: indicat hæc particula, *Sicut in die Midian,* licet nostris neque viribus neque operibus, sed sola Christi virtute expugnati sint hostes nostri, & Ecclesia ab hostibus liberata: tamen si volumus huiusce victoriæ & salutis per Christum partæ participes fieri, necessariam nobis esse veram viuámque fidem, qua Christum recipiamus in cordibus nostris: & apertam sonorámque fidei cõfessionem, qua Christum tum ore, tum tota vita confiteamur. Gedeon enim & 300. illi Israëlitæ, licet suis armis, quę nulla habebant, hostes suos non debellarunt ipsi, sed Deus: victoria tamen illa potiti non sunt, nisi luminibus, quæ in vasis testaceis habebãt, & tubis, quibus sonabant, & classicum canebant. Ita nos partæ per Christum victoriæ & salutis participes esse non possumus, nisi fide, & fidei confessione. Nam lumẽ quod in lagenis testaceis habebant Israëlitæ, typus fuit fidei viuæ. Hanc nos quoq; in vasis his testaceis habeamus necesse est. Sic 1.Cor.4. Paulus dicebat, loquẽs de hoc lumine: Deus qui iussit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris, ad illuminationẽ cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi. Habemus autẽ thesaurũ hunc in testaceis vasis, vt virtutis eminentia sit Dei, & nõ ex nobis. Tuba verò, qua quisq; Israëlita canebat, typus fuit sonoræ confessionis, qua tum ore, tũ tota vita confitemur Christum verum esse seruatorem nostrum. Hæc duo nobis necessaria sunt, si participes esse volumus salutis per Christum partæ. Totũ hoc docet Paulus ad Rom.3. Primùm concludit, sine operibus & viribus nostris manifestatam esse iustitiam Dei, & hac hominem iustificari, sine operibus. Deinde docet, tamen fide & confessione opus esse, tum ad iustitiam, tum ad salutem: cum ait Rom.10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quid est, Corde creditur ad iustitiam? Corde gestatur lumen ad victoriam parandam, reportandámque de hostibus nostris. Quid, Ore autem Confessio fit ad salutem? Ore & tota vita sonat tuba, ad salutem plenè & perfectè possi-

dendam

dendam. Ecce quid indicet nobis illa particula, Sicut in die Midian. Atque hæc certè magna est materia lætitiæ, quòd Dominus à nobis exigat tantùm fidem & confessionem, lumen & tubas: hoc est, vt quantum possimus, & credamus in Dominum Iesum, & eundem confiteamur tum verbis tum factis. Subdit:

Quoniam omnis præliando prælians in tremore, & vestimentum in sanguine volutatum: & erunt in combustionem, cibus ignis.

SVMMA: accedit ad lætitiam nostram, quòd videmus hostes nostros, etsi fortissimos, veteranósque milites, sanguiníque fundendo assuetos: à Christo tamen timore perculsos, & consternatos, deinde æterno igni adiudicatos esse. Hoc apertè videbimus, cum dicet Christus tyrannis & reprobis omnibus: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Hunc ignem indicat Propheta dicens: Erunt cibus ignis.

HOC inquam faciet ad lætitiam nostram, Vnde Psal. 57. Lætabitur iustus, cum videbit vindictam. Sap. 5. Stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos, qui se angustiauerunt.

IAM sequitur SEXTVM Caput: nempe caussa totius huius liberationis, quæ duplex est. VI.

VNA: per quam, & propter quam. Hæc est Christus, & Christi merita. Hanc explicat versu 5. & partim sexto: *Puer natus est nobis.* 1.

AC primò, per Christum tãquam per mediatorem & sequestrem inter Deum iratum, & nos inimicos propter peccatum: reconciliatio, ideóque liberatio Ecclesiæ ab ira Dei, & malis omnibus facta est. Mediator autem esse non poterat inter Deum & homines, nisi fuisset & Deus & homo: (vt est ad Galatas) Necesse enim erat, vt esset eiusdem naturæ cum eis, quos seruare volebat, quo posset illis compati: vt Paulus docet ad Heb. 2. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes: propter quã caussam non confunditur eos nominare fratres, dicens: Annuntiabo nomen tuum frãtribus meis, in medio Ecclesiæ celebrabo te. Et rursum. Ego ero fidens in illo. Et iterũ: Ecce ego, & pueri quos mihi dedit Deus. Posteaquam igitur pueri commerciũ habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem, vt per mortẽ aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum: & liberos redderet eos, quicũque metu mortis per omnem vitã obnoxij erãt seruituti. Vt homo igitur fieret, opus erat. Necesse enim erat, hũc mediatorem eiusdem esse cum Deo naturæ, quo ipsius mediatoris virtus & intercessio efficax esset ad homines Deo recõciliandos. Infinitę enim virtutis esse oportebat ipsius intercessionem & mediationem. Puri autem hominis virtus finita est. Illum igitur Mediatorem, per quẽ facienda erat reconciliatio hæc, Deũ & hominẽ esse oportebat. Ideo Propheta primo loco vtramque Christi naturam tradit, dicens, *Puer natus est nobis*: ecce hominem: *Filius datus est nobis*: Deus fortis, pater æternitatis, &c. Ecce Dei filium, verumq; Deũ. Et quidem iure ait Filius: quia decebat vt filius, nõ autẽ Pater, vel Spiritus S. talis esset mediator: vt aliàs docuimus in Cap. 7. Ecce virgo cõcipiet filiũ. Huc spectãt infinita loca Scripturarum, quæ tradunt liberationem & reconciliationẽ factam per Christũ, tanquam per mediatorem. Rom. 5. Per quem (Christum) habemus accessum ad Deum. Item per Christum tanquam per principem & fortem imperatorem, Ecclesia, quæ est regnum Dei, erepta est è manibus Sathanæ tyranni, & patri Deo restituta per Christum. 1. Corinth. 15. Paulus hoc explicat, dicens: Deinde finis, cum tradiderit (Christus) regnum Deo & Patri: cum euacuauerit omnem principatum, & virtutem & potestatem: Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis. Proinde Esaias secundo loco describit eum, vt optimum & fortissimum principem, qui totum principatum, & omnia princi-

patus regníque onera humeris ſuis ſuſtinet, dicēs: *Cuius principatus ſuper humerum eius.* Principatus & regnum Chriſti eſt Eccleſia: id eſt, electorum fidelium cœtus, iuxta illud ſuprà citatum Pauli verbum, 1. Corinth. 15. Deinde finis, &c. Geſtamur igitur omnes nos fideles humeris Chriſti. Quos autem ſemel ſuſcepit humeris ſuis geſtandos, eos nunquam ex humeris ſuis deiicit: iuxta illud Iohan. 17. Quos dediſti mihi Pater, ego cuſtodiui. Proinde ſalus noſtra tuta eſt in Chriſto: quia vbicunque ſimus, in humeris Chriſti ſumus, & ab eo geſtamur. Ergo vbi Chriſtus, ibi & nos. Deinde, hac particula indicat Propheta, Chriſtum omnia ſui regni onera in ſe vnum, & ſupra ſuos humeros recepiſſe. Onera autē regni, quod regnum ſumus nos, in primis noſtra ſunt peccata. Hæc igitur in humeris ſunt Chriſti. Eſa. 53. Poſuit in eo Deus omnes iniquitates noſtras. Cur? Vt nos iis grauiſſimis oneribus exoneraret. Tertiò indicat, regnū Chriſti, de hoc mundo non eſſe, neq; terrenum. Quæ enim in humeris geſtātur, à terra eleuata ſunt. Chriſtus autem humeris geſtat regnum ſuum. Huc illud: Elegi vos de mundo. Item: Regnū meum non eſt de hoc mūdo. Quartò indicat, curam totius regni è manibus hoſtium redimendi, ſaluandi, cuſtodiendi, regendi, beandi, huic vni Principi noſtro à patre eſſe impoſitam: hoc enim modo principatus eſt ſuper humerū eius. Ioh. 6. Chriſtus ipſe teſtatur hanc ſibi curam impoſitam fuiſſe, cum ait: Deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me, Patris. Hæc eſt autē voluntas eius, qui miſit me, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die: id eſt, vt ſaluē, conſeruē, defendā, donec tandem etiam reſuſcitem in nouiſſimo die. Indicat ſe continenter curare ſuos electos, vſque à diem reſurrectionis: tunc tradet regnum Deo & Patri.

INTERIM igitur, etſi in cælis ipſe ſit corpore, Eccleſiam tamē etiam militantem gubernat ipſe: immò in Eccleſia & per Eccleſiam contra hoſtes militat, eóſq; quotidie expugnat, donec omnes ſub pedes ſuos ſubiiciat. Hinc verò conſequitur, Eccleſiam, ſpectato hoc Principe, eſſe monarchiam: quia ſuū habet monarcham Chriſtum, ſolum & vnicum. Hinc etiam ſequitur, Eccleſiam nūquam eſſe ἀκέφαλον: quia ſemper habet ſuum caput Chriſtum. Ergo Eccleſia vnum tantum, eúmque immortalem, & nobis ſemper pręſentem, nóſque ſemper regentem habet Principem & regem Chriſtum. Videmus hac particula indicari, per Chriſtū tanquam per ſapientiſſimum, potētiſſimum & optimum principem, redemtam eſſe Eccleſiam è manibus hoſtiū, ídq; mirabili modo: quia mortem morte, peccatum peccato, ſerpentem ſerpente deuicit. Nam mortem occidit, dū ipſe mortuus eſt: peccatum abſtulit, dum ipſe factus eſt peccatum, vt Paulus loquitur: Serpentem Sathanam expugnauit, dum ipſe factus eſt ſerpens in cruce exaltatus.

IDEO iure appellatur *Admirabilis*, ſcilicet mediator; & admirabilis princeps. Item per Chriſtum, tanquam admirabilem conſiliarium, doctorem & magiſtrū, liberati ſumus à tenebris ignorantiæ Dei, & rerum cæleſtium: Euangelio, quod fuit æternum Patris conſilium, per Chriſtum hunc nobis reuelato.

IDEO vocatur *Conſiliarius*: ídque fecit mirabili modo. Alij enim externa tantum voce conſulunt, & docent: at Chriſtus interna ſui Spiritus actione & perſuaſione in cordibus electorum, ſuum inſcribit & obſignat Euāgelium. ſicut promiſerat per Ieremiam: Scribam legem meam in cordibus eorum, & dabo timorem meum in eorum corda, vt non recedant à me. Iccirco non tantum vocatur *Conſiliarius*, ſed etiam *Admirabilis* conſiliarius. Huc illud Matth. 7. Admirabantur omnes, quòd non ſicut Phariſæi docebat, ſed loquebatur tanquam habens autoritatem: ſcilicet in corda auditorū. Et certè iis tribus præcipuè modis Chriſtus Eccleſiam, hoc eſt, nos electos ſeruauit: Primò, vt mediator, reconcilians nos patri: Secundò, vt fortiſſimus heros, & optimus Princeps, eripiens è manibus hoſtium

ſtium: Tertiò, vt mirabilis cõſiliarius & doctor, totum hoc myſterium, quod quidem æternum fuit Dei conſilium, donata nobis fide, in corda noſtra inſcribens, atque ita à tenebris ignorantiæ liberans. Per Chriſtum igitur Mediatorem, Principem, admirabilẽ Conſiliarium, facta eſt noſtra liberatio. Habemus, Per quem.

NEC ſolùm per Chriſtum, ſed etiam propter Chriſtum, liberata eſt Hieroſolyma cæleſtis, id eſt, Eccleſia: ídque bifariam. Primò, propter Chriſtũ, id eſt, propter merita Chriſti: iis enim meruit electis ſuis ſalutem. Merita autẽ hæc in ipſa incarnatione inchoata ſunt, in tota vita continuata, in morte verò perfecta & cõſummata. Huc faciunt infinita Scripturarum loca, quæ ſalutem noſtram acceptã ferunt ſanguini, paſſioni, morti, meritis Chriſti. Propter hæc merita nobis donata, & noſtra facta, fit vt æterna vita iure nobis debeatur. Merita hęc Chriſti innuit Eſaias, dicens: Puer natus eſt NOBIS. vt ſcilicet pro nobis legẽ impleret, pateretur, &c. Et præſenti illa particula, cum ait, *Et vocabitur nomen eius heros fortis*: indicauit, illum fortiter perlaturum mortem pro nobis, & hoſtes expugnaturum. Deinde propter Chriſtum, tãquam cauſſam finalem, liberata eſt Eccleſia. Ideò enim Eccleſia è manibus Sathanæ liberata eſt per Chriſtum, vt Chriſtus, qui prædeſtinatus fuerat princeps & rex noſter, ſuo tandem potiretur regno, ſuóque frueretur principatu, vnà cum Patre, in perpetuum in cęlo: vt Paulus innuit, cum ait 1. Cor. 15. Deinde finis, cum tradet regnum Deo & Patri. Significat enim, in hũc finem, Chriſtum quotidie ſuam colligere Eccleſiam, ſeu ſuum defendere & gubernare, atque è manibus hoſtium eripere regnum, in finem vſque ſeculi: vt illo tãdem regno vnà cum Patre in cælo æternùm perfruatur: ſicut etiam nos viciſſim fruemur noſtro principe & rege Chriſto. Sed finis vltimus eſt, gloria Dei in Chriſto. Huc illud Prouerb. 16. Omnia propter ſemetipſum creauit Deus, etiam impium ad diem malum. Ergo multò magis propter ſemetipſum, & gloriam ſuam, redemit Eccleſiam ſuam Chriſtus. Huc & illud Coloſſ. 1. Et ipſe (Chriſtus) eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis (in quem finem hæc omnia? ait) Vt ſit ipſe in omnibus primatum tenens. Atque hæc eſt cauſſa, cur neceſſarium erat Eccleſiam, id eſt, cœtum piorum electorum, è manibus hoſtium redimi: quia neceſſe erat, vt Chriſtus caput eſſet Eccleſiæ, princépſque ſuo potiretur regno, quod eſt Eccleſia: primatum in omnibus tenens. Cauſſam hanc finalem tangit Propheta, cum ait: *Quoniam puer natus eſt nobis, ad proferendum imperium, & ad pacem quæ finem non habet: ſuper ſolium Dauidis, & ſuper regnum eius ſedebit, vt inſtauret illud, & fulciat iudicio & iuſtitia, ab hinc vſque in ſempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.* Quaſi dicat: Ideo neceſſarium eſt, vt Hieroſolyma redimatur: quia decretum eſt à Deo, vt Meſſias nobis, & è nobis naſcatur, qui in ea Hieroſolyma regnet: id eſt, in Eccleſia: & vt regnum Dauidis inſtauret, firmet in perpetuum, amplificétque.

CAVSSA ALTERA ſalutis noſtræ eſt efficiens: & principalis quidem cauſſa, fons atque origo totius ſalutis: ea eſt, cùm æternus & conſtans Dei erga ſuam Eccleſiam amor: tum ſuæ ipſius gloriæ & honoris zelus. hæc enim duo nomine zeli hoc loco intelliguntur.

Ac primùm quidem, vt de amore Dei erga nos dicam, radix ſalutis noſtræ fuit iſte Dei amor æternus & cõſtans erga nos. ÆTERNVS, quia ab æterno nos dilexit Pater. non enim cœpit in tempore nos diligere, alioqui mutatio caderet in Deũ: ſed ab æterno dilexit. Teſtimonia Scripturarum confirmant. Hierem. 31. In charitate perpetua dilexi te. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Dedit autem etiam ab initio mundi quodammodo: quia agnus fuit occiſus ab origine mundi: Iohan. 17. Dilexiſti eos, ſicut me dilexiſti. dilexiſti autem me ante conditum mundum. 1. Iohan. 4. Ipſe prior dilexit nos, nos in

tempore dilexímus Deum. Ergo Deus ante tempora. Item prædeſtinauit nos ab æterno: vt Paulus Epheſ. primo teſtatur. Ergo ab æterno dilexit. prædeſtinaſſe enim, eſt dilexiſſe ad æternam vitam. Rom. 9. Antequam quicquam boni feciſſent, Iacob dilexi, &c. Amor ergo Dei erga nos æternus eſt. CONSTANS: id eſt, immutabilis, continuatus & perpetuus. Ego Deus, & non mutor. Deus immutabilis eſt, ergo & amor: quia amor Dei eſt ipſe Deus amans. Eſa. 49. Et dixit Zion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei. Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filij vteri ſui? Etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Oſeæ 11. Quomodo dabo te Ephraim (inimicis tuis?) Quomodo te tradā ô Iſraël? non faciam pro ęſtu naſi mei: non vertar, vt Ephraim perdam: quoniam ego ſum Deus, & non homo: id eſt, conſtans in amore, id quod non poteſt ſemper homo: & qui non poſſum iram continere, id quod non poteſt homo: Rom. 8. Quis nos ſeparabit à dilectione Dei: qua ſcilicet nos diligit? Indicant & hi & alij infiniti loci, amorem Dei erga nos conſtantem, immobilem & perpetuum eſſe: & vbi cœpit aliquem ab æterno amare, Deum ſuum erga illum amorem continuare in perpetuum.

CHRISTVS, qui eſt imago Patris, & in cuius amore reſplendet amor Patris, rem confirmat. Iohan. enim 13: de Chriſti amore ergo diſcipulos ſuos ſic ait: Et cū dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Ergo & Pater, quos cœpit ab æterno diligere, eos diligere pergit in finem vſque ſeculi: immò in perpetuum. Amor iſte Dei erga nos: fons eſt totius ſalutis noſtrę. Hinc enim factum eſt, vt nos prædeſtinarit ad æternam vitam in Chriſto, vt Chriſtum miſerit in mundum, vt nos vocarit per Euangelij prædicationem, vt nos iuſtificarit, vt quotidiana peccata condonet, vt denique daturus ſit vitam æternam. Amorem hunc appellat Ieſaias zelum Domini: tum vt indicet vehementem eſſe amorem & ardentem, ſicut eſt amor viri erga chariſſimam vxorem: tum propter dolorem, & metum, qui cum tali amore coniuncti eſſe ſolent. Dolemus enim vehementer, ſi perſona à nobis amata, ab alio poſſideatur. Et recuperata, ne denuo eripiatur, metuimus. Fateor in Deum non cadere tales paſſiones: ſi tamen iuxta conſuetudinem Scripturarum loqui liceat, Deus ſicut ab æterno nos electos amat, ſic quū à Sathana occupamur, ſuo modo dolet: & redēti, ne denuò rapiamur, metuit: hoc eſt, & captiuos nos teneri à diabolo non probat: & ne captiui fiamus, diligenter curat. Hæc enim natura eſt zeli. Hinc fit, vt cum ſit potentiſſimus, nullo modo ſit permiſſurus, nos electos & charos à Sathana ſibi eripi. Ergo cum ait, *Zelus Domini faciet hoc*, perinde eſt, ac ſi dicat: Quia Dominus ab æterno nos ardenter & conſtanter amat, & ita amat, vt & ipſi vehementer diſpliceat nos à Sathana poſſideri: & ne ex ipſius manibus erepti, in ſempiternum pereamus, efficit: iccirco omnino & extra omnem controuerſiam Dominus faciet hoc, id eſt, liberabit & ſaluabit nos per filium ſuum, puerum nobis natum. Habemus hic vnam cauſſam ſalutis noſtræ efficientem & neceſſariam: id eſt, zelum Domini, ſeu ardentem amorem erga nos.

ALTERA cauſſa efficiens noſtræ ſalutis, fuit zelus, quo Dominus gloriam ſuam zelabat & zelat. Zelus iſte ferre nō poterat, vt præter reprobos, etiam electi in manibus Sathanæ perpetuò detinerentur. Ieſai. 42. Gloriam meam alteri non dabo. Quæ eſt hæc gloria? Nempe quòd ego ſolus ſim verus, & agnoſcar vt verus Deus, qui ſuis ſtat promiſſis: ita vt præter me nullus alius pro tali Deo habeatur. Promiſerat autē Deus iſte, ſe fore in Deum Abrahæ & ſemini eius (id eſt, electis fidelibus, qui ſunt ſemen Abrahæ verum, ſecundum Spiritum vt eſt Rom. 2.) eoque illos redemturum. Iam ſi Deus iſte electos non redemiſſet, non fuiſſet agnitus vt illorum Deus. Ad gloriam igitur Domini nō pertinebat, permittere vt electorum Eccleſia in perpetuis eſſet tenebris, & à Sathana prorſus occuparetur.

Quare

Quare zelus Domini, quo partim ſuam ipſius gloriam, partim nos ipſos zelabat, id eſt, ardenter, perpetuò & conſtanter amabat & amat: FACIT HOC: id eſt, cauſſa fuit efficiens principalis, ſalutis noſtræ per Chriſtum partæ & conſeruatæ. Habemus ſextum caput huius vaticinij.

SEPTIMVM Caput eſt, quomodo ex hoc cõtextu Ieſaiæ poſſit quiſque fidelis, ſe in certitudine ſuæ æternæ & certiſſ. ſalutis confirmare. Nam hic eſt finis huius vaticinij Ieſaiæ, vt ſcilicet pij (quo ad hiſtoriam) qui erant Hieroſolymis, in fide confirmarentur, fieri non poſſe, vt Hieroſolyma, regnúmque Dauidis ab Aſſur deſtruatur: Quò verò ad Eccleſiam Chriſti, vt quiſq; noſtrûm in fide, de certiſſima ſecuriſſimáque tum totius Eccleſiæ, tum ſui ipſius ſalute confirmetur. Atque hæc ingens conſolatio & fructus, qui ex hoc contextu hauriendus eſt. VII.

IAM, vt hoc fiat, ante omnia fundamentum vnum iaciendum eſt, illúdq; bene firmandum, ſupra quod tota ſtructura de certitudine ſalutis ſtatuenda & confirmanda eſt. Fundamentum hoc eſt. Nemini contingit, aut contingere poteſt ſalus & vita æterna, ſeu cęleſte regnum, niſi electis ad ſalutem, vitam, regnúmque cæleſte. Matth. 10. duobus filij Zebedæi petentibus à Chriſto, vt alter à dextris, alter à ſiniſtris in ſuo regno illi aſſiderent, ſic Chriſtus reſpondit: Calicem quidẽ meum bibetis: ſedere autem à dextris, vel à ſiniſtris in regno meo, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Indicauit, cæleſte regnum non poſſe dari, niſi electis, quibus ab æterno illud præparatum fuit à Patre. Matth. 25. Tũc dicet iis, qui à dextris: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi. Rom. 8. Quos prędeſtinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos iuſtificauit, hos & glorificauit. Docet Paulus neminem in æterna vitá & cæleſti regno glorificatum iri; niſi qui ad eam gloriam & æternam vitam ab æterno fuerit prædeſtinatus. Nemo enim ſeruari poteſt, & ad æternam vitam peruenire: niſi quos Deus præſciuit ſeruandos: ſeu quos præamauit, & vt ſuos prægnouit (Deum enim nihil ab æterno latuit) & quos ipſe ab æterno decreuit ſeruare. ſalus enim à Deo eſt. hoc autem eſt, prædeſtinaſſe ad ſalutem. Ergo ſalus non contingit niſi electis.

Cum hoc ſe ita habeat, conſequitur neceſſariò: neminem igitur de ſui ſalute certiorem poſſe fieri: niſi certus fiat de æterna ſui electione.

VT verò quis certior fieri poſſit de æterna ſui ad æternam vitam electione, duę ſunt viæ: vna à priori (vt vocant) altera à poſteriori. A priori vocamus, quæ eſt à cauſſis: cauſſa autem ſicut electionis, ſic etiam ſalutis noſtræ efficiẽs, eſt Chriſtus: Non vos, inquit, me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Idem ſalutem ſanguine ſuo partam nobis communicat, & in nobis efficit, tum verbo, quod etiam Sacramentis obſignat: tum Spiritu ſuo in nobis efficaciter operante, & teſtimonium Spiritui noſtro reddente, quòd ſimus filij Dei. Poſſumus igitur & à verbo, quo Chriſtus nobis loquitur, tanquam à cauſſa inſtrumentali ſalutis noſtræ: & à Spiritu Chriſti in nobis habitante, & ſalutem efficaciter operante, argumenta ducere: id quod à priori argumentari dicimus.

A poſteriori autem viam vocamus, quæ eſt ab effectis: Effecta autem hæc ſunt, efficax vocatio, iuſtificatio, ſanctificatio, pax cõſcientiæ, & alia, de quibus poſtea. Nunc priorem viam ingrediamur: Et primum à verbo Euangelij argumenta ducamus: Euangelium enim, ſicut eſt cauſſa inſtrumentalis ſalutis & fidei noſtræ (fides enim eſt ex auditu verbi Chriſti) ſic etiam eſt certitudinis, quod ſimus filij Dei, eóque ad hanc υἱοθεσίαν in Chriſto electi: quando fides nihil aliud eſt, quam certa perſuaſio, è verbo Dei concepta, quod ſimus in Chriſto gratis electi, per Chriſtum ſeruati, & cum Eccleſia Chriſti glorificandi. A verbo igitur Euangelij, ſic confirmare nos poſſumus, quòd ſimus ad æternam vitam electi.

Argumentum I. IVBEMVR à Christo credere Euangelio, & toti quidem Euangelio, id est omnibus quæ Euangelium annuntiat. Marc.1. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Atque ita iubemur, vt nisi credamus Euangelio, peccemus, & damnemur. Atqui Euangelium annuntiat, quòd simus electi ad æternam vitam: Eph.1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, sicut elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christũ. Ergo quia iubemur credere Euangelio: Euangelium autem, sicut annuntiat nos esse redemtos per Christum, sic etiam prædicat nos esse prædestinatos in Christo: idcirco sicut iubemur credere simpliciter, nos esse per Christum redemtos: sic iubemur simpliciter credere, nos ab æterno fuisse in Christo, ad habendam redemtionem & vitam æternam prædestinatos.

Argumentum II. IVBEMVR credere, quòd Deus ab æterno nos diligat ad æternã vitam. Hoc enim annuntiat Euangelium, Iohan.3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt quicunque credit in eum, habeat vitam æternam. Iohan. 17. Dilexisti eos (loquitur de credituris omnibus) sicut & me dilexisti. dilexisti autem me ante mundi constitutionem. 1. Iohan. 4. Ipse prior dilexit nos. Omnes ij & alij similes in Euangelio loci, qui de amore Dei erga nos loquũtur, de amore ad æternam vitam intelligendi sunt. Est enim duplex amor Dei. Vnus, quo omnes, etiam reprobos, omnia denique amat: quia omnibus bene vult, & benefacit. Sap.11. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Alter, quo specialiter quosdam amat ad vitam æternam. Hi vocantur electi: Rom.9. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. De hoc amore loquitur Euangelium, cum nobis proponit quòd Deus nos amet. Iam iubemur credere quòd Deus nos amet ad æternam vitam, vt iam ostendimus. Atqui Deum amare aliquem ad æternam vitam, est illum ad æternam vitam prædestinasse. Iubemur ergo credere, ad æternam vitam prædestinatos nos esse.

Argumentum III. IVBEMVR credere, quòd Christus natus sit pro nobis, orarit pro nobis, passus sit pro nobis, mortuus sit pro nobis: ita vt vnusquisque iubeatur credere, quòd pro se passus & mortuus sit: Sicut & Paulus dicebat Gal.2. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: hoc enim prædicat Euangelium, & sic confitemur in Symbolo. Atqui Christus secundum propositum voluntatis & Patris & suæ, non orauit, nec passus est nisi pro electis. Patet de oratione, Iohan.17. Non rogo pro mundo. De passione & morte inde concluditur, à minori ad maius. Deinde confirmatur Iesa.53. Et ipse peccata multorum portabit non ait omnium, sed multorum: id est, electorum. Dan.9. Et roborabit fœdus cum multis: id est, cum electis. Et Apostolus ad Heb.9. Christus semel oblatus est, vt multorum peccata tolleret. Et Christus in cœna de suo sanguine ait: Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Iohan.11. Prophetauit, quòd Iesus moriturus erat, non solum pro gente Iudaica, sed vt filios Dei (id est, electos) qui erant dispersi (inter gentes) congregaret in vnum. 1. Iohan.2. Qui est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tãtùm, sed etiam pro peccatis totius mũdi. Quid est, pro peccatis totius mũdi? pro peccatis omnium electorum, qui sunt, fuerunt & futuri sunt, in mundo: non solùm pro nostris. Et locus iste respondet illi suprà citato: Christus moriturus erat pro gente: nec pro gente tantùm, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Cum ergo iubeamur credere, Christum pro nobis mortuum: & non sit mortuus, nisi pro electis, vt Euangelium tradit: ergo iubemur credere nos esse electos.

Argumentum IV. IVBEMVR credere, quòd Deus sit Pater noster, nósq; eius filij: & ita iubemur eum quotidie vt patrem inuocare, dicentes, Pater noster. Sic enim prædicat Euangelium,

angelium, cui toti tenemur credere. Atqui Deum nobis esse Patrem, nósque eius filios, quid est, nisi Deum nos elegisse in filios in Christo & propter Christũ? Sicut ait Paulus Eph.1. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Christum, in ipsum. Iohan.11. Vt filios Dei congregaret in vnum. Iubemur ergo credere, nos esse prædestinatos in filios Dei, à Patre æterno, in Christo. Hoc pacto studiosi à partibus Euangelij, seu ab iis singulis, quæ nobis annuntiat Euãgelium, quæ omnia non nisi in electis locum habere possunt, discant argumentari: & videbunt consequi necessariò, si iubemur credere Euangelio, & singulis quę annũtiat Euangelium bona nuntia: nos igitur iuberi credere, quòd simus ad æternam vitam electi. Tunc confirmemus conscientias nostras in certitudine de nostri prædestinatione, ideóque de salute æterna, hoc modo: Iubeor credere quòd sim prædestinatus: ergo enitar vt credam: & sicut credo Christum pro me passum, ita volo credere me esse electum in Christo ad vitam. Cur enim me ab hac æterna Electione excludam: in qua me vnà cum aliis credentibus in Christum, Euangelium includit? Hic est primus modus argumentandi à priori: nempe à verbo Euangelij, cui iubemur credere, & quod caussa est instrumentalis salutis, fidei, & certitudinis nostræ.

ALTER modus est, à caussa verè efficiente salutis fideíque nostræ, & certitudinis de nostra salute. Hæc caussa efficiens, est Spiritus sanctus, in nobis inhabitãs. Quisq; fidelis in seipso testimonium habet Spiritus sancti, quòd sit filius Dei. Rom.8. Spiritus autem Sãctus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd filij Dei sumus. Gal.5. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, quo clamatis Abba Pater. 1. Iohan.3. Scimus quòd manet in nobis Christus, ex Spiritu quem dedit nobis. Atqui testimonium habere, quòd sumus filij Dei, est testimonium habere, quòd sumus electi. nemo enim esse filius Dei potest, nisi electus sit in adoptionem filiorum Dei. Eph.1. Ergo quisque fidelis, quia testimonium habet Spiritus sancti, quòd filius Dei sit, habet etiam, per consequens testimonium quòd sit electus. Quoties ergo sentimus in nobis ipsis testimonium hoc Spiritus sancti per certam fiduciam in Christum, quòd simus filij Dei: tunc concludamus, Igitur nos sumus electi ad æternam vitam. *Argumentum V.*

A posteriori verò, seu ab effectis, quæ in nobis sentimus & experimur, confirmare etiam nos certò possumus in certitudine nostræ salutis: nec scilicet prædestinatos esse ad salutem æternam vitam.

PRIMVS effectus est, vera Dei & Christi cognitio, seu lux & fides solida, qua tum Deum vt Patrem, in Christo: tum Christum vt saluatorem agnoscimus & amplectimur, eíque vocanti nos per Euangelium assentimur. Hoc est initium salutis nostræ, quod in nobis sentimus: efficax vocatio interna Dei, & fides nostra assentiens: Rom.8. Quos prædestinauit, hos & vocauit. Iesaias etiam hanc primo loco ponit, dicens: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: & lux affulsit eis, qui sedebant in regione vmbræ mortis. Sic ergo nos cõfirmemus. Qui vera & solida præditus est fide, & cui lux fidei internè in corde affulsit, qua verè videt lucem Deum, & Christum, illúmque vt Patrem, & hunc vt saluatorem amplectitur: hic est ad æternam vitã prædestinatus. neq; enim quisquam solidam hanc fidem habere, & lucẽ diuinã videre potest, nisi electus sit. Patet testimoniis Scripturarum Ioh.6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet. id est, illi tantũ, quos dedit mihi Pater in prædestinatione, ad me veniẽt per fidẽ: Et ego eum qui venerit ad me, non eiiciam foràs: id est, perpetuò in mea gratia seruabo, & tãdem in possessionem æternæ vitæ introducam. Matt.13. Vobis datum est nosse mysteria: Quasi dicat: quia electi estis, ideo vobis affulsit lux, & datũ est, vt lucẽ videatis. *Argumentum V I.*

Iohan.

Iohan.12. Et non poterant credere, quia dixit Ieſaias: Excæcabo cor populi huius,vt videntes non videant, audientes non audiant: Hoc eſt,quia reprobi erant, deſtinati ad excęcationem iuſto Dei iudicio. Actor.13. Et crediderunt quotquot præordinati ad vitam æternam.

VOCATIO efficax, cum ſcilicet quis ita vocatur, vt fide vocanti aſſentiatur: tantùm eſt electorum. Sic enim Paulus coniungit: Quos prædeſtinauit,hos (tantum) vocauit. Rom.8.

2. Corinth.4. Quòd ſi opertum eſt noſtrum Euangelium, in iis qui pereunt opertum eſt, in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium, ne illuceſceret illis lumen Euangelij gloriæ Chriſti.

Tit.1. Fidem ſolidam & agnitionem veritatis dat ſolis electis, dicens: Paulus Dei ſeruus,ſecundum fidem electorum Dei,& agnitionem veritatis,quæ ſecundum pietatem eſt,in ſpem vitæ æternæ.

AT reprobi & hypocritę multi habent fidem,licet temporariam. Reſpondeo: Non eſt illa vera & ſolida fides. Qui enim vera & ſolida fide in Chriſtum credit, iam habet ius certum & immutabile vitæ æternæ: Iohan.6. Qui credit in me,habet vitam ęternam:id eſt,etſi non plenam poſſeſſionem,ius tamen certum,quòd infallibiliter plenam etiam poſſeſſionem habiturus ſit. Atqui reprobi non ſunt habituri vitam æternam,ideo nec ius ipſum habent:quare nec fidem veram. Manifeſta eſt ex iis Maior propoſitio: veram fidem, tantùm eſſe electorum: ac proinde qui veram habent fidem,eſſe electos. Subdat quiſque fidelis Minorem, dicendo: Atqui ſentio in corde meo, mihi affulſiſſe diuinam lucem ad Euangelij prædicationem,& donatam eſſe veram viuámque fidem: qua,cum antè in maximis eſſem tenebris, nunc video, ſolidéque ſentio mihi per Chriſtum, Deum factum eſſe patrem: & Chriſtum, meum video eſſe ſeruatorem, veréque pro me Patri ſatisfeciſſe: ita vt verè cum Paulo illud ſentiam, me poſſe dicere,quod eſt 2. Corint.4. Deus qui iuſſit de tenebris lucem ſplendeſcere, illuxit in corde meo, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei. Iam cum lux hæc in cordibus tantum electorum effulgeat, & fides hæc ſit duntaxat electorum: in me autem ſentiam hanc fidem, & lux hæc mihi affulſerit atque affulgeat: conſequitur ergo, me ad æternam vitam à Deo per Chriſtum gratis prædeſtinatum fuiſſe. Cur ergo dubitem de mei prædeſtinatione, ideóque de mea ſalute?

AT (inquiet aliquis) nemo poteſt certò cognoſcere,an præditus ſit vera fide, nec ne. Contrà docet Apoſtolus,non ſolùm ſuo exemplo,dicens, Scio cui credidi:ſed etiam exhortatione,cum ait 2. Corinth.13. Tentate voſmetipſos, an ſitis in fide:ipſi vos probate. An non cognoſcitis,quòd Chriſtus in vobis eſt: niſi fortè reprobi ſitis? Spero autem quòd cognoſcitis,quia non ſumus reprobi. Docet hic locus Pauli,primum: fidem,ideóque Chriſtum fide apprehenſum, non poſſe eſſe in reprobis: fidem igitur tantùm eſſe electorum. Deinde, Quemque, qui fidem habet,& Chriſtum in ſe,poſſe certò cognoſcere ſe habere fidem. Poſtremò: Debere quemque fidelem certò ſtatuere, ſe eſſe non ex reprobis, ſed ex electis. Si nemo poteſt certò cognoſcere, ſe præditum eſſe vera in Chriſtum fide: quomodo igitur Chriſtus adigebat homines ad confitendũ fidem,dicens: Credis? Quomodo etiam fideles poſſent reſpondere, Credo? dicendum potius eſſet, Neſcio an verè credam. 1. Iohan.3. Per hoc nouimus quòd habitat in nobis, ex Spiritu quem dedit nobis.

Patres etiam confirmant ſententiam noſtram.

Auguſtinus Tom.2. Epiſtola 112.cap.3.4.5. Fides ipſa (inquit) mente vtique videtur: quamuis hoc fide credatur,quod non videtur. Item: videt fidelis ipſam fidem ſuam, qua ſe credere, ſine dubitatione reſpondet. Item cap.4. Menti noſtræ

ræ (inquit) fides noſtra conſpicua eſt. Et cap. 5. Mente (ait) ipſam in nobis, qua credimus, fidem videmus.

SVMMA igitur argumenti eſt: Fides tantùm eſſe electorum. Quicunque fide præditus eſt, ſcire certò poteſt ſe fidem habere. Quiſque ergo fidelis concludere certò poteſt & debet, ſe eſſe ad vitam æternam electum. Hoc argumentum à poſteriori, quo confirmamus nos in fide, quòd ſimus prædeſtinati ad vitam æternã; ex primo verſu Eſaię colligimus: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: Ergo certiſſimè ſaluus eſt, & electus ad æternam vitam.

SECVNDVS prædeſtinationis effectus eſt, iuſtificatio. Roman. 8. Quos vocauit, hos & iuſtificauit. Quicunque iuſtificatus eſt: electus & prædeſtinatus fuit ab æterno ad iuſtificationem & ſalutem. Patet ex cathena Pauli indiſſolubili, Rom. 8. Quos prædeſtinauit, hos (ſolos) iuſtificauit, &c. Atqui ſentio (dicet fidelis) me eſſe iuſtificatum, mihi condonari peccata: & quidem verè poteſt hoc ſcire & dicere, qui fidelis eſt, quia fide iuſtificatur homo. Scit autem fidelis certò, ſe habere fidem. Ergo quî dubitare debeo, me eſſe ab æterno, ad æternam ſalutem prædeſtinatum? *Argumentum VII. 2.*

TERTIVS eſt, pax & gaudium in conſcientia, quo fideles mirabiliter exultant, ídque coram Deo, quòd videant ſe factos eſſe filios Dei. Rom. 5. Iuſtificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum. Ieſaias fructum hũc explicans dicit: Lætabuntur coram te, ſicut qui in meſſe, & qui diuidunt ſpolia. Gaudium hoc, & pax, propria eſt electorum: quia à iuſtificatione & fide, quæ propriæ ſunt electorum (vt vidimus) proficiſcuntur. *Argumentum IIX. 3.*

AB effecto illo, quo quiſque verè fidelis ſentit in ſeipſo, fractum eſſe per Chriſtum iugum peccati & mortis: item iugum, id eſt, duram exactionem & maledictionem legis: item virgam exactoris, id eſt, metum iræ Dei æternæ: item virgam, id eſt, tyrãnidem Sathanæ aduerſus nos: item tyrannidem mundi: ex eo inquam, quod quiſque fidelis ſentit reuera in ſe, fide & Spiritu & experientia, fracta eſſe per Chriſtum omnia hæc iuga, eo modo, quo ſuprà declarauimus, poteſt ſe confirmare in certitudine de ſui electione, ideóq; de ſua ſalute. Iuga enim hæc fracta non ſunt, niſi in piis & electis fidelibus. Reliqui adhuc ſunt ſub iugo peccati & mortis, ſub iugo & maledictione legis, ſub virga furoris Domini, ſub tyrannide Sathanæ & mundi. Ergo qui ſentit in ſe hæc eſſe fracta: concludat, ſe electum liberatumque per Chriſtum fuiſſe. *Argumentum IX.*

Quoniam puer natus eſt nobis: Argumẽtum eſt tale: Meſſias filius Dei, filiúſq; hominis, natus, & datus, & donatus eſt nobis, in noſtram certam ſalutem, vt nos tanquam mediator reconciliaret Patri, & ſua incarnatione, tota vita & morte nobis mereretur remiſſionem peccatorum, iuſtitiam, ſalutem, æternã vitã. Atqui non eſt datus & natus niſi electis, id eſt, in ſalutem electorũ, vt antè oſtenſum eſt. Ergo qui poteſt ſentire, ex & animo dicere hæc verba, Puer natus eſt mihi, & datus eſt mihi: ille cõcludat, Ego ſum ex electis, ideóq; ſalus mea certa eſt. At (inquies) verũ eſt, ſi fide perpetua illũ retineã. Verũ dicis. Sed tu debes de perſeuerantia propter Chriſtum eſſe certus, & dicere: Non dubito, quin perpetuo puer iſte conſeruaturus in me ſit fidem, qua illum retineam, ideóq; à ſalute nõ excidam. Nã mihi donatus eſt iſte filius, vt mihi totã ſalutem mereretur & donaret. Salus autẽ mea in fide perfecta, eáq; perpetua cõſiſtit. Dubitãdũ igitur nõ eſt, quin puer, qui datus eſt nobis, conſeruaturus in nobis ſit perpetuã fidẽ. Perpetua autẽ fides nõ niſi in electis eſſe põt. electũ igitur me eſſe cõfido, quia puer mihi datus eſt in ſalutẽ. *Argumentum X.*

Principatus Chriſti ſecurus eſt, & perdi nõ poteſt: quia eſt ſuper humerũ eius. Atqui nos ſumus principatus & regnum Chriſti: Ergo noſtra ſalus certiſſima. Fuit autem iſte principatus Chriſto præparatus ab æterno. Nos ergo prædeſtinati ſumus ab æterno, vt eſſemus regnum Chriſti, & Chriſtus in nobis regnaret. *Argumentum XI.*

Argumentum XII. CHRISTVS est Admirabilis, tum in sua persona, tum in nobis: hoc est, in regno suo administrando & regendo. In sua persona: quia mirabilis in incarnatione: humana enim natura diuinæ coniuncta est ὑποστατικῶς in persona filij, virtute Spiritus sancti. Mirabilis in natiuitate, in vita, in doctrina. Mirabilis, quia cum sit Deus & Rex regum, exhibuit se in forma serui hominibus, & habitu est inuentus vt homo, cum esset in forma Dei. Philip. 2. Denique in omnibus eius actionibus mirabile quiddam apparebat, & diuinum. Mirabilis in nobis: in nobis enim inhabitat verè, sed per fidem: Et cum in cælo sit corpore, tamen sese offert verè in verbo & Sacramentis: quanquam è cœlo non recedit. Facit in credentibus, vt cupiant omnibus benefacere: & tamen ab omnibus affliguntur. Mittit nos vt oues inter lupos, & tamen iubet vt simus fortes: immò facit reipsa, vt lupos non timeamus. Facit vt in mũdo pressuram habeamus: sed cor replet pace & gaudio: In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Facit, vt nihil habentes, omnia tamen possideamus. Nos quò plus diligit, eo magis castigat. Facit, vt simus omnium περιψήματα, & reiectamenta huius mundi: & tamen filij Dei sumus, & hæredes mundi. Permittit vt subinde labamur in peccata: vt inde surgamus humiliores: & donata resipiscentia, illa mox condonat. An non hæc est mirabilis ratio, qua suum administrat regnum Christus? Si igitur ita mirabiliter nos gubernat, vt licet videamur omnium miserrimi, simus tamen omnium felicissimi: & nihil minus videamur, quàm quòd simus hæredes mundi, cum tamen reuera simus: Dubitandum non est: quin etiam mirabili modo sit nos ad æternam vitam perducturus. Proinde dubium non est, quin simus electi.

Argumentum XIII. *Consiliarius.)* Hic puer, quia datus est nobis, datus est vt noster sit consiliarius. Consilium æternum nobis reuelauit: id est, voluntatem Patris hanc esse, vt habeamus vitam æternam: & consilium hoc, id est, Euangelium, insculpsit cordibus nostris. Ergo proculdubio habebimus. Item consiliarius noster est: ergo semper consulet nobis, & quidem efficaciter in cordibus nostris, ita vt faciat nos parêre suis sanis consiliis. Sic promisit per Ezechielem: Et faciam, vt ambulent in præceptis meis. Item, si consiliarius noster est, & quidem admirabilis: ergo pro consiliis capiendis nemo nobis adeundus est, nisi hic puer: tum in Scripturis: tum Spiritu in cælis, & per precationem.

Argumentum XIV. *Deus.* Puer iste declarauit se esse Deum, eúmque potentissimum. Cum autem datus nobis sit, vt nos seruet, & in eius manibus simus positi: salus ergo nostra tuta est, quia in manibus est huius pueri, qui Deus est. Huc illud Iohan. 10. Nemo potest rapere eas (oues meas) de manu mea. Quare? Quia Deus maior est (id est, potentior) omnibus. Et ex manu Patris nemo potest rapere quicquam. Ego & Pater vnum sumus, & eiusdem potentiæ.

Argumentum. XV. *Heros fortis.* Puer iste est heros, debellauit enim hostes nostros omnes. Atqui puer iste, & heros, noster est: quia nobis datus. Ergo etiam in nobis erit fortis heros: & sua virtute in nobis vincet mundum, & omnes hostes, vt non valeant nos expugnare. Huc illud Iohannis 16. Nolite timere, ego vici mundum. Philip. 4. Omnia possum in eo, qui me confortat Christus. 1. Iohan. 5. Hæc est victoria quę vincit mundũ, fides nostra, id est, Christus fide apprehensus, & fide in nobis habitans. Vbi ergo etiam venerit hora mortis, quando & Sathan, & peccatum, & horror mortis nos aggredientur, vt expugnent: timendũ nõ erit: Quia puer datus est nobis, qui & fortis heros est, & pro nobis fortiter dimicabit, & expugnabit hostes.

Argumentum XVI. *Pater æternus.* Puer iste datus est nobis, vt sit Pater, id est, princeps & Dominus noster, non ad certum tempus, sed in perpetuum, hîc & in cælo: Vnde & Pater æternus dicitur. Ergo & nos ad æternum eius regnum prædestinati. Proinde semper & æternùm nos reget hic Dominus, & pater: Et nos in perpetuo eius erimus regno cælesti. Salus erga nostra certa est.

Amplificationi principatus eius & paci nullus finis. Quæ de (*mem*) clauſo in (*Lemarbeh*) tradunt interpretes, non recito: legantur ipſi. Galatinus etiam tradit quædam de hoc (*mem*) clauſo: Legat eum qui volet, lib. 4. cap. 19. contra Iudæos. Ego ſimpliciter duo dixi hac litera clauſa in iſta dictione indicari. Primum, Vocationem gentium ad Euangelium, myſterium fuiſſe abſconditum. Quia enim hîc vaticinatur Propheta de amplificatione regni & Eccleſiæ Chriſti, quæ faciẽda erat vocatione & acceſſione gentium ad gratiã Euangelij: hoc autem abſconditum erat, & abſconditum manſurũ erat vſque ad Chriſtum: immò & poſt aſcẽſionem Chriſti in cælos, ad aliquod tempus: ideo Propheta myſterioſè hoc voluit innuere litera (*mem*) clauſa in medio dictionis, præter conſuetudinem linguæ ſanctæ. Hoc eſt, quòd Paulus, vocationem hanc gentium ad gratiam Euangelij, appellat ſubinde myſterium abſconditum à ſeculis, nũc autem reuelatum Apoſtolis. Deinde dixi hac litera clauſa hoc loco, vbi loquitur de amplificatione regni Chriſti, indicari regnum Chriſti clauſum eſſe oculis mundi, neque rem eſſe oculis carnis ſpectabilem: ſed tantùm eſſe in Spiritu. Nunc Eccleſia & regnum Chriſti non apparet, quale ſit, oculis mundi: & ita manſurum eſt in finem vſque ſeculi. tunc aperietur (*mem*) & apparebit gloria regni Chriſti. Itẽ addo hoc: amplitudinem regni Chriſti nunc etiam non apparere: clauſa eſt. Videtur enim Eccleſia eſſe puſillus grex, ſicut eſt reuera: comparatione regni Sathanæ: Sed tamen multò maior eſt regni Chriſti amplitudo, quàm oculis mundi appareat. Multi ſunt filij Dei diſperſi inter idololatras, Turcas, Iudæos, Papiſtas: qui tandem accedent ad regnum Chriſti, ſaltem in hora mortis: & horum acceſſione amplificabitur regnum Chriſti æternum & cæleſte. Hoc mundum latet in preſentia: ſed tandem aperietur (*mem*) amplitudo hæc apparebit. *Argumentum XVII.*

Locvs iſte, ſi nobis applicetur, magnam adfert conſolationem. Quot quæſo noſtrûm ſunt, qui verè pertinent ad regnum Chriſti, & quorum acceſſione amplificabitur regnum Chriſti, & qui verè ſunt prædeſtinati, & veri filij Dei, & qui reuera in cęlo triumphabunt cũ Chriſto? Nunc tamen non apparent, quales ſint. Clauſi ſunt in regno Chriſti: quia clauſum eſt (*mem*) viles ſunt, abiecti, contemtibiles, immò etiam peccatores, & pro ſceleratis & hæreticis habiti à mundo: Quare? Quia clauſum eſt (*mem*:) Sed tamen tandem aperietur, & apparebunt qui ſint iſti pauperes. Huc illud 1. Iohan. 4. Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus: ſed nondum apparuit quid erimus. Quaſi dicat: Noſtra filiatio abſcondita eſt, noſtra vita abſcondita eſt in Deo: noſtrum regnum, beatitudo, felicitas abſcondita eſt: & nondum apparuit quid erimus. Interim tamen certum eſt, nos eſſe filios Dei. Vnde certum eſt? Ex fide, qua cõiuncti ſumus cum Chriſto, & qua credimus nos in adoptionem filiorum ab æterno prædeſtinatos fuiſſe. Ergo (*mem*) regni Chriſti clauſum eſt in præſentia: ſed tunc aperietur, quando in fine ſeculi apparebit quid erimus. Sic ergo hac particula confirmemus nos in fide de æterna noſtri electione, ideóque de æterna ſalute, hoc modo: Non apparet quidem nũc noſtra æterna electio: ſumus tamen electi. Vnde ſcimus? Quia nunc filij Dei ſumus per fidem in Chriſtum. Item, quotidie amplificatur regnum Chriſti, & amplificationi huic nullus futurus eſt finis, donec totum impleatur. Non amplificatur autem niſi electorum acceſſione. Cùm ergo iam ſimus non ſolùm in, ſed etiam de regno hoc Chriſti, dubitandum non eſt, quin ſimus ex numero electorum, quorum acceſſione amplificatur regnum.

At ſumus peccatores. Reſpondeo: Si Deus hoc ſpectat: regnum Chriſti certè non amplificabitur: quia omnes peccatores. Neceſſe eſt autem vt amplificetur, quia amplificationi eius non eſt finis. Ergo electos de peccatoribus faciet iuſtos, propter Chriſtum peccatis condonatis. Peccata igitur non obſtant, quo minus

credamus nos esse electos ad amplificationem regni Christi. Fide fide retinendũ est verbum Euangelij,& res erit in vado. Si credendum est,multos,qui in præsentia extra Ecclesiam sunt,esse prædestinatos,& horum accessione amplificandum esse regnum Christi: cur non credemus, nos qui iam sumus in regno, ad hoc regnum fuisse electos, ideóque ad æternam vitam prædestinatos?

Argumentum XIIX. *Super solium Dauidis, & super regnum eius (sedebit.)* Duæ partes regni Dauidici: Vna temporalis & terrena: hæc erat illud regnum temporale, cuius sedes erat Hierosolymis. Supra hoc regnum non sedit Christus, quia: Iohan. 18. dicit. Regnum meum non est de hoc mundo. Altera spiritualis & æternæ: hæc erat Ecclesia, cum suo cultu & religione. huius etiam sedes erat Hierosolymis: Ibi enim tẽplum, verbum, Sacramenta. Vnde Iesai. 2. De Sion exibit lex,& verbum Domini de Hierusalem: & in diebus illis erit exaltatus mons Domini. Christus super hãc partem regni, seu in hoc regno sedit,& sedem etiam regni occupauit, id est, Hierosolyma: quatenus scilicet ibi cœpit prædicare, regnum reformare, & inde Euangelium in omnem terrarum orbem ad gentes colligendas emittere, vt est Luc. 24. Iussit pœnitentiam prædicari, initio ab Hierosolymis facto. Ideo vtrumque ait: Et super thronum, id est, sedem: & super (totum) regnum Dauidis sedebit.

Argumentum XIX. *Vt illud instauret & firmet in iudicio & iustitia.* Quidam exponunt iudicio, id est, punitione malorum: iustitia, id est, defensione & remuneratione bonorum: iis enim duobus regnum instaurari & conseruari. Nos simpliciter diximus: IVDICIVM est reformatio & renouatio, quæ fit cum ἀπαξίας autores expelluntur, & omnia in ordinem suum primum restituuntur, vt Iohan. 12. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foràs. IVSTITIA, executio & conseruatio institutæ reformationis, legum & ordinum in eo regno institutorũ. Sic igitur Christus regnum, id est, Ecclesiam, quæ tota erat corrupta & collapsa, tum quo ad externum cultum & religionem, tum quo ad internum, instaurauit primùm iudicio, id est, reformatione, expulsa scilicet falsa doctrina, inutilibus sacrificiis: & vera doctrina, verísque sacrificiis introductis. Deinde expulso Sathana è cordibus fidelium, & peccatis ablatis ac condonatis: & horum loco donato Spiritu sancto, suáque iustitia. Secundò instaurauit iustitia, executione & conseruatione ordinis instituti: id quod quotidie facit verbi prædicatione, Sacramentorum administratione, & operatione Spiritus S. in sanctis. Hoc eodem iudicio & iustitia regnum firmat in perpetuum. Iam hoc est iudicium Christi in suo regno reformando, vt omnis qui credit in eum, habeat vitam æternam: sine sacrificiis legalibus, sine operibus legis. Item, vt qui incipit semel vera fide in eum credere, fides in eo seruetur, nec penitùs deseratur, nec eiiciatur foras: vt ait Iohan. 6. Omne quod dedit mihi Pater, veniet ad me: & qui venerit ad me, ego eum nõ eiiciam foràs. Atqui nos in eum credimus: dubitandum igitur non est, quin pro sua iustitia velit fidem in nobis seruare, nec foràs nos eiicere, sed æterna vita donare: hoc enim iustitia ipsius postulat.

Argumentum XX. NVNC simpliciùs locum interpretor. Iudicium fit, cum vnicuique rependitur iuxta facta sua. Iustitia fit, cũ alicui, præter sua merita, aliquid boni præstatur: vt cum peccata condonãtur ex misericordia & gratia: iustitia enim sæpe capitur pro misericordia & gratia. Christus regnum suum instaurat iudicio, cum impios reprobos punit iuxta ipsorum merita, eos foràs eiiciendo: Sic Iohan. De iudicio autem arguet mundũ, quia princeps huius mundi iã iudicatus est. Iustitia instaurat, cũ prẽter ipsorũ merita, electorũ miseretur, & eos iustificat. Iudicio instaurat etiã, cùm ipsos electos propter sua peccata castigat: Iustitia verò, cùm eisdẽ facit misericordiam, eósq; seruat ex gratia. Hunc cursum seruat perpetuò Christus, in suo regno instaurando, & conseruando. Ergo suum regnũ instaurat in iudicio & iustitia.

iustitia. Proinde Paulus, quia sciebat Christum iudicio recto & prudenti cœpisse regnum suum in Philipp. instaurare, fidenter dixit Philip. 1. Qui incœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in diē Christi, id est, vsque in finem, donec sit absolutum. Sciebat Paulus hoc vaticinium Iesaiæ, quòd Christus regnum suum non solùm erat instauraturus, sed etiam firmaturus in perpetuū prò suo iusto iudicio & iustitia: ideo ab inchoato opere argumentatus est, ad eiusdem operis consummationem. Quare? Quia autor operis est Christus, qui prudenti & recto iudicio omnia facit. Ergo ab hoc loco Iesaię debemus confirmare nos in certitudine nostræ prædestinationis, eóque æternæ salutis, hoc modo. Quos Christus instaurat: hi ad regnum eius pertinent æternum. suum enim duntaxat regnum instaurat: vt docet Propheta. Atqui nos instaurat. Iam enim regenerationem in nobis inchoatam sentimus. Ergo ad illius regnum pertinemus æternum.

CHRISTVS regnum suum instaurat in iudicio & iustitia, id est, & indurando vlciscendo, forasque pellendo, quos vult, iuxta suum rectum iudicium: & miserando, saluandóque quos vult, iuxta suam iustitiam, hoc est, misericordiam. Nos autem instaurat in iudicio, cum quotidie castigat propter nostra peccata: & in iustitia, cùm nostri miseretur, & nos iustificat iustitia sua. Ergo nos sumus illius regnum, illúdque æternum. Item, Christus regnum suum nō solùm incipit instaurare, sed etiam illud firmat in perpetuum: id est, pergit quotidie, donec tandem cœptum opus perficiat. Sic enim habet vaticinium Iesaiæ, & Paulus confirmat ad Philip. Ergo cum nos inceperit regenerare, continuabit regenerationem, & firmabit, donec tandem perficiat. Salus igitur nostra certa est in Christo.

Zelus Domini exercituum faciet hoc. Deus ardenter, constanter ab æterno amauit nos. Sentimus enim in nobis ipsis amorem hunc Dei, quo nos in Christo amauit. Rom. 5. Diffusa est charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Atqui Deum amasse aliquem ab æterno in Christo, est, illum prædestinasse ad æternam vitam in Christo. Igitur electi sumus, & omnino habituri sumus vitam æternam. *Argumentum XXI.*

Item, Deus ardentissimè zelat gloriam suam, & eam alteri non dabit. Hæc autem ea est, vt ipse solus appareat, & sit Deus noster. Atqui gloria hæc integra Deo non manet, nisi nos seruet, & re ipsa declaret, se solum esse Deum, sicuti promisit Abrahæ dicens: Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Ergo omnes, quotquot fide in Christum, semen sumus Abrahæ, salui erimus. Zelus enim Domini faciet hoc: id est, non pro nostris meritis, sed pro suo erga nos amore, & pro sua gloria, seruabit nos.

HABEMVS ex hoc præsenti contextu Iesaiæ, media, quibus possit quisque fidelis seipsum confirmare in certitudine de æterna sui prædestinatione, ideóque de æterna salute. Neque enim quisquam certior fieri potest de sua æterna salute, nisi certior fiat de sui ad æternam vitam electione, vt antè ostendimus: quia salus solis ad salutem electis contingit.

QVISQVE igitur, cum audit Paulum dicentem, Elegit nos in Christo, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, &c. dicat cum ipso Apostolo ad Galat. Non abiicio nec volo abiicere hanc Dei gratiam, à qua omnes reliquæ gratiæ, & dona ad salutem pertinentia, pendent: æternam nimirum & gratuitam electionem, factam & constabilitam in Christo: vt non credam me quoque in ea contineri, à qua nemo excluditur, nisi qui sese per infidelitatem, eóque & per impœnitentiam, ac in peccatis pertinaciam à Christo excludit. *Eph. 1.*

DEVS igitur nos donet, & augeat vera fide, veráque resipiscentia, Amen.

DE CHRISTO ADVOCATO.

QVORVM ADVOCATVS SIT CHRISTVS:

EX TRACTATIONE DE CHRISTO ADVOCATO, *in illa verba, 1. Iohan. 2. Quòd si quis peccauerit, aduocatum habemus, &c.*

CAPVT IV.

QVORVM *nam verò est aduocatus?* Electorum tantùm: & omnium quidem etiam sanctissimorum. Iohan. 17. Non rogo pro mundo: ergo neque nunc intercedit pro mundo, sed tantùm pro electis. Rom. 8. Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus (est) qui iustificat: quis est qui condemnet? Christus (est) qui pro illis mortuus est, qui & sedet ad dextram Patris, & interpellat pro nobis: scilicet electis, de quibus antè dixerat, Quis accusabit aduersus electos Dei? Idem liquet ex contextu nostri Apostoli. Eorum est aduocatus, quorum etiam est ἱλασμός. Iohannes enim, quem dicit esse aduocatum nostrum, eundem ait esse ἱλασμὸν pro peccatis nostris. Est autem Christus ἱλασμὸς tantùm pro electis, qui credunt, aut crediturí sunt in eum. Ait enim Iohan. 17. Non rogo pro mundo, sed pro iis quos dedisti mihi. Pro quibus autem tantum rogauit: pro iisdem tantùm mortuus est. Ergo hic locus docet, Christum & mortuum esse pro solis electis, & orasse: ideóque & aduocatum esse duntaxat pro iisdem electis. Rom. 8. Quos præsciuit & prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, hos & glorificauit. Si ergo Deus pro nobis (scilicet electis, vocatis, iustificatis, de quibus paulò antè dixerat:) quis contra nos (electos, vocatos?) Qui & proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus (scilicet prædestinatis, vocatis) tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Sic Augustinus in Iohan. Tract. 45. Igitur etiam tantùm electorum aduocatus est. Tota Ecclesia Smyrnensis in Epistola de vita Polycarpi, ad omnes paræcias Ponti, quæ extat apud Eusebium in historia Ecclesiastica lib. 4. cap. 15. loquens de Christo ait: Qui pro totius seruandorum mundi salute passus est. Ergo nomine mundi, veniunt tantùm seruandi è mundo. Proinde cum ait Iohannes, Ipse est ἱλασμὸς pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro peccatis totius mundi: nomine mundi accipienda est potior pars mundi, id est, ipsi electi, qui vnquam fuerunt, aut futuri sunt in mundo. Quidam sic exposuerunt, vt pro mundo acceperint omnes promiscuè homines, etiam reprobos, immò etiam diabolos: ita concluserunt, omnes tandem saluatum iri. Hic fuit Origenes: sed hoc fuit impium somnium. Alij, nomine mundi omnes quidem promiscuè intelligunt, sed ita distinguunt: Christum quidem esse ἱλασμὸν pro omnibus sufficienter: sed tantum pro electis efficaciter. Hæc est vera doctrina: sed nihil ad locum præsentem Iohannis facit. Hic enim loquitur tantum hoc loco, de electis: seu de tota Ecclesia Christi, nimirum de iis qui student, innocentiæ & pietati. Ideo Augustinus hunc locum exponens ait: Pro peccatis totius mundi: cuius mundi? Illius (inquit) quem redemit. Sic Bucerus in Disputatione Ratisbonensi, de electis tantùm interpretatus est. Ambrosius Tom. 2. de Fide ad Gratianum, lib. 4. cap. 1. ad calcem: Si non credis (inquit) non descendit tibi, non tibi passus est. Ergo tantum pro credentibus passus est.

AT

At inquies: ait, Totius mundi: debemus autem ſtare τῷ ῥητῷ.

Respondeo: Eſt ſtãdum τῷ ῥητῷ: ſed cum dextra interpretatione, quæ non ſecum ferat abſurda. Sequuntur autem multa abſurda, ſi tales voces vniuerſales velimus ſemper ſimpliciſſimè, nemine excepto, accipere: & cogemur blaſphemare, diceréq; Deum mentitum fuiſſe: vt autem hoc abſit à mentibus & linguis piorum, ſeruanda eſt regula Ambroſij, Tom. 2. de vocatione Gentium lib. 1. cap. 3. Sepenumero pro parte terræ totam terram, pro parte mundi totum mundum, pro parte hominum omnes homines, in ſacra Scriptura nominari: ídque tam de piis, quàm de impiis cum loquitur. Eſt enim figura Synecdoche, qua totum pro parte capitur: Exempla, cum loquitur tantum de piis electis, Geneſ. 18. Benedicendæ ſunt in eo (ſemine Abrahami) omnes nationes terræ. Item 22. Omnes gentes terræ. Promiſſio eſt abſoluta: non tamen omnes benedicuntur in ſemine Abrahæ, ſed tantum filij promiſſionis, qui ſunt ex fide Abrahæ. Galat. 3. Apoſtolus exponit: Qui ſunt ex fide Abrahæ, ij benedicentur cum fideli Abraham. Ergo nomine omnium gentium, veniant tantum gentes electæ, neceſſe eſt.

Eſa. 40. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: id eſt, omnes ſubiicientur Chriſto, non tamen omnes ſubiecti ad ſalutem (vt ibi loquitur) ſed tantum electi. ſic ille exponit. Item 66. Et veniet omnis caro in conſpectu meo, vt adorent in Hieruſalem. Ierem. 31. de fide loquens, qua crediturí erant in Meſſiam electi, ait: Omnes cognoſcent me à maximo vſque ad minimum. Et Apoſtolus 2. Theſſal. 3. Non omnium eſt fides. Ioël. 2. Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem.

Pſal. 44. Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes colliſos: non tamen omnes ſubleuat. Iohan. 12. Omnia traham ad meipſum: id eſt, omnes ad me conuertam: non tamen omnes conuertuntur, ſed tantum electi. Rom. 5. Sicut per vnius delictum (ſcilicet propagatur malum) in omnes homines, in condemnationem: ita per vnius iuſtitiam (propagatur bonum) in omnes homines, in iuſtificationem: non tamen omnes iuſtificantur, ſed tantum electi. 2. Corinth. 5. Vetera tranſierunt, ecce fiunt omnia noua. Coloſſ. 1. Placuit per ipſum reconciliari omnia. non tamen omnes reconciliati, ſed tantum electi. Ideo ait Ambroſius ibi: Habet ergo populus Dei plenitudinem ſuam.

De impiis etiam tantum loquens, ſæpe in genere pronuntiat. Iohan. 3. Qui de cælo venit, ſupra omnes eſt, & teſtimonium eius nemo accipit: & tamen multi acceperunt.

Philip. 2. Omnes quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti, & tamen Paulus quærebat, quæ Chriſti. Apparet igitur, in Scripturis ſæpe neceſſariò haſce voces vniuerſales, omnes homines, totum mundũ, &c. accipiẽdas eſſe συνεκδοχικῶς, pro parte terræ, mũdi, hominum: modò pro omnibus electis, modò pro omnibus reprobis: Ideo ſubdit autor libri de Vocatione gentium, dicens: His igitur & aliis documentis, quæ poſſunt ab inquirentibus numeroſiora proferri, non dubiè demonſtratur, interdum & pro parte terræ omnem terram, & pro parte mundi totum mundum, & pro parte hominum omnes nominari. Hæc ille. Ergo cum ait Iohannes, Pro peccatis totius mundi: intelligitote, pro peccatis electorũ mundi. Quare cum tãtum pro electorum peccatis ἱλασμὸς ſit Chriſtus: etiã tantũ electorũ idẽ aduocatus eſt. Et certè nemo iure poteſt, aut debet offendi, hac noſtra declaratione, quòd ſcilicet Omnes, accipiamus pro omnibus electis, nõ autem pro omnibus in vniuerſum hominibus. Nam ſi dicas, qui dicit omnes, neminem excludit: viciſſim ego dicam, qui dicit Multos, aliquos excludit. Atqui in Scripturis ſæpe dicitur Chriſtus mortuus pro multis, ſanguis eius effuſus pro multis: Ego ſi ſtandum eſt τῷ ῥητῷ, cõcludo non eſſe mortuum pro Omnibus: quia dictio Multi, aliquos excipi demonſtrat.

AT, inquies, alibi dicit pro omnibus. Fateor. Quomodo ergo conciliabimus hæc loca? Certè neceſſe eſt, vt illi multi accipiantur pro iſtis omnibus: & iſti omnes, pro iſtis multis. Ideo Auguſtinus ait: Qui ſunt illi omnes? Iſti multi. Qui iſti multi? iſti omnes. Qui ſunt ij? Multi ex omnibus hominibus, id eſt, electi: & omnes iſti multi, id eſt, omnes electi. Ita de mundo: Mundus aliquando accipitur pro vniuerſo mundo, tam pro electis quàm pro reprobis: vt Iohan. 1. Mundus per ipſum factus eſt. Item Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum. omnibus enim obtulit Chriſtum. An non hoc eſt maximum dilectionis teſtimonium? Aliquando pro parte, id eſt, reprobis tantum: Iohan. 15. Ego elegi vos de mundo: Vos non eſtis de hoc mundo: Iohan. 17. Nō rogo pro mundo. Aliquando pro altera parte mundi, id eſt, pro electis: vt Ioh. 12. Nunc iudiciū eſt mūdi: id eſt, reformatio. Nunc princeps huius mūdi eiicietur foràs: id eſt, extra mūdū. Nū quid eiectus fuit extra cordā reprobatorū? Non, ſed tantum electorū. Ita hîc, συνεκδοχικῶς eſſe accipiendum totum mundū, pro parte, manifeſtum eſt. Ioh. 12. Totus mundus vadit poſt eum.

AT quomodo (inquies) eſt electorū, illorum etiā qui fuerunt à condito orbe, ἱλασμὸς: cum nōdum eſſet oblatum ſacrificium corporis Chriſti Deo: ἱλασμὸς autē ſit illud ſacrificium, per quod placatus eſt Pater? RESPONDEO: Diſcrimē eſt inter opus redemtionis, & inter vim redemtionis. Opus fuit certo tempori deſtinatum & definitum: ita vt neq; eis, neq; vltra illud tēpus perfici poſſet. Ideo Chriſtus ſæpe dicebat: Nōdum venit hora mea. Deinde cum eſſet tempus, noluit differre. Vnde dicebat: An non vis vt bibā illum? Itē: Nunc iudiciū eſt mundi, nunc glorificatus eſt filius Dei. Virtus verò redemtionis ad nullum certum tēpus fuit reſtricta, nec ab vllo tempore dependet: ſed à condito orbe communicata fuit electis. Huc illud Apocal. 13. Agnus occiſus eſt ab origine mundi. Et vltra tempus oblati ſacrificij extēditur in finem vſque ſeculi. Ideo non ait Iohan. Erat ἱλασμὸς: ſed, eſt, etiam nunc, & ſemper in finē vſq; ſeculi. Chriſtus in cruce, brachio vtroq; extenſo docuit, virtutē ſuæ paſſionis & crucis ſeſe extendiſſe & ad præteritos, qui fuerunt à condito mundo, vſq; ad ſe Chriſtū: & ad futuros, qui futuri erant in finē vſq; ſeculi poſt ſe. Quare? Quoniā virtus hęc ęterna fuit, & eſt. vnde Apoſtolus ad Heb. vocat eā æternā: Heb. 9. Chriſtus introiuit ſemel in ſancta, ęterna redētione inuēta. Quid autē eſt ęternū? Omnia cōplectitur tēpora, prętérita, pręſentia & futura. Ipſa autē crucis & ſacrificij Chriſti virtus eſt propriè illud, quod hic ab Apoſtolo ἱλασμὸς appellatur. Iure igitur ait Apoſtolus: Ipſe eſt ἱλασμὸς pro peccatis totius mūdi. Eſt illud totius mūdi, reſpicit omnia tēpora. Ergo Chriſtus aduocatus eſt tantū electorū. Origen. in Leuit. Pro illis tantū exorat Pōtifex & aduocatus & propitiator Chriſtus: qui ſunt ſors Domini, qui eū pro forib. expectāt: qui non recedunt à templo, ieiuniis & orationibus vacātes, &c. Quod verò omnium, etiam ſanctiſſ. ſit aduocatus, inde patet: Ioānes enim noſter ait, Habemus: nō, Habetis.

De peccatorum Remiſſione. An peccatorum remiſſio ſemel impetrata, poſſit fieri irrita: ex Tractat: de Remiſſione peccatorum, in illa verba 1. Ioan. 1. Fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata.

SEPTIMA quæſtio in hac tractatione de Remiſſione peccatorū, eſt: An peccatorum remiſſio ſemel impetrata, per alia inſequentia peccata, irrita fieri poſſit. Vna ex parte videtur poſſe fieri irrita, propter duos locos: quorum alter eſt in Ezech. 18. alter in Matth. 18.

Ezech. 18. Dominus poſtquam dixiſſet de impio, ſi ſe conuerterit ab impietate ad pietatem, illum victurum, & omnes præteritas illius iniquitates perpetuæ obliuioni mandatū iri: mox de iuſto ſubiecit: Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid viuet? Omnes

iuſtitiæ

iustitiæ eius quas fecerat,nunquam recolentur. Item cap.33. Sic ergo argumentantur:Propter insequentem iniquitatem,pręterita iustitia obliuioni mandatur. Ergo etiam propter sequentia peccata, præterita peccatorum remissio irrita fit. Matt.18.Serue nequã,nónne totũ debitũ remisi tibi?an non debuisses & tu misereri conserui tui?Et iussit eum cõiici in carcerẽ,&tradidit eum tortoribus,donec redderet vsque ad minimum quadrantem,&c.Sic & pater cælestis faciet vobis, si nõ remiseritis fratrib.vestris,de cordibus vestris. Sed altera ex parte omnino apparet,sententiam hãc totum euertere Euangelium.In hoc enim totum versatur, vt nobis in Christũ credentibus persuadeat,salutẽ nostram firmam esse,atq; constantem.Qui credit in me,habet vitã æternam. Item:Non venit in iudicium, sed trãsit à morte ad vitã.Atqui non potest nostra salus esse firma atq; constãs: si peccatorũ remissio sit incõstans,& fieri possit irrita.Quæ enim salus ibi fuerit,vbi remissio peccatorũ non sit?Ergo,ne vana sit tota Euangelij doctrina, peccatorũ remissio certa sit necesse est:& quæ peccata fuerũt semel remissa,ea remissa in perpetuum maneant oportet.Deinde certum est illud Apostoli Rom.11.Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.Ezech.18. Cũ impius conuersus fuerit ab impietate sua,omnium iniquitatum eius nõ recordabor amplius.Ergo remissa peccata non amplius veniunt in iudicium Dei,nec postulãtur ad pœnã. Deum remittere peccata,idẽ est,atque Deum peccata post tergum proiicere:Item, delere iniquitates vt nubem:Item proiicere peccata nostra in profundum maris.Legatur Esa. 38.ibi ait rex Ezechias:Proiecisti post tergum tuum omnia peccata nostra.Apud eundem 44.Deus ait:Deleui iniquitates tuas vt nubem,ô Israël.Mich.7.Reuertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.Quid sibi volunt hæ locutiones, nisi cũ Deus remittit peccata, ita ea remittere, vt perpetuæ tradat obliuioni: & ita ea dissipare, vt quasi in fumum, imò in nihilum redigat? Ac proinde quæ remittit peccata, in perpetuum remittere? Sunt hæc omnia certissima. Non potest igitur præteritorum peccatorum remissio, propter aliquod insequens peccatum fieri irrita.

Ad hãc quæstionem, & pro conciliatione horum locorum, quidam sic respõdendum esse cẽsent.Primò faciunt discrimen inter gratiã Dei, quæ nullas habet adiunctas conditiones (vt est illa,qua pluit super iustos & iniustos,& solem suum oriri facit super bonos & malos, &c.) & inter eam, quæ non nisi conditionaliter confertur:qualis est gratia remissionis peccatorum,&cõsequenter tota salus nostra, quæ non confertur nisi conditionaliter: nempe si confiteamur peccata, si proximo nos etiã remittamus,si in Christum constãter credamus. Quod ad primam gratiam attinet:illã semper esse & fore firmã,vsque in finem seculi,nec mutari posse.Quod ad secundam,aiunt faciẽdum esse alterum discrimen, nimirum inter Deum & nos.Quod ad Dei bonitatẽ,clementiã & fidẽ attinet:gratiã hanc, id est,remissionẽ peccatorum, & totã salutẽ esse firmã: quia Deus nõ mutat sententiã,suúmq; propositũ,& promissiones.Per illum igitur nõ stare,quin remissio peccatorũ semper sit firma & constãs.Et hoc concludi illis locis,quibus probauimus remissionẽ peccatorũ esse firmam & ratã:aiunt,nẽpe ex parte Dei.Ceterùm quod ad nos attinet,eam posse nostro vitio,nẽpe si non seruemus constanter, cõditiones,quas in remissione peccatorũ requirit Dominus, fieri irritã. Et hoc cõcludere illa loca,alterũ ex Ezech.alterũ ex Matt.desumta. Quod si dicas, si ita se res habẽt,quis ergo poterit seruari? Quis est enim qui non peccet? quis nõ delinquit in iis conditionibus,quas requirit Dominus? in resipiscẽtia vera & cõstante? in remittendis ex corde,iniuriis?Item,in fide?Si igitur peccatũ subsequẽs,præteritam peccatorum remissionem irritã facit, nemo certè seruari poterit. Respondent isti,faciẽdum esse tertiũ discrimen:nẽpe inter peccata, quæ per infirmitatẽ

carnis,à ſanctis admittuntur:& inter relapſum, quo prorſus à fide, ab Euangelio, à profeſſione & gratia Chriſti ad impietatē relabimur,& ibi immorimur. Quemadmodum etiam magnum diſcrimē eſt,ſordidare pedes poſt lauacrum: & aliud, poſt lauacrū prorſus redire ad lutum, & toto corpore in luto (ſicut loquitur Petrus) inſtar ſuum volutare ſeſe. Item,quemadmodum diſcrimen eſt inter peccata, quibus ſubinde offendit vxor maritum, & contra maritum peccat (id quod cadit in probas etiā,fidáſque vxores:) & inter peccatum, quo vxor fidem & vinculum matrimonij adulterando rumpit:id quod nō poteſt cadere niſi in perfidā. illis enim non ſe reddit coniugalis ſocietatis exortem vxor fida & honeſta:ſed tātum iſto:Sic etiam aliud eſſe, ſimpliciter peccare, etiamſi ex aliquo conſenſu: & aliud,prorſus à Chriſto & eius Euāgelio deficere,à gratia excidere,prolabi,Chriſtū rurſus crucifigendo,& ludibrio exponendo. Firmato hoc diſcrimine,dicunt: Primùm,peccata prioris generis cadere etiam in ſanctos. & de iis peccatis loquutum Iohānem,1. Epiſt. cap. 2. Sed etſi quis peccauerit,aduocatum habemus. Peccata verò poſterioris generis in reprobos tātum cadere: & de iis peccatis loquutum fuiſſe Heb. 6. & 10. Apoſtolum. Deinde dicunt: peccata igitur prioris generis,non facere irritam prēteritam peccatorum remiſſionem: ſed tantum peccata poſterioris generis. Et de iis poſterioris generis peccatis, Ezech. 18. loquutū fuiſſe,cum ait:Si iuſtus auerterit ſe à iuſtitia ſua, &c. Ibi enim loquitur de relapſu ad impietatem,in qua quis moritur. Summa iſtius reſponſionis eſt: Non quoduis peccatum, ſed tantum relapſum, quo quis à pietate prorſus ad impietatem relabitur, & in ea contemto Chriſto & eius verbo conſtanter perſeuerat: irritam facere præteritam peccatorum remiſſionem, & gratiam Dei extinguere.

2. Pet. 2.

A T verò,huiuſcemodi relapſum non cadere in electos, ſed tantum in reprobos. In reprobis igitur veram eſſe hanc ſententiam:peccatorum remiſſionem ſemel acceptam, fieri irritam, nimirum per huiuſmodi relapſus ad impietatem.

Etſi in his verbis permulta doctè & piè dicta continentur: ſententiam tamen ipſam, nempe præteritorum peccatorum remiſſionem ſemel impetratam, per inſequens peccatum,id eſt, relapſum, fieri irritam: probare ſimpliciter non poſſum. Contendo autem nunquam, & in nemine, & ob nullum peccatum, irritam fieri poſſe. Nam hæc remiſſio peccatorum ſi fiat irrita, vel fit irrita in electis, vel in reprobis. Non in electis: nam per ſolum relapſum, ſeu per ſolum peccatum in Spiritum ſanctum (vt iſti viri docti optimè ſentiunt) poteſt fieri irrita. Tale autem peccatum, per quod dicūt fieri irritam remiſſionem peccatorum ſemel impetratam,cadere nō poteſt in electos, de iſtorum etiam doctorum virorum ſententia. Electi enim nunquam peccant in Spiritum ſanctum, nunquam penitùs deſerunt Chriſtum, nunquam penitus abiiciunt fidem. Stat enim promiſſio de electis:Iere. 32. Dabo timorem meum in cor eorum,vt non recedant à me. Item ſtat illud firmum:Rogaui pro te Petre,vt non deficiat fides tua: Quod autem rogauit pro Petro, rogauit pro omnibus, qui erant in ſe crediturī: Sicut Iohan. 17. docet: Serua eos in veritate: ſermo tuus veritas eſt. Non tantum pro Apoſtolis hāc habuit orationem,ſed pro omnibus fidelibus electiſq;. Cum igitur peccatum tale,per quod remiſſio peccatorum poteſt fieri irrita, non cadat in electos: conſequitur, peccatorum remiſſionem non poſſe fieri irritam in electis. Hoc eſt extra controuerſiam.

Nunquam & in nemine, peccatorum remiſsio fit irrita.

A T ſi dicas,in reprobis fieri irritam:reclamat ratio,reclamant Scripturæ. Ibi enim non poteſt peccatorum remiſſio fieri irrita, vbi nunquam fuit impetrata. In reprobis nullum verè vnquam habet locum,peccatorum remiſſio:Ergo in reprobis nunquam fieri poteſt irrita. Quòd verò reprobi nunquam verè recipiant remiſſionem peccatorum, manifeſtum fit iis argumentis, à locis Scripturarum deſumtis.

Reprobi, nunquam verè peccatorū remiſſionem conſequuntur.

ARGV-

ARGVMENTVM primum ducitur à sanguine Christi, per quem fit remissio peccatorum. Sanguis Christi non est effusus, secundum propositum Dei, pro reprobis: sed tantum pro electis. Alioqui omnes seruarentur. Christus autem ait de suo sanguine: Hic est sanguis meus, qui pro vobis Apostolis, & pro multis (non ait, pro omnibus) effunditur, in remissionem peccatorum. Qui sunt isti multi? Electi. Etsi enim alicubi legas, Christum mortuum pro omnibus: illud Pro omnibus bifariam accipi potest: Primùm, pro omnibus hominibus, sed subintelligendum sufficienter (vt Scholastici interpretantur) non autem efficaciter. Nos verò loquimur de effusione sanguinis Christi efficaci ad remissionem peccatorum: hunc verò sanguinem ita effusum, efficaciam suam tantum habere in electis, contendimus. 1.

DEINDE, pro omnibus, id est, pro omnibus illis multis, ait Augustinus. Ergo reprobi nunquam recipiunt remissionem peccatorum.

SECVNDÒ, ab oratione Christi idem demonstratur. Illi nunquam impetrant remissionem peccatorum, pro quibus Christus non rogauit, nec rogat. Remissio enim peccatorum impetratur oratione, & intercessione Christi. Atqui Christus non rogauit, nec rogat, pro mundo: id est, pro reprobis. Iohan. 17. Item 1. Iohan. 2. Aduocatum habemus, nos scilicet electi fideles, ad quos scribitur. Ergo, &c. Et illud Rom. 8. apertum est: Quis intentabit aduersus electos Dei? Deus (est) qui iustificat (scilicet electos Dei:) quis est qui condemnet (scilicet electos Dei?) Christus (est) qui mortuus est (scilicet pro electis) immò verò qui etiam excitatus est: qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam postulat pro nobis (scilicet electis, de quibus perpetuò ibi loquitur:) pro solis ergo electis Christus & mortuus est, & intercedit, & solos electos Deus iustificat. 2.

TERTIÒ, à medio interno, per quod Deus remissionem peccatorum donat: nempe à gratia Spiritus sancti, seu ab illapsu Spiritus sancti in corda. In reproborum corda nunquam illabitur Spiritus sanctus, sua gratia. etsi enim aliqua luce illuminat illorũ mentes: nunquam tamen penetrat illorum corda. Alioqui fierent templum Spiritus sancti & membra Christi. Item qui sunt Christi, habent Spiritum Christi: & qui non sunt Christi, non habent Spiritum Christi. Atqui reprobi non sunt Christi, nec ad Christum pertinent. Ergo non habent Spiritum Christi. Non communicatur autem remissio peccatorum, nisi per Spiritum Christi. 3.

QVARTÒ, ab instrumento interno, quo recipitur remissio: id est, à fide. Remissio peccatorum non potest recipi nisi fide. Reprobi non habent vnquam veram fidem. Tit. 1. fides electorum appellatur. Rom. 10. Non omnes obediunt Euangelio. Item 2. Thessal. 3. Non omnium est fides. Quasi dicat: Est tantum electorum. Actor. 13. Crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Ergo, &c. 4.

QVINTÒ, à consequentibus remissionem peccatorum: & primùm ab ipsa regeneratione. Quibuscunque peccata remittuntur, ij etiam emundantur ab omni iniquitate: id est regenerantur & purgantur. 1. Ioh. 2. vtrumque enim coniungit, dicens: Fidelis est, & iustus, vt remittat peccata, & emundet nos ab omni iniquitate. Reprobi nunquam purgantur à peccatis: id est, nunquam regenerantur, aut fiunt filij Dei. Id quod euincitur ex 3. cap. huius epistolæ: Qui natus est ex Deo, non peccat: & non potest peccare, peccatum scilicet ad mortem, de quo Heb. 6. & 10. & per quod sententia prædicta contendit irritam fieri posse remissionem peccatorum. At reprobi peccant hoc modo, & tale admittunt peccatum. Ergo non sunt nati ex Deo: ac proinde sequitur, illis nunquam remitti peccata. Si autem illis non remittuntur vnquam peccata: ergo peccatorum remissio non potest in illis fieri irrita: vbi nulla vnquam fuit. 5.

SEXTÒ,

6. SEXTÒ, ab alio consequenti, hoc est, à pace conscientiæ. Qui habet remissionem peccatorum, iustificatus est: & iustificatus pacem habet cum Deo. Rom. 5. Reprobi nunquam habent talem pacem conscientiæ apud Deum. Vnde Propheta: Non est pax impiis, dicit Dominus. Ergo, &c.

7. SEPTIMÒ, ab alio consequenti remissionem peccatorum: nempe à iure & possessione æternæ vitæ. Qui remissionem peccatorum impetrat, ius etiam æternæ vitæ recipit: & qui ius recipit, tãdem in possessionem ingrediatur necesse est. Atqui reprobi nunquam habent ius, neque possessionem æternæ vitæ. Ergo, &c.

8. REMITTERE peccata, & iustificare: item remissionem peccatorum consequi, & iustificari: idem sunt. Rom. 4. de iustificatione loquens, citat dictum Psal. 32. Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Quicunque autem iustificãtur, etiam glorificantur: Rom. 8. At reprobi non glorificantur, non igitur iustificantur: quare nec remissionem peccatorum consequuntur vnquam.

AT excipies: Quomodo dicis, reprobos nunquam recipere gratiam Dei, Spiritum sanctum, remissionem peccatorum, cum Heb. 6. Apostolus sic dicat: Impossibile est, eos qui semel illuminati sunt, gustauerúntque donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, &c.

RESPONDEO: Discrimen est inter dona Spiritus sancti, simpliciter, & dona Spiritus sancti regenerantis. Huius nunquam participes fiunt reprobi: & de hoc non loquitur ibi Apostolus. Sunt alia Spiritus sancti dona, vt illuminatio mentis: hanc damus. Item Apostolus ait: Gustauerunt, non autem, comederunt, deglutiuerunt, in ventriculo retinuerunt: sed tantùm gustauerunt. Faciũt igitur reprobi, sicut quidam, qui panem quidem oblatum, aut vinum, gustant: sed mox exspuunt, nec traiiciunt in stomachum, ideo illis non potest prodesse. Hic panis est Christus, vinum est sanguis Christi. Gustant sæpè reprobi dulcedinem etiam Euangelij, remissionis peccatorum, habent mirabiles gustus spirituales: sed nihil traiicitur in cordis ventriculum. Ergo hic locus non concludit, reprobos vnquã habuisse, aut habere posse Spiritum regenerationis & veram fidem. De fide autem temporaria damus: sed ea non est vera, neque iustificans fides.

QVOD verò ait Petrus, 2. Pet. 1. de reprobis hypocritis, qui cognitionem Christi iactant, sed veram Christi cognitionem non habent, cum neque veræ cognitionis fructus habeant: eos oblitos esse, sese à veteribus peccatis fuisse purgatos: iuxta consuetudinem Scripturarum intelligendum est, quæ sæpè solent iuxta iudicium charitatis, omnes illos qui baptismum suscipiunt, & dant nomen Christo, etsi hypocritica præditi sint fide, appellare sanctos, electos, iustos, peccatorũ remissionem consecutos, à peccatis ablutos: quia tales esse iudicat Ecclesia, licet coram Deo tales reuerà non sint. Nunc ad illa duo suprà citata Scripturarum dicta respondeo.

Primùm ad illud Ezech. 18. Sciendum est, ibi Dominum loqui de vera & perfecta conuersione impij, ab impietate ad pietatem, ita vt in ea constanter perseueret in finem vsque, cum ait: Si conuersus fuerit impius, vita viuet: omnium iniquitatum non recordabor. Ea enim est nota veræ conuersionis, si duret vsque in finem. Ita etiam cum ait, Si iustus auersus fuerit à iustitia, &c: de perfecta auersione à pietate ad impietatem loquitur. ij enim soli sunt, qui morte æterna moriuntur. Notandum præterea est, ibi non loqui de veris iustis coram Domino: ij enim (vt Scripturæ docent) nõ possunt æterna morte perire: de hoc autem iusto in Ezechiele ait, Morietur. Deinde verè iustorũ memoria non perit corã Domino: Psal. In memoria æterna erit iustus. De hoc autem iusto in Ezechiele sic ait Dominus: Iustitiæ quas fecit, non recolentur. Item, verè iusti nõ possunt recedere à iustitia, eo modo quo hîc loquitur Dominus: nẽpe per relapsum, qui est peccatum

catum in Spiritum ſanctum. Loquitur ergo de illis, qui videntur iuſti coram hominibus: de quibus Chriſtus alibi, Matth. 9. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Illud tertiò notandum: Solis remiſſa eſſe peccata, qui ſunt verè iuſti coram Domino: & contrà, illos ſolos eſſe verè iuſtos, quibus condonata ſunt peccata, cum vera iuſtitia ſita ſit in remiſſione peccatorum. Hæc cum ita ſe habeant, apparet, non poſſe hinc colligi, remiſſionem peccatorum ſemel impetratam, per inſequentem iniquitatẽ, irritam fieri poſſe. Nã tales iuſti, de quibus hic loquitur, cum non ſint verè iuſti coram Domino: nunquam remiſſionem peccatorum obtinuerunt, vt antè demonſtrauimus. Ergo non poteſt irrita fieri, quæ nulla eſt.

SED eſto, loquatur de verè iuſto, cui remiſſa ſunt peccata: hinc tamen nihil concluditur. Quare? Quia conditionaliter loquitur. Si (inquit) iuſtus auerterit ſe, &c. Conditionalis autem (vt Dialectici loquuntur) nihil ponit in eſſe. Nõ ſequitur: igitur ſe auertit verè iuſtus, à iuſtitia ſua, &c. Poteſt quidem auertere ſe, ſpectata eius natura: ſed ſpectata Dei promiſſione, qui de verè iuſtis pronuntiauit, Ierem. 32. Dabo timorem meum in cordibus eorum, vt non recedant à me, non poſſunt ſe auertere ea auerſione, de qua hic loquitur: perfecta ſcilicet; & finali. At, Quare ergo ſic loquitur Dominus, ſi non poſſunt per Dei gratiam auertere ſe? RESPONDEO: Duabus de cauſſis: tum vt illos doceat, quid ſibi faciendum ſit: nempe perſeuerandum in iuſtitia, & nullo modo ad iniquitatem declinandum: tum, vt eos in timore retineat. Hoc facit bifariam. Primùm, oſtenſa illorum imbecillitate, quod ſcilicet ſuapte natura faciles ſint ad hunc relapſum, à pietate ad impietatem: Deinde, patefacta ſua ira aduerſus eos, qui ſic prolabuntur: nimirum ſe illos æterna morte plexurum. Timor autem hic vtilis eſt ſanctis: quia hoc tanquam freno retinentur in officio & vera pietate, & ita cum timore & tremore ſuam operantur ſalutem, vt ad Philip. 2. Apoſtolus faciendum eſſe docet. Sed prior reſponſio, vera eſt reſponſio, ſumta ex genuina verborum Prophetæ intelligentia.

AD illud Matth. 18. Notandum primùm, parabolas & ſimilitudines non ita eſſe rebus, quarum declarandarum cauſſa illæ proponuntur, accomodandas, vt debeant cum rebus ipſis omni ex parte conuenire: alioqui non eſſent parabolæ, ſed res ipſæ. Spectanda ſemper eſt mens illius qui parabolam proponit, in quem finem proponat, & quid velit: alioqui multa abſurda conſequerentur. Cum igitur hæc ſit parabola, non debemus ſingula parabolæ verba, ad rem, de qua loquitur Chriſtus, nimis argutè accommodare, vel potius torquere: ſed ſpectanda eſt Chriſti mens & propoſitum. Docuerat, condonandas eſſe fratribus iniurias, ſeu debita. Mox ſubiecit hanc parabolam, ad ſuum propoſitum confirmandũ, & declarandum. Hac igitur parabola docet neceſſarium eſſe, vt qui volunt ſibi à Deo debita remitti: ipſi quoq; fratribus debita cõdonent. Hæc enim parabola primò proponit exemplũ regis, qui cõdonauit ſeruo debitum. Docet igitur, nos habere Dominũ cæleſtem, clementẽ & facilimũ ad condonanda peccata: ſed ita, vt cum non ſimus ſoluendo, ea nobis condonari petamus. Proponit deinde exemplũ famuli, qui non condonauit conſamulo ſuo: & verba regis, An nõ debuiſti & tu cõdonare conſeruo tuo? Docet igitur, Deũ à nobis exigere, vt viciſſim fratribus veniã petentibus iniurias condonemus: & debita, cum non ſunt ſoluendo, remittamus. Subdit poſtremò, regẽ iuſſiſſe ingratũ famulum tradi in manũ tortoris, &c. Propoſita verò parabola mox Chriſtus, quid ſibi illa voluerit indicare, explicat dicẽs: Sic & Pater cęleſtis faciet vobis, ſi nõ remiſeritis quiſq; de cordibus veſtris. Ex iis verbis nõ debet inferri, Deum igitur peccata iam condonata iterum nobis imputaturũ, & ea puniturũ: quia pugnat hæc doctrina cũ apertis Scripturarũ teſtimoniis, vt patet. Sed vnũ cõcludit, idq; conditionaliter: niſi igitur & nos remittamus

tamus fratribus, daturos nos grauissimas pœnas, idq; (vt hoc demus ἐκ τῆς ὑστερο-χῆς) in carcere inferni. At quomodo potest hoc fieri, si iam condonata sunt nobis peccata? RESPONDEO: Quia si non remittimus, testimonio est, nobis quoque non fuisse remissa: cum nostra fraternarum iniuriarum remissio, effectus sit remissionis diuinæ, qua nobis nostra remisit peccata. Summa: Voluit Christus ostendere, illos falli, qui putant sibi remissa esse peccata à Deo: cum tamen interim ipsi non remittant fratribus.

ETIAM sic dici potest: Christum voluisse docere hac parabola, quid nobis futurum foret, si Deus summo iure vellet nobiscum agere, cum non remittimus fratribus ex corde puro: nempe id quod etiam illi ingrato famulo. Iure enim posset Deus omnia à nobis repetere debita. At nõ sequitur, illud ergo fieri. Quis enim est nostrûm, qui etsi remittit iniurias, remittat tamen ex tam puro corde, quàm Christus exigit? Nobis tamen dubitandum non est de remissione peccatorum nostrorum.

AD id, quod dicunt isti doctissimi virĩ, pro conciliandis iis Scripturarum locis, qui videntur pugnare: Etsi remissio peccatorum fit irrita, quia tamen non fit vitio Dei, sed nostro: iccircò loca Ezechielis & Matth. 18. non pugnare cum aliis locis, quibus probatur remissio peccatorum esse rata & firma: hæc enim intelligi de firmitate remissionis peccatorum, quò ad Deum, & respectu Dei. RESPONDEO: Hoc modo loca illa, meo iudicio, nõ conciliari. Etenim si potest fieri irrita quouis modo, nempe vitio nostro: ergo Deus peccata semel obliuioni tradita, in memoriam reuocabit: id est, puniet. At ipse ait absolutè, Non recordabor amplius. Non ait, Nõ recordabor amplius, nisi vos iterum peccetis: neque ait, Quod ad me attinet: sed absolutè pronuntiat, se non amplius recordaturum.

DEINDE, Quæ erit certitudo nostræ salutis, & condonatorum peccatorum, & quòd Deus non puniet nos propter illa: si remissa peccata, iterum in iudicium & ad pœnam reuocari possunt?

TOLLITVR etiam discrimen inter legem & Euangelium. Quod autẽ est discrimen? Hoc, quòd in lege, & per legem offertur salus, sed cum operum cõditione. In Euangelio, certa, sine conditione: tantummodo recipiamus illam. Quomodo? Fide. Vbi? In cor apertum & dilatatum per contritionem. Si igitur remittuntur peccata cum hac conditione, nimirum si non amplius peccemus: quòd si peccemus iterum, illa antè condonata, in iudicium productum iri: relapsi sumus ad legem. Præterea si talis conciliatio valet, nos quoque de lege sic possumus dicere: certam esse salutem & iustificationem ex lege, quod ad Deum attinet, quia per eũ non stat, quin iustificemur ex operibus legis: sed vitio nostro fieri, ne iustificemur. Et hoc verum est. Si autem idem etiam dicimus de Euangelio, remissionem quidem peccatorum esse firmam & certã respectu Dei: sed nostro vitio fieri, vt iterum imputentur, & salus sit incerta: Quod igitur erit discrimen inter Euangelium & legem? In lege, & per legem, salus & iustitia, ac gratia Dei nobis erat incerta, non rata, non firma: idque vitio nostro. Differt autem in hac re Euangelium à lege. Ergo in Euangelio iustitia, salus, remissio peccatorum, gratia Dei, nobis in Christum credentibus est certa, firma, constans, nec potest fieri irrita: quia pendet ex gratia Dei, sine respectu & conditione nostrorum operum. Illud igitur constanter aio, remissionem peccatorum, in quibus locum habuit semel, in eis semper esse firmam & ratam, nec ob vllum peccatum in eis posse fieri irritam: Quia electi peccatum illud, per quod irrita fieri potest, nunquam admittũt. Reprobi verò, nunquam ipsam peccatorum remissionem verè consequuntur. Illud verò addo nouorum peccatorum nouam semper remissionem electis esse petẽdam, & impetrandam. Multi quoque Patres, & inter Scholasticos præcipui, non

solùm

solùm mecum sentiunt: sed etiam multis, & firmissimis quidem illis rationibus, hanc nostram sententiam probant, atque confirmant. Scio quàm magni sint viri, qui diuersam sententiam defendunt: & illos obseruo, atque suspicio. Cæterùm quia nihil dicendum aut docendum est, contrà quàm sentias aut credas: idcirco (sine vllius tamen præiudicio) meam volui hac de re, cãdidè atque apertè explicare sententiam: meliorem amplexurus, si melior demonstrabitur. Quanquam (vt liberè quod sentio dicam) si bene altera sententia intelligatur, agnoscetur nihil à nostra differre: nisi in hoc, quòd illi volunt, ipsos quoque reprobos, sua fide temporaria, remissionem peccatorum assequi. De electis enim nulla inter illos & me est controuersia. Cæterùm cum isti quoque doceãt & scribant, fidem temporiam non esse veram & iustificantem fidem: cõsequitur, de istorum etiam doctorum virorum sententia, reprobos temporarios non consequi verè remissionem peccatorum, nempe coram Deo: quare neque verè irritam in eis fieri posse, vbi verè nulla est. De iudicio autem Ecclesiæ, alia est quæstio: sed ea ad præsentem locum non pertinet. De septimo igitur capite, hæc dicta sunt.

DE STVDIO CHRISTIANI HOMINIS: in cap. 2. Epistolæ D. Iohannis, in illa verba:

Τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε.

IN hac prima parte, summam totius doctrinæ Christianæ complectitur Apostolus. Duo enim sunt studia Christiani hominis, in quæ tota tendit Christiana doctrina: studium innocentiæ, ac sanctitatis: & studium fidei, ac pietatis.

STVDIVM innocentiæ voco, studium vitandi peccata, & faciendi bona opera, denique studium diuinæ legis implendę. Studium pietatis appello, studium fiduciæ, de remissione peccatorum, déq; æterna salute consequenda, in vnum verum Deum, & in vnum IESVM CHRISTVM collocandæ & firmandæ: denique studium amplectendi & retinendi Euangelij fide.

IN hæc duo studio resolui totam Scripturã sacram, hinc manifestum est. Vniuersa enim Scriptura (vt scitis) secatur in duas partes, in Legem & Euangelium Lex docet, quid voluerit & velit Deus nos in suum honorem facere: nempe & vitare malum, & facere bonum. Euangelium docet, quid Deus ipse voluerit & velit in nostram salutem præstare: nempe & ab omni malo liberare, & veris cælestibúsque bonis cumulare vtrunque autem per Christum. Illa requirit à nobis obedientiam mandatorum: hoc verò fidem promissionum. Hinc surgit vtrumq; studium, nimirum innocentiæ & pietatis: seu, & obedientiæ in legem, & fiduciæ in Christum. Sunt autem hæc duo studia ita simul coniuncta, vt vnum sine altero esse non possit. Nam neque lex, quæ vetat iniusta, & mandat iusta, sine fide Euangelij, id est, sine fiducia in Christum, verè vel fieri vel impleri à nobis potest: neque Euangelium, sine obedientia legis: seu fides in Euangelium, sine charitate in Deum & proximum, sinéque charitatis officiis, vllum potest in nobis solidum habere locum. Quare qui innocentiæ studet, Euangelium, seu Christum in Euangelio, amplectatur: & rursus, qui fide Christum amplectitur, in studium legis, seu in studium operum fidei incumbat, eámque in Christum fidem, operibus fidei testificetur, omnino necesse est. In his autem sita est tota doctrinæ Christianæ summa.

HÆC tria tradit hîc Apostolus in prima huiusce capitis parte. Primò docet,

ſtudium innocentię, id eſt, vitandi peccata, & ſanctitatem conſequendi, finẽ eſſe, ad quem non ſolùm ipſe hac Epiſtola, ſed tota diuina Scriptura, nos Chriſtianos vocat & ducit. Hoc docet, cum ait: τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε: hoc eſt, Filioli, hæc ſcribo vobis, vt ne peccetis. Docet igitur, Chriſtiano homini, qui iam remiſſionem præteritorum peccatorum conſecutus eſt: deinceps in primis ſtudendum eſſe peccatis vitandis, & innocentiæ aſſequendæ: & huc totam Epiſtolam, imò vniuerſam Scripturam ſanctam ſpectare. Proinde hæc eſt ceu totius Epiſtolæ propoſitio: Hæc ſcribo vobis, vt ne peccetis. Hoc eſt primum.

Cæterùm, quia iuxta etiam doctrinam huiuſce noſtri Apoſtoli, in capite præcedenti traditam, fieri nullo modo poteſt, vt quandiu ſumus in hac carne corrupta, non peccemus: iccirco quódnam remedium huic malo adhibendum ſit, docet: nimirum ſtudium pietatis, ſeu fides in Chriſtum aduocatũ noſtrum & ἱλασμὸν pro peccatis noſtris. Hoc docet, cum ait, καὶ ἐάν τις ἁμάρτῃ, παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα, Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον. Docet igitur, electis, fidelibúſque, ad quos ſcribit, etſi, dum ſtudent innocentiæ, ſubinde præter ſuum animi propoſitum peccant: non propterea tamen de ſui ſalute vllo modo eſſe dubitandum. Quid ita? Quoniam eum, quem ſemel habuimus redemtorem IESVM Chriſtum, eundem perpetuò habemus iuſtum aduocatum: noſtram ſcilicet iuſtam cauſſam & iuſtiſſimè & efficaciſſimè agentem: ídque non apud inimicum vel ſibi vel nobis. ſed apud eum, qui & ipſi aduocato, & nobis reis pater eſt, & clementiſſimus & iuſtiſſimus: ita vt nec (quæ ſua eſt paterna clementia: eſt enim Pater) velit, nec (quæ ſua eſt iuſtitia: eſt enim Deus) poſſit, nos electos fideles, quíque ſtudemus innocentiæ, propter hæc, in quæ quotidie præter Spiritus noſtri ſententiam labimur, peccata, perdere & exhęredare: propterea quòd, qui noſter eſt aduocatus Chriſtus, idẽ etiam eſt ἱλασμὸς, id eſt, plena & perfecta ſatisfactio pro peccatis noſtris, & omnium, qui fuerunt aut futuri ſunt in mũdo, electorum. Hoc eſt alterum, ſtudium ſcilicet pietatis, id eſt, fidei, certæq; de noſtrorum venia peccatorum, ideóque de ęterna noſtri ſalute propter Chriſtum, noſtrum & ἱλασμὸν & aduocatum iuſtum, fiduciæ: imò (vt ipſe Apoſtolus vocat) ſcientiæ. Ecce igitur duo ſtudia, in quæ Chriſtiano homini ſemper eſt incumbendum: ſtudium innocentiæ, ac ſanctitatis: & ſtudium fidei, ac pietatis.

Cęterùm, quoniam multi hoc alterum ſtudium, nempe pietatis & fidei, quam cognitionem & Dei & Chriſti appellat Apoſtolus, ſeparant à priore, dum quidam iactant pietatem & fidem, Dei nimirum & Chriſti cognitionem: & interim tamen nil curant primum ſtudium, vitandi ſcilicet peccata, ſeruandíque legem Dei (quales erant tempore Iohannis Carpocratiani, & alij multi) iccirco tertio loco docet Apoſtolus, hoc ſtudium pietatis cum ſtudio innocentiæ, ſeu fidem cũ obedientia mandatorum Dei: & cognitionem Dei ac Chriſti, cum eiuſdem Dei dilectione & Chriſti imitatione, ita eſſe coniunctam, vt illa ab hac ſeparari nullo modo queat. Hinc igitur facilè agnoſci poſſe, in quo nã verè ſit pietatis ſtudium: nimirum in eo, in quo etiam apparet eſſe verum innocẽtiæ ſtudium: ſeu, eum verè cognoſcere Deum, qui legem Dei ſtudeat ſeruare, eúmque verè in Chriſtum credere, qui Chriſtum ſtudeat in obedientia legis diuinæ imitari. Hoc tractat Apoſtolus illis verbis: καὶ ἐν τούτῳ γινώσκομεν, ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτὸν, ἐὰν τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηρῶμεν. ὁ λέγων ἔγνωκα αὐτὸν, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ μὴ τηρῶν, ψεύστης ἐστὶ, καὶ ἐν τούτῳ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἔστιν. ὃς δ' ἂν τηρῇ αὐτοῦ τὸν λόγον, ἀληθῶς ἐν τούτῳ ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ τετελείωται. ἐν τούτῳ γινώσκομεν, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐσμεν. ὁ λέγων ἐν αὐτῷ μένειν, ὀφείλει, καθὼς ἐκεῖνος περιεπάτησε, καὶ αὐτὸς οὕτως περιπατεῖν. Hæc eſt ſumma totius huiuſce primæ partis, imò ſumma totius Chriſtianæ doctrinæ. Diligenter ergo (vt ad quartum gradum noſtræ methodi veniamus) ſingula hæc tria capita, imò & ſingula verba, ſunt nobis explicanda.

QVOD

QVOD ad primum, quod est de studio innocentiæ, vitandorúmque peccatorum, ait: τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε. Christiani, quà homines sunt, filij sunt Adæ, & filij hominum: qua Christiani, regeniti per Spiritum sanctum, primò & propriè filij Dei sunt. Iohan. 1. Secundò & impropriè, filij etiam eorum, quorum opera Deus ad eos regignendos est vsus, dicuntur. Sic Galat. 4. quia Paulus eos tanquam Dei minister regenerauerat in filios Dei, sua verbi Dei prædicatione: ideo eos suos vocat filiolos 1. Corin. 4. idem docet, idem Apostolus, dicens: Corinthios posse quidem dicere, se habere multos pædagogos, sed multos patres non. Quare? Quia (inquit) ego ipse per Euangelium vos genui. In hunc sensum etiam Iohannes, eos, ad quos scribit, fideles, vocat τεκνία. non simpliciter ait τέκνα, filij: sed in diminutiuo, τεκνία. Quasi dicat: nuper in salutem geniti filioli. Plus enim teneri amoris exprimunt hæc diminutiua, quam sua positiua: vt corculum, ocellus, animula, filiolus. Hac ergo voce suum tenerum erga fideles amorem exprimere, & ita beneuolos attentósq; eos sibi reddere voluit Apostolus. Dum enim nos vocat filiolos, docet se paterno erga nos amore affectum esse: proinde se non posse tradere nobis doctrinam, nisi salutarem. Docet hîc, quali amore pastores debeant esse erga suos populos affecti: nimirum paterno, & paternum affectum illis non tantum verbis, sed reipsa & officiis significare, vt reuerà eos possint filiolos appellare.

NVNC videamus, quàm salutarem doctrinam adferat hic bonus pater, suis filiolis. τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε. In hoc totus est iste bonus Pater, ísq; senex, vt filiolos suos retrahat à peccatis. Proinde docet, hoc primum esse debere bonorum filiorum studium, nimirum vt studeant peccatis vitãdis, innocentiæque, quantum per Dei gratiã in hac carne licet, recuperandæ. Propterea hanc quasi totius Epistolæ propositionem proponit, dicens: τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε. Atque huc etiam spectat illa prima propositio, quam toti suę Epistolę præfixerat, dicens: θεός ἐστι φῶς, καὶ σκοτία (id est, vt Scholiastes ait μηδὲ ἄγνοια, μηδὲ ἁμαρτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν ἀδημία. Quæ est ratio huius Apostolicæ propositionis? Hæc, quoniam hanc Epistolam iccirco ad nos scripsit, vt communionem habeamus cum Deo & Christo: & ita gaudium nostrum sit plenum perfectúmq;. Hoc in procemio suæ Epistolæ præmiserat. Communionem autem cum Deo habere non possumus, si in peccatis perseueremus, seu si in tenebris ambulemus. Hoc etiam antea demonstrauerat. Est enim Deus lux purissima καὶ σκοτία (id est) μηδὲ ἄγνοια μηδὲ ἁμαρτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν ἀδημία. Nulla autem est conuentio luci cum tenebris. Ergo quicunque communionem habere vult cum Deo, peccare desinat necesse est. Videmus igitur in quem finem proponat hanc propositionem, totusque in hoc sit Apostolus, vt retrahat nos à peccatis, & ad studium innocentiæ ac puritatis impellat: nimirum vt hac ratione perfectam cum Deo habere possimus communionem, ideóque perfectum gaudium.

Commodum autem, imò necessariò, iis quæ scripsit in primo capite, subiecit hanc propositionẽ: τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε. Duo. n. præcipuè scripserat. Primùm, officio legis functus, docuerat, omnes homines quamuis sanctissimos, conclusos esse sub peccato, & neminem esse qui non peccet. Et hoc, cùm dixit: ἐὰν εἴπωμεν, ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν, ἑαυτὸς πλανῶμεν, καὶ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν. Deinde cùm caput concludit, dicens: ἐὰν εἴπωμεν ὅτι οὐχ ἡμαρτήκαμεν, ψεύστην ποιοῦμεν αὐτὸν, καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν. Hoc fuit proprium legis officium: per legem enim cognitio peccati. Hoc est primum. Alterum quod scripserat, fuit proprium Euangelij. Docuerat enim, gratiam & misericordiam Dei per sanguinem Christi omnibus peccatoribus esse expositam: ita vt si nos tantùm confiteamur peccata nostra, Deus mox pro sua fide & iustitia, ea nobis omnia sit gratis condo-

naturus. Hoc est alterum. Ex vtroque potuissent permulti maiorem peccandi licentiam sumere. Ex primo quidem sic: Non possumus carere peccato: Ergo si peccemus, non simus admodum hac de re solliciti, neque angamur animi. Quid enim? Volumus ne pro ea re animo cruciari, quam vitare non possumus? Ita studium vitandi peccata potuissent negligere. Ex altero verò hoc modo: Misericordia Dei exposita est omnibus: & modò confiteamur peccata nostra, ille (quæ sua est fides & iustitia) ea nobis propter sanguinem Christi remittet. Ergo nihil refert si peccemus. nam remissio peccatorum semper est in promptu: imò bonũ est peccare, vt & nos habeamus quod confiteamur, & gratia Dei inueniat in nobis quod remittat. Iohannes igitur, cui optimè nota erant carnalia hominum ingenia, occurrit, & ait se in longè alium finem hæc scripsisse & scribere, quàm vt huius scriptionis occasione peccatis laxentur frena: se potiùs scribere hæc, vt non peccetur. Ideo ait, Hæc. Quæ? Primùm, quòd scripsit, nos huius esse naturæ (nempe corruptæ) vt nemo sit, qui possit vnquã dicere, se esse sine peccato. Hoc in hunc finem scripsit, vt agnita nostræ carnis infirmitate, & ad peccandum propensione, cautiores simus ne peccemus, néve carni nostræ obtemperemus: tantum abest vt propterea debeamus studium vitandi peccata remittere. Deinde, quòd scripsit de misericordia Dei omnibus exposita, ita vt, modò confiteamur peccata nostra, ille mox ea remittat: hoc non in hunc finem nobis scripsit, vt nobis peccandi licentiam concedat: Absit: sed contra potiùs, vt per veram resipiscẽtiam, accepta peccatorum remissione, deinceps à peccatis, quoad eius fieri potest, abstineamus. Deinde, vt si forsan nostram incessat mentem aliqua diffidentiæ, ac desperationis, propter admissa peccata, tentatio: illam mox, spectata Dei misericordia, à nobis depellamus: & sic, ne cùm alia admiserimus peccata, in hoc etiam peccati genere, id est, in diffidentia & desperatione, peccemus: quo peccato nullum grauius inueniri potest. Si enim post alia peccata hoc etiam admittamus, vt desperemus de misericordia Dei, nec fidamus Christo: fit vt reliqua etiã omnia imputẽtur, & præcludamus viam ne alia remittãtur. Et propter hoc ait Christus, Arguet mundũ de peccato, quia non crediderũt in me. Si verò post admissa reliqua omnia peccata, saltem seruemus præceptum, de fidendo Dei misericordiæ & Christi meritis: reliqua omnia peccata remittuntur. Facit ergo hæc doctrina, de misericordia Dei omnibus exposita, nõ huc, vt laxet frena peccatis, sed magis huc, vt à præteritis peccatis liberemur, & præceptum de spe salutis in misericordia Dei collocanda non transgrediamur, & ita vt verè non peccemus.

VIDEMVS nunc, quàm commodùm Iohannes iis, quæ suprà dixerat, tum de peccatis nostris, déque nostra ad peccandum propẽsione, tum de sanguine Christi peccata abluente, déque misericordia Dei ad peccata remittenda omnibus exposita: subiecerit hanc propositionem, τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε.

FACIT Iohannes, vt bonus medicus erga ęgrotum. Esto ægrotus, qui semper aliqua febri, vt est hectica, laboret: & eam ipse ægrotus non sentiat. Medicus illum curaturus, duo facit. Primùm, proponit ægroto suum malum: & docet, eum febre ossibus inhærente ita laborare, vt nunquam possit dicere, se esse sine febri. In quem finem hoc facit? Non certè vt ægrotus desperet & dicat: Quandoquidem sum ita ægrotus, vt nunquam sim sine aliqua febri: ergo quidquid arriserit palato, etiamsi noceat, comedam ac bibam. Minimè: sed in hunc finem facit hoc primũ officiũ medicus, vt ægrotus spectato suo morbo graui, sinat securari: & studiosiùs caueat sibi ab illis rebus, quæ ipsũ morbũ magis ac magis grauare possũt. Admonet igitur illũ suæ febris continuæ, ne in maiorẽ incidat febrim, & pereat. Ita Iohan. admonet nos peccati perpetuò nobis inhærẽtis, & in sui obsequiũ trahentis,

hentis, noſtræque ad peccandum propenſionis: In quam verò finem? vt ſimus cautiores, ſtudioſiúſque caueamus ne peccemus. Deinde aliud officium faciet medicus ille. Oſtendet ægroto, quódnam ſit præſentiſſimum remedium aduerſus febrem illam: illúdque ei præſcribet & dabit, dicens: Ne dubites, vtere ſemper hoc medicamento, quod ſemper tibi ad manum erit: & non morieris. In quẽ finem hoc alterum facit officium? Non certè vt ægrotus per hoc præſentiſſimum medicamentum factus ſecurus, licentiam ſumat, edendi, bibendi & agendi quiduis, etiam ſi noceat, & ita ſeſe in grauiorem morbum conijciat: ſed cõtrà, vt ſpe ſanitatis, propter oblatum & in promptu poſitum medicamentum concepta, partim ſtudioſiùs abſtineat ab illis, quæ febrim accendunt, partim continuo medicamenti vſu magis quàm antea valetudinem curet. Quare finis eorum omnium, quæ & dicit & facit medicus erga hunc ægrotum, eſt, ne grauiùs ægrotet, néve moriatur, ſed ſanetur & viuat. Ita facit Iohannes. Nunc tenemus quorſum præcedenti doctrinæ ſubiecerit hanc concluſionem dicens: τεκνία μου, ταῦτα γράφω ὑμῖν, ἵνα μὴ ἁμάρτητε. Qua concluſione, & eorum quæ dixit, & totius Epiſtolæ finem eſſe, vt ne peccemus, docet.

Hoc eſt primum ſtudium hominis Chriſtiani: ſtudium ſcilicet vitandi peccata, & ſanctitatis innocentiæq; recuperandæ.

Παρέκβασις De vitandis peccatis, ſeruandaq; lege Dei.

QVONIAM verò hic locus inſignis eſt, de ſtudio vitandi peccata: liceat nobis, eum fuſiùs explicare, & oſtendere, ſtudium hoc vitandi peccata, & ſanctitatis atque innocentiæ promouendæ, non ſolùm Epiſtolæ Iohannis ſed omnium etiam Scripturarum, imò & omnium operum Dei, quæ pro nobis egit & agit, finem eſſe. Multi ſunt fines Scripturarum & operum Dei: quorum primus ac præcipuus eſt ipſius Dei gloria: alij verò ſunt fines ſecundarij: qui omnes tamen ad hanc gloriam Dei promouẽdam ordinantur. Inter hos primum locum tenet ſtudium ſanctitatis & innocentiæ. Sicut igitur Iohannes dixit, Hęc ſcribo vobis, vt ne peccetis, Quaſi dicat: ſed vt ſanctitati & innocentiæ ſtudeatis: ſic ego ex illa hypotheſi hanc generalem theſin colligo: Quæcunque in diuinis literis ſcripta ſunt, in hunc finem à Spiritu ſancto ſcripta ſunt, vt ne peccemus, ſed vt ſanctitati & innocentiæ ſtudeamus. Quare hoc ſtudium innocentiæ & ſanctitatis, finis eſt Scripturarum. Idem enim finis fuit reliquis ſcriptoribus omnibus, tam Prophetis quàm Apoſtolis in ſuis ſcriptis, quàm etiam Iohanni in hac Epiſtola: fuit enim etiã omnibus idem dictator Spiritus ſanctus. Finis autem in hac Epiſtola Iohanni fuit, vt ſtudeamus peccatis vitandis, & ſanctitati, ſeu bonæ conſcientiæ in nobis conſeruandæ: Hæc (inquit) ſcribo vobis, vt ne peccetis. Studium igitur ſanctitatis & innocentiæ, finis eſt, in quẽ omnes Scripturæ tendunt. Sed hoc melius apparebit ſi totam Scripturam in ſuas partes ſecemus, & quódnam cuiuſq; partis officium, quíve finis ſit, videamus.

TOTA ſacra Scriptura (vt noſtis) ſecatur in Legem & Euangelium. hiſtoriæ enim omnes vel ad legem, vel ad Euangelium pertinent.

LEX, dum docet quid vitandum, quídve agendum ſit, tam in ijs quæ Deum, quàm quæ proximum & nos ipſos ſpectant: quid aliud docet quàm innocentiam & ſanctitatem; & in quem alium finem tendit, quàm vt & peccatis vitãdis, & ſanctitati innocentiæque ſtudeamus? Declina à malo (inquit) & fac bonum. Hac ſua de malo vitando bonóque faciendo doctrina, ſeu de peccatis fugiendis, iuſtitiáque & ſanctitate perſequenda, tria nos docet Lex. Primò, quales fueri-

mus, à Deo ſcilicet creati: ſecundò, quales iam ſimus, in noſtra natura: tertiò, quales eſſe debeamus. Finis autẽ horum trium vnus eſt: nimirũ vt & peccatis vitandis, &, innocentiæ conſequendæ perpetuò incumbamus, bonámq; conſcientiam retineamus. Primò docet, quales fuerimus, ſcilicet à Deo creati: nempe iuſti, innocentes, ſancti. Docet enim nos tales fuiſſe, quales iam docet & iubet nos eſſe. Iubet autem nos eſſe ſanctos, innocentes. Docet igitur nos fuiſſe innocentes. In quem finẽ hoc docet? Vt affecti deſiderio prioris innocentiæ, ei recuperandæ ſtudiũ continenter nauemus. Secundò docet, quales ſimus in præſentia, in noſtra natura: nimirum peccatores, impuri, Lernę malorum omniũ. Ro. 3. Per legẽ enim cognitio peccati. Quorſum hoc? Vt exoſi peccatũ, quod in nobis per Legem videmus, illúdque deteſtati, confugiamus ad Chriſtum: quò ab eo liberemur, & veram iuſtitiam ac ſanctitatem induamur: & vt cognita noſtræ carnis imbecillitate, malitia, & ad peccandum propenſione, ſtudioſiùs peccata caueamus, néue noſtræ carni fidamus. Ideo Paulus ait Galat. 3. Legem pædagogũ fuiſſe ad Chriſtum. Tertiò docet, quales eſſe debeamus: Quales? Quales eramus initiò ante peccatum, innocentes, ſancti. In quem finem? Vt huic innocentiæ & ſanctitati recuperandæ, diligẽtem perpetuámque nauemus operam. Ideo ait: Et quid Deus vult à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & (ſicut in Deuteronomio ſcriptum eſt) ſerues mandata eius? Quorſum igitur ſpectet Lex, & quis ſit eius finis, videmus: nempe vt ne peccemus, ſed ſanctitati ſtudeamus. Ideo 1. Timoth. 1. Finis (inquit) Legis charitas de corde puro, &c.

Evangelivm verò quid docet? quídue annuntiat? Cùm nos non potuiſſemus per opera Legis iuſtificari? Chriſtum filium Dei incarnatũ, paſſum mortuúmque eſſe pro peccatis noſtris: pro nobis ſatisfeciſſe, nos per illum redemtos, remiſſionémque peccatorum conſequutos eſſe. In quem finem hæc annuntiat Euangeliũ? Vt præteritorum peccatorũ remiſſione & Spiritu ſancto per Chriſtũ donati, deinceps vitemus peccata, & Legem Dei implere ſtudioſiùs curemus. Lucæ 1. Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit & fecit redemtionem plebi ſuæ, (Quorſum?) Vt ſine timore de manu inimicorũ noſtrorũ liberati, ſeruiamus illi, in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtri. Tit. 2. Apparuit enim gratia Dei ſaluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatẽ & ſecularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo, exſpectantes beatã ſpẽ, & aduentũ gloriæ magni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti: qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorẽ bonorũ operũ. Locus Pauli ad Ro. 6. perſpicuè quod dico demonſtrat, & docet: Quod enim hîc facit Iohãnes, fecerat idem Paulus in Epiſtola ad Romanos. Primùm officio legis functus, cõuicit omnes homines peccati? omnes enim peccaſſe, & egere gratia Dei. Deinde officium Euangelij fecit, docens, miſericordiam & gratiam Dei omnibus credentibus expoſitam eſſe in ſalutem, omnéſque fide iuſtificari: imò vbi abũdauit delictum, ibi ſuperabundare & gratiam. Tertiò: Quoniam hac doctrina abuti potuiſſent carnales homines ad maiorem peccandi licentiã, dicentes: Benè, peccemus igitur, vt gratia abundet: iccirco Paulus occurrit, & docet ſe in longè alium finem, hanc Euangelij doctrinam de gratia Dei ſcripſiſſe, quàm vt licentiam Romanis daret peccandi: imò in hunc finem, vt ſemel in Chriſto per fidem mortui peccato, non amplius viuant in illo: id eſt, ne amplius (vt hîc loquitur Iohãnes) peccent. Ideo ait cap. 6. Quid igitur dicemus? Manebimus in peccato, vt gratia abundet? Abſit. & adfert ibi duo præcipua argumenta, quibus docet, ex ea doctrina de gratia Dei nõ poſſe colligi, eſſe igitur peccandum: ſed contrà potiùs, non eſſe peccandum. atque ita docet, Euangeliũ & gratiam Euangelij

eò

eò ſpectare, vt ſemel mortui peccato, non amplius illi ſeruiamus: ſed reſuſcitati cum Chriſto, in nouitate vitæ ambulemus. Vtrunque autem argumentum ἐμφατικῶς proponit, & egregiè amplificat. Primum fuit: fide Euangelium amplexi acceſſimus ad Chriſtum, & mortui ſumus peccato, (nam per fidem in Euangelium, peccato morimur coram Deo) atque ita mortui ſumus, vt etiam ſimus ſepulti: id quod Symbolo Baptiſmi teſtificamur. (hanc amplificat;) Qui autem mortuus eſt alicui, non poteſt amplius, nec debet ei ſeruire. (Concludit per interrogationem, dicens,) Qui igitur mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? Hoc eſt primum argumentum.

ALTERVM ibi tractat: Quid igitur? Peccabimus, quia nõ ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit. An neſcitis, quòd cui accommodatis vos ipſos ſeruos ad obediendum: eius ſerui eſtis, cui obeditis: ſiue peccati ad mortem, ſiue obedientiæ ad iuſtitiam? &c. Argumentum tale eſt: Illi ſeruiendum eſt, in cuius ſeruitutem nos addiximus, & cuius facti ſumus ſerui. Atqui liberati à peccato per Chriſtum, facti ſumus ſerui iuſtitiæ: idque per doctrinam Euangelij, fide receptam. Ergo nõ eſt ampliùs ſeruiendum peccato, ſed iuſtitiæ. Ex hoc Pauli loco ſatis abundè patet Euangelium in hunc finem annuntiari & prædicari, vt mortui peccato, non ampliùs viuamus in illo: ſed iuſtitiæ, innocentiæ, & ſanctitati, nouæque vitæ perpetuò ſtudeamus. Huc etiam reſpicit tota lex, cùm nihil aliud doceat quàm innocentiam & ſanctitatem. Ergo finis non ſolùm epiſtolæ Iohãnis, ſed totius Scripturæ, eſt, vt ne peccemus, ſed innocentiæ & ſanctitati incumbamus.

NEQVE verò hoc ſtudium finis tantùm eſt totius Scripturæ ſanctæ: ſed etiam finis eorum omnium, quæ Deus & Chriſtus pro nobis egit, & agit.

PARTIOR autem hæc opera Dei in tria genera, in opera creationis, conſeruationis, ac gubernationis: deinde, in opera redemtionis per Chriſtum factæ: denique, in opera communicatæ redemtionis & gratiæ. Quod ad primum operum genus attinet: creatus fuit mundus: idque propter hominem. & hoc in quem finem? Vt homo hinc agnoſcat Deum, & agnitũ glorificet. Rom. 1. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciũtur: ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt ſint inexcuſabiles: Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerũt, aut gratias egerunt. Quomodo glorificatur Deus? obedientia legis ipſius, ſanctitate ſcilicet & innocentia. Ergo ſtudium ſanctitatis & innocentiæ, finis vnus eſt, propter quem mundus creatus eſt. Fuit item homo creatus ad imaginem Dei, in iuſtitia & ſanctitate: Eph. 4. Cur? vt in ea ſeruaret ſe, & glorificaret Deum.

Mũdi creatio.

Hominis creatio.

POSTQVAM peccauit: peccatum à Deo punitur. Hoc tum in electis, tum in reprobis apparet. puniuntur enim peccata. Quis finis? vt cum in ſeipſis, tum in aliis agnoſcant, peccatum Deo diſplicere, & ita illud fugiant, & diſcant obedire Legi Dei.

Punitio peccati.

ITEM, Æternæ damnationi adiudicauit Sathanam, & reprobos impios. Quis finis? Vt Electi inde diſcant non peccare: & ſi peccent, reſipiſcere, obediréque legi Dei.

Aeterna damnatio diaboli.

NON ſtatim ſemper punit Deus peccata, ſed differt. In quem finem? Vt homines ad hanc Dei patientiam reſipiſcant, diſcántq; non peccare. Rom. 2. An ignoras, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

Patientia Dei.

BENEFACIT Deus omnibus etiam reprobis. Matth. 5. Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Quorſum? Vt inde diſcamus eſſe perfecti, benefacere omnibus, etiam inimicis. Matth. 5. Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt: qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos: & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.

Beneficentia Dei.

Promißiones. Opera redemtionis eodem ſpectant. Cur enim poſt peccatum adiecit promiſſiones, de redimendo humano genere per Chriſtum, idque gratis? Ne deſperemus de miſericordia Dei, & ſic tanquam deſperati proiiciamus nos in omne vitiorum & ſcelerum genus: ſed contrà, ſpe veniæ peccatorum concepta, reſipiſcamus.

Lex in Sina. Cvr dedit deinde Legem in monte Sina, inſtituit Eccleſiam: dedit Prophetas: per eos eam rexit, gubernauit vſque ad Chriſtum, modò peccata puniendo, modò reſipiſcentium gratis miſerendo? Vt modò timore Dei affecti, abſtineremus à peccati: modò miſericordia & gratia ſuffulti & adiuti, in ſanctitatis ſtudium neruos intenderemus.

Vita Chriſti. Tandem venit Chriſtus, ſubiicitur Legi, viuit ſanctè & inculpatè, ait ſe non veniſſe ſolutum Legem, ſed impletum, obediens eſt Patri in omnibus, idq; vſque ad mortem: nempe etiam, vt eius exemplo diſceremus, & peccata vitare, & Legi Dei obtemperare. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis. Et qui dicit ſe in eo eſſe, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Finis ergo vitæ, & conuerſationis, & obedientiæ Chriſti non poſtremus, eſt, vt nos quoque peccatis vitandis, & ſanctitati legíque implendæ operam demus. Curat ægrotos, ſuſcitat mortuos, paſcit famelicos: in quem verò finem? Præter alios fines, vti erat doctrinæ confirmatio, hic etiam vnus fuit: vt homines, agnita tanta Dei erga ſe bonitate, & certiores facti, ſuorum malorum cauſſam fuiſſe peccatum: deinceps ſtuderent peccatis cauendis. Ideo ait paralytico: Vide ne ampliùs pecces, ne fortè tibi aliquid deterius contingat. Remittit peccata: certè, ne ampliùs peccemus. Ideo adulteræ ait: Nemo te condemnauit? nec Ego: vade in pace, & noli ampliùs peccare.

Patitvr ſupplicium crucis propter nos: Primò, vt nos eriperet à ſupplicijs æternis: Deinde etiam in exemplum, vt tum propter Deum, tum propter proximum non grauemur omnia mala perferre, & demittere nos ad omnia erga proximum obſequia. Philip. 2. Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Iesv: qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. 1. Petr. 4. Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armemini: quia qui paſſus eſt in carne, deſijt à peccatis: vt iam non deſideriis hominum, ſed voluntate Dei, quod reliquum eſt in carne viuat temporis. Item, vt crucifigamus carnem noſtram cum vitiis & concupiſcentiis eius. Orat pro iis, qui ſe cruci affixerunt: vt doceat abſtinendum à vindicta, & omni peccato. Moritur: Non tantùm vt liberaret nos à morte, ſed etiam vt nos peccatis moriamur: Roman. 6. Sepelitur: vt nos quoque cum eo peccatis mortui ſepeliamur. Roman. 6. Conſepulti eſtis cum eo per baptiſmum in mortem. Reſurgit in nouam vitam: vt & nos in nouitate vitæ ambulemus. Roman. 6. Quemadmodum Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Mittit Apoſtolos in vniuerſum mundum, prædicatum Euãgelium, & remiſſionem peccatorum: vt ea accepta, deinceps caueremus à peccatis, ſtuderemúſque mandatis Chriſti ſeruandis. Ideo dicit, Euntes in vniuerſum mundum, prędicate Euangelium, baptizantes eos, & docentes ſeruare quæcunque præcepi vobis. Aſcendit in cælum: non ſolùm vt appareret vultui Dei pro nobis, ſed etiam vt noſtros Spiritus in cælum à terra eleuaret, vitámque cæleſtem agere diſceremus. Coloſſ. 3. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram. Paulus hoc faciebat: Conuerſatio (inquit) noſtra in cælis eſt. Denique prędixit ſe venturum iudicatum viuos & mortuos, & red-

redditurum cuique iuxta opera sua: Vt demus operam vitandis peccatis, & bonis operibus faciendis: quando secundum ea quisque est iudicandus.

Quid opera communicatæ redemtionis? eundem finem. spectant.

HÆC opera quatuor vocibus complectitur Apostolus Rom. 8. prædestinatione, vocatione, iustificatione, glorificatione.

ELEGIT nos Deus in Christo ab æterno: & ad redemtionem, quę futura erat per Christum, participandam prædestinauit. In quam finem? Ephes. 1. Paulus docet: Elegit nos, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Itē: Ipsius factura (seu figmentum) sumus, creati in bonis operibus, quæ præparauit vt in iis ambulemus. Electio igitur huc respicit, vt incumbamus in studium vitandorum peccatorum, & faciendorum bonorum operum. & reuerà qui sunt electi, hoc facient. *Electio.*

VOCAT ad Christum efficaciter: Vt Christo incorporati, iustitiæ & innocentiæ sanctitatisque illius participes fiamus: nō solùm per imputationem, sed etiam per realem communicationem 1. Thessal. 4. Non enim vocauit vos Deus in immunditiem, sed in sanctificationem. *Vocatio.*

DONAT fidem qua vocanti assentiamur: Primùm, vt per eam possimus iustitiæ Christi imputatæ fieri participes: Deinde, vt legem seruare possimus, & iustitia legis impleatur in nobis. Rom. 3. Legem ergo destruimus per fidem? Absit: imò stabilimus. Cur item scribit suam legem in cordibus nostris? Vt nos faciat ambulare in mandatis suis, id est, vitare peccata, & seruare mandata. Ieremias & Ezechiel: Dabo leges meas in corda eorum, & faciam vt ambulent in præceptis meis. *Fides.* *Lex in corde.*

IVSTIFICAT, peccatis condonatis, & facit nos mori peccato, seruos factos iustitiæ: Vt non ampliùs seruiamus peccato, sed exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ in sanctificatione. Rom. 6. *Iustificatio.*

INSTILLAT in nos suum Spiritum: vt facti membra Christi, & templum Spiritus sancti, deinceps caueamus corpora nostra peccatis polluere: 1. Cor. 3. An nescitis, quòd corpora vestra templum sunt Spiritus sancti? Qui autem violauerit templum Dei, perdet eum Deus. *Spiritus sanctus.*

IMMITTIT in nos sui timorem: vt non recedamus ab eo per peccata. Ierem. 32. Dabo timorem meum in cor eorum, vt non recedant à me. *Timor.*

QVIDQVID in Ecclesia instituit, vt prædicatio, Sacramenta, preces, disciplina: quò illud spectat? Huc certè, vt quotidie admoneamur, moriendum esse peccato, viuendum autem Deo: nec admoneamur solùm, sed etiam ad hoc faciendum trahamur.

QVORSVM denique glorificatio spectat? vt tandem perfectè liberati à peccato, ne ampliùs peccemus, sed verè legem Dei de diligendo Deo & proximo, perficiamus. 1. Corinth. 15. Tunc erit Deus omnia in omnibus: quia nihil erit in nobis peccati, quod pugnet cum Deo Deíque voluntate: sed pleni perfectè Dei Spiritu, & quasi essentia diuina, erimus perfectissimè conformes diuinæ voluntati. Ergo erit Deus omnia in omnibus.

VIDEMVS igitur studium innocentiæ & sanctitatis, seu innocentiam & sanctitatem ipsam, finem esse, in quem Scripturæ, & in quem omnia Dei opera, tam creationis, quàm redemtionis & communicatæ gratiæ ordinata sunt. Quare huc huc omnes sunt nerui intendendi, vt studeamus peccatis vitandis, & sanctitati innocentiæque recuperandæ.

ATQVE

ATQVE hæc omnia dico vobis, vt ne peccetis. At si quis per infirmitatem peccet (non possumus autem non peccare, quamdiu sumus in hac carne) quid fiet? Sequitur: Quòd si quis peccauerit: aduocatum habemus apud Patrem, IESVM Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

HIERONYMI ZANCHII AD CALVMNIAS QVASDAM, CONTRA SE PARtim voce sparsas, partim scriptis consignatas, RESPONSIO.

De fine seculi.

QVÒD docuerim, nondum instare finem seculi: Calumnia est. Docui: Non posse sciri certò, quãdo futurus sit: fortè citiùs, fortè etiam tardiùs futurum, quàm homines putent.

De Antichristo.

QVÒD docuerim, Antichristum, de quo Daniel & Apostolus, non esse pontificem Romanum, ac vniuersum eius regnum & satellitium: Calumnia est. Docui, Nomine Antichristi in Scripturis aliquando intelligi ipsum Antichristi regnum: aliquando ipsam personam, quæcunque illa sit, quæ in eo regnat, quocunque tempore regnet: aliquando verò ipsum postremum tyrannum huius regni, qui κατ' ἐξοχὴν Antichristus appellatur, qui reliquos omnes superaturus sit malitia, hæresibus, tyrannide, hypocrisi, contra Christum: & de hoc Patres locutos fuisse. Quoad regnum: docui, tam regnum Mahometis, quàm Papæ (quatenus scilicet in eo continentur & defenduntur dogmata, quæ pugnant cum doctrina Christi) esse regna Antichristi. Quòd verò ad personas: omnes illos esse Antichristos, qui huiuscemodi regna tuẽtur: hoc est, qui cultum & dogmata cum cultu & doctrina Christi pugnantia defendunt. Quod autẽ ad illum vltimum Antichristum: publicè in Schola nihil dixi, nisi iuxta sententias Patrum, tam Græcorum quàm Latinorum, futurum quendam insignem nebulonem, qui reliquos omnes iniquitate & hypocrisi atque potentia superet. Deinde etsi non nego, regnũ Papæ esse regnum Antichristi: quatenus in eo permulta defenduntur, quæ ex diametro pugnant cum doctrina Christi, ac proinde etiã non inficior, ipsum Papam, dum regnum illud pugnans cum regno Christi defendit, & doctrinæ Christi sese pertinaciter opponit, esse Antichristum: negari tamen non potest (tanquam scilicet probabile) quin sub finem seculi futurus sit quidam homo in Ecclesia Christi, qui reliquos omnes Antichristos malitia, potentia, & aliis vitiis atque sceleribus superet, quíq; editurus sit miracula. Et de hoc homine aliquis contẽdere poterit vaticiniũ illud Iohannis, adde & Danielis de tribus annis cum dimidio, quibus ille regnaturus dicitur: intelligi posse, &c. Legãtur meæ lectiones de Fine seculi. Priuatim verò dixi, & nunc publicè dico: illos hallucinari, qui ita restringunt nomen Antichristi ad regnum & ad personam Papæ, vt extra illius regnũ, non sit regnum Antichristi: & extra eius personam, non sint & esse possint, ídque in veris etiam Ecclesiis, Antichristi. Apparet enim multos esse Antichristos, qui nõ sunt in regno Papæ. Nam sic didici, omnes illos esse Antichristos, qui oppugnant doctrinam Christi: præsertim qui, cùm sint in Ecclesia, quæ nomen habet veræ Ecclesiæ: sub prætextu veræ Ecclesiæ & ministrorum Euãgelij, apertam doctrinam Christi impugnãt: ídque pertinaciter, vtut pro magnis viris & sanctissimis doctissimís-

simíſque habeantur: ſiue ij ſint in Germania, ſiue in Italia, ſiue in Hiſpania. Non igitur ſe palpent, qui ſunt extra regnum Papæ: quaſi nõ poſſint ipſi eſſe Antichriſti. Antichriſtus fuit Arius: qui negauit Chriſtum eſſe verum Deum. Antichriſtus fuit Neſtorius: qui duas perſonas ponebat in Chriſto. Antichriſtus Eutyches: qui confundebat naturas & proprietates naturarum in Chriſto. Antichriſti fuerunt Pelagiani: qui dicebant, principium ſalutis eſſe à nobis, non à gratia Dei: qui negabant ideò ſaluari homines, quia ſint ad ſalutem prædeſtinati ex propoſito Dei: & dicebant, omnibus ex æquo gratiam proponi, in poteſtate autem eſſe noſtra, accipere vel reiicere gratiam Dei: & non deſunt extra Papatum, qui has defendant hæreſes. Ergo etiam extra Papatum poſſunt eſſe, & ſunt multi Antichriſti. Ideò Iohannes ſuo tempore, cùm nondum eſſet Papatus: dixit tamen, Nunc autem Antichriſti multi ſunt.

QVÒD non ſatis ſit, me aliorum erroribus eſſe infectum: niſi etiam ipſe noua monſtra gignam: Proferant vel vnum monſtrum: tunc reſpondebo. Si monſtrum appellant dogma de Antichriſto: monſtrum hoc non ego genui, ſed Patres, tam Græci quàm Latini ſimul. 2.

QVÒD, quia dixi negari non poſſe, quin ſub finem mundi talis aliquis, qualem deſcripſeram, Antichriſtus venturus ſit: obtrudam auditoribus opinionem hanc firmiter credendam, & nequaquam negandam: Calumnia eſt. Cùm dixi, negari non poteſt: intellexi, vt probabile. neminem enim negare refutaréve poſſe, quin ſit res admodum probabilis, venturum talem Antichriſtum, cùm & à Patribus hoc firmiter aſſeueretur, & è Scripturis probabiliter colligatur. 3.

DE PRAEDESTINATIONE.

QVÒD, cùm doceo de Prædeſtinatione, aſcendam ſupra cælos in ſecreta Dei, & inueſtigem, quæ ſciri nequeant: Calumnia eſt. Nihil enim de prædeſtinatione vnquam docui ſine verbo Dei, & Patrum teſtimoniis. Lectiones meæ teſtes optimi eſſe poſſunt. imò cùm veni ad argumenta prudentiæ carnis contra prædeſtinationem: ibi, exemplo Apoſtoli, dixi non eſſe audiendam humanam prudentiam contra verbum Dei. Et tu quis es ô homo, qui reſpondeas Deo? 1.

QVÒD omnium electorum & reprobatorum peccata diuinæ adſcribam prædeſtinationi: Calumnia eſt. Docui, ipſa etiam peccata cadere ſub prædeſtinationem, quatenus ſcilicet, quia Deus permittit peccata, concluſi: Deum igitur decreuiſſe permittere: &, quia Deus quoſdã excæcat, indurat: Deum igitur decreuiſſe eos indurare. omnem enim peccati pœnam, quæcunque illa ſit, à Deo infligi. omnem igitur peccati pœnam à Deo fuiſſe prædeſtinatam. Sed peccatũ, quatenus peccatum eſt, in Deum eſſe transferendum, perpetuò negaui & refutaui. Prædeſtinatio enim eſt tantùm eorum, quæ facturus erat Deus. Deus autem non peccat, neque malitiam ad peccandum, cuipiam indit: ſed contrà punit peccata, verùm aliquando aliis peccatis. 2.

Ac proinde, quòd faciam Deum non ſolùm βκλόπλὼ, ſed etiam σύνεργον peccatorum, Calumnia eſt. Docui ſemper, Deum prohibere peccata: imò ideo aliquid eſſe peccatum, quia prohibitum ſit à Deo: Non eſt igitur βκλόπης peccatorum. Docui etiam, Deum nõ peccare, nec poſſe peccare, neque etiam malitiam peccandi nobis indere. non igitur eſt σύνεργ@· peccati. Docui quidẽ & doceo ſecundum Scripturas: Nullam eſſe actionem, ſicut in aliis creaturis, ſic nec in homine, ſiue internam ſiue externam, cui non cooperetur Deus. Docent enim ſic Scripturæ· Deus operatur omnia in omnibus. Item: In ipſo (hoc eſt ipſius virtute & actione) viuimus, mouemur, & ſumus. Nullus igitur motus, ſiue intellectus, 3.

ſiue

siue voluntatis, siue animi, siue corporis: fieri in nobis, aut à nobis potest, qui non fiat virtute & actione Dei in nobis. Et Heb. 1. Portátq; omnia verbo virtutis suæ. Et hoc confitemur in Symbolo, cùm dicimus: Credo in Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Ita enim factorem confitemur, vt & cõseruatorem, motorem, actorémque intelligamus. Et sic Patres omnes & tota Ecclesia Catholica, semper docuerunt. Sed nullo modo consequitur inde, Deum igitur peccare vnà cum homine peccante: vel, efficere vt homo peccet: id quod est esse σύνεργον peccatorũ. Quod si mei accusatores nesciunt discernere peccatum (quod est ἀνομία, & priuatio rectitudinis in actione) ab actione ipsa: non proinde calumnientur me, quòd faciã Deum σύνεργον peccatorũ. Est σύνεργος τῷ ἔργῳ, sed non peccati: omne enim ἔργον, quâ ἔργον: bonũ est. Omnis autem boni autor est Deus. Imò ideo nos peccamus, quia actiones Dei in nobis, suaptè natura bonas, nos nostra corruptione & malitia deprauamus, inficimúsq;. Si puer scribendi ignarus, cuius manus à præceptore super papyrũ ducatur, inter pingendum, errorẽ admittat: erroris certè σύνεργος nõ poterit dici præceptor: quia pueri manum ducat: sed puer tantũ, quia manum præceptoris rectè ducentem non vsquequaque sequitur. Deus sua omnipotenti manu & actione omnes creaturas mouet: sed vnamquamque secundum suam naturam. Deus igitur, illius quod in peccato bonum est, nempe actionis in se, σύνεργος est: illius verò quod propriè malum est & peccatũ, nullo modo σύνεργος esse aut dici potest. Lutherus ipse in lib. de Seruo arbitrio, simile adfert equitis, qui claudum equũ agit. Motus equi, σύνεργον est eques: claudicationis verò, nequaquam. Est igitur calumnia, quòd ego Deum faciam σύνεργον peccati. Bucerus, præter alia loca, in libro de Recõciliatione Ecclesiarum, fol. 34. vulgatam Theologorum sententiam probat, Omnem humanam actionem ab actione Dei pendere.

BRENT. in Iob. cap. 25. Porrò cùm dicitur apud Deum esse potestatem: intelligas eum esse omnipotentem, non solùm δυνάμει, verùm etiam ἐνεργείᾳ, id est, & potentia actione. omnia enim potest, & omnia agit. Ergo & mala operatur? Maximè: non ex se, sed ex instrumento, per quod operatur. Est enim Deus (vt si dicam) mundi anima, perinde vt in corpore humano anima mouens est. Iam si humana anima corpus debile aut claudum nacta fuerit: pergit nihilominus mouendo, & fit motus claudus, nõ ab anima, sed à corpore moto. Ita Deus operatur omnia in omnibus. Iã cùm operetur in homine velle & facere, homo verò ex peccato ab Adam deriuato, male velit & faciat: fit mala voluntas & opus, non ex Deo operante, sed ex homine deprauato. Proinde quanquam Deus mala operetur, non tamen malitia Deo adscribenda est, sed instrumento male deprauato, &c.

QVOD de prædestinatione doceam, Ita esse certum numerum electorum, vt licet viuant sceleratè; tamẽ necessariò seruandi sint: & reprobatorum, ita vt licet omnia bona sanctorum opera faciant, non possint tamen seruari: calumnia est. Docui quidem, esse certum quendam numerum electorum ad æternam vitam, qui seruetur necessariò, & certum numerum reprobatorum, qui non possunt nõ damnari, quia hoc tradunt Sanctæ literæ, Augustinus, Lutherus, Bucerus, & alij: estque ratio aperta. Certi enim quidam seruantur, & certi quidam damnantur: non enim omnes seruantur, nec damnantur omnes. Ergo Deus decreuit ab ęterno, certos quosdam seruare pro sua misericordia, & certos quosdam damnare, iusto suo iudicio: & quia hoc infallibiliter fit, iccirco necessariò fieri. Cæterùm illam particulam, *Etiamsi vel illi malè viuant, vel isti optimam ducant vitam*: non solùm nunquam adieci, sed etiam refutaui tanquam παραλογισμὸν diuisionis. Qui enim ita argumentantur, separant ea, quæ non sunt separanda, nempe studiũ bonorum operum, à prædestinatione ad vitam, & à cõsecutione salutis: cùm sint illius effecta & viæ ad hanc. Paulus enim, qui ait nos esse electos ad ęternam vitam, ait etiam, Nos esse electos ad hoc, vt essemus sancti: item nos creaturam Dei esse,

creatos

creatos in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Quare ita ſemper ſolitus ſum retorquere argumentum hoc diaboli. Ille ait, Si tu es prædeſtinatos, ſeruaberis, etiamſi mala agas: ſi non es prædeſtinatus, non ſeruaberis, etiamſi omnia bona feceris. Ego verò: Imò ſi ſum prædeſtinatus ad vitam, debeo igitur ambulare in vita prædeſtinatorum, quę eſt fides & ſtudium bonorum operum: qui enim prædeſtinati ſunt ad finem, etiã ad media ſunt prędeſtinati. Et huc ſpectant quædam Lutheri dicta in Geneſin, & in Pſalmos: quæ in me à nonnullis torquentur: ſed non intelliguntur. Scio quidem, Brentium hac locutione vſum fuiſſe in ſua exegeſi in Iohan. cap. 15. fol. 360. vbi ſcribit: Si ſpectetur diuinus captus & Dei immutabilitas, reprobos non poſſe ſaluari, etiamſi omnia bona opera Sanctorum faciant. Verùm ego tali locutione nũquam vſus ſum, neque etiam vterer. Abſit verò, vt credam me non eſſe ad vitam prædeſtinatum.

QVÒD ſtatuam, Deum quoſdam damnare in æternos cruciatus, & damnare decreuiſſe, non propter ipſorum peccata, ſed ex ſuo ſolius placito: calumnia eſt. 5.
Docui perpetuò, neminem damnari ſine cauſſa: & cauſſam proximã, in ipſo qui damnatur, eſſe, nempe peccatum, ſaltem originale, vt in pueris infidelium: ſed reprobationem tantùm factam fuiſſe ab æterno à Deo, ſine vllo operum malorum reſpectu, vt docet Apoſtolus ad Rom. Diſtinguant igitur reprobationem à condemnatione, ſeu decretum non miſerendi à decreto damnandi: & me non calumnientur.

QVÒD doceam, impietatem creari è Deo: Calumnia eſt: Docui homines etiam impios creari à Deo, iuxta illud: *Omnia creauit propter ſemetipſum Dominus, etiam impium ad diem malum*: non autem ipſam iniquitatem. Hæc enim primò per traducem in nos deriuatur ab Adamo: deinde per Sathanam accenditur atque augetur. Iniquitas enim quatenus iniquitas, à Deo nullo modo eſt, aut eſſe poteſt: cùm Deus ſit ipſum ſummum bonum, iniquitas autem malum. 6.

QVÒD, cùm dico, Deum permittere peccata, ita doceã eum permittere peccata, quaſi per hãc permiſſionẽ nobis liceat peccare: calumnia eſt. Doceo, Deum permittere peccata, quatenus ſcilicet non vult impedire, cùm poſſit: non autem permittere, id eſt, concedere. lege enim ſemper prohibet peccatum. 7.

QVÒD doceam, præſcientiam Dei ſolam, eſſe cauſſam ſimpliciter rerum omnium & euentorum: Calumnia eſt Sophiſtica. Si præſcientiã capiant pro ſimplici notitia, vt (verbi gratia) qua Deus nouit ſe poſſe creare alterum mundum: nunquam docui, eam eſſe cauſſam euentorum omnium. requiritur enim neceſſariò voluntas Dei: alioqui contigiſſet & contingeret, quicquid ſimpliciter nouit. Si verò nomen præſcientiæ capiatur, quatenus cum illa coniungitur voluntas Dei, (eſt enim propriè præſcientia illarum rerum, quas vel ipſe facit, vel fieri permittit) dico, præſcientiam cauſſam eſſe euentorum omnium: ſed ita tamen, vt cauſſæ ſecundæ & proximæ non excludantur. 8.

QVÒD doceam, ita promiſſiones de æterna ſalute ad electos tantùm pertinere, vt cùm Chriſtus ait (verbi gratia) *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*: non vocet omnes, ſed tantùm electos: nec omnibus promittat ſalutem, ſed tantùm electis: calumnia eſt. Doceo, omnes vocari ad Chriſtum, & omnibus promiſſiones offerri: ſed neque omnes venire, neque omnes promiſſionum complementum conſequi: quia non omnes trahantur ad Chriſtum. nemo autem poteſt ad Chriſtum venire niſi trahatur à Patre: ij verò, ſunt tantùm electi ad hoc. Proinde promiſſiones eſſe quidem vniuerſales, ſed in ſolis electis ſuum habere complementum. 9.

QVÒD ponam in Deo odium quoddam erga reprobos, quaſi affectum quendam contrariũ affectui amoris: quod odium Deus nolit placari filij ſui εὐδοκίᾳ, nec 10.

eius sanguine: Calumnia est. Primùm, in Deo nullum pono odij affectum: sed odiũ Dei, in illo dicto Rom. 9. Esau odio habui, docui nihil esse aliud, quàm propositum non miserendi: sicut amor etiam in Deo non est affectus, sed ipsa beneuolentia seu voluntas & propositum miserendi & benefaciendi ac seruandi in æternam vitam. Et Deum aliquem ab æterno odisse, nil aliud esse, quàm Deũ ab æterno decreuisse nolle alicuius misereri, sed in suis peccatis eum deserere, & proinde illum iustè punire: Illis verò inauditis verbis *(Deum nolle, vt suum odiũ placetur sanguine Christi)* quomodo vti potui, cum ne per somnium quidem mihi in mentem vnquam venerint? Docui quidẽ, propositum Dei, siue miserendi, siue non miserendi, mutari nõ posse: sicut Scriptura docet, *Ego Deus, & non mutor*: sed illa verba portentosa nemo vnquam ex me audiuit.

11. QVÒD affirmarim, filium Dei velle suam supplicationem esse inanem: Quæ est ista horrenda Calumnia? Imò docui etiã in ea Epistola, quam interpretabar, Iohannis, Christum? pro suis electis tantùm orasse, Iohan. 17. cùm dixit, *Non rogo pro mundo*: & nunc etiam in cælo pro ipsis intercedere, & ipsius intercessionem esse efficacem, & exaudiri à Patre: & proinde electos perire non posse. Inanis esset, si pro reprobis supplicasset, & supplicaret Patri, cùm in ipsis neque passio, neque merita, neque supplicatio Christi vim & effectum suum consequantur: Sed proinde non est inanis, quia pro ipsis tantùm electis, qui erant in se credituri & credunt, ita orauit & orat, vt etiam exorauerit atq; perpetuò exoret.

12. QVÒD fingam, Deum tanquam inexorabilem & rigidum iudicem è tabulis damnationis nomen reproborum nunquam exemturum, neque ipsis vllam gratiam præstiturum: Tam rigidis verbis vsus sũ nunquam: Imò docui, Deum suapte natura clementissimum esse, & exorabilẽ, sed in Christo tantùm. Cum igitur reprobi non sint neque electi in Christo, neq; donati Christo, neque redemti per Christum, neq; iustificati in Christo: propterea neq; glorificatum iri, sed ituros ad eum locum, ad quem sunt destinati: sicut & de Iuda legitur in Actis, Ideo præuaricatum fuisse, vt abiret in locum suum.

QVÒD verò fingam, Deum nullam gratiam præstiturum reprobis, nimis impudens est calumnia. Quasi verò nesciam, Iudã, Saulem, & alios reprobos, egregijs & multis gratijs Dei donatos fuisse, & quotidie donari: sed gratiã specialem, nimirum tum fauorem Dei ad æternam vitã, tum gratiã regenerationis: reprobis reipsa non præstari, etiamsi per Euangeliũ offeratur, dico & affirmo cum sacris literis, & res ipsa confirmat. Ipsi enim neque regenerantur, neque seruantur.

13. QVÒD doceam, falsũ esse, dicere, Omnes esse prædestinatos, si credant: Calumnia est Sophistica. Si de ipsa prædestinatione in se loquamur, docui, illã non fuisse factã cũ conditione SI: quasi Deus sic dixerit intra se, EGO omnes prædestino, si crediderint: Proinde falsũ esse, dicere, Omnes esse hac conditione prædestinatos ad vitam, si crediderint. Prædestinationẽ enim docui esse firmũ gratuitũ & absolutum Dei decretum quosdã seruandi ad æternam vitam, &, vt possint seruari, eos redimendi per Christũ, trahendi, vocandi, donandi fide, operibus bonis fidei, denique perseuerantia in fide. Si verò loquamur de effectis & notis prædestinationis: docui, omnes illos verè esse prædestinatos, qui vera in Christum fide præditi sunt, & hac nota illos discerni à non prædestinatis. Nego igitur, prædestinationem ipsam esse conditionalẽ: nego caussã prædestinationis esse fidem nostram: affirmo autẽ, fidẽ effectũ esse & notã prædestinationis. Proinde calumnia est etiam nimis aperta, qua dicunt quidam, me negare, fidem esse notam prædestinationis.

QVÒD

QVÒD defendam Stoicam neceſſitatem: calumnia eſt, Stoica neceſſitas, eſt ex certo cauſſarum ſecundarum nexu atque ordine: Chriſtiana autem, eximmutabili Dei decreto. Hanc defendo, non illam. 14.

QVÒD ponam in Deo contrarias voluntates: calumnia eſt. Vna tantùm eſt voluntas Dei in ſe, quia eſt tantùm vnus Deus volens. Cæterùm Deum contraria velle, ſed diuerſa ratione: nempe aliquid abſolutè & ſimpliciter, aliquid tantùm ex conditione: manifeſtum eſt. Abſolutè enim vult electos ſaluos fieri: ideo etiã dat illis, quæcunque ad ſalutẽ ſunt neceſſaria, vnde & ſeruantur neceſſariò. Conditionaliter verò vult vt alij omnes, etiam reprobi, ſeruentur, ſi ipſi velint credere, obediréque legi Dei: & hoc illis ſignificatur per prædicationem verbi. At quia nec Deus vult donare ipſis fidem, nec ipſi ex ſe credere poſſunt, propter innatas tenebras & infidelitatem: ideo nõ poſſunt ſeruari. Vult igitur Deus, reprobos abſolutè non ſeruari: & hæc voluntas impletur: vult verò eos ſeruari ex conditione, ſi ipſi velint & poſſint credere: & hæc ſola in nullo impletur. Si quis hos diuerſos volendi modos diuerſas appellet voluntates: fateor me has ponere in Deo: ſed ſi loquatur de ipſa voluntatis eſſentia: nego me duas in Deo ponere voluntates: alioqui eſſet ponere duos Deos. Atque hæc etiam eſt doctrina Lutheri & Buceri, poſt Auguſtinum, cùm ſcribunt de Deo reuelato & abſcondito, ſeu de voluntate reuelata & non reuelata. 15.

QVÒD dicam, Deum, quando vocat reprobos, aut aliquid promittit reprobis, illis illudere: quia nolit vt ad ſe veniant, nec illis quod promittit, dare: Reſpondeo. Deum vocare etiam reprobos, & mandare vt ad ſe veniant, ſalutémque illis promittere, ſi velint in Chriſtum credere: manifeſtũ eſt. Omnes enim vocat per verbum, & omnibus vitam promittit æternam, modò in Chriſtum velint credere. Atque hæc eſt voluntas conditionalis. Eundem tamen Deum nolle abſolutè & ſimpliciter vt omnes veniant & ſeruentur: manifeſtum etiam eſt: quia ſi ſimpliciter hoc vellet, etiam fieret, iuxta dictum Prophetæ: Omnia quæcunque voluit, fecit: item iuxta illud Ieſaiæ: Conſilium meum ſtabit, & voluntas mea fiet. Reprobis verò non illudi, cùm à Domino vocantur: manifeſtum etiam eſt: quia ſi ipſi velint & poſſint venire, ſicut ab illis exigitur, profectò à Domino recipientur, & ſeruabuntur. Culpa igitur in ipſis eſt. Atq; hoc ſatis eſt ad hoc, ne Deus dici poſſit cuipiam illudere. Exemplo nobis ſunto primi inuitati ad cœnam. Si enim veniſſent, fuiſſent recepti. Quòd verò alios iuſſerit compelli intrare (quo verbo indicat, illos quoque recuſaturos fuiſſe, niſi fuiſſent compulſi intrare) gratia fuit ſpecialis. Hac igitur vtitur erga electos: compellit enim quodammodo eos intrare, dum de nolentibus facit volentes. hac non dignatur reprobos: nec tamen illudit eis cùm vocat: quia per ipſum non ſtat quin veniant & ſeruentur, ſi velint: ſed defectus in illorum eſt voluntatibus. Ille dicitur illudere, qui aliquem ad cœnam inuitat, & poſtea, ſi veniat, repellit. Non ſic facit Deus. Calumnia igitur eſt, me docuiſſe, Deum reprobis illudere, cùm vocat, aut promittit. 16.

QVÒD abducam homines à Chriſto, & à patefacto ſuo Euangelio, doctrina de prædeſtinatione: Quæ eſt iſta calumnia? Quaſi ego doceam, quem piam eſſe prædeſtinatum ad vitam ſine Chriſto: & doceam, homines debere extra Chriſtum & Euangelium contemplari ſui electionem? 17.

QVÒD doceam, decreto æterno interpoſito aliquos prohiberi, ne ad Chriſtũ accedant: Quaſi verò ipſi homines velint & poſſint ad Chriſtum accedere, niſi à decreto Dei impediantur. Doceo, quicunq; volunt accedere, ideóq; accedunt ad Chriſtum: iccircò accedere, quia trahuntur à Patre, ſuo Spiritu, ad Chriſtũ: & proinde, quia prædeſtinati fuerunt ad hunc patris tractum. Si qui autẽ nõ accedant: propterea illos nõ accedere, tũ quia neſciunt: (animalis enim homo nõ per- 18.

cipit ea quæ sunt Dei:)tũ quia nolunt (est enim corrupta illorũ voluntas)ideóq; non possunt(Nemo enim potest venire ad me,nisi Pater illũ traxerit,)ad Christũ accedere. Vitio igitur ipsorum, non autem decreto & voluntate Dei interposita fieri,vt non accedant:doceo. Et si aliquando cum Scripturis dixi, reprobos ideò nõ venire ad Christũ,&in illum nõ credere, quia nõ sint exouibus,id est,quia nõ sint ad hoc prædestinati:nõ ideò hoc dixi,vt culpam in Deum transferrem:quasi ipsi potuissent venire, nisi Deus sua prædestinatione illos impediuisset: sed ideò cum Scripturis ita loquor,vt ostendam,adeò corruptam esse in Adamo humanã naturam,vt nisi Deus sua gratia illos trahat, ac proinde nisi decreuerit ab æterno in sua prędestinatione, illos trahere:nullo ipsi modo ad Christũ venire, & seruari possint. Hoc autẽ docendo, nõ transfertur culpa in Deum trahere nolentẽ(neq; enim tenetur vlla lege homines trahere) sed in ipsum hominem, venire suo vitio nescientem, detrectantẽ,non valentem: iubetur enim venire, & non venit. Atq; hinc patet solutio ad illam calumniã, qua traducor,quod doceam,reprobos ita à Deo efficaciter ad peccata compelli, vt non possint non peccare. Quasi verò ipsi per se possint non peccare, nisi à Deo vi ad peccandum adigantur. Quod enim homo peccat, habet ex se, atque ex innato ab ortu vitio,non autem à Deo,vt est apud Hoseam: *Perditio ex te Israel est.*

19. Qvò d sentiam, Deum nihil velle ex animo reprobis conferre: Quasi verò inuitus conferat in illos,quæcunque beneficia confert.

20. Qvò d doceam, Deum velle peccatum: &id non otiosè,sed efficaciter:Calumnia est.Huiuscemodi enim verbis nunquam sum vsus: imò dicere,Deum velle peccatum, hoc est,eo delectari,vel, homines non posse nec potuisse peccare,nisi Deus malitiam peccati eis indat:vel deniq; hominibus mandare vt peccent:perpetuò docui esse blasphemiam. At Deum velle peccatũ, hoc est, primò, voluisse & velle illud permittere:deinde,velle peccatum,quatenus est pœna peccati: doceo cum Augustino, Bucero, & Luthero.

21. Qvò d cuidã priuatim dixerim, reprobos ita necessariò peccare,vt etiam sollucet: Dico, me nullo modo meminisse huiuscemodi locutione vsum fuisse, vel publicè,vel priuatim.sed si vsus sum,nego me illã non declarasse in hunc sensum, quòd, sicut sol talis est naturæ, vt non possit nõ lucere, ita reprobi atq; impij talis naturæ sint, hoc est, tam malæ, vt nõ possint non peccare. Et, hoc est, Necessariò lucere,&, Necessariò peccare. Docẽt hoc Scripturæ. arbor enim mala nõ potest bonos fructus facere. At discrimen est: quia sol talẽ naturã, ideóq; talem lucendi necessitatẽ accepit à Deo:homo autẽ corruptã hanc naturã,ideóq; peccandi necessitatẽ accepit ab Adamo, & ille nõ nouit,aut vult quod agit,iste autẽ omnino.

22. Qvò d doceã, ex eodẽ æterno Dei consilio duos contrarios riuos effluere:alterũ illuminationis; alterum excæcationis: Calumnia est. Talibus locutionibus vsus nunquam fui. Quasi verò ponã in Deo & lucẽ & tenebras, cùm Apostolus, quẽ interpretabar, dicat,Deus lux est, & tenebrę in eo,sunt nullæ.Illud verò docui & doceo:si quis illuminetur,illuminari à Deo,pro ipsius misericordia:si quis excęcetur,excęcari à Deo,pro suo iusto iudicio,in pœnã pręcedẽtis peccati.omnis.n. pœna à Deo est: quia ipse est solus, qui mortificat, & viuificat: qui deducit
23. ad inferos, & reducit. Qvò d contendã, caussã prædestinationis,nẽpe voluntatẽ Dei,nobis esse incognitã & nõ reuelatã:Respondeo. Docui,voluntatem hanc, quòd scilicet voluerit ex toto hominũ genere quosdã ad æternã vitã eligere ac prędestinare,alios autem reprobare,ideóq; ad æternã mortem præfinire: in Scripturis esse reuelatã. At verò voluntatẽ hanc, nempe quósnã ad vitã aut mortẽ prędestinarit: nõ esse in Scripturis simpliciter de singulis reuelatã, sed tantùm ab effectis prędestinationis probabiliter indicatã. Itẽ,cur maluerit vnũ quàm alterũ eligere: nobis esse incognitum.

Qvòd

QVÒD non concedam, prædestinationem factam esse in Christo,& per Christum consistere,impudentissima est calumnia. Docui cum Apostolo, electos nos esse in Christo, non extra Christum : decreuit enim Deus Pater,seruare nos non simpliciter, sed per Christum. Illud quidem doceo, electionis primariam caussam non fuisse merita & passionem Christi, sed solam Dei voluntatem & gratiã: voluntas enim Dei ad nos eligendos ac prędestinandos in ęternam vitam,à nulla re extra se fuit mota, sed tantùm à seipsa. Quare nec merita Christi fuerũt caussa nostræ electionis primaria: quanquam sint caussa (vt ita dicam) meritoria nostrę iustificationis. Quamobrem Iohan. 3. dilectionem præponit dationi & missioni filij,dicendo, *Sic Deus dilexit mundum* (hæc est prædestinatio) *vt filium suum vnigenitum daret*. Hic est vnus effectus prædestinationis. Ideo enim misit filium, & decreuit ab æterno mittere,quia decreuerat nos seruare, non autem contrà.

DE PECCATIS SANCTORVM, DEQVE illorum perseuerantia in fide.

QVÒD doceam, electos, etsi peccent contra conscientiam, non tamen ita peccare, vt gratiam Dei, remissionem peccatorũ, & Spiritum sanctum amittãt, iram & mortem incurrãt: calumnia est grauissima. Talem propositionem nemo vnquam ex me audiuit. Primùm, Si per peccatum contra conscientiam, intelligunt peccatum,quod Paulus vocat regnans: docui & doceo, illud non cadere in electos iam renatos. Regnat enim in illis Christus, non peccatũ:& aguntur à Spiritu Christi,non Sathanę:alioqui non essent Christi,Rom.8.& repugnant peccato, licet aliquando pugnando quodammodo succumbant. Si verò intelligant peccatum ex aliquo consensu,licet non pleno, admissum: (quo modo nonnunquam peccant sancti) docui & doceo,quantum in ipsis est,propter huiuscemodi peccata eos omnino gratiam Dei & Spiritum sanctum amittere, & in iram mortémque æternam incurrere: sed quia Deus huiuscemodi peccata electis, qui in Christo sunt,cõdonat,& nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo,qui non secundum carnem ambulant, Rom. 8. & sine pœnitentia sunt dona & vocatio, & nemo potest eos rapere de manu Christi seruatrice, & Christus pro eis rogauit, ne deficiat illorũ fides,& Deus perpetuò conseruat in eis semẽ quo sunt regeniti: iccirco docui,Etsi iis suis peccatis sancti iram Dei cõtra se prouocent:non tamen penitus excidere ab illa gratia, id est,fauore Dei,quo illos in Christo complexus est, & elegit in filios;manere enim eos perpetuò filios Dei, quanquam sæpè immorigeros: & Deum perpetuò manere illorum patrem, quanquam sæpè illis infensum & iratum. Remissionem etiam peccatorum semel condonatorum, non fieri in eis irritam: quia non potest fieri irrita, nisi per peccatum in Spiritum sanctum,seu per relapsum qui relapsus non cadit in electos. Etsi etiam suis grauibus peccatis Spiritum sanctum conturbant, fidémque labefactant & suffocant: non tamen vel illum penitus ab eis recedere, vel hanc prorsus in eis extingui: quòd Deus perpetuò iuxta suam promissionem & propter precationem Christi, semẽ in illis conseruet:& doctrinam hanc,tum ad gloriam Dei amplificandam,tum ad fiduciam in Deum in Sanctis retinendam ac conseruandam pertinere.

QVOD verò dicunt, me dicere, Sanctos iis peccatis non incurrere in iram Dei,aperta est calumnia. Deus enim irascitur peccatis omnibus & omnium: id quod flagella etiam contra Sanctos testificantur. Et ipse ait, Quòd si filij mei dereliquerint Legem meam, visitabo in virga iniquitates eorum. Sed aliud est ira Dei,aliud odium. Deus electis, cùm peccant, irascitur: sed eos nunquam odit. quia quos semel ad æternam vitam dilexit: perpetuo in finem vsque diligit.

QVARE grauissima & apertissima est calumnia, cùm dicunt, Me docere, electos donatos semel vera fide, etiamsi peccent contra conscientiam, & viuant sceleratè, nunquam tamen amittere fidem. Primò ipsi addunt id, quod ego nũquam dixi: nempe etsi peccent contra conscientiam, & viuant sceleratè. Imò præter alia argumenta, quibus probaui, Sanctos non penitus amittere fidem, etiam hoc adieci, quod scilicet Sancti non admittant illud peccatum, propter quod solum, fides amitti possit, nempe peccatum regnãs, sed semper eos peccare aut ex ignorantia, aut ex infirmitate, nunquam ex animo seu tota voluntate, vel, vt Lutherus loquitur, ex destinata malitia. Deinde adimunt id, quod solitus eram adiicere, nempe penitus, prorsus, omnino, in totum. Cur autem quædam meis dictis adiiciant, quædam etiam detrahant, viderint ipsi.

QVÒD docuerim, Dauidem, cùm adulterium & cædem fecit, sua mala voluntate non excussisse, aut potuisse excutere Spiritum sanctum, quia in illis peccatis fuerunt actiones Dei: Calumnia est, & deprauatio meorum dictorum. Docui cum Bucero & aliis piis doctisq; viris, Dauidem non penitus amisisse fidem & Spiritum sanctum, quum peccauit, non quòd ibi essent actiones Dei (est hæc ratio calumniosè addita:) sed tũ quia ipse non peccauit tota & plena voluntate, verùm ex infirmitate fidei: (vt Bucerus ait tam in 7. Ro. quàm in libro de Reformatione Ecclesiæ: & in Psal. 1.) tum quia Deus semẽ fidei in illo seruare voluit, iuxta suam promissionem. Quod addunt, Nec potuisse excutere: si referunt ad Dauidem ipsum, calumnia est. imò ipse ex se non potuit nisi excutere. si ad Deum, verum est: quia Deo illam conseruante, nos illam excutere penitus non valemus.

QVÒD doceam, quando Dauid adulterium & cædem admisit: cor illius & voluntatem non consensisse in illam cædem & adulterium: calumnia est grauissima. Docui & doceo, quando pij electi peccant, nunquã ex animo, hoc est, plena voluntate eos peccare: quia quotiescunque Sancti ex consensu peccant, etsi partim hoc est, secũdum carnem & voluntatẽ carnis, volunt peccatũ: tamen partim, hoc est, secundum Spiritum & Spiritus voluntatem, peccatũ nolunt: sicut Apostolus docet Rom. 7. & post Augustinũ, aliósq; doctos viros, Bucerus in illud 7. ad Rom. & in 12. Matt. & in lib. de Reform. Eccles. & alibi sæpè: ac proinde neq; Dauidem, cùm illa admisit, alioquin grauissima scelera, neque Petrum, cùm negauit Christum, ex animo & tota voluntate peccasse, quemadmodum speciatim de iis duobus & Patres & Bucerus ipse docuerũt. Aliud igitur est cõsentire in peccatũ, aliud plena voluntate consentire. Aristoteles ipse in Ethicis tradidit: Nautã, cùm propter tempestatem merces proiicit in mare, hoc facere partim ἑκόντα, partim ἄκοντα, partim volentem, partim nolentẽ, quod latini dicunt, nõ ex animo, id est, non plena seu tota voluntate. Ac certum est: Electos renatos antequam peccent, odisse peccatũ, & malle mori quàm peccare: postquã peccarunt, dolere & odisse peccatũ: quũ peccant, peccare non cũ odio legis aut cõtemtu Dei, sed ex infirmitate fidei. exẽplũ est in Petro. Nõ igitur peccãt plena volũtate, vt faciũt rẽprobi.

QVÒD doceam licentiam, reddámq; homines licẽtiosos, calumnia est, imò in 2. cap. 1. Epist. Iohannis, quam interpretabar, docui multis, duo esse studia, in quę Christiano homini perpetuò sit incumbendum: studium vitandi peccata, & seruandę legis Dei: in illa verba, Filioli mei, hęc scribo vobis vt ne peccetis: Et studiũ fiduciæ in Christo, & per Christũ in Patre collocandæ, in illa verba, Sed etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem. Et studia hæc duo ita esse coniũcta, vt alterũ ab altero separari non possit: in ea verba, In hoc scimus quòd cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit, Noui eum, & mãdata eius nõ seruat, mendax est. Non sum, non sum tam improbus, aut imperitus voluntatis Dei in sacris literis reuelatæ, vt vel velim vel possim auditoribus fenestram vitio-

rum

rum & licentiam aperire. Meæ lectiones tandem aliquando toti orbi patefaciẽt, Deo volente, qualem doctrinam de moribus docuerim Argentinæ. Sed simul etiam semper hoc in primis curaui, vt fiduciam in Deum firmarem.

QVARE quòd dicũt etiam, me facere homines securos ista doctrina de perseuerantia Sanctorum in fide: ad hoc respondeo, me cupere facere securos, nõ in carne & in seipsis, sed in Spiritu & in Deo: & hanc securitatem inculcant S. literę, imò Euangelium totum huc spectat: vt reddat nos securos de æterna Dei erga nos beneuolentia, ideóq; de æterna nostri electione in Christo, de nostri redemtione, ideóq; æterna salute per Christum: & quòd, licet sępe nos pro nostra ingratitudine deseramus Deum quãtum in nobis est, Deus tamen propter suam certam electionem & promissionem non deserat nos: proinde de nobis semper esse metuendũ: vnde illud, Qui stat, videat ne cadat: sed de Deo semper debere nos esse securos, vnde illud, Fidelis autem Deus, qui non sinit vos tentari suprà quàm ferre potestis. Distinguant igitur securitatem Spiritus à securitate carnis. Quòd si aliqui securitate Spiritus abutuntur ad securitatem carnis, vitio ipsorum id fit, non meo. etiam tempore Apostolorum multi libertate Spiritus abutebantur ad libertatem carnis, vt est in Epist. ad Gal. & alibi, id quod etiam nunc fit: numquid igitur non debemus prædicare libertatem Spiritus & Euangelij?

QVÒD negem, electos in atrocissima scelera ruere posse, calumnia est. Quasi nesciam & non doceam, Dauidis scelera, adulterium & homicidium, fuisse atrocissima & grauissima. Doceo in electos nõ posse cadere peccatũ in Spiritũ sanctũ alioqui damnarentur. Doceo in Sanctis renatis non esse peccatùm regnãs, seu nõ regnare peccatũ, quia ibi regnat Christus, & Sathanas eiectus est foras. Sed quin in varia, & nonnunquã grauissima labantur peccata, nunquã sum inficiatus, nec possum inficiari. Sed sunt tamen semper lapsus, ideóque contra Spiritus & animi propositum. Est enim discrimen magnum, inter proiicere se in lutum, vt faciunt sues: & labi in lutum, vt munditiei quoque studiosissimis iisdémque robustissimis hominibus contingit. Illo modo peccant reprobi: hoc verò pij electi.

QVÒD tollam discrimen peccatorum, dum à renatis nego admitti peccatum mortale, calumnia est etiã, ex ignoratione, quid propriè in Scripturis sit & appelletur peccatũ mortale, profecta. Duplex huius vocis in Scripturis significatio est. I. Omne peccatũ quodcunque illud sit, mortale dici potest: quia licet sit vnũ grauius, alio omnia tamen suapte natura sunt digna morte. Cæterùm quia peccata electis condonãtur, nec imputantur ad mortem: ideò respectu personarum, quæ sunt in Christo, peccata ab ipsis admissa, mortalia dici non possunt. Quare in Renatis & vera fide præditis, omnia sunt venialia: in reprobis, omnia mortalia. II. Peccatum ad mortem speciatim appellatur ipsum peccatum in Spiritum sanctũ. Hoc autẽ peccatum in electos cadere non potest, quia non remittitur: & proinde, qui hoc admittunt, seruari amplius nequeunt, quia nec resipiscere possunt. Etsi igitur nego, & hoc peccatũ ab electis admitti posse, & peccata, in quæ pij electi labuntur, esse in ipsis mortalia, non tamen inde sequitur, Me igitur tollere discrimen peccatorũ. Non sum Stoicus, sed Christianus. Et facio primùm discrimen inter peccatum originale, & actualia: deinde inter ipsa peccata actualia, quatenus vnum est grauius alio, tum in se: quia grauius est peccatũ occidere hominẽ, quàm tantùm odisse: tũ propter diuersas circumstantias: quia grauius peccatũ est, peccare ex malitia & animo obstinato, quàm ex infirmitate aut ignorantia. Tertiò facio discrimẽ inter peccatum in Spiritum sanctum, & reliqua peccata: quia hoc secum adfert impœnitentiam, & ideò est irremissibile: alia non ita. Quartò differentiam constituo inter peccata piorum & impiorum. Sunt enim multæ inter hæc differentiæ. Postremò discrimino peccatum piorum, quod

in ipsis est, etsi non regnet, ab his quos Motus inordinatos appellant: & ab his, quæ ex aliquo consensu admittunt. Neq; verò ex eo, quod dixi peccata in piis electis semper esse venialia, aliquis pius rectè inferre poterit: Ergo possumus scortari, inebriari, furari, quia omnia peccata in piis electis sunt venialia. nam si quis hoc inferat: declarat se non esse ex istorum piorum & electorum numero. Pij enim talem consecutionem non faciunt: neque talia peccata cum ista sequela, & hoc animo admittunt. Etenim pugnant hæc ex diametro cum illo Spiritu Christi, quo donati sunt, & quo aguntur filij Dei, non secus atque pugnat cum spiritu veri legitimi filij, honestissimi patris virtutem edocti, si ex eo, quod audiuit se à patre ita amari, vt nullam ob caussam velit se exhæredare, inde inferat, Ergo proiiciam me in omnia scelera, etiamsi patri displiceant: quia nihil potest mihi ad damnationem nocere. Non possunt veri & virtute prædiți filij hoc facere: Et si qui faciant, non sunt veri filij.

8. Qvòd negem, Sanctos quum peccant, in diuinam mortis æternæ sententiam incurrere: Calumnia est. Etsi enim doceo, Sanctos, cùm peccant, quia non peccant ex animo seu plena voluntate, non amittere penitus fidem, Spiritum sanctum, & excidere prorsus à fide & Christo: non ideò tamen sequitur iuxta hãc doctrinam, Sanctos non grauiter Deum offendere, non Dei iram contra se prouocare, non fieri, quantum in ipsis est, reos æternæ mortis: ac proinde non opus habere resipiscentia, & nouo suæ fidei, quæ intus quasi suffocata latebat, actu, ad huius peccati remissionem consequendam. Nam etiam qui in aliquem incidunt morbum, eúmque lethalem: etsi medicus dicat illos nondum esse mortuos, nec morituros; non inde tamen sequitur, illos igitur non opus habere medicina ad pristinam valetudinem consequendam: quam medicinam si negligant, pereant tandem necesse est. Sed Dominus facit, ne sancti hanc medicinam negligãt. Statim enim post peccatum illis adest: & excitato in illis consopitæ fidei igne, facit vt reualescant. Atque hæc est caussa cur electi perire non queant: non quia non incidant in lethales morbos, sed quia Dominus vt optimus medicus & amantissimus pater, semper illis adest, & ne pereant succurrit propter Christum: iuxta illud etiam Dauidis, iustus cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus suam supponit manum.

DE SACRAMENTIS.

Qvòd, cùm dico in Thesi: Sacramenta, verbi gratia, Baptismum, esse externum, visibile, & solubile vinculum, nihil aliud intelligam, quàm illud non requiri ad regenerationem necessariò, sed solam occultam electionem, & afflatum arcanum Spiritús sancti sufficere: Respondeo. Me illis verbis hoc intellexisse, calumnia est. Verba mea sunt perspicua. Baptismum verò aquæ non ita necessariò requiri ad salutem, vt electionem & Spiritum Christi, doceo: sine illo enim, multi seruati sunt: sine istis, seruari nemo potest. At non sequitur me sentire: Baptismum nullo modo esse necessarium.

2. Qvòd doceam, electos non esse carne renatos, atque ita violem Baptismi & Spiritus sancti virtutem: calumnia est, profecta ex crassa ignorantia horum nominum, Carnis & Spiritus. Carnem vocant Scripturæ totum hominem, tam animam quàm corpus: quatenus vtrumque ab Adamo corruptum, natum est. Eundem totum hominem vocant Spiritum: quatenus vtrumque ex Spiritu Christi renatum est, & perpetuò magis ac magis vtriusque renascentia perficitur. Cùm igitur docui, electos non esse renatos carne iuxta Scripturas: declaraui, eos nondum esse plenè renatos, nempe quod ad carnem, id est, quoad illã partem, quam tra-

tractam ex ipso Adamo adhuc retinent. Electos enim iustificatos, in hac vita perpetuò constare Spiritu & carne, quæ ambo perpetuò pugnãt inter se; vnde etiam fit, vt nunquam peccent tota voluntate: quia semper cõtra carnem, & peccatum pugnãt renati. Sed aliquãdo in pugna superior est caro: aliquando Spiritus, nunquam autem penitus expugnantur in hac vita, sicut caro à Spiritu, sic nec Spiritus à carne. Hinc etiam apparet: Calumniam esse, cùm dicunt: me etiam Baptismi & Spiritus sancti, virtutem violare. Quòd enim electi in hoc mundo non perfectè regenerentur: id non fit vitio Baptismi, aut imbecillitate Spiritus, sed dispensatione diuina.

3. QVÒD, quia verbum & Sacramenta solubilia vincula appellaui: stabiliam impium Schvvenckfeldij delirium: Quid Schvvenckfeldius sentiat: nescio. Sed quæ ego docui, neque deliria esse, neque impietates, quanquam quiuis facilè videre potest: apparet etiam ex ipsis Academiarum iudiciis.

4. QVÒD illis Thesibus de vinculis, dirimam verbum, Sacramenta, Spiritum sanctum: atque ita corrigam Christum tanquam errantem, & agiter spiritu Schvvenckfeldico & Postellico, Calumnia est Sophistica & contumeliosa. Aliud est dirimere illa inter se: aliud dirimere in ipsis hominibus. Quoad primum, verbum & Sacramenta in ipso ministerio nunquam sunt sine Spiritu sancto: quia illis semper adest Spiritus sanctus: vt est apud Iesaiam. Spiritus verò sanctus non est ita alligatus vel verbo, vel Sacramentis: quin nonnunquam etiam sine illis operetur in cordibus Electorum, vt in infantibus, qui neque verbum audire, neque Sacramẽta percipere possunt. Quod ad alterum: Etiamsi Spiritus sanctus semper adsit verbo & Sacramentis in ipso ministerio: non semper tamen in ipsis hominibus sunt hęc tria inseparabiliter cõiuncta. In reprobis semper sunt diuisa, Spiritus regenerationis à verbo & Sacramentis. Audiũt enim verba, & recipiunt Sacramenta sed sine Spiritu regenerationis. In Electis etiam aliquando sunt disiuncta, antequam incipiant regenerari: sicut contigit Apostolo, qui & circumcisus fuerat & verbum audierat: tamen nunquam acceperat Spiritum regenerationis, nisi posteaquàm fuit ad Christum cõuersus: ideo quicquid antea egerat boni, omnémque suam iustitiam, stercoribus comparat, Phil. 3. Vbi verò semel renati sunt: verbum & Sacramenta non dirimuntur à Spiritu sancto in renatis. Hinc responsio patet ad aliam similem calumniam: quòd scilicet Euangelium & Sacramenta Spiritu sancto spoliem dum ea offeruntur impiis: rursum, dum offeruntur Electis, tum demum & Spiritum sanctum illis tribuam.

DE VI SPIRITVS SANCTI IN ELECTIS.

1. QVÒD doceam: neminem posse resistere Spiritui sancto: Calumnia est. Quasi verò non legerim illud Stephani in Actis, Vos semper Spiritui sancto restitistis. Possunt omnes resistere suapte natura: sed ita efficax est in Electis Spiritus, vt non sinat illos prorsus & perpetuò reluctari.

2. QVÒD, quia dico, homines resistere quidẽ posse Spiritui sancto, per externum tantùm verbum loquenti, sed non posse resistere eidem intus persuadenti, atque trahenti: necessariò constituam duplicem Spiritum sanctum; vnum qui per verbum externum in Prophetis atque ministris loquatur, sed nõ efficaciter: alterum, qui per seipsum intus loquatur sine verbo ministrorũ efficaciter: Quasi vero non possit esse vnus idemque Spiritus, qui diuersa operetur: qui vni loquatur tantùm per verbum externum: alteri per internum etiam afflatũ: qui vni suadeat tantùm, alteri persuadeat. Certè Paulus multa dona ait distribui ab vno eodémq; Spiritu. Ergo dicendũ etiã erit, duos esse Deos: vnũ, qui misereatur: alterũ

qui

qui induret: quia Paulus ait, Deum quoſdam indurare, quorundam miſereri. Sic redibitur ad Manichæos, qui à duobus effectorum generibus in mundo, à bono & malo, duos concludebãt eſſe Deos: vnum boni, alterum mali autorem. Dominus autem contrà ait: Ego Deus, creans bonum, & faciens malum. Ita idẽ eſt Spiritus, qui aliis per verbum tantùm externum inefficaciter loquitur: aliis per internum etiam afflatum efficaciter perſuadet: ſicut idem Dominus, qui quoſdam inuitauit ad cœnam, ſed inefficaciter, quia non compulit eos venire: alios efficaciter inuitauit. Eſt igitur ineptiſſima Sophiſtica, à diuerſitate actuum & operationum Spiritus ſancti concludere, diuerſos eſſe Spiritus ſanctos. Hinc patet etiã reſponſio ad aliam ſimilem huic calumniam, qua dicunt, me facere duo Euangelia, vnum vacuum à Spiritu Chriſti, alterum plenum Spiritus Chriſti.

3. QVÒD doceam, cur ex hominibus alij reſiſtant Spiritui ſancto, alij non reſiſtant, cauſſam eſſe non in ipſis hominibus, ſed in Spiritu ſancto, Calũnia eſt etiam Sophiſtica, & contumelioſa. Doceo, quòd quidam reſiſtant Spiritui ſancto, cauſſam in ipſis eſſe, non in Spiritu ſancto, & eam eſſe naturalem rebellionem, in qua concepti & nati ſumus, quámque à primo rebelle Adamo, patre noſtro, duximus. Quòd verò quidam non reſiſtant, hoc illis eſſe à Spiritu ſancto, qui non ſolùm extrinſecus vocat, nec illorum modò mentes illuminat, verùm etiam corda flectit ad ſibi aſſentiendum. Eſt enim ſicut omne malum, ſic & inobediẽtia, à nobis: & ſicut omne bonum, ſic & obedientia à Spiritu ſancto. Quare calumnia eſt Sophiſtica, quæ vtrumque ſimul coniungit, & ait, vtrumque me vni Spiritui ſancto attribuere: cùm vnum ſit Spiritus ſancti, alterum Spiritus humani.

QVÒD doceam Spiritum ſanctum cùm trahit ſuos, quaſi vim illis facere: Calumnia eſt. Vis non fit voluntati: ſed ſuauiter, verùm efficaciter, illam trahit Spiritus ſanctus, faciens de nolente volentem.

DE ACTIONE DEI IN IMPIIS.

QVÒD doceam: Reprobos per potentiam Dei compelli in peccata: Reſpondeo: Si intelligant Compelli, id eſt, cogi: calumnia eſt: ſed ſi compelli accipiant pro induci, vt Chriſtus, & tradi, vt Apoſtolus loquitur: verum eſt. Et Auguſtinus vſus eſt hoc verbo per Dei potentiam impelli: & ideò in oratione Dominica dicimus: Ne inferas nos in tentationem: quod idem eſt quod Impelli.

Cõtra Iul. Pelag. lib. 5. cap. 3.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

QVÒD, quia doceo, duplicem eſſe rationem docendi Euangelium: vnam externam per miniſterium hominũ, quæ, ſi ſola ſit, inefficax eſt, alteram internam per miniſterium Spiritus ſancti: inde concludam, duo eſſe Euangelia: ídque more Schvvenckfeldico: Apparet calumniã eſſe Sophiſticam. Illam duplicem docendi rationem; vnam per miniſterium hominum tantùm: alteram per miniſterium etiam Spiritus ſancti, ſi ipſi negant: negant apertum verbum Dei.

DE PROMISSIONIBVS.

QVÒD, quia dico, Promiſſiones vniuerſales de æterna ſalute, reipſa ad Electos tantùm pertinere: inde ego doceam, Deũ aliud loqui, & aliud ſentire, atque ita Deum mentiri. Reſpondeo: Promiſſiones de æterna vita eſſe in ſe vniuerſales, & vniuerſaliter omnibus eſſe Dei nomine proponendas: apertè docet Dominus Ieſus, quum ait: Ite in vniuerſum mundum: Prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Eaſdẽ tamẽ reipſa non per-

pertinere niſi ad Electos, quòd ſcilicet in ijs ſolis ſuũ habeant complementum: ex profeſſo docet Apoſtolus ad Rom. cùm demonſtrat, etſi omnes Iudæi, ſint ex Abraham ſecundum carnem, & ad omnes factæ ſint promiſſiones: nõ omnes tamen eſſe verè filios, nempe ſecundum Spiritum & per fidem Abrahæ: quia non omnes filij promiſſionis: ideóque non ad omnes reipſa pertinere promiſſiones, ſed tantũ ad electos, qui eas fide recipiunt: quos proinde etiã filios promiſſionis vocat Apoſtolus. Quòd verò inde inferunt Deum igitur aliud loqui, & aliud ſentire, cùm promittit etiam reprobis id, quod tamen ipſis nõ eſt largiturus: illatio eſt Sophiſtica. Promittit Deus etiam reprobis vitã æternã, ſed cum conditione, ſi credant: atque ita ſeriò hoc promittit, vt omnino, ſi velint & poſſint credere, daturus ſit quod promittit. Non igitur aliud dicit, & aliud ſentit. Quod verò non illis det fidem, aut etiam eam ſimpliciter illis promiſerit, ſicut Electis, vt apud Ierem. 31. & alibi: qua fide complementũ promiſſionum de æterna vita conſequantur: alia eſt ratio, quæ nobis inueſtiganda non eſt, ſed adoranda. Hoc enim ideò fit, quia Deus illos ad fidem & æternam vitã elegit: alios nõ elegit. Elegit autem illos, non iſtos: quia ſic ei placuit.

DE VOLVNTATE DEI.

QVÒD doceam, voluntatem Dei non eſſe ex verbo cognoſcendam: ſed ſemper ad occultam illam recurrendum: Meram hanc eſſe calumniam, nemo non videt: ſi ſciat, & quid profitear, nẽpe S. literas, in quibus voluntas Dei reuelatur: & quòd ſemper à proprijs cogitationibus & ſcriptis hominum, ad ſacras literas, homines reuocem.

DE FINE CREATIONIS RERVM OMNIVM.

1. QVÒD doceam, finem creationis eſſe æternam cùm mortem tum vitam. Reſpondeo: Semper docui, vltimum & verum finem, non tantùm creationis hominum, ſed rerum omnium, eſſe gloriam Dei. Quia verò Deus glorificatur & ex ſua in quoſdam miſericordia, & ex ſua in alios iuſtitia: iccirco ſecundarios fines, eſſe tum vitam Electorum, tum mortem reprobatorum. De fine creationis Electorum, nulla eſt controuerſia: de fine autem creationis reprobatorum, ait Scriptura Prouerb. 16. Omnia propter ſemetipſum creauit Dominus: (ecce vltimum & verum rerum omnium finem, gloriam Dei) etiam impium ad diem malum, id eſt, ad pœnam & mortem: ecce alterum finem. Idem docet Deus, & per Apoſtolum explicat, dicens de Pharaone: In hoc ipſũ excitaui te: vt oſtendam in te potentiam meam: Quaſi dicat: In hunc finẽ condidi te, te regem feci, induraui, vt te perdam, & te perdendo potentiam meam toti orbi patefaciam.

DE MALEDICTIONIBVS DIVINIS, & excæcatione.

QVÒD doceam, Chananæos à Deo maledictos fuiſſe: nõ propter ſua facinora nefaria: ſed tantùm hoc fuiſſe factum ex occulto Dei iudicio. ô impudentem calumniam. Nemo enim maledicitur, niſi propter ſua ſcelera. Cæterùm cùm ipſi etiam Iudæi, non minus grauia ſæpenumero, quàm Gentes admiſerint facinora: quî factum ſit, vt his non ita maledixerit, vt à ſe penitus reijceret, illis verò maximè: hoc doceo proficiſci ex occulto Dei iudicio, qui quorundã ſtatuit miſereri, alijs verò maledicere, & eos indurare: quemadmodũ etiã cùm omnes & ex æquo peccauerimus in Adamo, quî factum ſit, vt alios inde eruat & ſeruet, alios autem

ibi

ibi deseruerit & damnet, docui & doceo, alios quidē inde erui & seruari per gratiam; alios vero ibi deseri per occultum Dei iudicium, puniri autem propter sua scelera per iustitiam. Sophistica igitur est calumnia in illa negatiua. Non propter sua scelera: & in illa exclusiua, Sed tantùm ex occulto Dei iudicio.

2. Qvòd doceam, homines non ex suo ipsorum vitio, sed Dei potius arcana voluntate excæcari, & non reconciliari per Euangelium: Etiam est calumnia Sophistica, inde profecta, quòd confundunt causas, & diuidunt quæ sunt coniungenda. Deus ex sua voluntate sola, si non adsit causa excæcationis in homine, id est, peccatum, neminem excæcat. Sua igitur voluntate excæcat, quia vult excæcare: sed propter peccatum excæcat, quia excæcationem infligit vt pœnam peccati. Cæterùm cùm omnes peccemus: quæ sit causa quæro, cur alios excæcet, alios non excæcet, sed potius illuminet: hanc dico esse solam Dei volūtatem: quia quos vult, indurat, & quorum vult, miseretur.

DE PASSIONE CHRISTI.

Qvòd, quia distinctionem illam Scholarum, Christum mortuum quidem esse pro omnibus sufficiēter, sed tantùm pro Electis efficaciter, dixi non esse cōtemnendam: ideò accusem pretium sanguinis Christi inefficaciæ: ac proinde quòd sim blasphemus in mortem filij Dei: Calumnia est Sophistica. Inefficaciam non tribuo sanguini Christi: sed huius inefficaciæ caussam dico esse in reprobis, ipsam nimirùm infidelitatem. Nam vt verè Christus dicatur pro nobis mortuus efficaciter: non requiritur tantùm, vt mors Christi in sese sit efficax ad salutē: sed etiam vt sit efficax in nobis. Non potest autem in nobis habere suam efficaciam, nisi fide à nobis accipiatur & nobis applicetur. Vinum quoque in se est efficax ad sitim tollendam: at nisi bibatur, in nobis efficax minimè fuerit. Idem de medicamento & cibis omnibus dici potest. Culpa igitur, cur inefficax sit mors Christi in reprobis, in ipsis reprobis residet, nempe infidelitas & fidei destitutio. Cæterùm quia fides à Deo est, & hanc dat, daréque decreuit solis Electis, & spectato Dei proposito Christus tantùm pro illis efficaciter mortuus est, qui crediturí erant in se: sicut & in oratione ipse dixit, Non rogo pro mundo, sed pro iis qui credituri sunt in me: iccircò spectato etiam Dei proposito, verè dicimus, Christum nō esse mortuum efficaciter, nisi pro electis: hoc est, Dei propositū fuisse, vt in solis Electis mors Christi suam haberet efficacitatem. Calumnia igitur est, me accusare sanguinem Christi inefficaciæ, inque mortem filij Dei esse contumeliosum: cùm totam inefficaciæ caussam ponam, non in sanguine Christi, sed in ipsis reprobis, ipsorum nimirum infidelitatem.

DE PECCATO.

Qvòd doceam, peccatum esse iustum, hoc argumēto: Quidquid Deus vult, iustum est. Est enim volūtas Dei omnis iustitiæ regula. Vult autē peccatum. Peccatum igitur est iustum: ô Sophistas. Quis vnquam docuit, Deum velle peccatū simpliciter & quatenus est peccatum? est autem aliquid iustum, quatenus illud vult Deus. Peccatum igitur non est iustū, neq; simpliciter, neque quatenus peccatum est. Cùm dicimus Deum velle peccatum, illud bifariā semper declarauimus: Primò sic. Deum velle permittere peccatum, quatenus pro sua bonitate facit, vt illud cedat in gloriam suam, dum illud admissum, in aliquibus misericorditer tollit: in aliis verò iustissimè punit. Secundò sic, Deum velle peccatum, quatenus pœna est alterius peccati. Sic igitur rectè concludi, Peccati remissionē iustam

ſtam & bonam eſſe : & peccatum, quatenus eſt pœna alterius peccati, iuſtum etiam & bonum eſſe : quatenus verò nos illud facimus, iniuſtum eſt, quia contra voluntatem Dei reuelatam facimus & volumus.

DE COENA DOMINI.

QVòd ego ſim Zuinglianus, neque id inficier. Ego verò dico atque proteſtor, ſicut etiam in prima mea præfatione, quam publicè in Schola habui, proteſtatus ſum : me neque eſſe Zuinglianum, neque Lutherianum, neque Caluinianum, neq; Bucerianũ, ſed Chriſtianum. Lutherũ quidem atque Zuinglium, Bucerum & Caluinum, Bullingerum & Martyrem, aliósque noſtri ſeculi doctiſſimos viros, tanquam egregia Spiritus ſancti organa veneror atq; ſuſpicio, illorúmq; ſcripta magni facio : ſed vnum ſolum Ieſum Chriſtũ pro meo vero ita præceptore, ſicut & ſeruatore agnoſco : iccirco ſicut in aliis fidei articulis, ita in articulo de cœna Domini, ſolum Chriſti verbum atq; doctrinam ſequor. Quæcunq; verò ab hominibus, quicunque illi ſint, vel verbo Dei addita vel detracta ſunt, vel extra verbum Dei mihi tanquam neceſſaria ad ſalutem obtruduntur, denique omnes verborum Chriſti interpretationes, quæ apertè pugnant cum aliis manifeſtis Scripturarum locis ; aut quæ noua, ſine neceſſitate, miracula inducũt ; aut quæ humanitatem Chriſti ab eius diuinitate ſeparant, aut contrà humanitatem cum diuinitate confundunt, & naturam veri corporis phyſici organici tollunt ; aut quæ vllam ſecum adferunt idololatriam : omnia hæc tanquam non Chriſtiana reiicio atque damno : & contrà, primùm ſola Chriſti verba per Euangeliſtas recitata tam de pane, quàm de calice, toto corde amplector : deinde horum verborum interpretationem nullam aliam recipio, præter illam, quam idem Chriſtus per Apoſtolum Paulum 1. Corinth. 10. attulit : nimirum panem quem frangimus in cœna, eſſe κοινωνίαν corporis ipſius. Quod enim Chriſtus dixit, Hoc (id eſt, hic panis) eſt corpus meum : Apoſtolus explicauit dicendo : Panis eſt κοινωνία corporis Domini : vt apertè docuerit verba Chriſti, non eſſe iuxta τὸ ῥητὸν accipienda, ita vt panis, propriè & realiter ſit ipſum corpus Chriſti : cum lõge aliud ſit κοινωνία alicuius rei, & ipſa res, cuius eſt κοινωνία. Quanquam neq; proprie panis eſt ipſa κοινωνία corporis : Sed id tãtùm, per quod, eo ſenſu, quo & per verbum habetur à nobis κοινωνία, vel potius habita coaleſcit. Proinde verba hæc Apoſtoli, bifariam explicari ſolent, nimirum : Panis quem frãgimus, aut eſt id quo nobis cõmunicatur corpus Chriſti : aut id, quo nos adducimur in κοινωνίαν corporis Chriſti : vel potius adducti, magis ac magis cum ipſo in vnũ coaleſcimus, & verò etiam inter nos : quando & Eccleſia, corpus Chriſti eſt. Quanquam autem id, per quod in κοινωνίαν corporis Chriſti verè adducimur, proprie eſt ipſe Spiritus Chriſti : quia tamen hic Spiritus, quum ritè percipimus Sacramenta, nobis communicatur, & communicatus augetur, hoc eſt, vires ſuas magis ac magis exerit : idcirco per Sacramenta quoque dicimur in communionem Chriſti adduci : quemadmodum & per verbum mundari nos Chriſtus dixit. Ideo igitur nos Sacramenta hæc ritè ſumentes, dicimur accipere κοινωνίαν corporis Chriſti, & cum illo in vnum coaleſcere : quia reuera fideles, participatione Sacramentorum, ſicut & participatione Euãgelij, fiũt participes veri corporis & ſanguinis Domini. Chriſtus enim primò ait : Qui edit carnem meã, (hoc verò eſt, nobis carnẽ Chriſti cõmunicari :) deinde ſubdit, in me manet, & ego in illo : Hoc autẽ eſt nos vniri corpori Chriſti, & magis ac magis in vnum cum ipſo coaleſcere. Proinde vtramque interpretationem cõiungo & coniungendam eſſe cenſeo. Certum enim eſt ex toto Apoſtoli contextu, & argumẽto, quod tractat : Apoſtolum his verbis ſignificare voluiſſe, fideles

qui participant de mensa Domini, eos etiam participes fieri veri corporis & sanguinis Domini,& vnum cum ipso fieri. Hoc enim assumebat pro cõfesso apud fideles: vt inde inferret, quicunq; igitur etiã participant de mensa Dæmoniorum, eos fieri ipsorum Dæmoniorum participes, & societatem cum ipsis contrahere. Atque in hanc sententiam omnes consentiunt interpretes, tam Græci, quàm Latini: Et tam veteres, quàm recentiores. Itaque Oecumenius explicans rationem, cur calix benedictionis dicatur κοινωνία sanguinis Christi, ait: Συνάπτει γὰρ ἡμᾶς τῷ χριστῷ τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὡς μέλη τῇ κεφαλῇ, διὰ τῆς μεταλήψεως. Participatione igitur calicis participamus sanguinem Domini: huius autem participatione, vnimur Christo, vt membra capiti. Vnde apparet, qui non sunt membra Christi, eos non participare sanguinem Christi. Confirmat autem Apostolus hanc κοινωνίαν cum Christo per participationẽ corporis & sanguinis eius, inde, quòd omnes nos, qui de eodem pane edimus, vnum sumus inter nos corpus: ac proinde omnes vni capiti Christo coniuncti: ὅτι, inquit, εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν. Quasi dicat: Sicut enim panis, quem in multa frusta frangimus, & per quem corpus Christi nobis communicatur, vnus est, licet ex multis granis sit confectus: sic nos multi, qui de illo participamus, vnũ corpus sumus: nẽpe sub Christo capite. Ideo rectè & elegánter Photius: Ἀπόδειξις, inquit, ἐστὶ τοῦ εἰρημένου, τὸ ἐπαγόμενον. πόθεν γὰρ δῆλον, φησὶν, ὅτι τὸν ἄρτον, ὃν κλῶμεν, κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ ἐστι: τοῦτ' ἐστὶν, ὅτι εἰς κοινωνίαν ἡμᾶς τοῦ σώματος σωμάγει τοῦ χριστοῦ; πόθεν δῆλον, ὅτι ἓν σῶμά ἐσμεν καὶ καλόμεθα: οἱ πάντες χριστῷ σωαπλούμενοι, ὡς τὸ κοινὸ σῶμα τοῦ κεφαλῆς; εἰ μὴ τῷ σώματι αὐτοῦ, καὶ τῷ αἵματι εἰς κοινωνίαν σωνηγόμεθα: τίνι ἂν ἑτέρῳ ἓν σῶμα ἦμεν, καὶ ἐκαλόμεθα; Et Chrysostomus explicans vocem κοινωνίας, inquit, διὰ τί μὴ εἶπε μετοχὴ; ὅτι πλέον τι δηλῶσαι ἐβουλήθη, καὶ πολλῷ ἐνδείξασθαι τὴν σωάφειαν. ὁ γὰρ τὸ μετέχειν μόνον καὶ μεταλαμβάνειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ἑνοῦσθαι κοινωνοῦμεν. καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἐκεῖνο ἥνωται τῷ χριστῷ: οὕτως καὶ ἡμεῖς αὐτῷ διὰ τοῦ ἄρτου τούτου ἑνόμεθα. Et paulò pòst explicans verba: ὅτι εἷς ἄρτος, ἓν σῶμά ἐσμεν οἱ πολλοί: inquit, τί γὰρ λέγω κοινωνίαν, φησὶν; αὐτό ἐσμεν ἐκεῖνο τὸ σῶμα. τί γὰρ ἄρτος; σῶμα χριστοῦ: τί δὲ γίνονται οἱ μεταλαμβάνοντες; σῶμα χριστοῦ: οὐκ σώματα πολλὰ, ἀλλὰ σῶμα ἕν. Quæ cum ita se habeant: ego ex his Apostoli verbis, mihi hæc de Cœna colligo capita perspicua atque certissima.

I. Commentum esse, dicere, vel panem mutata substantia verti in ipsum corpus Christi: vel corpus Christi in pane realiter esse aut delitescere. Illius ratio hęc est, quia Apostolus panem perpetuò vocat panem: & ait hunc esse κοινωνίαν corporis Christi, id est, quo corpus Domini nobis communicatur, & per consequẽs, quo nos magis ac magis Christo & Ecclesiæ incorporamur. Differt autem multum, id quo, ab eo quod, nobis communicatur, ac cui in vnum corpus coalescimus. Alterius ratio est: quia neque Christus dixit, in pane est corpus meum: neque Apostolus, in pane, quam frangimus est κοινωνία corporis Domini: Sed & ille, Hoc, id est, panis est corpus meum: Et iste, panis est κοινωνία corporis.

II. Commentum etiam esse, panem esse nudum Symbolum: & ideo in Cœna nihil accipi nisi panem. Apostolus enim ait, Panis est κοινωνία τοῦ σώματος. Ergo cum frangitur & datur panis in terra: ipsum etiam corpus Christi vnà communicatur in cælo: & nos vicissim, digna huius perceptione, illi magis ac magis incorporamur: Vnde & ratio constat, cur Sacramentis nomina rerum, quarum sunt Sacramenta tribuantur.

III. Commentum etiam esse: extra vsum Cœnæ vel panem dici posse corpus Christi; vel hoc pane distribui. Paulus enim non ait simpliciter, Panis est κοινωνία: sed panis quem frangimus, (scilicet in ipsa Cœna Domini) est κοινωνία τοῦ σώματος. Ergo tunc tantùm est κοινωνία τοῦ σώματος, cùm frangitur in Cœna. Quare extra Cœnam Domini non est κοινωνία τοῦ σώματος, multò minus τὸ σῶμα.

IV. Cor.

IV. Corpus Christi manducari fide tãtùm. Huius autem duplex ratio ex verbis Apostoli colligitur. Primò ait: Panem esse κοινωνίαν τῦ σώματος, hoc est, ipsius Christi. Sed hanc κοινωνίαν perpetuò lego in Scripturis fieri tantùm fide: vt Ioh. 6. docetur, item 1. Iohan. 5. & 1. Iohan. 1. neque vllibi in Scripturis docetur alius modus edendi corpus Christi, id est, Christum ipsum, quàm per fidem. Ait item Apostolus Ephes. 3. Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Quid est autem edere carnem Christi aliud, quàm eum ita recipere, vt in nobis inhabitet atque maneat, nos alat: atque viuificet? Alium igitur modum non recipio, donec ille è Scripturis apertè demonstretur. Deinde ait esse κοινωνίαν τῦ σώματος. Corpus autem Christi cibus est spiritualis, & animæ, non corporis aut ventris. Spiritu igitur tantùm recipitur: & hoc modo sum contentus: quia est certus & salutaris & sufficiens ad salutem. Vt taceam, quòd sicut agnus paschalis non edebatur nisi mactatus: sic nec corpus Christi, nisi quatenus pro nobis in mortem traditum est, edi: nec sanguis, nisi quatenus effusus est è venis, bibi potest. Nam neque alia ratione Christus, vel illud edendum, vel hunc bibendum dat: vt apertè verba eius declarant: Quod pro nobis traditur: qui pro vobis effunditur. Corpus autem Christi in cælo iam viuit, & sanguis eius in venis est. Edi igitur non potest & bibi: nisi animo per fidem, mortem eius commemorante & acceptante, vique Spiritus sancti sibi applicante, veluti λύτρον redemtionis nostræ.

V. A solis fidelibus ipsum corpus Christi, seu Christum ipsum verè percipi ac manducari. Primùm ait Apostolus: Panis quem frangimus (scilicet nos fideles in Cœna) est κοινωνία τῦ σώματος, nempe nobis qui frangimus, hoc est fidelibus. Cum autem dicit Nos, intelligit iuxta consuetudinem Scripturarum veros fideles, & veros discipulos Christi: quòd hypocritæ ad Christum non pertineant. ad solos igitur veros fideles pertinet κοινωνία τῦ σώματος τῦ κυρίυ. Deinde inquit: vnũ corpus & vnum panẽ esse nos omnes: qui de vno pane & de vno calice participamus. Cùm ait, de vno pane: intelligit de pane, quatenus panis ille est κοινωνία τῦ σώματος: hypocritæ autem nõ sunt vnum corpus cum Ecclesia Sanctorũ, neque sunt eius membra: quia licet sint in Ecclesia, non sunt tamen De Ecclesia. Non ergo ipsi participant de eodẽ pane, qui scilicet est κοινωνία τῦ σώματος: hoc est, nõ fiunt participes eiusdẽ corporis Christi pane fidelibus communicati: vt tale sit argumentũ: Illi tantùm participant de eodẽ pane & calice, hoc est, de corpore & sanguine Christi, pane & vinõ in Cœna communicati: qui sunt vnum corpus & vnus panis cum Christo & Ecclesia, quæ est corpus ipsius. Sunt enim hæc ἀντιστρέφοντα: Vnum corpus & vnus panis multi sumus, omnes qui de vno pane (quatenus est κοινωνία corporis) & de vno calice (quatenus est κοινωνία sanguinis) participamus: &, Nos tantum participamus de eodẽ pane (vt est κοινωνία corporis) & de eodem calice (vt est κοινωνία sanguinis) hoc est, de eodẽ corpore & de eodẽ sanguine Iesu Christi per panem & calicem communicatis, omnes, qui vnum corpus sumus, & vnus panis, cũ Christo scilicet & eius Ecclesia. Atqui impij qui sine vera sunt fide, non sunt vnum corpus & vnus panis cũ Christo & Ecclesia. Non enim pertinent ad Christum: neque membra sunt Ecclesiæ. Non igitur impij participant cũ piis de eodem corpore & sanguine Christi, qui pane & vino in Cœna communicantur. Ac quis neget, solos viuentes cibis quoque vesci posse? Non enim mortui vescuntur. Soli autem credentes, spiritualiter ex fide viuunt: impij verò planè mortui sunt. Soli igitur credentes spirituali alimonia, quæ est corpus & sanguis Christi, vesci possunt. De iis autem loqui Apostolum, cum ait: Nos qui de vno pane & calice participamus: mihi dubium non est. Adde quod verba Christi manifestè docent: Et illis duntaxat reapse edendum ac bibendum exhiberi: tantùm etiã ab illis verè edi & bibi: pro quibus traditũ est corpus, & sanguis effusus in remissio-

nem peccatorum. Pro ſolis autem electis obtulit ſe Chriſtus, non pro mundo, hoc eſt, pro reprobis incredulis: quemadmodum neque ſe pro illis orare, ſed tantùm pro credituris in ſe, apertis rotundiſque verbis dixit in precatione ad patrẽ. offertur quidem omnibus, ſicut & pro omnibus ſufficienter (vt loquuntur Scholaſtici) mortuus eſt: ſed reipſa, ab illis tantùm qui credunt, tam è Sacramentis, quam ex verbo percipitur.

VI. Præcipuum finem atque vſum huius Sacramenti eſſe: vt vnio, quam habemus cum Chriſto per fidem, & inter nos per charitatẽ, frequentatione huius Cœnæ magis ac magis coaleſcat. Ait enim Apoſtolus: Vnus panis & vnũ corpus multi ſumus: omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. In hunc igitur finem inſtituta eſt hæc participatio, vt ſimus vnum corpus & vnus panis, cum Chriſto nimirum & inter nos. Quare toto cælo illos dico errare, qui dum digladiantur ſine cauſſa de hoc Sacramento, tantùm vt neſcio quas dicendi formulas ab hominibus excogitatas, & à Scriptura etiã alienas, mordicus defendant: hoc vnum corpus & hunc vnum panem dilaniant in fruſta.

Hæc ſunt capita præcipua, quæ ex verbis Chriſti explicatis ab Apoſtolo mihi colligo: & in ijs acquieſco. Nõ ſum igitur vel Zuinglianus, vel Lutherianus, quia nec Zuinglium nec Lutherum ſequor, ſed Chriſtianus, quia Chriſtum. A tq; vtinam tandem aliquando faceſſant ab Eccleſia hæc cognomina, & ſolum Chriſti nomen obtineat. Tunc ſperauero pacem Eccleſiæ.

Fuerunt & aliæ de me ſparſæ calumniæ, vel potius (vt modeſtiùs loquar) falſæ ſequelæ, ex mea doctrina malè intellecta à quibuſdam ἀσυλλογίστως illatæ: Sed hæ ſunt præcipuæ, ad quas reſpondere non ſolùm operæpretium, ſed planè neceſſarium mihi fuiſſe iudicaui.

THESES ALIQVOT PRAELECTIONVM ZANCHII, QVÆ AB ADVERSARIIS FVERANT SVGGILLATÆ. FVERAM ENIM IVSSVS, ILLARVM summam exhibere Dominis.

TRACTATIO DE LIBRO VITAE TOTA in has Theses est distincta.

LIBER Deo non adscribitur, nisi μεταφορικῶς: & is nihil aliud est, 1. quàm æternum, certum firmúmque decretum atque præscientia in Deo, illorum omnium, quæ aut ipse aut nos facturi eramus.

2. Tres libri Deo in Scripturis μεταφορικῶς attribuuntur. Vnus est, in quo scripti fuerunt omnes homines eorúmque nomina, etiam antequam nascerentur. Atque hic nihil aliud est, quàm præscientia, qua Deus ab æterno præuidit omnes, quos creaturus erat homines, eorum nomina atque actiones: de quo in Psalm. 139. atque is ad prouidentiam pertinet, vnde & liber prouidentiæ appellari potest. Alter est, in quo scribi dicuntur omnes homines iam nati, & quæcunque agunt: vt secundum sua quisque facta etiam iudicetur, de quo Apocalyp. 20. Et is pertinet ad iudicium vniuersale Dei: vnde & liber Iudicij vniuersalis rectè dici potest. Et hic nihil aliud est, quàm cognitio atque memoria quam Deus habet, eorum quæ quisque gessit aut gerit: vt secundum ea, quæ quisque gessit, iudicetur. Tertius est liber, in quo omnes qui verè ad æternam vitam pertinent, ab æterno conscripti, hoc est, præsciti & prædestinati fuerunt. Et hic nihil aliud est, quàm æterna & certa Dei præscientia ac prædestinatio eorum omnium, quos ab æterno seruare in æternam vitam per Christum decreuit Deus. Vnde sicut in Scripturis liber vitæ appellatur: sic etiam liber prædestinationis appellari potest.

3. Etsi nomine libri vitæ ipsa quoque sancta Scriptura ac lex Dei nonnunquam intelligatur: vt Ecclesiast. 24. eò quòd præcepta ad vitam pertinentia tradat: aliquando verò ipsa bona & temporaria opinio, quam Ecclesia de hypocritis habet, dum manent in fide Christi, quasi & ipsi ad æternam vitam pertineant: quin & spes seu opinio, qua ipsi hypocritæ sibi videntur ad æternam vitam pertinere, liber vitæ appellari solet: Propriè tamen liber vitæ est ipsa certa & æterna prædestinatio; in qua omnes, qui seruandi sunt per Christum, conscripti sunt, nunquam expungendi. Et de hoc libro loquitur Iesaias in hoc quarto capite.

4. Qui verè semel fuerunt in hoc libro vitæ conscripti, ij nunquam inde deleri possunt: seu, prædestinati ad vitam æternam, ab illa non possunt in æternam mortem reiici.

5. Quidam, nempe hypocritæ, dicuntur deleri de libro vitæ: cùm detecta sua hypocrisi, tum Ecclesiæ, tum sibi ipsis, quales sint, & quòd ad æternam vitam non sint reuera scripti: innotescunt.

THESES, QVAE DE LIBRO VITAE AD DISPVtandum in Schola propositæ fuerunt.

1. Liber vitæ, est ipsa diuina mens, in qua conscripti sunt omnes ad æternã vitam propter Christum possidẽdam, quos ab æterno in filios Deus sibi adoptauit.

2. Quicunque in hoc vitæ libro scripti sunt, efficaciter vocentur, iustificentur, sanctificentur, & tandem glorificentur necesse est.

3. Qui semel in hoc libro scripti fuere: inde amplius expungi non possunt.

4. Debet autem quicunque ad Euangelium vocatus in Christum credit, confidere se in hoc vitæ libro vnà cum reliquis Sanctis ab æterno conscriptum fuisse.

5. Ac proinde debet hac fiducia fretus, in sanctitate huiusce præsentis vitæ, ad glorioſam illam futuram vitam recto cursu per viam bonorum operum contendere.

6. Quotquot enim in libro vitæ conscripti sumus, non minùs conscripti sumus ad sanctitatem sequendam & bona opera facienda, quàm ad ipsam vitam consequendam.

TRACTATIO DE GRATIA IIS Thesibus constat.

1. Gradus nostræ salutis, quinque ex verbis Prophetæ Iesaiæ cap. 4. colliguntur. 1. Gratia Dei in Christo æterna, à qua sola motus fuit ad nos prædestinandos & saluandos. 2. Ipsa prædestinatio seu conscriptio ad vitam æternam. 3. Efficax vocatio ad Christum & ad sanctitatem. 4. Iustificatio, seu remissio peccatorum & ablutio à sordibus: quam consequitur sanctificatio ac reformatio. 5. Ipsa perpetua Dei gubernatio: quam consequitur æterna pax, vita, glorificatio.

2. Gratia ita propriè appellatur, quòd gratis detur. Atque hæc etymologia competit omnibus Dei gratiis, quòd omnes gratis dentur.

3. Gratia diuiditur in gratiam, quæ non solum gratis datur, sed etiam gratum Deo reddit: & in gratiam, quæ gratis quidem datur, sed non reddit Deo gratum: qua de causa vocatur illa à Scholasticis Gratia gratum faciens: hæc verò, Gratia gratis data.

4. Gratia gratum faciens, est propriè æternus Dei fauor atque gratuita beneuolentia, qua nos in Christo dilexit, & qua tantùm permotus fuit, vt nos ad æternam vitam eligeret, redimeret, vocaret, iustificaret, glorificaret.

5. Gratia hæc gratum faciens, seu gratuitus Dei erga nos amor atque fauor, in ipso Deo est: in nobis autem illius tantùm cognitio, atque sensus.

6. Est quidem duplex amor Dei. Vnus generalis, quo omnia quæ condidit, diligit, etiam ipsos impios: quatenus scilicet omnibus bene vult, & benefacit: de quo Sap. 11. Alter specialis, quo ipsos tantùm electos amat ad æternam vitam: de quo Rom. 9. *Iacob dilexi*, & passim, in Scripturis. Gratia tamen Dei propriè pro ipso gratuito Dei erga electos amore capitur.

7. Gratia hæc, data nobis fuit ante tempora æterna: qua scilicet ab æterno dilexit nos: manifestata autem in tempore, tum cùm promisit, tum maximè cùm dedit reipsa nobis Christum. 2. Timoth. 2.

8. Gratia hæc gratum faciens, fons est & causa aliarum gratiarum omnium atque beneficiorum Dei.

9. Gratia quoque fidei, regenerationis, spei ac caritatis: gratiæ gratum facientes appellantur: sed impropriè & secundariò; sunt enim effecta illius primæ atque æternæ gratiæ.

10. Gratia verò prophetandi, loquendi linguis, & aliæ de quibus 1. Corinth. 12. sunt quidem etiam ipsæ effecta illius primæ & æternæ gratiæ, & faciunt ad salutem Ecclesiæ in vniuersum: sed tamen non semper ad salutem eorum, quibus

bus dantur, pertinent. Qua de cauſſa, gratiæ tantùm gratîs datæ, in Scholis appellari ſolitæ ſunt.

11. Hæ gratiæ, quia non ſemper faciunt ad ſalutem illorum quibus dantur: iccirco multis etiam dantur reprobis.

12. Etſi verò hæ non faciunt ad ſalutem reproborum quibus dantur, quia tamen faciunt ad ſalutem electorum & inſtaurationem Sanctorum: iccirco hæ quoque effecta illius primæ gratiæ eſſe dicuntur, quatenus proficiſcuntur ab æterno & gratuito Dei, non quidem erga reprobos, ſed erga electos, ad quorum ſalutem reprobis etiam communicantur, amore.

13. Gratia primo modo ac propriè accepta, hoc eſt, æternus gratuitúſque Dei amor atque fauor; initium eſt, conſummatio atque finis ſalutis noſtræ: vnde tota ſalus & quæcunque ad ſalutem noſtram faciunt, profecta ſunt ac proficiſcuntur.

14. Id vnde Deus (vt ita loquar) permotus fuit ad nos eligendos atq; in æternã vitam prædeſtinandos: fuit ipſius tantùm gratia, ſeu bona erga nos ipſius voluntas atque εὐδοκία & amor. Finis verò vltimus ac præcipuus, fuit ipſius gloria: vt ſcilicet ipſius bonitas, iuſtitia, miſericordia patefieret, atque ita glorificaretur. Vtrunque Apoſtolus tradit Epheſ. 1. *Elegit nos in Chriſto, in ſeſe, iuxta beneplacitum voluntatis ſuæ*, hoc eſt primum. *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* hoc eſt alterum.

15. Tota noſtra ſalus eſt gratuita; & quia eſt gratuita, ideò eſt certa: & quia certa, ideo debemus liberati omni timore & metu, læto animo & hilari conſcientia continenter gratias agere tanto cæleſti Patri in Chriſto, illi fidere, in illũ ſperare, illum inuocare, illum amare, ad eius voluntatem, noſtram cõformare; illius mandatis implendis ſtudere, & ad omnia propter eius nomen tormenta perferenda animos noſtros præparare, diceréque cum Dauide: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem ſalutis accipiam: & nomen Domini inuocabo.*

TRACTATIO DE PRAEDESTINATIONE SANCTORVM, IN HAS PRÆCIPVAS THESES EST DISTRIBUTA.

1. Diuerſus eſt amor, quo Deus omnia, etiam impios, diligit, ab illo quo quoſdam ab æterno ita dilexit, vt etiam ad æternam vitam prædeſtinarit.

2. Omnium hominum quicunque vnquam fuerunt, ſunt aut erũt, in foueam peccati lapſorum: quoſdam Deus inde aſſumit, quoſdam ibi relinquit: ac proinde quoſdam ab æterno inde aſſumere, quoſdam ibi relinquere decreuit. & hæc eſt electio atque reprobatio.

3. Præſcientia Dei, accipitur aliquando pro ea cognitione, qua Deus ab æterno generatim nouit, tam quæ alij admiſſuri erant, hoc eſt, peccata, quàm quæ ipſe facturus erat, ſiue in electis, ſiue in reprobis, ſiue in aliis creaturis. Sic Patres & Scholaſtici. Aliquando pro illa cognitione, qua ſpeciatim quoſdam, id eſt, electos, cum affectu amoris, vt ſuos prænouit, hoc eſt, ab æterno amauit: vt Rom. 8. οὓς προέγνω, Rom. 11. *Non repulit Deus plebem quam* προέγνω: ſeu capitur pro ipſa prædeſtinatione.

4. Prædeſtinatio, pars prouidentiæ eſt: & vtraque (iuxta Scholaſticos) eſt eorum tantùm, quæ Deus ipſe facturus erat atque eſt. Sed prouidentia ad res vniuerſas extenditur: prædeſtinatio autem reſtringitur ad creaturas ratione præditas: quanquam nonnunquam apud Patres, prædeſtinatio pro Prouidentia vſurpatur, atque ita ad omnes res extenditur κατεχρηστικῶς.

5. Est autem prædestinare Latinis: principio antè deliberare, definire, constituere apud te aliquid agere, antequam agas. Deinde est præmittere, atq; antè aliquid ad certum finem deputare ac dirigere. προορίζειν quoque Græcis est, antequam aliquid agas, quid agere velis, definire: tum vnumquodque antequã fiat, ad suum certum finem atque vsum deputare. Hebræus verò Moses in sacris Libris, id quod septuaginta verterunt προορίζειν, ipse habet (*habhdel*) quod à reliquis rebus aliquid ad suũ vsum segregare significat: vt cùm Dominus à reliquorum populorum colluuie populum suum Israëlem ad verum cultum veramque religionem, ideóque ad veram salutem selegit, segregauit, separauit.

6. Potest autem hoc nomen Prædestinatio, si ipsius significatio spectetur: generaliter ad omnes creaturas, etiam irrationales, imò verò etiam vitæ expertes extendi. Sed apud Patres ea tantùm est hominum atque Angelorum, tam impiorum quàm piorum: in Scripturis verò nomen hoc de electis tantùm vsurpatur. Quare ij soli prædestinati propriè esse dicuntur.

7. Triplex igitur est prædestinationis definitio. Vna generalissima, omnes creaturas complectens. Altera generalis ad homines se extendens. Postrema specialis ad electos tantùm pertinens.

8. Prima prædestinatio, est æternum immutabiléque Dei decretum, quo vnamquamque rem, antequam crearetur, ad suum certum & vsum & finem deputauit seu destinauit.

9. Altera prædestinatio, est æternum immutabiléq; Dei decretum, quo apud semetipsum ab æterno constituit: primùm omnes homines tum creare, tum vt in peccatum laberentur, & in mortem ruerent, permittere: deinde horum alios in Christo sua tum gratia, tum æterna vita gratis donare: alios verò hac gratia nõ dignari, sed cum Sathana tum excæcare & indurare, tum æterno exitio perdere: idque vt in illis diuina bonitas & misericordia, in istis verò diuina potentia & iustitia declaretur: atque ita in omnibus Deus glorificetur.

10. Tertia, hoc est, Sanctorum prædestinatio, est æternum immutabiléque Dei decretum, quo citra vlla hominum merita apud se constituit, certos quosdam homines, in vitam hanc suo tempore productos, & opera Diaboli in peccatum ac mortem vnà cum aliis lapsos, gratîs tamen à peccato & morte, atque à reliqua hominum colluuie segregatos; Christo inserere, pérque fidem iustificare & Christo insitos ac iustificatos, regignere, atque ad sua placita sanctificare, sanctificatos perpetua quotidianorum peccatorum condonatione, perpetuaque sancti S. gratia comitari: denique vti Dei filios & regni cælestis cum Christi hæredes, beata & æterna vita donare: totúmque hoc, vt in iis misericordia & bonitas Dei perpetuò illustretur, ipséque Deus in perpetuum glorificetur.

11. Deus nihil cognoscit vel vult iam, quod etiam ab æterno non nouerit, atque voluerit. prædestinatio igitur æterna est.

12. Æterna & simplex Dei voluntas, immutabilis est. Vnde illud Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio*. Est igitur prædestinatio immutabilis.

13. Nemo suæ prædestinationis est efficiens caussa: sed sola Dei simplex & æterna voluntas.

14. Peccatum, quoad Deum: non contingit fortuitò, sed diuino consilio, quia diuina eáque voluntaria permissione: neque tamen peccatum effectus est diuinæ prædestinationis, aut Dei: quia malitia peccati aut peccatoris à Deo non est. & proinde nemo potest dici ad peccatum, quatenus peccatum est, fuisse à Deo prædestinatus.

15 Per-

15. Permiſſio, atque ea quidem voluntaria, qua Deus permittit peccatum: opus Dei eſt, ideóque bonum: peccatum autem ipſum permiſſum, quà peccatum eſt, opus Dei non eſt, ſed tum Sathanæ, tum hominis.

16. Omnes homines ſunt prædeſtinati: alij ad vitam, alij ad mortem æternam.

17. Extra Chriſtum nemo poteſt aut eſſe ad vitam æternam prædeſtinatus, aut efficaciter vocari, aut verè iuſtificari, aut æternùm glorificari.

18. Quicunque ſunt prædeſtinati ad vitam æternam, ceu ad finem: ſunt etiam ad debita, per quę illa recipitur, media prędeſtinati. Fides ergo, opera fidei, & perſeuerantia in fide, ſeu, initium, progreſſus & conſummatio ſalutis: effecta ſunt omnia prædeſtinationis.

19. Deus cùm poſſet, noluit tamen omnes homines promiſcuè gratia prædeſtinationis æternæ dignari.

20. Deus quoſdam excæcat, indurat, perdit. Hos igitur indurare, excæcare, perdere ab æterno decreuit.

21. Finis vltimus atque præcipuus tum reprobationis quorundam, tum electionis aliorum, eſt gloria Dei: quę tam in reiectione impiorum, quàm in electione piorum, luculenter reſplendet.

22. Creari & ſini labi in peccata & in mortem: effecta ſunt prædeſtinationis communia electis atque reprobis. Donari autem gratia, fide, operibus, fidei perſeuerantia & tandem æterna vita: effecta ſunt propria prædeſtinationis electorum. Deſeri verò in peccatis perpetuò, excæcari, indurari, ac denique damnari: effecta ſunt reprobationis, propria impiorum.

23. Argumentatio hæc à poſteriori: Deus creauit homines, deinde eos voluntariè permiſit labi in peccatum, & per peccatum in mortem ruere: poſtremò verò horum alios inde per Chriſtum miſericorditer eripit & ſaluat, alios in peccatis deſerit iuſtiſſimè, excæcat, damnat: vtrumque verò ad & propter gloriam ſuam facit: Ergo Deus ab æterno hæc omnia decreuit facere: Sophiſtica non eſt, ſed demonſtratiua. Hæc verò eſt prædeſtinatio piorum & impiorum.

24. Nemo ad æternam vitam prædeſtinatus eſt conditionaliter, ſi crediderit, ſi ſeruarit legem: ſed quotquot ad eam prædeſtinati fuerunt, abſolutè & ſimpliciter prædeſtinati ſunt: ita vt etiam ideo credant & ſeruent legem, quia ſicut ad vitam, ita etiam ad credendum & legem ſeruandam ſunt prædeſtinati.

25. Electorum tantùm eſt vera & iuſtificans fides. Reprobi autem etſi ad tempus videntur credere: illorum tamen fides, vera non eſt, ſed temporaria, ideóque hypocritica.

26. Quidquid boni habent aut agunt Sancti: ideo habent aut agunt, quia ad id habendum aut agendum prædeſtinati ab æterno gratîs fuerunt. Initium igitur ſalutis hoc eſt, fides, & progreſſus, hoc eſt, opera fidei, & finis, hoc eſt, finalis perſeuerantia, plenáque vitæ æternæ poſſeſſio: gratuita ſunt diuinæ prædeſtinationis, ſeu Dei prædeſtinantis, effecta. Quare neque fides, neque opera fidei, cauſſa eſſe poſſunt prædeſtinationis: cùm non dicat Apoſtolus, *Elegit nos*, quia futuri eramus ſancti: ſed, *vt eſſemus ſancti*: neque, *Ideo miſericordiam conſecutus ſum*, quia fidelis futurus eram: ſed, *vt fidelis eſſem*.

27. Non eſt impium, dicere: Reprobos ideo non credere, nec reſipiſcere, nec legem Dei ſeruare: quia neque ad credendum, neque ad reſipiſcēdum, neque ad legem Dei ſeruandam prædeſtinati fuerunt: cùm Dominus ita loquatur: *Ideo vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis.* Item, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.*

28. Imò

28. Imò neque impium est, dicere, Reprobos ideo opera, quæ in ipsis reprobis mala sunt, facere, quia ad ea facienda fuerunt prædestinati: cùm hoc doceat Spiritus Dei in Scripturis Act. 2. 4.

29. Non potest dici vel prædestinatio vel Deus caussa esse peccatorum, quæ impij admittunt: aut Deus impios adpeccata prædestinasse: tum quia malitia qua impij peccant, à Deo non est, sed à Sathana: tum quia Deus neminem ad peccata, quatenus peccata sunt, prædestinauit: sed tantùm quatenus sunt vel actiones quædam in se, ideóque non malæ: vel sunt pœnæ peccatorum.

30. Imò ideò impij illa, ad quæ facienda prædestinati à Deo fuerant, faciendo peccant: quia opera Dei alioquin in se bona, ipsi animi sui & carnis prauitate inficiunt.

31. Caussa igitur propria peccati efficiens, est innata hominibus infidelitas atq; malitia.

32. In quouis peccato duo sunt: opus ipsum quod fit, vel saltem actio aut interna aut externa: & ipsa peccantis κακία qua efficitur vt opus vel actio fiat peccatũ. opus, est à Deo (operatur enim omnia in omnibus) κακία verò, minimè. Quòd igitur impij opus illud faciunt, habent à Deo & à Dei prædestinatione: quòd verò illud faciendo sua κακία peccent, neque à Deo est, neque à Dei prædestinatione habent.

33. Gratiæ Dei in electis effecta: primum, redemtio à peccato & morte per sanguinem Christi: secundum efficax per Spiritum sanctum ad huius redemtionis κοινωνίαν vocatio: tertium, ideóque actualis à reliqua hominum mundi colluuie segregatio: quartum, realis in Christum insitio; ac proinde quintum, per fidem iustificatio: sextum, regeneratio: septimum, vera ad placita Dei facienda sanctificatio: octauum quotidianorum peccatorum remissio: nonum, Spiritus sancti præsentia. decimum, æternæ vitæ donatio.

34. Etsi Deus prædestinans non est sub tempore: homines tamen prædestinati sunt sub tempore. Cùm igitur Spiritus sanctus perpetuò in Scripturis dicat Deum prædestinasse nos, idque ante mundum constitutum, non autem prædestinare: meritò concludimus, prædestinationem ab æterno factam fuisse.

35. Prædestinatio est æterna. nos igitur electi ab ęterno fuimus Deo chari ac dilecti.

36. Prædestinatio est immutabilis. Salus igitur electorum certissima est, & perire non possunt.

37. Certi aliquot homines sunt prædestinati ad vitam, non autem omnes. est igitur certus numerus electorum, qui nec augeri nec minui potest.

38. Prædestinatio Sanctorũ tota est gratuita, sũntq; Sancti ad vitam, ad fidem, ad omnia Dei dona prædestinati, citra vlla sua merita vel pręterita vel futura, & citra bonum vsum liberi arbitrij, denique citra vllam suam caussam, præter voluntatem Dei.

39. Tutior, certiórque est nostra salus in manu Dei, quàm in manibus nostris.

40. Qui prædestinati sunt ad æternam vitam, sunt illis etiam prædestinata opera bona, in quibus ambulent. Nullus igitur electus adultus hinc in cælum migrat sine studio bonorum operum.

41. Quare fallaciam diuisionis admittunt, qui sic argumentantur: Si sum prædestinatus ad salutem, etiam sine bonis operibus saluabor.

42. Contra

42. Contrà verò filij Dei sic inferunt: Sum prædestinatus ad æternam vitam: ergo mihi ambulandum est in bonis operibus. Quia prædestinatis ad vitam, prædestinata sunt bona opera, in quibus ambulent.

43. Quicunque cernit in se prædestinationis effecta, hoc est, qui videt se efficaciter vocatum, qui sentit se iustificatum, donatum fide atque studio bonorum operum: is certissimè sibi persuadere debet, se esse ex numero prædestinatorum.

44. Duæ enim viæ, quibus electi certiores redduntur, quòd sint ad æternam vitam prædestinati. Vna est à priori, seu à caussa. Hæc est bonitas, gratia, charitásque Dei diffusa in cordibus nostris: seu ipse Spiritus Dei, qui reddit testimonium Spiritui nostro quòd sumus filij Dei. de qua via Rom. 8. Altera est à posteriore, seu ab effectis prædestinationis & gratiæ: qui sunt, vocatio, iustificatio, studium bonorum operum: de qua via 2. Pet. 1.

45. Hac nota discernuntur veri electi à reprobis: quòd electi iam renati perpetuò exosi peccatum, ambulant in studio bonorum operum: atque ita ambulãt, vt licet aliquando inter ambulandum in peccatum labantur: cauent tamen & antè, ne labantur: & pòst, in lapsu ne permaneant, atque ita toto animo totáque voluntate nunquam peccant. Reprobi verò ita peccati atque Sathanæ sunt captiui, & illius concupiscentiis, tanquam regiis mandatis, ex animo & semper & vbique pro sua virili obtemperant: vt etsi aliquando ad tempus credere in Christum, studere bonis operibus, & ideo ex numero electorum esse videantur: nunquam tamen reuera credant in Christum, nunquam reuera ament legem Dei, nunquam reuera odio habeant peccatum.

TRACTATIO DE IMPIORVM EXCAECA-tione, iis constat Thesibus.

1. Deum quosdam indurare, excæcare, tradere in sensum reprobum, vt faciant ea quæ non conueniunt: S. literæ apertè tradunt.

2. Cæterùm reprobos tantùm, non autem electos indurat.

3. Etsi verò omnes reprobos tãdem deserit & sua luce spoliat, atque ita omnes quodammodo excæcat & indurat: hoc tamen excæcationis genere, de quo Iesaias hîc, Moses in Exod. Apostolus ad Rom. 11. 9. non omnes, sed tantùm insignes quosdam impios & contumaces excæcare & indurare Deus in S. literis dicitur.

4. Cur Deus quos excæcat reprobos, excæcet: finalis caussa triplex est. Prima, vt ipsi propter sua præcedentia facinora (sicut iustitia postulat) aliis peccatis puniantur. Altera, vt electi, illorum exemplo discant timere Deum, & Domino minimè contumaciter recalcitrare. Tertia, vt ira & potentia Dei contra peccatum, toti orbi patefiat, atque ita ipsius nomen celebretur in omni terra.

5. Caussa verò, à qua Deus quodammodo impellitur & mouetur ad excæcandos impios: duplex est. vna, est ipsa reproborum impietas, atque imprimis peruicacia contra Dominum. altera, est ipsum æternum Dei propositum, atq; volũtas.

6. In quæstione, quomodo Deus excæcet & induret, dicere Deum id facere sola permissione, quasi in iis qui excæcantur, Deus nihil agat: Pelagianum est, & quidem ab Augustino confutatum atque damnatum.

7. Neq; verum est, Deũ excæcare sola suæ gratiæ, seu sui luminis subtractione.

8. Neque etiam satis est, dicere Deum excæcare externa quadam sua actione: sed indirectè, quædam scilicet reproborum oculis & auribus obiiciendo, per quæ cùm illi deberent illuminari atque emolliri, fit ipsorum vitio, vt magis excæcentur ac indurentur.

9. Sed

9. Sed præter hanc externam actionem, qua impiis obiicit offendicula, interna etiam eáque mirabili ac iustissima actione in cordibus impiorum pro suo iusto iudicio agendo, eos excæcat atque indurat Deus.

10. Cæterùm id facit Deus, aliquando quidem per se atque immediatè: aliquando verò mediatè per ministerium Sathanæ, carnificis diuinæ iustitię, in cordibus impiorum agendo, minimè tamen illos cogendo.

11. Neque ob id tamen Deus peccati autor vllo modo dici potest, quia semper est iustus, & iniustè nihil agit, neque iniustitiam cuipiam indit.

12. Etsi autem Deus vna ex parte mandat reprobis quos vult excæcare, vt conuertantur & resipiscant: & altera ex parte illos excæcat & indurat, ne illud quod verbo externo mandauerat faciant, hoc est, ne conuertantur & resipiscant, sicut apparet in Pharaone: Non hinc tamen sequitur, Deum reprobis illudere est enim semper iustus, nihil mali agit, neque absurda facit.

13. Humana quidem prudentia illud ex prædictis infert: sed ea in iudiciis Dei, quæ sunt abyssus multa, audienda non est: sequendum verò est simpliciter Dei verbum.

14. Verbum autem Dei apertè tradit: primùm, Deum omnibus mandare vt resipiscant & vitent peccata. Hæc est lex Dei: in huius igitur obedientiam nobis incumbendum est. Alterum, Deum quosdam excæcare, ne conuertantur & sanentur. Hoc est Dei iudicium. Iudicia autem Dei sunt admiranda, non inuestiganda: quia inscrutabilia (vt ait Apostolus) & abyssus multa: vt ait Propheta. Tertium, apud Deum nullam esse iniquitatem, & Deum omnia bene & iustè agere, & absurda non facere, denique sui perpetuò esse similem. Reuera igitur neque Deus cuipiam illudit, neque eius iudicia pugnant cum eiusdem Lege.

15. Quare etsi Deus quosdam tradit in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ nō decet: non tamen esse aut dici propriè potest autor peccati: quòd caussa peccati perpetuò in hominibus resideat, naturæ scilicet corruptio, seu concupiscentia carnis, quam Iohannes negat esse ex Deo.

16. Cæcitas, obduratio, in mala desideria impulsio, quæ Deo tanquam caussæ efficienti in Scripturis attribuuntur: considerari possunt, primò quà sunt peccata: deinde quà sunt pœnæ præteritorum peccatorum: tertiò, quà sunt caussæ insequentium peccatorum. Punire autem peccata peccatis, opus est iusti iudicis, non autoris peccati. Non potest igitur Deus, cùm excæcat & indurat, aut iniustitiæ accusari, aut peccati autor appellari.

17. Deus semper est iustus. Iniusti igitur autor esse non potest. Omnis autem pœna peccati, quæcunque illa sit: & iusta est, & proinde à Deo est. Quædam autem peccata, sunt pœnæ etiam peccatorum. Illa igitur, quà sunt pœnæ peccatorum: iusta sunt, & eorum autor est Deus.

18. Quædam pharmaca non ita possunt morbos curare, quin etiam aliquo modo corpora ægrotantium lædant: non ob id tamen medicus vnquam, quasi huius læsionis autor, ab iis qui sapiunt, accusatur: sed contrà potiùs vt curati morbi caussa laudatur: idque, quoniam non in hunc finem pharmacum præscripsit, vt læderet, sed vt sanaret. Etsi igitur excæcatio & induratio non ita possint esse pœnæ peccatorum, quin etiam sint peccata & caussæ peccatorum: non ob id tamen Deus, qui excæcat & indurat, accusari potest quasi autor peccati, sed potius laudandus est, quòd peccatorum sit vltor: cùm in excæcandis impiis non propriè hunc sibi proponat finem, vt illi admittant peccata: sed contrà hunc, vt ipse puniat illorum scelera.

19. Per

19. *Per Legem auctum est peccatum*, Rom.7. Deus autem dedit hanc Legem. Non ob id tamen Deus aucti peccati autor vnquam est appellatus, aut appellari potest. Quia non in hunc finem propriè dedit Legem, vt per eam peccatum augeretur: sed contrà potiùs, vt per eam non tantùm agnosceretur, verumetiam cohiberetur. Ergo neque quòd excæcet & induret, vnde in impiis augentur peccata, peccatorum illorum autor esse dicíve potest. Quia non propriè vt augeantur, sed potius vt puniantur peccata, Deus impios excæcat & indurat.

20. Concupiscentia est non solùm peccatum, sed etiam caussa peccati. & hanc Deus reliquit in natura, & vult vt in omnes traducatur. neque tamen ob id peccati autor esse dicitur. ídque propterea, quòd illam vult in posteros omnes transfundi, non propriè quatenus peccatum est & caussa peccatorum omniũ: sed tantùm quatenus est pœna peccati Adæ, in quo omnes peccauerũt. Ergo neque quòd excæcet & induret, peccati autor dici potest aut debet. quia non excæcat & indurat propriè vt peccetur: sed tantùm, vt peccatum aliis peccatis puniatur.

21. Deus excæcat atque indurat, quatenus excæcatio & induratio pœnæ sunt peccati. Quidquid autem Deus facit, illud etiam ab æterno voluit & decreuit facere. & hoc est prædestinare. Impium igitur non est, dicere Deum quosdam ad excæcationem & indurationem ab æterno prædestinasse, non vt illæ sunt peccata & peccatorum caussæ, sed tantùm vt pœnæ peccatorum.

22. Duplex est malum, culpæ & pœnæ. & aliquod quidem malum culpæ est, quod non est pœnæ: aliquod verò, quod est etiam pœnæ. ita contrà, aliquod malum pœnæ est, quod non est culpæ: & aliquod ita pœnæ vt etiam culpæ.

23. Ad malum culpæ simpliciter, quatenus malum culpæ est, Deus neminem prædestinauit: hoc tamen futurum præuidit, atque ad sui gloriam præordinauit. neque enim quoad Deum fortuitò contigit.

24. Deus quosdam ab æterno prædestinauit ad malum pœnæ, quod nullo modo est malum culpæ, seu quod peccatum non est, sed tantùm pœna peccati, siue hęc pœna temporalis sit, siue æterna.

25. Quosdam verò prædestinauit ad tales peccatorum pœnas, quæ etiam sunt peccata & caussæ peccatorum: verùm non vt sunt peccata aut caussæ peccatorum, sed tantùm quatenus sunt pœnæ peccatorum.

26. Duplex finis, cur Deus quosdam excæcet atque ad excæcationem prædestinarit: proximus & postremus. proximus, est ipsorum qui excæcantur perditio: postremus, ipsius Dei impios perdentis gloria.

27. Cùm dicitur Deus excæcare & indurare: nequaquam cogitandum est, aliquem ex vidente cæcum, & ex molli durum à Deo fieri (nemo enim Deo autore fit malus) sed ita intelligenda sunt hæc dicta, quòd Deus eorum, quos reperit cæcos & duros, cùm quosdam illuminet & emolliat pro sua gratia, alios pro suo iusto iudicio non solùm in suis tenebris & duritie deserat, sed etiam vt peccatum peccatis puniat, illos magis excæcet & induret, eo quo suprà dictum est modo.

28. Iustissimum autem est, vt quos Deus reperit sua culpa cæcos & duros: eosdem magis ac magis excæcet atque induret. Nemo igitur Deum iniustitiæ, quòd se excæcet, accusare iure potest.

TRACTATIONIS DE REDEMTIONE ECCLESIAE per Christum, déque certitudine nostræ prædestinationis & salutis, summa, 29. Thesibus comprehensa.

1. Hierosolyma terrena, typus fuit Ecclesiæ Christi: & quæ in ea ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον contigerunt, typi fuerunt eorum, quæ in Ecclesia Christi futura erant.

2. Liberatio igitur Hierosolymæ tempore Iesaiæ facta, de qua Iesa.9.typus fuit liberationis totius Ecclesiæ per Christum faciendæ.

3. Sicut in illa terrena Hierosolyma graues fuerunt tenebræ, hoc est, calamitates: ita grauissimæ sunt tenebræ, hoc est, calamitates, tum terrenæ, tum spirituales; partim in quas Ecclesia Dei mox post peccatum Adæ incidit, partim quibus quotidie premitur.

4. Sicut autem Hierosolyma illa per Angelum Domini magna Dei virtute liberata fuit, vt verè dicat Propheta, *Populo ambulanti in tenebris lux orta est*: ita Ecclesia Dei per Christum partim liberata semel fuit, partim quotidie magis ac magis à suis tenebris liberatur: diuina luce tenebras illius sensim depellente, donec tandem, id quod futurum est in fine seculi, perfectissimè ab omnibus malis & hostibus liberetur.

5. Etsi verò plures erant Israelitæ, qui ab iisdem hostibus obsidebantur, quàm Iehudæi: non illi tamen, sed tantùm isti liberati fuerunt. Ita etsi multò plures sint reprobi quàm electi: liberatio tamen per Christum facta, non ad reprobos, sed tantùm ad electos reipsa pertinet: vt verè Propheta hoc admirans dicat, *Mutiplicasti gentem: at non magnificasti lætitiam.*

6. Christus enim secundum propositum Patris, pro ipsis tantùm electis, hoc est, pro iis qui secundum electionem æternam erant in se crediturí: natus, precatus, passus, mortuus est & resurrexit, atque ad dextram Patris intercedit.

7. Porrò Ecclesiæ per Christum redemtio, quadrifariam considerari potest. Primùm quidem, quatenus tota coram Patre redemta est, cùm Christus pro ea mortuus est. tunc enim reuera omnes electi redemti & reconciliati fuerunt Deo. Deinde quatenus per fidem, huius redemtionis fit conscia atque particeps. Cùm enim electi Euangelio de reconciliatione veram fidem adhibent: dicuntur iustificari & reconciliari Deo: quia scilicet reconciliationem iam per Christum factam, fide intelligunt, recipiunt, amplectuntur. Tertiò quatenus Ecclesia quotidie magis ac magis ab hostibus se perpetuò obsidentibus per eundem Christum liberatur: quòd scilicet etsi perpetuò oppugnetur: nunquam tamen, Christo eam tuente, expugnetur. Postremò quatenus destructis penitus hostibus omnibus, atque adeò ipsa etiam morte, quam Apostolus nouissimum hostem appellat, ita erit omnibus malis liberata, vt nulla sit ei amplius pugna cum vllo hostium genere futura.

8. Præcipuus autem fructus, qui ex percepta redemtione in cordibus fidelium nascitur: est vera ac solida, spiritualis æternáque coram Deo lætitia. de qua etiam Propheta ait: *Lætabuntur coram te, sicut, qui lætantur in messe.*

9. Materia enim veræ lætitiæ est, cùm sentimus fide omnia iuga, peccati, mortis, Legis, Sathanæ, mundi, quibus premebamur, per Christum esse fracta.

10. Nemo siquidem suis vel viribus vel meritis sese à iugo seruitutis peccati, mortis, Sathanæ, & Legis, liberauit: sed solus Christus nos liberauit. Quare salus nostra tota soli Christo est accepta ferenda.

11. Etsi verò Christus ipse est, qui nobis sine nobis victoriam contra hostes omnes parauit: tamen huius victoriæ participes esse non possumus, nisi tanquam veri Israëlitæ in expeditione contra Midianitas, fidei lumen in cordibus feramus, & eiusdem tubam, hoc est, confessionem, in ore habeamus: sicut etiam Rom.10.scribitur: *Corde creditur ad iustitiam: ore autem fit confessio ad salutem.*

12. Porrò totius humanæ redemtionis caussa, duplex est. vna per quã ac propter quam. Hæc, est Christus mediator, & Christi merita. altera, efficiens prima ac principalis. ea est, cùm æternus ac constans Dei erga suam Ecclesiam, hoc est, electorum cœtum amor, tum suæ ipsius gloriæ & honoris zelus. Ac de prima quidem ait

Prophe-

Propheta: *Puer datus est nobis, & Filius natus est nobis, ad proferendum imperium.* de altera ait: *Zelus Domini exercituum faciet hoc.*

13. Christus totum suum principatum, omniáque principatus onera humeris suis sustinet, vt docet Propheta, dicens: *Cuius principatus super humerum eius.* Principatus autem Christi, est Ecclesia Sanctorum. Gestamur igitur omnes fideles humeris Christi. Quos autem Christus semel suscepit humeris suis gestandos: eos nunquam ex humeris deiicit: iuxta etiam illud Iohan.17. *Quos dedisti mihi, ego custodiui.* Salus igitur nostra secura est in Christo.

14. Onera principatus seu regni Christi sunt nostra peccata. Principatus autem Christi cum omnibus suis oneribus est, super humerum eius. Christi igitur omnium electorum peccata sustinet: iuxta illud etiam Prophetæ: *Posuit in eo Deus iniquitates omnium nostrûm.*

15. Si principatus est super humerum eius: Christus igitur suam Ecclesiam ipse perpetuò protegit atque gubernat.

16. Si Ecclesia principatus est Christi: Ecclesia igitur spectato suo principe, est monarchia, & solum Christum habet monarcham. Est autem hic princeps immortalis, & perpetuò suam regit monarchiam. Ecclesia igitur nunquam est aut esse potest ἀκέφαλος.

17. Hierosolyma, hoc est, Ecclesia, non solùm per Christum, sed etiam propter Christum liberata est: idque bifariam. Primùm, quia propter merita Christi redemta & liberata est: deinde propter Christum, tanquam caussam finalem. Quia ideo liberata est Ecclesia, hoc est regnum Christi è manibus hostium ereptum est, & quotidie magis ac magis eripitur: vt illo tandem ipse vnus vnà cum Patre in cælo fruatur: iuxta illud etiam Apostoli 1. Corinth.15. *Deinde tradet regnum Deo & Patri:* sicut etiam vicissim nos Deo & principe nostro Christo perfruemur.

18. Fons & origo salutis nostræ, est amor Dei ergo nos æternus atque constans. æternus, quia non in tempore, sed ab æterno, antequam nati essemus, dilexit nos ad æternam vitam: constans, quia quos semel isto æterno amore complexus est, eos amare pergit in perpetuum: vt Dei amor sit non tantùm æternus, sed etiam perpetuus.

19. Amor iste Dei, fons est totius salutis nostræ. quia inde factum est, vt nos ad æternam vitam prædestinarit in Christo, vt Christum miserit in mundum, vt nos efficaciter vocarit per Euangelij prædicationem, vt quotidiana peccata condonet: vt denique plenè daturus sit vitam æternam.

20. Amor Dei erga nos, zelus à Propheta appellatur: quòd sit instar amoris sponsi erga sponsam, nimirum ardentissimi, ideóque cum solicitudine & dolore coniuncti. solicitudine, ne rei amatæ aliquid aduersi contingat: dolore, si contingat.

21. Zelus quoque, quo Deus suam zelat, hoc est, ardenter amat gloriam: caussa est salutis nostræ efficiens. Is enim ferre non poterat, vt præter reprobos ipsi quoque electi, perpetuò in manibus Sathanæ captiui detinerentur: quoniam hoc faciebat contra gloriam Dei. Zelus igitur Domini, quo scilicet tum nos, tum gloriam suam ardenter amauit & amat: fecit hoc, hoc est, caussa fuit salutis nostræ per Christum partæ ac conseruatæ.

22. Nemini salus & vita æterna contingit aut contingere potest, nisi electis ad salutem vitámque æternam. Marth.10. 25. Rom. 8. Nemo igitur de sua salute certior fieri potest, nisi certus fiat de æterna immutabilíque sui ad salutem æternámque vitam electione.

23. Tenetur autem quisque certò credere, se ad salutem vitámque æternam, in

Christo electum à Deo ante mundi constitutionem fuisse: id quod multis argumentis demonstratur in capite huiusce tractationis septimo.

24. Vt verò quisque sibi hoc possit persuadere: certæ traduntur regulæ, partim à priori (vt vocant) seu à caussis: partim à posteriori, seu ab effectis electionis, deductæ: idque in eodem 7. huius tractationis capite.

25. Christus secundum propositum voluntatis Patris & suæ, neque orauit, neque passus est nisi pro electis: id quod multis Scripturarum locis demonstratur.

26. Nemo vera in Christum fide præditus esse potest, nisi electus sit in Christo ad æternam vitam: vt multis Scripturarum testimoniis probatur cap. 7. Quicunque igitur sentit se vera donatum esse fide in Christum: concludat, se in Christo ad æternam vitam esse prædestinatum.

27. Quicunque vera & viua fide præditus est: potest sentire & sentit se verè credere in Christum. potest igitur fidelis certus fieri de sui ad æternam vitam electione.

28. Doctrina de Prædestinatione, sicut electis nihil salutarius: ita reprobis nihil, ipsorum culpa, pernicioßius. Etsi igitur isti ea offenduntur: tamen propter illos prædicanda est.

29. Ex thesauris Christi tantum quisque habet & possidet, quantum fide ex eis accipit, atque haurit. Qui igitur potest verè credere, se fuisse ab æterno in Christo ad vitam æternam electum, is electus est.

CAPITIS QVARTI TRACTATIONIS DE CHRISTO aduocato, summa, quatuor comprehensa propositionibus.

1. Christus est aduocatus electorum tantùm, & quidem omnium quotquot à condito orbe fuerunt, & vsque in finem seculi futuri sunt.

2. Christus etiam est ἱλασμὸς, tantùm pro peccatis electorum totius mundi: est igitur tantùm illorum aduocatus. Sic Ecclesia Smyrnensis ad omnes parœcias Ponti ait: Christum passum esse pro salute omnium mundi seruandorum: seruantur autem tantùm electi. Sic Ambrosius Tom. 2. de fide ad Gratianum lib. 4. cap. 1. *Si non credis, non descendit tibi, non tibi passus est.* ergo tantùm pro credentibus passus est.

3. Mundus accipitur in Scripturis aliquando pro toto mundo, omnibúsque hominibus, tam electis quàm reprobis: aliquando pro parte tantùm potiore, hoc est, pro electis: aliquando pro parte mundi deteriore, hoc est, pro reprobis. Autor quoque libri de vocatione Gentium lib. 1. cap. 3. multarum Scripturarum exemplis demonstrat, sæpenumerò in Scrpturis pro parte terræ totam terram, pro parte mundi totum mundum, pro parte hominum, omnes homines nominari: idque tam de impiis quàm de piis. Ergo cùm ait, Christum esse ἱλασμὸν pro peccatis totius mundi: non cogimur nomine Mundi, omnes homines in vniuersum intelligere.

4. Discrimen est inter opus redemtionis, & vim redemtionis. Illud semel est factum: hæc autem æterna est, sese extendens tam ad eos qui fuerunt à condito orbe, ante ipsum etiam opus redemtionis peractũ: quàm ad eos qui post peractum redemtionis opus, vsque in finem seculi futuri sunt. ἱλασμὸς autem, propriè est ipsa redemtionis ac propitiationis vis. Nihil igitur impedit, quò minus pro peccatis etiam eorum qui à condito orbe fuerunt electi, Christus perpetuò fuerit atque sit ἱλασμός.

QVÆSTIONIS, AN REMISSIO PECCATORVM *semel impetrata, possit denuò fieri irrita, summa, 14. conclusionibus comprehensa.*

1. In hoc totum versatur Euangelium, vt nobis in Christum credentibus persuadeat, salutem nostram firmam esse atque constantem, nempe in Christo. Si quis igitur dicat, peccatorum remissionem semel impetratam per insequentes lapsus, in Sanctis fieri posse irritam: is totum euertit Euangelij scopum.

2. Per solum perfectum relapsum à pietate ad impietatem remissio præteritorum peccatorum semel impetrata, fieri potest irrita. Non cadit autem hic relapsus in verè sanctos atque electos. non potest igitur in ipsis peccatorum remissio fieri irrita.

3. In reprobis, vera peccatorum remissio nunquam habet locum: nunquam igitur in illis potest irrita fieri: quare in nemine.

4. Sanguis enim Christi, per quem solum impetratur remissio, non est secundum propositum Dei & reipsa pro reprobis incredulis effusus: sed tantùm pro quibusdam multis, hoc est, electis, & quidem pro omnibus istis multis.

5. Neque pro reprobis rogauit in terra, aut nunc intercedit in cælo Christus: sed tantùm pro electis credentibus & crediturís in se: remissio autem peccatorum, Christi intercessione impetratur.

6. Spiritu etiam regenerationis non donantur verè nisi electi, qui verè sunt Christi. Rom. 8. Sine Spiritu autem regenerationis remissio peccatorum non obtinetur.

7. Vera quoque & iustificans fides, electorum tantùm est: quomodo igitur reprobi peccatorum remissionem assequi possunt?

8. Reprobis impiis, nunquam est vera pax: vt ait Propheta: peccatorum autem remissionem, vera pax consequitur.

9. Remissionem peccatorum semper consequitur ius æternæ vitæ: ius autem, ipsa tandem possessio: reprobi verò nullum habent vnquam ius in æternam vitam, & multò minus illius possessionem.

10. Idem sunt, remissionem peccatorum consequi & iustificari: Rom. 4. Non iustificantur autem nisi prædestinati electíque ad iustificationem & vitam æternam, & quicunque iustificantur, tandem etiam glorificantur: Rom. 8. Reprobi itaque nunquam verè peccatorum remissionem consequuntur. Quare neque irrita in eis fieri potest, in quibus nulla est.

11. Illo Apostoli dicto ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque seculi venturi, & prolapsi sunt: rursus renouari ad pœnitentiam:* concludi non potest, reprobos vero regenerationis Spiritu, veráque & iustificante fide, ideóque vera peccatorum remissione donari. Temporaria autem fide & gustibus Spiritus sancti multos illorum affici: & hic & alij loci apertè docent.

12. Locus 2. Pet. 1. de Hypocritis, *Nam cui non adsunt hæc, cæcus est, qui eminus nihil cernat, oblitus sè à veteribus suis peccatis fuisse purgatum:* iuxta consuetudinem Sacrarum literarum, quæ quotquot baptizantur in Christum, & nomen dant Christo, Christúmque confitentur: iuxta iudicium charitatis appellant sanctos, iustos & à peccatis mundatos: licet non omnes sint tales coram Deo: intelligendus est. sunt enim omnes tales Sacramentaliter mundati.

13. Illud Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua:* non est de verè iusto, sed de eo qui hominibus tantùm iustus esse viderur, intelligendum. neque enim verè iustus potest finaliter à iustitia ad iniquitatem deficere, in eáque mori: de qua finali & perfecta auersione loquitur Propheta. Hypocritæ autem tantùm coram hominibus iusti, nunquam veram peccatorum remissionem apud Deum consequuntur. Quare neque eam irritam fieri: hoc dicto probari potest.

14. Illud Matth. 18. *Sic & Pater vester cælestis faciet vobis, nisi remiseritis suo quisque fratri de cordibus vestris offensas suas:* non concludit, peccata semel verè à Deo remissa, iterum in iudicium vocari posse: sed hoc tantùm, illos falli, qui putant sibi remissa esse debita à Deo, cùm ipsi fratribus offensas non remittant.

H. ZANCHII

MISCELLANEORVM LIBER TERTIVS.

Confeſsionem, quam ab ampliſsimo magiſtratu Argentinenſi iuſſus fuerat conſcribere, & quæ hactenus nunquam fuit in lucem data: continens.

NEAPOLI PALATINORVM

Excudebat Matthæus Harniſius.

Anno M. D. XCIII.



EPISTOLA,

QVAE TVNC TEMPORIS AD AMPLISSIMVM MAGISTRATVM VNA CVM CONFESSIONE MISSA FVIT.

QVOD mihi mandastis, clementissimi Domini, vt breuiter complectar, quæ de prædestinatione sanctorum, de eorundem perseuerantia, item de Cœna Domini nostri Iesu Christi sentirem: libenter & sincerè complexus sum, quæ senserim & sentiam: docuerim & doceam: libenter enim obtempero Magistratui meo. Sed vt ita breuiter illa complecterer, quemadmodum postulatis, planè id fieri à me non potuit, propter grauitatem quæstionum: propter doctrinæ non solùm vtilitatem, sed etiam necessitatem: propter difficultatem & magnitudinẽ rerum: propter hominum obscurationem: propter quædam religionis capita, quæ ad huius doctrinæ cognitionem sunt necessaria: propter autoritates, quibus erat confirmanda: propter varias & multiplices nonnullorum calumnias: postremò propter existimationem nominis mei, & famam hominum, quam sapiens nemo vnquam neglexit, qui suæ vitæ & factorum rationem reddendam putet omnibus etiam minimis: nedum populo, & Magistratui suo.

Quamobrem oro & obsecro vos, clementes Domini, vt quę his tribus scriptis complexus sum: ea vos, pro vestra humanitate & clementia diligenter legatis & cognoscatis: & veniam detis prolixitati necessariæ: ciui autem vestro, atque in scholis vestris ministro Theologo, contra Satanæ insidias pro veritate adsitis: & doctrinam maiorum vestrorum, vestrarúmque cõfessionum in ciuitate retineatis: sine qua neque veritas Euangelij, neque doctrina iustificationis, contra Diabolum & hæreticos, rectè defendi ac retineri vnquam poterit.

Est enim hæc doctrina eiusmodi, vt in Propheticis libris semina iacta habeat: eadémque ab Apostolis irrigata, à Deo incrementum in cordibus fidelium, & in corpore Iesu Christi, quod est Ecclesia, acceperit. Est enim, vt Apostolus nominat 2 Tim. 2, firmum fundamentum salutis nostræ, prædestinatio: est igitur etiam doctrina de prædestinatione fundamentum totius doctrinæ Christianæ. magnitudo & grauitas huius doctrinæ, à qua discedere non potui, antequam pertractata esset suis partibus, caussa vna fuit prolixitatis meæ. 1.

Altera caussa fuit difficultas atque obscuritas huius quæstionis: quam non solùm à se habet ipsa (est enim durus in ea sermo ipsis neophytis & catechumenis, quòd ab ipsis non intelligatur: & Spiritus sancti illustrationem requirat) sed etiã ab hominibus, iisque doctis: à quibus vel obnubilata, vel vitiata, vel labefactata fuit: vt magnas non solùm nostris temporibus, sed etiam superioribus ipsis, patribus attulerint molestias. Cognoscantur libri Augustini contra Pelagianos, Prosperi item contra Cassianum, & Fulgentij ad Monimum. Recognoscantur quæ annis ab hinc triginta in contrarias partes à Luthero, honorificæ memoriæ, & ab Erasmo scripta & inuulgata sunt. Legantur quæ Albertus Pighius oppugnator gratiæ Dei & assertor meritorum & operum humanorum: & quæ contra Bucerus, maiorésque nostri. Neque obscurum est: quæ nunc de hac quæstione edantur in Saxonia & Polonia volumina. 2.

Ad hanc alteram caussam accedit etiam tertia: quòd vt huic obscuritati, quæ contentionibus cõparata est, lux adferatur, & tenebræ discutiantur: oportet adferre sanctorum librorum & Catholicæ Ecclesiæ catholicam fidem, veritatis regulam: de sapientia & præscietia Dei: de Dei voluntate: de Dei immutabilitate, 3.

non ſolùm ſubſtantiæ, verum etiam decretorum, & ſempiterni propoſiti, de Dei omnipotentia: de Dei iuſtitia. Deíque item miſericordia.

Ergo vel ipſa propoſitionum atque concluſionum enumeratio, & earundem ſolæ diuiſiones, per ſe ſunt copioſæ & numeroſæ: ſed eædem etiam confirmandæ fuerunt argumentis & autoritatibus: vt hæc quarta cauſſa ſit, quæ me ad pleniorem compulerit pertractationem: id quorúmnam culpa acciderit, vos optimè noſtis.

Nam permultis iam menſibus non deſinunt quidam hanc doctrinam exagitare ſeditioſis clamoribus, nullis veris argumentis & autoritatibus: vſque adeo vt non vereantur eam pernicioſam vocare, & damnatam dicere, & fontem hæreſium appellare, & Diabolicam atque Satanicam nominare.

His de cauſſis, quæ æſtimandæ à vobis ſunt, coactus ſum doctrinam hanc, prolixè tractare: concluſionibus & propoſitionibus deducere: partitionibus explicare: verborum interpretationibus illuſtrare: autoritatibus confirmare. Boni igitur conſulatis prolixitatem meam, etiam atque etiam vos rogo.

Valete.

HIERONYMI

HIERONYMI ZANCHII DE PRAEDESTINATIONE SANCTORVM: DEQVE EORVNDEM IN FIDE PERSEuerantia, & de Cœna Domini, olim Senatui Argentinensi exhibita Confessio.

FVNDAMENTA AD DOCTRINAM DE PRAEDESTINATIONE RECTE INTELLIGENDAM, *cognitu perneccssaria.*

CAPVT I.

DEO *optimo maximo tametsi simplicißima sit substantia, nullâque in eum, vel substantialis vel accidentalis cadat compositio, multæ tamen proprietates in Scripturis, propter nostrum imbecillum captum, ita attribuuntur, quasi ab illius essentia differant: cùm tamen sint ipsa Dei essentia. Inter has, hæ quoque sunt non postremæ: æterna omnium rerum scientia atque sapientia: æterna voluntatis libertas: æterna sui, suorúmque decretorum immutabilitas atque constantia: æterna omnipotentia: æterna iustitia: æterna misericordia. Sine ipsarum autem explicatione: intelligi articulus de Prædestinatione non potest: cùm prædestinatio Dei, sine eiusdem sapientia, sine voluntate, sine iustitia, sine misericordia, & sine immutabilitate constare, & sine omnipotentia impleri non potuerit, atque posit. Ergo hæ proprietates: principio sunt breuiter explicandæ.*

De Dei sapientia.

THESIS PRIMA.

Deus est, & semper fuit ita perfectè sapiens: vt nihil eum lateat, aut ab æterno vnquam latuerit, tam eorum, quæ ipse per se facit aut facturus est, quàm eorum, quæ alij agunt. Hebr. 4.

II.

Nihil enim nunc agnoscit Deus: quod ab æterno non prænouerit, atque præuiderit: cùm eius præscientia æterna sit, atque perfecta. Eccles. 23.

III.

Est autem præscientia Dei certissima: ita, vt quidquid à Deo futurum præscitur, illud tandem aliquando contingat, atque fiat, necesse sit.

IV.

Neque tamen hæc certa Dei præscientia talem rebus necessitatem imponit: quæ aut voluntatem Dei, qui vult alia esse necessaria, alia contingentia tollat, aut rerum naturas euertat.

V.

Neque sola Dei præscientia, est eorum quæ fiunt, caussa: sed præscientia simul cum voluntate. Psal. 13.

Thesis I. II. & III. explicatio & confirmatio.

Deus non præuidet futura: nisi ea quæ reuera tandem futura sunt: & præuidet futura,

atque videt præsentia. Præscientia autem Dei tam falli potest, quàm potest Deus desinere esse Deus. Ac proinde qui hanc Dei proprietatem negat, ipsum Deum negat, cùm Dei natura sit, » *vt falli non possit. Qui enim non est præscius omnium futurorum, non est vtique Deus, inquit Augustinus Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 5. cap. 9. Ideo idem Augustinus ab hac Dei præscientia concludit, quos Deus præsciuit saluos fore: eos perire non posse: quia præscientia Dei non falli-* » *tur. Horum, inquit, si quisquam perit: fallitur Deus: sed nemo eorum perit: quia non fallitur* » *Deus. Tom. 7. de corr. & gratia, cap. 7.* LVTHERVS *de seruo arbitrio, cap. 159: Nihil, inquit,* » *facilius est, etiam communi sensu: quàm hanc sequelam esse certam, solidam, veram: si Deus* » *præscit, necessariò fit: vbi hoc ex Scripturis præsuppositum fuerit, quod Deus neque errat, neq.* » *fallitur. Legantur quæ etiam scribit in cap. 157, vbi etiam explicat fructus huius doctrinæ. De* » *præscientia Dei, inquit, disputamus: huic nisi dederis necessarium effectum præsciti: fidem &* » *timorem Dei abstulisti: promissiones & minas diuinas omnes labefecisti: atque adeo diuinita-* » *tem ipsam negasti.*

Thesis IV. explic. & conf.

Dei enim præscientia non facit vt aut voluntas mutetur: aut naturæ quæ sunt suaptè natura liberæ, vti sunt homines, libertatem amittant. Spectata quidem Dei præscientia, quæ quæcunque futura sunt, perinde atque si iam essent, præuidet, quia ea falli non potest, quæcunq. in mundo fiunt, necessariò, hoc est, infallibiliter fiunt: vnumquodque tamen secundum suam agit naturam: liberum, liberè: contingens, contingenter: necessarium, necessariò. In hunc etiam sensum & non alium: tam LVTHERVS, *cùm alibi, tum in libro de seruo arbitrio, quàm* PHILIPPVS MELANCHTHON *in locis prioribus, concluserunt omnia mera fieri necessitate. Proinde qui peccant, quia liberè, hoc est, voluntariè peccant: optimo iure puniuntur.*

AVGVSTINVS *tom. 9 in Iohan. Tract. 73: Non ideo, inquit, quenquam ad peccandum [Deus] cogit, quia futura hominum peccata prænouit.*

LVTHERVS *in libro de Seruo arbitrio: postquam concluſit omnia fieri necessariò, propter incommutabilem, infallibilémque Dei præscientiam ac voluntatem: docet, discrimen tamen esse inter necessitatem infallibilitatis, vt vocant, & coactionis: hominésque siue bonos, siue malos, nihil coactos, seu inuitos velle. cap. 44. in probatione paradoxi secundi. item cap. 161. 164.*

De Dei voluntate.

THESIS PRIMA.

Deus sicut intelligentia, sic etiam libera voluntate ita præditus est: vt nihil aut agat, aut permittat, nisi prudens & volens, ídque liberè.

II.

Voluntas autem Dei, etsi quod ad suam substantiam attinet vna tantùm est: vnus enim tantùm est Deus volens: tamen quòd ad diuersos volendi modos, ídq; iuxta nostrum captum, attinet, ea duplex esse nõ immeritò dicitur: vna, qua quædam vult simpliciter & absolutè: altera, qua quædam vult conditionaliter.

III.

Voluntas absoluta seu beneplaciti in seruandis aut damnandis hominibus, nunquam est, respectu eiusdem de quo est: sibi ipsi contraria.

IV.

Non enim vult Deus absoluta voluntate seu simpliciter, eundem hominem damnari & saluari. sed quos semel voluit saluari, eos perpetuò saluari vult.

Eadem

V.

Eadem verò voluntas absoluta seu arcana, voluntati conditionali seu reuelatæ, sæpenumerò respectu etiam eiusdem, de quo ambæ sunt, contraria esse videtur: quanquam Deus sibi ipse nunquam est contrarius: ac proinde neque voluntates, si propriè loquamur, vnquam sunt inter se contrariæ.

V I.

Dominus enim nonnunquam eidem homini tale quid fieri mandat, quod tamen arcana sua volũtate ab eo reipsa perfici non vult: quemadmodum in exemplo Abrahæ & Pharaonis manifestè apparet. Illi enim mandat, vt filium occidat: quem voluntate tamen absoluta, nolebat ab eo reuera occidi: isti mandat, vt dimittat populum: quem tamen voluntate absoluta nolebat ab eo dimitti: vnde & Mosi dixit: Indurabo cor Pharaonis, ne dimittat populum.

V I I.

Etsi verò hæc ita se habeant, non sequitur tamen aut Deum hominibus tali externo mandato illudere: aut ipsos homines quòd non obtemperent, excusatos esse.

V I I I.

Neque enim hominis est secreta Dei cõsilia inuestigare: sed reuelatæ eius voluntati simpliciter, Abrahæ exemplo, obtemperare.

I X.

Voluntas arcana seu beneplaciti, quia absoluta est voluntas: nulla ratione impediri potest. est enim omnipotentissima: ac proinde semper, vt ut res cadat impletur.

X.

Deus enim hac absoluta & omnipotentissima voluntate quæcunque fiunt, vult. & sine absoluta Dei voluntate nihil fit: cùm ipsa sit prima omnium rerum caussa.

X I.

Atque ita absolutè Dei voluntas, rerum omnium caussa est primaria, vt eius nulla sit caussa. Quòd igitur aliquid velit Deus, nulla alia adferri potest caussa prior: nisi ipsamet Dei voluntas, quia sic ei placeat.

X I I.

Itaque cùm arcana Dei voluntas semper, vt dictum est, fiat, & nulla ratione impediri possit, cùm sit omnipotentissima: iccirco nullo modo dici potest, Deum simpliciter & propriè voluisse aut velle, omnes in vniuersum homines, saluos fieri.

X I I I.

Eadem de caussa dici non potest, Dei voluntatem propriè & simpliciter fuisse, vt Christus pro salute omnium moreretur, id est, vt omnes per eius mortem seruarentur: ac proinde Christum, secundum propositum Patris, pro salute omnium mortuum esse: sed tantùm (vt loquuntur) sufficienter.

X I I I I.

Hac eadem de caussa damnari non possunt Augustinus, Lutherus, Bucerus, Lombardus & Scholastici, & alij doctissimi viri: in eo quod docent non rectè dici, Deum simpliciter nolle peccari: aut omnino velle, vt non peccetur: quòd hoc dicere, tollat Dei omnipotentiam: & ideo neget Deum esse Deum.

X V.

Eadem de caussa iidem, præsertim Lutherus in libro de seruo arbitrio, & Melanchthon in locis prioribus, damnari minimè possunt in eo quod tradunt: spe-

ctata certa Dei præscientia & immutabili eius voluntate, omnia quæ fiunt, fieri necessariò: quanquam spectatis caussis secundis, & nobis hominibus multa fiant contingenter.

XVI.

Ceterùm damnari illi etiam non possunt: qui spectata reuelata Dei voluntate, docent, & Deum velle omnes homines saluos fieri: & Christum pro salute omnium hominum mortuum esse: & neutrum: velle peccatum, cùm hæc omnia sint verissima.

XVII.

Porrò Deus sicut nihil nunc scit quod ab æterno non præscierit: sic etiam nihil nunc propriè vult, quod ab æterno non voluerit.

XVIII.

Porrò absoluta Dei voluntas totius est salutis nostræ fons & caussa prima.

XIX.

Cùm autem hæc eadem absoluta Dei voluntas, quæ primaria est nostræ salutis caussa, sit etiam omnipotentissima atque immutabilis, ac proinde semper fiat: salus igitur electorum certissima, immutabilis, & infallibilis est: eóque necessariò, hoc est, infallibiliter saluantur.

Expl. & conf. thesis primæ.

De iis quæ Deus agit ipse per se, vel per alios; aut quod fieri mandat: res est extra omnem controuersiam. De iis verò quæ permittit fieri, vti sunt peccata, quòd non nisi sciens atque volens permittat: docet ipsa verbi notatio. Permittere enim nihil aliud est, quàm nolle impedire: & est actio voluntatis. non igitur, nisi volens permittere, permittit Deus: quia scilicet non vult impedire.

" AVGVSTINVS *Tom. 3, in Enchiridio, cap. 100: Non fit præter eius voluntatem: quod*
" *etiã fit contra eius voluntatem: quia non fieret, si nõ sineret: nec vtique nolens sinit, sed volẽs.*

LVTHERVS *de seruo arbitrio, cap. 153 docet Deum permisisse Adam ruere in peccatum:*
„ *quia sic voluit. item cap. 198: Siue sinat, inquit, siue inclinet Deus, nimirum cor regis: ipsum*
„ *sinere vel inclinare non fit, nisi volente & operante Deo. Hæc ille. Non ergo permittit Deus*
„ *aliquid: nisi sciens & volens.*

Expl. & conf. secundæ.

Deum quædam velle absolutè, manifestum est, & sacræ literæ confirmant. Etenim voluit absolutè mundum creari, & illum absolutè vult regi: voluit item absolutè, Christum in mundum venire, & pro salute electorum mori. vult etiam absolutè, electos saluari: ideo omnia quoque quæ ad salutem sunt necessaria, electis præstat. Denique quidquid tandem Deus facit illud absolutè vult: & quia absolutè vult, iccirco etiam absolutè & certò facit.

Eundem Deum quædam velle conditionaliter: docent itidem sacræ literæ: vult enim omnes seruari, si velint Legem implere, aut in Christum credere. Proinde illam priorem voco absolutam voluntatem: hanc verò posteriorem conditionalem. Illam priorem Scholæ appellant voluntatem beneplaciti: hanc verò voluntatem signi. SENTENT. *libro 1, dist. 45.* DAMASCENVS *lib. 2, cap. 46, illam appellauit voluntatem consequentem: est enim eorum omnium quæ tandem consequuntur & fiunt: hanc alteram vocauit voluntatem antecedentem. Antequam enim Deus vel puniat, vel beet: præmittit minas & promissiones: quibus, quid facturus de nobis sit, si non obtemperemus: & contrà, quid largiturus, si obediamus, declarat. Hac de caussa antecedens voluntas, appellantur hæc Dei mandata, minæ, ac promissiones: id tamen quod postea nostram vel obedientiam, vel inobedientiam consequitur, ab æterno Deus absolutè decreuerat: & ideo etiam sese facturum præuiderat. hac de caussa absoluta voluntas, quia de iis quæ infallibiliter fiunt & consequuntur: voluntas consequens appellatur.*

appellatur. Sic etiam illam Damasceni distinctionem intellexit & interpretatus est Bucerus Rom.9. Illam quoque priorem appellant alij, vt Lutherus de seruo arbitrio, cap. 108.109.110. voluntatem occultam & arcanam: quòd scilicet ignorent homines, quid de vnoquoque absolutè decreuerit Deus. Hanc verò posteriorem vocant voluntatem reuelatam: quòd scilicet reuelatum sit, quid à nobis exigat, & velit Deus: si nos velimus seruari, item quid de nobis velit, si obtemperemus: & quid contrà, si non obtemperemus, facere. Augustinus tom.3. in Enchirid.cap.102.103.tom.5.de ciuit.Dei, lib.22.cap.1.2. illam absolutam vocat voluntatem sicut certissimam, ita etiam omnipotētissimam & efficacem, & inuictam, idque quoniam illa semper impletur, tam in cælo, quàm in terra. Alteram verò, nempe conditionalem, seu reuelatam appellat inefficacem: quia non semper impletur: cùm enim pendeat à conditionibus, quas à nobis requirit Deus, nos verò non eas omnes præstemus: ideo non semper nec in omnibus impletur: ac proinde inefficax iurè appellatur.

Testimonia de duplici voluntate Dei.

De voluntate conditionali & reuelata: nulla est controuersia: cùm ferè nihil aliud concludat tota Lex & Euangelium, quàm, hanc esse Dei voluntatem, vt habeamus bona & æterna & temporaria: si Legem seruemus, & in Christum credamus.

De voluntate autem occulta, omnipotenti & absoluta: hæc præter alia habemus testimonia.

Psal.113: Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit, in cælo & in terra.

Iesa.46: Consilium meum stabit: & omnis voluntas mea fiet: voluntas nimirum beneplaciti.

Rom.9: Quorum vult, miseretur: & quem vult, indurat. Item, Voluntati eius, quis resistet?

LVTHERVS *de seruo arbitrio in responsione ad locum Ezechielis 18: Nolo mortem peccatoris: hanc eandem tradit distinctionem: & vnam voluntatem vocat modò occultam ac metuendam, atque imperscrutabilem, modò reuerendissimum diuinæ maiestatis secretum, modò Deum absconditum. Alteram verò vocat modò reuelatam voluntatem, modò verbum prædicatum, modò Deum prædicatum & cultum.*

BVCERVS *eandem tradit Rom.9 in conciliatione horum locorum: Deus, quos vult, indurat, &, Deus vult omnes homines saluos fieri.*

Si ista duo lumina Germaniæ non sufficerent: ipsum etiam Brentium in suo catechismo, in illud orationis Dominicæ: Fiat voluntas tua, vbi eandem tradit distinctionem, citarem: sed quia non est opus, & huius, & aliorum multorum testimoniis super sedeo.

Certè Lombardus & Scholastici omnes eandem secuti sunt: Sentent. lib.1. distinct.45. immò & ipsi in libros Sentent. & Ludouicus Viues, in lib. 22 de ciuit. Dei, cap.1 scribunt, illam beneplaciti esse propriè voluntatem Dei: alteram non ita.

Explic. & conf. thesis VI.

Cùm Abrahæ mandat Deus, vt filium suum Isaacum occidat, non potest Abraham aliud rectè iudicare: quàm hanc esse Dei voluntatem, vt filium occidat: arcana tamen & absoluta voluntate Deus nolebat, vt Abraham suum occideret filium. Hoc apparet, quia cùm Abraham voluit voluntati reuelatæ obtemperare: Dominus illum, ne id faceret, cohibuit: atque ita impleta fuit occulta, non autem reuelata voluntas. Dicitur autem illa absoluta voluntas, arcana voluntas: quoniam ante rei cuiusque euentum, quid Deus simpliciter velit, à nobis ignoratur: post euentum autem arcana amplius dici non potest. Iccircò nunc verè pronuntiamus, Deum simpliciter voluisse Iudam perire, quia periit: antè verò quàm periisset, hæc Dei voluntas ignota omnibus erat. Cùm Pharaoni etiam mandat Deus, vt dimittat populum: quis aliud dicere possit, & debeat, quàm hanc esse Dei voluntatem, vt populum dimittat

mittat Pharao? Hoc igitur mandatum fuit reuelata Dei voluntas. Idem tamen Dominus voluntate absoluta & occulta non vult, vt Pharao dimittat populum: hoc apparet tum ex verbis ipsius Dei ad Mosen, Ego indurabo cor Pharaonis ne dimittat populum: tum ab effectu, quia non dimisit. Si enim absolutè voluisset Deus populum dimitti, dimissus fuisset: & Pharao voluntati reuelatæ obtemperasset. Quis enim huic voluntati omnipotentissimæ resistere potest?

AVGVSTINVS *huic doctrinæ subscribit: eámq; cùm alibi sæpe, tum in Enchiridio, tum in libris contra Pelagianos, & de ciuitate Dei, libro præsertim 22 inculcat: Nihil, quod Deus simpliciter velit, non fieri: & nihil, quod Deus simpliciter nolit, fieri: multáq; tum in Scripturis, tum in animos voluntatésque sanctorum, Deum inspirare, quæ tamen simpliciter fieri nolit: & huius rei respectu, dici posse verè, Deum multa velle, quæ non agat: lib. 22 de ciuit. Dei, cap. 1 & 2 apertè scribit Augustinus.*

LVTHERVS *idem facit in libro de seruo arbitrio: præsertim in responsione ad locum Ezechielis 18: Deus, inquit, non vult mortem peccatoris, verbo scilicet [hoc est voluntate reuelata:] vult autem illam, voluntate imperscrutabili [hoc est occulta & absoluta] Ita Lutherus.*

" BRENTIVS *in libr. 1 Sam. cap. 2, pag. 79, in ea verba, Et non audiuerunt vocem Patris*
" *sui, quia voluit Dominus occidere eos: subscribit huic doctrinæ: & totam hanc quæstionem in*
" *hæc concludit verba: Itaque vt pro meritorum suorum dignitate punirentur: occulta sua po-*
" *tentia effecit: vt ad Patris monitionem non resipiscerent, & tandem perirent: nimirum intus*
" *operans quod foris verbo suo prohibebat: & potentia sua intus impediens, quod manifesta*
" *sua voluntate foris fieri mandabat. Atque hoc non est autorem seu caussam esse malitiæ, sed*
" *est iustum inferre supplicium propter malitiam. Cæterùm quî fiat, quòd Dominus occulta po-*
" *tentia intus operetur, aut impediat, quod foris manifesto verbo prohibet, aut mandat, altius*
" *est, quàm vt humano captu inuestigari queat. Hæc Brentius.*

BVCERVS *in epist. ad Rom. cap. 9, præsertim pagina 398 demonstrat, Deum multos Euangelio ad se vocare, quos tamen non velit Euangelio obedire: atque iis verbis concludit: Fatebuntur igitur sancti ingenuè, immò prædicabunt, Deum velle quidem Euangelium prædicari omnibus, eóque vocari ad vitam cunctos mortales: nolle autem vt omnes Euangelio credant: nec enim id omnibus largitur: sed indurat multos, ne illud audire sustineant. Hæc ille. Non possumus igitur in iis Dei iudiciis aliud dicere, quàm Deum voluntate quidem conditionali & reuelata, velle omnes ad se venire: voluntate autem arcana & absoluta quæ ab euentu rerum cognoscitur, nolle omnes ad se venire: neque enim omnes veniunt.*

Expl. & conf. thesis septimæ.

Hæc propositio non ita est intelligenda, quasi Deus homines volentes ad se venire: sua occulta voluntate, ne possint venire, impediat (Deus enim neminem impedit, quin, si velit & possit, bene faciat:) sed ita intelligenda est, quòd Deus, etsi vocet, non velit tamen illis dare gratiam illam, qua velint & possint vocanti assentiri: cùm autem id non possint sine Dei gratia (suapte enim natura corrupti sunt, atq; rebelles) & Deus sua occulta voluntate nolit eam illis largiri: id etiã ipsorum, non Dei vitio fit, vt Deo vocanti non assentiantur: ita hinc liquet eos non posse à peccato excusari: quia quòd non veniant, vitium est in ipsorum voluntatibus. Neq; etiam Deus illudit, quia per ipsum non stat, quin, si velint, veniant: sicut neq; paterfamilias ideo dici potest illusisse illis inuitatis ad cœnam, qui venire recusarunt, quia illos inuitauit, sed non coëgit, sicut postea reliquos intrare. Ille enim dicitur illudere, qui aliquem ad cœnam inuitat: & postea, si veniat, eum repellit. Non sic facit Deus: neminem enim ad se venientem, aut venire volentem repellit. Sed hoc opus, hic labor est: vt homines sine gratia Dei velint aut possint ad eum venire: Nemo venit, nisi Pater traxerit. Ioh. 6.

BVCERVS *Rom. 9, postquam conclusisset Pharaonis exemplo & figuli similitudine,*

Deo

Deo in nos tale esse ius, vt nos faciat quales velit, sua scilicet voluntate abscondita & absoluta: & deputet ad eos vsus quos ipse sibi delegerit: ita subdit. Ex hoc verò non consequitur, nos non agere nostra voluntate, aut peccata nostra non nobis, sed Deo imputanda esse. Hæc ille.

Explic. & conf. thesis octauæ.

Iccirco enim Deus absolutam voluntatem nos celat, ne de ea simus soliciti: alteram verò reuelat, vt ei obtemperemus: & qui hanc non studet facere, peccat: qui autem curat implere, de occulta minimè solicitus, à Deo benedicitur. Abrahamus audita Dei voluntate de interficiendo filio: non inuestigat quod nam sit occultum Dei consilium: sed de illo haud solicitus, mox sese ad implendam reuelatam voluntatem accingit: ob eamq; caussam audiuit à Domino, Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo propter me: Benedicam tibi, Gen. 22. Pharao contrà: peccauit in Deum grauissimè, quia reuelatam voluntatem contemsit.

Deuter. 27. & Gal. 3 Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis: vt faciat ea.

Contrà verò de ijs qui inscrutabilem Dei voluntatem & inscrutabilia eius iudicia scrutarì volunt: ita scribit Salomon Prouerb. 25. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur ab ea.

Interim tamen verum est, nunquam fieri nisi voluntatem Dei arcanam & absolutam.

Explic. & conf. thesis nonæ.

Ista enim voluntas, est Deus ipse verè & simpliciter volens. est autem idem Deus omnipotentissimus, qua de caussa ista quoq; arcana voluntas omnipotentissima ab Augustino & Scholasticis appellatur. Quæcunq; igitur Deus ista voluntate vult: tandem fiant, necesse est.

Psal. 113. Quæcunq; voluit Dominus, fecit in cælo & in terra.

Ies. 46. Consilium meum stabit: & voluntas mea fiet.

AVGVSTINVS *tom. 3. in Enchir. ad Laurent. cap. 103. Nullo modo credendum est omnipotentem Deum aliquid voluisse fieri, factumq; non esse: qui sine vllis ambiguitatibus, si in cælo & in terra, sicut veritas cantat, omnia quæcunque voluit fecit: profectò facere noluit quodcunque non fecit.*

Faciunt quidem homines multa contra voluntatem Dei reuelatam, & ideo grauissimè peccant, ac iurè damnantur, quia ea sola est nobis spectanda, ac facienda: sed contra voluntatem beneplaciti, absolutam & simplicem nihil propriè fieri potest. Ideo Augustinus tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 22. cap. 1. Multa fiunt (inquit) à malis quidem contra voluntatem Dei: sed tantæ est ille sapientiæ, tantæq; veritatis, vt in eos exitus siue fines, quos & bonos, & iustos ipse præsciuit, tendant omnia quæ voluntati eius videntur aduersa. Item cap. 2. concludit, Deum secundum voluntatem, quam ipse operatur in sanctis, qua facit, eos velle & orare multa bona, quæ tamen vt fiant, à Deo obtinere non possunt, dici posse, Deum multa velle, quæ non facit: secundum illam verò, inquit, voluntatem suam, quæ cum eius præscientia sempiterna est, profectò in cælo & in terra, omnia quæcunque voluit, non solùm præterita & præsentia, sed etiam futura iam fecit.

Tom. 7. de corr. & gratia, cap. 14. Deo volenti, inquit, saluum facere: nullum resistit liberum arbitrium. sic enim velle vel nolle in volentis aut nolentis est potestate: vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De ijs enim qui faciunt quæ non vult [voluntate scilicet reuelata:] facit ipse quæ vult, voluntate scilicet arcana.

Item: Non est itaque dubitandum, inquit: voluntati Dei, qui in cælo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt, fecit: humanas voluntates non posse resistere, quò minùs faciat ipse quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, facit.

Expl. & conf. thesis decimæ.

Si enim hæc voluntas est, vti est prima rerum omnium, & omnium aliarum caussarum caussa. vtiq; consequitur necessariò nihil in mundo fieri, quod non velit Deus.

Ioh. 1. Omnia per ipsum λόγον & θεὸν facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.

Matth. 10. Non cadit passer super terram: neq; capillus, (Luc. 21.) perit de capite vestro: sine voluntate Patris vestri.

» AVGVSTINVS *tom. 3. in Enchirid. Nihil fit, nisi omnipotens fieri velit: vel sinendo vt fiat,*
» *vel faciendo.*
» *Item tom. 3. de Trinit. lib. 3. cap. 4. Voluntas ergo Dei prima & summa caussa est omnium spe-*
» *cierum atq; motionum: nihil enim fit, quod non de interiori atque intelligibili aula summi Im-*
» *peratoris egrediatur, secundum ineffabilem iustitiam.*

Idem tradit Lombardus, in 1. Sentent. dist. 45. D. E.

» LVTHERVS *de seruo arbitrio, cap. 143. Stante ergo illa [scilicet imperscrutabili voluntate]*
» *sine qua nihil fit. Idem cap. 149, Primùm, inquit, etiam ratio & diatribe concedit: Deum omnia*
» *in omnibus operari, ac sine ipso nihil fieri, nec efficax esse. est enim omnipotens: pertinet q; id ad*
» *omnipotentiam suam: vt Paulus ait ad Ephes. Hæc ille.*

Item cap. 160. Ridiculus fuerit, inquit, Deus: si non omnia possit & faciat: aut aliquid sine ipso fiat.

Item cap. 158. Hæc Erasmi verba, Si esset Rex, qui quidquid vellet, efficeret, nec quisquam posset obsistere: facere diceretur, quidquid vellet. Ita Dei voluntas, quoniam est caussa principalis omnium quæ fiunt: videtur necessitatem nostræ voluntati inducere. Hæc inquam Erasmi
» *verba probat Lutherus, dicens: Gratias tandem agimus Deo, pro sano sensu diatribes. vbi nunc*
» *igitur liberum arbitrium?*
» BVCERVS *in 9. ad Rom. in ea verba, O homo tu, quis es? Ipsa, inquit, Dei voluntas: Deo*
» *caussa est omnium: & ea ipsa est iustitia.*

Explic. & conf. thesis vndecimæ.

Hæc propositio non est ita intelligenda, quasi voluntas Dei in ijs quæ vult, nullam sibi proponat caussam finalem, aut quasi aliquid velit Deus sine ratione: sed ita intelligenda est, primùm quòd nulla est caussa efficiens voluntatis diuinæ, nisi ipsamet voluntas. Deinde, quòd nihil est extra Deum: quod moueat eum ad aliquid volendum: ideo enim Deum aliquid velle, & ad suos fines dirigere, quia sic ei placet. Nulla igitur est caussa voluntatis Dei efficiens, aut mouens, nisi ipsa voluntas Dei.

Matth. 11. Gratias ago tibi, Pater Domine cœli & terræ: quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus: & reuelaris ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic placuit tibi.

Rom 9. Quorum vult, miseretur: & quos vult, indurat.

AVGVSTINVS *tom. 4. lib. 83. quæstionum, 28. quæst. tom. 3. de Trinitate lib. 3. cap. 4. tom. 1. contra Manichæos, lib. 1. cap. 2.*

LVTHERVS *de seruo arbitrio, cap. 153. respondens ad quæstionem, Cur Deus permiserit Adam ruere, & cur nos omnes eodem peccato infectos condat: cùm potuisset illum seruare*
» *& nos aliunde, vel primò purgato semine creare? sic ait. Deus est cuius voluntatis nulla est*
» *caussa, nec ratio, quæ illi ceu regula & mensura præscribatur: cùm nihil sit illi æquale aut su-*
» *perius: sed ipsa est regula omnium. Si enim esset illi aliqua regula vel mensura, aut caussa,*
» *aut ratio: iam nec Dei voluntas esse posset: non enim, quia sic debet, vel debuit velle, ideo re-*
» *ctum est quod vult: sed contrà, quia ipse sic vult, ideo rectum debet esse quod fit. creaturæ vo-*
» *luntati, caussa & ratio præscribitur: sed non creatoris voluntati: nisi alium illi præfeceris*
» *creatorem.*
» BVCERVS *Rom. 9. Ipsa, inquit, Dei voluntas, Deo caussa est omnium: & ea, ipsa est*
» *iustitia.*

Item

Item in illud idem caput: Proindè, inquit, miseretur cuius vult misereri, & indurat, quem vult indurare: hoc est, nullam vtriusque rei causſam habet aliam, quàm ſuam voluntatem. Atqui ſi Deo ſunt omnia in ipſius voluntate poſita, nihil poteſt facere iniqui, dum facit pro ſua voluntate. Hæc Bucerus.

Videantur etiã, quæ in libello doctrinæ Buceri de prædeſtinatione habeantur. pag. 62. 63. 65.

Hunc libellũ nos collegimus ex variis Buceri ſcriptis & edẽdum curauimus, diligidy Argentinenſis tempore.

Expl. & conf. theſis XII.

Cùm enim hæc voluntas ſit omnipotentiſſima: profectò ſi Deus ſimpliciter vellet omnes ſaluos fieri, omnes ſalui fierent: quia omnibus largiretur ea, quæ ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria. qui enim ſimpliciter aliquid vult: vult etiam omnia, quæ ad illud conſequendum neceſſaria ſunt: &, ſi poſſit, ea præſtat. Deus autem eſt omnipotens: ſi ergo vult ſimpliciter omnes ſaluos fieri: vtique præſtabit illis omnia, quæ ad ſalutẽ ſunt neceſſaria: & ita omnes ſeruabuntur. Ideo Pſal. 113. dicitur: Quæcunque voluit Dominus, ſcilicet ſimpliciter, fecit in cælo & in terra. Apoſtolus quidem ait: Deus vult omnes homines ſaluos fieri: ſed illud dictum, ſi de voluntate beneplaciti accipiatur, intelligitur, vt Auguſtinus interpretatur Tom. 3. in Enchir. cap. 103. atque de corrept. & gratia, cap. 14. ex omnium hominum genere: ſeu, omnes homines, id eſt, omne hominum genus. Quam etiam interpretationem ſecuti ſunt viri doctiſſimi: præter alios, Bucerus in cap. 9. ad Rom. in conciliatione Locorum: Deus quos vult, indurat, &, Deus vult omnes homines ſaluos fieri.

Ceterùm illud tamen etiam verum eſt, Deum velle omnes homines ſaluos fieri, voluntate ſcilicet reuelata & conditionali: nimirum ſi velint in Chriſtum credere, & eius Legi ſeruandæ ſtudere. Hac enim voluntate nemo à ſalute & à cognitione veritatis excluditur: ſed omnes ad illam vocantur. Atque ita locum Apoſtoli 1. Tim. 2. interpretatus eſt Ambroſius, de voluntate ſcilicet reuelata & conditionali. Vult omnes ſeruari, inquit, ſi & ipſi velint. nam qui Legem dedit omnibus, neminem excipit [ſcilicet in Lege, ſeu in verbo reuelato,] à ſalute.

Ceterùm pugnat cum Dei omnipotentia & maieſtate, dicere, Deum aliquid ſimpliciter velle, & illud non fieri. Quare ſi qui non ſaluantur, dicendum eſt, ex parte Dei, Deum nolle ſimpliciter & voluntate beneplaciti illos ſeruari: ex ipſorum verò hominum parte, illos nolle remedium ſalutis amplecti.

Avgvstinvs *in Enchirid. cap. 103. poſtquam locum Apoſtoli 1. Tim. 2, expoſuiſſet, ſubdit: Et quocunque alio modo intelligi poteſt: dũ tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factúmque non eſſe, qui ſine vllis ambiguitatibus, ſi in cælo & in terra, quemadmodum veritas cantat, omnia quæcunque voluit, fecit: profectò facere noluit, quodcunque non fecit. Hæc ille.*

Bvcervs *in Rom. 9. Deus ſimpliciter, inquit, non vult reprobos ſaluos facere, quia eos ad id non elegit, aut fecit etiam.*

Lvthervs *de ſeruo arbitrio, cap. 161. Scilicet hoc offendit quàm maximè ſenſum illum communem, ſeu rationalem naturam: quòd Deus mera voluntate ſua homines deſerat, induret, damnet: quaſi delectetur peccatis & cruciatibus miſerorum. Demonſtrauerat autem, & deinceps demonſtrat, rem ita ſe habere: nimirum, quòd quidam ſeruentur, & alij damnẽtur, id inde proficiſci: quòd Deus velit quoſdam ſeruari, & alios damnari: iuxta illud Pauli: Quorum vult, miſeretur: & quos vult, indurat.*

Expl. & conf. theſis XIII.

Res eſt perſpicua, iacto illo fundamento, voluntatem hanc beneplaciti, quæ propriè eſt, & dicitur voluntas Dei, ſemper fieri. Scimus enim non omnes ſeruari, nec omnes fieri participes virtutis ſanguinis Chriſti. Quæcunque autem ſimpliciter vult Deus, fiunt. Non ergo vult ſimpliciter, vt omnes ſeruentur: nec Chriſtus ſecundum beneplacitũ Patris pro ſalute omnium mortuus eſt. Soli electi ſeruantur: ſoli etiam fiunt participes ſanguinis Chriſti. Solos ergo eos Deus vult ſimpliciter ſeruari, & pro eis ſolis Chriſtus mortuus eſt: & pro eis ſolis intercedit.

Rom. 8. loquens de electis tãtùm, ait: Quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imagini Filij ſui. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, ſcilicet electis: quis contra nos, ſc.

electos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis, scilicet electis, tradidit illum.

Item mox: Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat : quis est, qui condemnet, scilicet electos? Christus est, qui mortuus est, scilicet pro iis electis : immò qui etiam resurrexit: qui etiam est ad dexteram Patris, & interpellat pro nobis, scilicet electis. Ita exposuit & Augustinus in Iohan. Tract. 45. col. 335.

Iohan. 17. Non rogo pro mundo: sed tantùm pro iis, qui credituri sunt in me. Neque igitur etiam mortuus est pro mundo: nempe spectata sua & Patris certa & omnipotentissima voluntate, seu beneplacito.

» AMBROSIVS *Tom. 2. de fide ad Gratianum, lib. 4. cap. 1. Si non credis, non tibi*
» *passus est.*

Tota Ecclesia Smyrnensis in epistola de vita Polycarpi ad omnes paræcias Ponti: apud Eusebium histor. lib. 4. cap. 10. eandem tradidit doctrinam.

BVCERVS *vbique ferè in suis scriptis docet, Christum mortuum esse pro electis tantùm, sed vniuersis: nimirum spectato suo & Patris beneplacito.*

» *Matth. 16. sect. 4. Christus sic Petrum alloquens introducitur: Si Christus sum, inquit, oc-*
» *cidi pro electis debeo: iuxta Scripturas. Si Filius Dei: cur non gererem morem Patri, qui vult*
» *me hostiam esse pro peccatis omnium, quos ille ad vitam ordinauit?*
» *Iohan. 10. sect. 2. Christus ita loquitur: Hoc mandatum accepi à Patre, hoc est, in hoc missus*
» *sum, vt moriar pro peccatis ouium, id est, electorũ: & resurgam propter iustificationem eorum.*

Confessio Argentinensis.

In Confessione Argentinensis Ecclesiæ, anni 39. cui subscripserunt Bucerus, Capito, Hedio, & reliqui ministri, in articulo 18. admonentur concionatores: vt neminem baptizent, nisi hac particula vel expressa, vel subintellecta: Ego, ô Deus, hunc baptizo secundum tuam electionem, & propositum diuinæ voluntatis tuæ. Hæc ibi. In Baptismo autem applicatur nobis vis
» *passionis Christi: consepelimur enim cum Christo per baptismum in mortem, vt Apostolus docet Rom. 6. Docuerunt igitur illi patres, illa adiecta particula, vim passionis Christi, solis electis communicari: ac proinde pro solis electis Christum passum & mortuum esse, nempe spectato æterno Patris & suo proposito.*

Etsi verò hæc vera sunt: tamen illud quoque falsum non est, Christum mortuum esse pro omnibus hominibus, spectata voluntate conditionali: nempe, si suæ mortis per fidem participes fieri velint. omnibus enim passio Christi offertur in Euangelio: & ab ea nemo excluditur, nisi qui se ipsum excludit. Atque hoc est, quod in Scholis vsurpatum fuit: Christum mortuum esse pro omnibus quidem in vniuersum hominibus, sufficienter: sed pro electis tantùm efficaciter: quia scilicet ipsi tantùm efficacitatis passionis Christi participes fiunt.

Expl. & conf. thesis XIIII.

Cùm enim hæc Dei absoluta voluntas semper fiat, nullâque re possit impediri, vt antea demonstratum est: si simpliciter, & nullo modo vellet peccari Deus: simpliciter & nullo modo peccaretur. Voluntati enim eius quis resistet? Rom. 9. Deinde nemo inficiatur, Deum permittere, seu sinere peccata: non permittit autem nescius & inuitus: Ergo aliquo modo illud vult. Fuit hæc conclusio in Schola quoque nostra à D. Petro Martyre disputata, atque defensa.

Doctrina hæc est Augustini, præter alia loca, in Enchirid. cap. 96. & Lutheri in libro de seruo arbitrio passim.

BVCERVS *Rom. 1. sect. 7. in illud Apostoli, [Propterea tradidit illos,] concludit, etiamsi quis Tradidit, interpretetur pro Permisit, ne Deum faciat authorem peccati, illum tamen non posse euadere, quin concludat, Deum velle peccatum: cùm permittere, sic velle non impedire. Deum igitur velle, vt impij agant ea, ad quæ agenda indurantur. Interim tamen culpam peccati nostri non posse vllo modo in Deum transferri, sed in nobis solis hærere. Legantur, quæ de eadem re scribit in Rom. 9. in conciliatione Locorum: Deus quos vult indurat: &, Deus vult omnes homines saluos fieri.*

Item in ea verba Rom. 9. Voluntati eius quis resistit? Voluntatem, inquit, cùm dicit, notat,

tat, Deum ea velle, ad quæ homines indurat, cùm addit: Quis resistet? indicat necessitatem faciendi ea, quæ fert induratio.

Interim ista quoque vera sunt. Primum, Deum non permittere peccatum, quòd eo delectetur, aut illud probet: iuxta illud Psalmi 5. Non volens iniquitatem tu es, Deus. Illud enim verbum [volens,] Hebraicè est [chaphetz] quod verbum significat, velle cum delectatione, seu delectari. Ceterùm propter alia bona, illud malum Deus volens permittit: vt Augustinus quoque testatur in Enchiridio, cap. 11. Neq; enim Deus omnipotens (inquit) rerum cui summa potestas: cùm summè bonus sit, vllo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis: nisi vsq; adeo esset omnipotens & bonus, vt bene faceret etiã de malo: id quod etiam infideles fatentur.

Item in eodem libro, cap. 27. Melius, inquit, de malis benefacere iudicauit, quàm mala nulla esse permittere. Item tom. 7. de corr. & gratia, cap. 10.

Proinde D. Gregorius primus, volens explicare, quantum bonum illud sit, quod Deus in permittendo peccato spectauit, & nos tandem assecuti sumus per Christum, peccatum hominis appellauit felix, ita exclamando: O felix culpa· quæ talem, ac tantũ meruit habere redemtorem.

Secundò: hoc etiam est extra controuersiam apud Christianos: Deum hac voluntaria sua permissione, nullo modo propriè efficere, vt nos peccemus: proinde authorem peccati dici non posse: nisi velimus eum peccati authorem appellare, qui cùm possit, non impedit peccatum. At hoc in illis verum est, qui cùm possint & debeant impedire, non impediunt. At verò Deus, etsi possit, non tenetur tamen impedire: immò bonum est, vt non impediat omnia mala: sed fieri sinat, vt Augustinus ait in Enchir. cap. 96.

Tertiò, illud etiam verum est, voluntate reuelata & conditionali, Deum nullo modo, nullóque tempore velle peccatum. nunquam enim illud in Lege permisit: nunquam probauit: semper puniuit. Ac si quis velit Deo gratus esse, & consequi æternam vitam: vitare debet pro virili peccata omnia: alioqui nisi iis vitandis perpetuò studeat: inimicus Dei fuerit, & æternùm peribit. Atque hoc satis est Christiano, nosse nimirum, quæ sit reuelata Dei voluntas: Et hoc etiam satis est, ad Deum omni culpæ suspicione apud homines liberandum. Si sapientissimus atque optimus pater, qui optimè nouerit filij sui ad voluptates propensionem, & quem, nisi vi cohibeatur, voluptates secuturum præuiderit, in hanc formam significet filio, Se quidem nolla vi vlla eum impedire, quin agat, quæ volet: sed tamen se hoc illi mandare, ne quippiam turpe aut inhonestum, quódque se non deceat, agat: & hanc suam esse voluntatem: quam si facere neglexerit, se graues de illo pœnas sumturum: Quis accusare possit parentem, quòd filio suo permittat libertatem: aut quis excusare filium, si contra voluntatem patris reuelatã, aliquid turpe admittat? annon satis est filio, voluntatem patris sibi reuelatam agnoscere?

Hæc verò decima conclusio, scitu nobis Christianis necessaria est, ídque vt retineamus integrum primum fidei nostræ articulum: Credo in Deum patrem omnipotentem: qui articulus nullo modo defendi potest: si dicamus, Deum simpliciter & nullo modo velle peccatum: quoniam si ita sit, cùm peccata fiant: consequetur, non esse igitur omnipotentem. Hoc optimè vidit Augustinus: ac proinde ita etiam scriptum reliquit in Enchirid. cap. 96. Nec dubitandum est, Deum facere bene, etiam sinendo fieri, quæcunque fiunt malè. non enim hoc, nisi iusto iudicio sinit: & profectò bonum est, omne quod iustum est. Quamuis ergo ea, quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sunt bona: tamen vt non solùm bona, sed etiam sint & mala, bonum est. nam nisi esset hoc bonum, vt essent & mala: nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono: cui proculdubio quàm facile est, quod vult facere, tam facile est, quod non vult esse, non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium: qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens: nisi quia quidquid vult, potest: nec voluntate cuiuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Hæc ille.

Debent ergo pij ita iustitiam Dei defendere: vt eiusdem omnipotentiam non infirment, aut prorsus tollant. Dicere autem, Deum simpliciter nolle peccatum: cùm peccata tamen quotidie contra eius voluntatem fiant: tollit Dei omnipotentiam. Contrarium verò affirmare, non

derogat quidquam iuſtitiæ Dei: quiæ quicquid vult, aut facit Deus, iuſtum eſt: & eius voluntas regula eſt omnis iuſtitiæ: vt ait Auguſtinus, Lutherus, Bucerus, & omnes.

Interim fateor ſubtilem, diligentémque huius loci tractationem, magis ad ſcholam, quàm ad pulpita pertinere. Deinde ſentio, in nullum alium finem, hunc articulum tum in Scripturis tradi, tum à doctis viris explicari, quàm in hos duos vſus. Primus eſt, vt defendatur omnipotentia Dei, vt Auguſtinus docet in Enchir. adeóque Deus ipſe. Ac proinde hunc articulum tum maximè populis explicandum iudico: cùm videmus eos perſuaſos eſſe, Deum ita permittere peccata, quaſi imprudens aut nolens permittat: & ita nolle peccari, quaſi ipſo ſimpliciter inuito peccetur. hoc enim Dei omnipotentiam tollit: ideóque Deum negat. Voluntati enim eius quis reſiſtit?

Alter huius doctrinæ vſus eſt, vt nos humiliemur coram Domino: dum videmus nos nihil valere: vſq; adeo, vt neq; malũ abſque voluntario Dei permiſſu facere poſſimus: ſicut Lutherus in libro de ſeruo arbitrio docet. hac autẽ humiliatione, nihil homini Chriſto ſalutarius eſt.

Explic. theſis X V.

Lutheri hanc eſſe doctrinam, dubitare non poteſt, qui cùm alios eius libros legit: tum præſertim librum de ſeruo arbitrio. In eo enim hoc vnum contendit, liberum hominis arbitrium nullum eſſe. hoc inde potiſſimùm probat: quòd quidquid vult, aut agit homo: neceſſariò, licet non coactè agat. illa enim tantùm nos velle agere: quæ ab æterno Deus præſciuit & voluit, voluntate arcana ſcilicet, vt fierent. præſcientia autem Dei falli non poteſt, & voluntas Dei immutabilis eſt.

Hanc verò doctrinã, non ſolùm vtiliſsnam, verùm etiã ſcitu neceſſariã eſſe homini Chriſtiano, multis in locis demonſtrat. Cap. 17. in reſponſione ad præf. habet hæc verba: „ Eſt itaq; & „ hoc inprimis neceſſarium & ſalutare Chriſtiano: noſſe, quòd Deus nihil præſcit contingenter: „ ſed quòd omnia incommutabili & æterna, infallibilique voluntate, & præuidet, & proponit, „ & facit. Hoc fulmine ſternitur & conteritur penitùs liberum arbitrium. Hæc ille.

Porrò poſtquam hoc dogma probaſſet verbis etiam Eraſmi: infert concluſionem, dicens: Ex „ quo ſequitur irrefragabiliter, omnia quæ facimus, etſi videntur nobis mutabiliter & contin„ genter fieri, & ita etiã contingenter nobis fiant: reuera tamen ſiunt neceſſariò & immutabili„ ter: ſi Dei voluntatem ſpectes. Voluntas enim Dei efficax eſt, quæ impediri non poteſt: cùm ſit „ naturalis ipſa potentia Dei: deinde ſapiens, vt falli non poſſit. Non autem impedita voluntate: „ opus ipſum impediri nõ poteſt, quin fiat loco, tempore, modo, menſura: quibus ipſe & præuidet, „ & vult. Ceterùm paulò pòſt, ait ſibi diſplicere in hac cauſſa, hoc durum vocabulum NECESSITATIS: quòd videatur ſignificare quandam voluntatis coactionem: cùm tamen aliud in hac cauſſa illo nomine neceſsitatis intelligi debeat, quàm coactio. Et mox quid hoc nomine intelligat, aperit: nimirum non coactionem vllam, ſed eorum, quæ de nobis præſciuit ac voluit immutabilis Deus, infallibilem euentum, ex immutabili Dei præſcientia & voluntate pen„ dentem. Voluntas enim inquit, ſiue diuina, ſiue humana, nulla coactione, ſed mera lubẽtia vel „ cupiditate, quaſi verè libera, facit quod facit: ſiue bonum, ſiue malum. Sed tamen immutabilis „ & infallibilis eſt voluntas Dei: quæ noſtram voluntatem mutabilem gubernat, vt canit Boë„ thius: Stabiliſque manens, das cuncta moueri. Et noſtra voluntas, præſertim mala, ſe ipſa non „ poteſt facere bonam. Igitur quod non præſtat vox, impleat intellectus legentis, neceſsitatem in„ telligens, id quod dicere velles, immutabilem voluntatem Dei, & impotentiam noſtræ volun„ tatis malæ, vt aliqui dixerunt, neceſsitatem immutabilitatis.

Paulò pòſt autem, cap. 21, quanta ſit vtilitas, aut potiùs neceſsitas huius doctrinæ in Eccle„ ſia Dei, explicat his verbis: Vltra dico, non modò quàm iſta ſint vera: de quo infrà latiùs ex „ Scripturis dicetur: verùm etiã quàm religioſum, piũ & neceſſariũ ſit ea noſſe. His enim ignoratis: neq; fides, neque vllus Dei cultus conſiſtere poteſt. nam hoc eſſet verè Deum ignorare: „ cum qua ignorantia ſalus ſtare nequit, vt notum eſt. Si enim dubitas, aut contemnis noſſe, „ quòd Deus omnia non contingenter, ſed neceſſariò & immutabiliter præſciat & velit: quo„ modo poteris eius promiſsionibus credere, certò fidere ac niti? Cum enim promittit:

certum

certum te oportet esse, quòd sciat, possit, & velit præstare quod promittit. alioqui eum non veracem, nec fidelem existimabis: quæ est incredulitas & summa impietas, & negatio Dei altissimi. At quomodo certus & securus eris: nisi scieris, illum certò & infallibiliter, & immutabiliter ac necessariò scire, & velle, & facturum esse quod promittit? Neque solùm certos oportet nos esse, Deum necessariò & immutabiliter velle & facturum esse: sed etiam gloriari in hoc ipso: vt Paulus Rom. 3: Esto autem Deus verax, omnis homo mendax: & iterum: Non quòd exciderit verbum Dei: & alibi: Fundamentum Dei firmum stat, habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sint sui: & Tit. 1. Quam promisit Deus, non mendax: ante tempora secularia: Et Heb. 11. Oportet accedentem credere, quòd Deus sit: & inquirentibus remunerator. Itaque fides Christiana prorsus extinguitur, promissiones Dei & vniuersum Euangelium penitus corruit, si doceamus & credamus, non esse nobis sciendũ præscientiam Dei necessariam, necessitatémque faciẽdorum. Christianorum enim hæc vna & summa consolatio est in omnibus aduersitatibus: nosse quòd Deus non mentitur, sed omnia infallibiliter facit: & voluntati eius non resisti, neque eam mutari aut impediri posse. Hæc omnia Lutheri sunt.

Dicere autem nemo verè potest, Lutherum, quæ in hoc libello scripta reliquit, aut leuiter ea scripsisse, aut postea retractasse. Primùm scribẽdum ei fuerat aduersus magnum virum, Erasmum Roterodamum: deq; re grauissima: iccirco nullus etiam inter libros Lutheri, elaboratior isto reperiri potest. Deinde ipse in epistola ad VVolffgangum Fabricium Capitonem, de hoc libro ita scripsit 1537, nono Iulij: De tomis meorum librorum disponendis, ego frigidior sum & segnior: eò quòd Saturnina fame percitus, magis cuperem eos omnes deuoratos: nullum enim agnosco meum iustum librum: nisi fortè de seruo arbitrio, & catechismum. Αὐτόγραφον *huius epistolæ est hic Argentinæ.* Lutheri epistola de suis libris.

Ceterùm quòd quidam contra hunc libellum quædam alia ex commentariis eiusdem Lutheri in Genes. cap. 26. obijciunt, quasi ibi retractauerit, quæ hic docuit: nihil est: immò tantùm abest, vt ille locus contra hunc librum faciat, vt pleniùs eum confirmet. Id quod perspicuum facilè fiet: si quis omnia diligenter examinet.

In eo loco Geneseos tria damnat summatim Lutherus. Damnat primùm eos, qui doctrina de prædestinationis ac præscientiæ diuinæ necessitate, abutuntur aut ad desperationem, aut ad licentiam, dicentes: Si sum prædestinatus, siue bene, siue malè agam, seruabor: si verò non sum prædestinatus, quorsum opus est credere, Sacramentis vti, bona opera facere? Has voces vocat Diabolicas: & iurè. Argumentatio enim hæc habet paralogismum diuisionis: quasi verò seruari possint, qui perpetuò in peccatis viuunt: cùm prædestinatio complectatur non tantùm finem, qui est vita æterna: sed etiam media ad illam: quæ sunt, viua in Christum fides & opera fidei, hoc est, vita Christiana. Deinde huiusmodi dilemma proficiscitur à Spiritu Satanico: cùm spectet tantùm aut ad desperationem, aut ad licentiam. Spiritus autem Christi, totam hanc doctrinam de necessitate prædestinationis, tum ad glorificandum Deum, tum ad erigendas conscientias nostras contra omnes desperationes, tum ad studium bonorum operum, tum denique etiam ad crucem fortiter ferendam tradidit in Scripturis, & inscribit in electis.

Consequenter secundo loco damnat eos, qui non contenti voluntate reuelata, quæ à salute & electione neminem excludit: & quæ apertè docet, quid faciendum, vt habeamus vitam æternam: inuestigare volunt suis ratiocinationibus arcanam voluntatem, an ipsi sint ex electis, nécne: cùm hoc ex illa sciri non possit: sed tantùm ex reuelata: ex reuelata inquam, tum in Scripturis, per verba Prophetarum & Apostolorum, qui sine vllius exceptione de omnibus, qui credunt in Christum, sic loquuntur: prædestinauit nos, elegit nos: tum in sanctis per opera Spiritus sancti, vt per testimonium, quòd simus filij Dei: & per fidem, pérque effecta fidei.

Tertiò, consequenter damnat eos, qui de sua electione dubitant: quòd hinc tandem sequatur vel desperatio, vel contemtus Dei, Sacramentorum, vitæq; Christianæ. Iubent autem

Christus & Apostoli, vt credamus nos esse ex electorum numero, quicunque ad Christum vocati sumus: & vt ita persuasi, neque de nostra salute desperemus, neque à studio bonorum operum, propter vllam rem aduersam declinemus. Hæc autem minimè pugnant cum iis, quæ in libello de seruo arbitrio, accuratissimè de necessitate prædestinationis scripserat: immò in illa digressione in Genes. hanc eandem confirmat doctrinam: & eam esse salutarem docet iis verbis, fol. 38: Ex hac cognitione non potest non existere ingens gaudium & delectatio: quòd Deus est immutabilis: & quòd necessitate immutabili operatur: neque se ipsum negare potest, sed seruat promissiones. Item in altera facie ad calcem: Hæc studiosè & accuratè monere & tradere volui: quia post meam mortem multi meos libros proferent in medium: & inde omnis generis errores & deliria sua confirmabunt. Hæc ille.

Non hîc ait, se retractare, quæ scripserat de prædestinatione & immutabili voluntatis diuinæ necessitate: sed tantùm quòd multi abutentur ea doctrina & suis libris. Ergo probat doctrinam ibi traditam: sed improbat eos, qui ea abutuntur, aut abusuri sunt. Notandum enim, Lutherum non dicere, Et inde, hoc est, ex meis libris colligent errores: sed ait, inde confirmabunt suos, non meos errores, & sua, non mea deliria. Ergo totam doctrinam, quam in eo libro de seruo arbitrio tradiderat, hîc etiam confirmat.

Et mox subdit: Scripsi autem inter reliqua, omnia esse absoluta & necessaria: sed simul addidi, quòd aspiciendus sit Deus reuelatus: sicut in Psalmo canimus: Er heist Jesus Christ/ der Herr Zebaot/ vnd ist kein ander Gott. *Iesus Christus est Dominus Zebaoth: nec est alius Deus: & aliàs sæpissimè. Sed istos locos omnes transibunt, & eos tantùm accipient de Deo abscondito. Vos igitur qui nunc me auditis, memineritis me hoc docuisse, non esse inquirendum de prædestinatione Dei abscondita: sed ea acquiescendum esse, quæ reuelatur per vocationem & per ministerium verbi. Ibi enim potes de fide & salute tua certus esse: ac dicere: Ego credo in Filium Dei, qui dixit: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Ergo in eo non est damnatio aut ira: sed beneplacitum Dei Patris. Hæc eadem autem alibi quoque in libris meis protestatus sum: & nunc etiam viua voce trado. Ideo sum excusatus.*

Hic apertè confirmat illud dogma, quod in libro de seruo arbitrio tradiderat: omnia scilicet esse necessaria, spectata nimirum Dei præscientia & voluntate: vti semper & vbique inculcat. Nullo igitur modo existimandum est: Lutherum, doctrinam hanc de infallibili diuinæ præscientiæ ac voluntatis necessitate, retractasse. nam eam confirmat etiam in præfatione Epistolæ ad Romanos, in 9. 10. 11. cap. Ibi apertè prædestinationis necessitatem commendat: ab illa omnia pendere docet: & necessitatem stabilem atque immotam, summè necessariam, plenámque consolationis appellat: immò ibidem, postquam probauit hanc necessitatem prædestinationis: statim improbat curiosulos, qui antequam Christum & virtutem crucis discant: sine verbo & sine Christo volunt inuestigare abyssum prædestinationis, & hos ait, se ipsos præcipitare in desperationem, & confusionem conscientiæ.

Neque aliud sibi vult idem Lutherus, in iis quæ scribit de hac re in Psal. 5. & 22. Vbique inuehitur in illos, qui dubitant de sua prædestinatione: & de ea voluntate inuestigant sine verbo Dei, & sine Christo. Sed certum esse immutabilèque consilium Dei de cuiusque salute aut interitu, vbique consentienter tradit.

PHILIPPVS MELANCHTHON *in prioribus locis eandem necessitatem docet: & ait: Postremò libertatem homini adimit diuina prædestinatio: euenient enim omnia iuxta diuinam prædestinationem: tum externa opera, tum internæ cogitationes in omnibus creaturis, ad Ephes. 1: Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Matth. 10: Nónne duo passeres asse veneunt: & vnus ex illis non cadit super terram, sine Patre vestro? Obsecro, quid hac sententia clarius dici potuit? Prouerb. 16: Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum. Legantur reliqua quæ subijcit testimonia Scripturarum.*

Mox de fructu & vtilitate huius doctrinæ subiungit, dicens: Abhorret ab hac sententia iudicium carnis, seu rationis humanæ: contrà, amplectitur eam iudicium spiritus. Neque enim

enim vel timorem Dei, vel fiduciam in Deum certiùs aliunde disces: quàm vbi imbueris animum hac, de prædestinatione, sententia. Annon eam vbique in Prouerbiis inculcat Salomon, vt aliàs timorem, aliàs fidem doceat? Annon inculcat eam in eo libello, cui Ecclesiastæ titulus est? Multùm enim omnino refert ad premendam, damnandámque humanæ rationis tum sapientiam, tum prudentiam: constanter credere, quòd à Deo omnia fiant. Annon hoc vno loco efficacissimè consolatur discipulos Christus, cùm inquit: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt? Quid igitur inquies? nulláne est in rebus, vti istorum vocabulo vtar, contingentia, nihil casus, nihil fortuna? Omnia necessariò euenire Scripturæ docent. Esto, videatur tibi in rebus humanis esse contingentia. Iudicio rationis hîc imperandum est. Sic Salomon, cùm in prædestinationis cogitatione versatus esset, inquit: Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem, eorum quæ sub Sole fiunt.

Quanti autem facti fuerint à Luthero isti loci, idq; præcipuè propter ea, quæ ibi initio Philippus tradit, de necessitate diuinæ præscientiæ & prædestinationis, qua prædestinatione totum euertitur liberum arbitrium, docet epistola Lutheri ad Erasmum, præfixa libello de seruo arbitrio. Ibi de diatribe Erasmi loquens, qua liberum arbitrium defendere conatus fuerat, ait: Illum nihil dixisse, quod non fuerit priùs dictum: vt etiam, inquit, superuacaneum videretur, respondere istis argumentis tuis, antea à me quoque toties refutatis: conculcatis verò, & prorsus protritis per Philippi Melanthonis de Locis Theologicis inuictum libellum, meo iudicio, non solùm immortalitate, sed canone quoque Ecclesiastico dignum. Ipse D. Philippus hos Locos nunquam retractauit.

Complures possem post sacras literas, post Augustinum, post Aquinatem, aliósque doctiores Scholasticos: multorum etiam nostri seculi doctissimorum virorum, idem quod Lutherus scribentium, authoritates subijcere: si hæc breuis Confessio istud pateretur.

Ceterùm sentio in hac quoque conclusione tractanda sobriè esse versandum, tam doctoribus in Schola, quàm pastoribus in templis. omnia enim sunt ad ædificationem dicenda. Hoc tantùm in præsentia demonstrare volui, doctrinam hanc non posse vel vt nouam, vel vt perniciosam in se, vel vt impiam damnari.

Explic. thesis XVI.

Huius propositionis explicatio perspicua est ex iis, quæ dicta sunt in explicatione propositionum. XII. XIII. XIIII.

Expl. thesis XVII.

Non est hæc propositio ita intelligenda, quasi quæ Deus vult esse, aut fieri aliquo tempore: ea ab æterno voluerit semper & omni tempore fieri: hoc enim non tantùm impium, sed etiam stultum est sentire: sed ita intelligenda est: quòd quidquid vult Deus fieri aliquo tempore: ab æterno voluit illud fieri, eo, hoc est, suo tempore: vt, si Deus voluit tempore Christi, vt Christus eo tempore moreretur: voluit igitur etiam ab æterno, Christum illo tempore mori: alioqui si hodie inciperet Deus aliquid velle, quod ab æterno vel non cogitarit, vel non voluerit: scientia & voluntas Dei imperfecta esset: ideóq; Deus non esset Deus. Quia totum hoc est perspicuum: nulla subdo testimonia.

Explic. thesis XVIII.

Sunt enim præcipuæ nostræ salutis caussæ quatuor: prima est vltronea, bonáque Dei voluntas. Ideo enim amauit & elegit nos ad salutem, ante mundi constitutionem: quia ita voluit, & ita ei placuit: iuxta illud Apostoli: Elegit nos secundum beneplacitum voluntatis suæ.

Proxima est Christi meritum: sumus enim prædestinati in Christo ad salutem: sicut ait Apostolus ad Ephesios: hoc est, vt eam assequeremur per & propter Christum. Sed hæc caussa secunda pendet à priori: ideo Iohan. 3, primò ponit amorem Dei vltroneum, tanquam primam salutis nostræ caussam: secundo loco meritum Christi, ijs verbis: Sic Deus dilexit mun-

dam.ecce primam: vt Filium ſuum vnigenitum daret: ecce ſecundam. ideo enim dedit: quia dilexit,& ideo dilexit, quia voluit diligere.

Tertia cauſſa eſt fides, qua & æternam illam electionem in Chriſto, & Chriſtum ipſum, eiúſque meritum amplectimur,atque percipimus. Ideo Iohan.3. hanc tertiam ſubdit cauſſam illis duabus:cùm ait:Vt omnis qui credit in eum, non pereat,ſed habeat vitam æternam. Ceterùm hæc ipſa quoque fides pendet à gratuita electione, & à Chriſti merito. eſt enim gratuitum Dei, propter Chriſtum nobis reconciliati, donum, atque opus in nobis: vt ad Epheſios docet Apoſtolus.

Quarta & poſtrema cauſſa,eſt ſtudium bonorum operum: atque adeo ipſa opera noſtra bona ſunt hæc cauſſa ſalutis noſtræ,quatenus iuxta & ſecundum illa vnicuique rependetur: vt Chriſtus docet Matth.17. Tunc reddet cuique iuxta facta ipſius.Sed hæc ipſa quoque bona opera ſunt dona vltroneæ beneuolentiæ erga nos Dei, & effecta paſſionis ac meriti Chriſti & fructus ipſius fidei.Huc illud ad Epheſios: Ipſius opus ſumus: creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus,vt in illis ambulemus.Et illud ad Galatas 5. Fides, quæ per dilectionem operatur. Voluntas igitur Dei,cauſſa eſt totius ſalutis noſtræ primaria.

BVCERVS *in Matth.16.ſectione 5.totam hanc doctrinam tradit perſpicuè.*

Explic. theſis XIX.

Concluſio hæc neceſſariò ex iis,quæ de voluntate Dei dicta ſunt, conſequitur. Scripturæ autem eandem vbique confirmant.Ioh.10.Nemo poteſt eas rapere de manu mea: quia Pater, qui dedit mihi,maior,id eſt,potentior eſt omnibus.Ego autem & Pater vnum ſumus.

Vſus huius doctrinæ.

Hæc verò de immutabili Dei erga nos voluntate, deq́; certitudine noſtræ ſalutis doctrina, eò minimè ſpectat, vt reddamur ſecuri in nobis ipſis, aut in carne: ſed primò vt contra omnes diffidentias, omnéſque Satanæ inſultus, hoc fidei clypeo de immutabili Dei erga nos bona in Chriſto voluntate nos tueamur:de quo Pſal.5.Domine,vt ſcuto, bona voluntate tua coronaſti nos:& oculis mentis noſtræ,à nobis ipſis, & ab omnibus creaturis: denique à noſtris tum peccatis,tum meritis,in Deum Patrem conuerſis: in ſolo Deo, ſolóque eius beneplacito, ſecuri conquieſcamus.Deinde, vt hac viua diuinæ erga nos voluntatis cognitione, ceu flammis ex fornace diuini pectoris in corda noſtra perpetuò illabentibus, nos vicißim ad Deum tum redamandum,tum ſanctis cogitationibus,piis ſermonibus, bonis operibus, tota denique vita glorificandum,inflammemur.

DE DEI IMMVTABILITATE ATQVE CONSTANTIA.

THESIS PRIMA.

Deus non tantùm in ſua eſſentia: ſed etiam in ſuis tum decretis, tum promiſſionibus conſtans atque immutabilis eſt.

II.

Decretum autem Dei propriè eſt certa præſcientia ac definita voluntas, quibus ab æterno,quidquid in tempore facit,aut facturus eſt:infallibiliter facturum ſe præſciuit,ac præfiniuit.Rom.8.

III.

Saluat autem Deus certos homines & non omnes: & certos damnat, & non omnes:

omnes: vtrunque autem facit certis mediis & rationibus, certis temporibus & certis de causſis. Proinde decretum Dei de ſeruandis aut damnandis hominibus, dici rectè poteſt eſſe certa præſcientia, definitáq; voluntas: quibus ſe ab ęterno, certos homines, certis mediis, atque modis, certis temporibus, & certis de causſis, aut miſericorditer ſeruaturum, aut iuſtiſſimè damnaturum, præſciuit ac præfiniuit.

IV.

Etſi verò Deus hæc ſua nunquam mutet conſilia, ſuas tamen nõnunquam ſolet mutare ſentẽtias: iuxta illud etiam vulgatum D. Gregorij dictum: Nouit Dominus mutare ſententiam, ſed nunquam nouit mutare conſilium.

V.

Quanquam autem Deus non ſolùm in ſuis decretis, ſed etiam in ſuis promiſſionibus conſtans atque immutabilis eſt: non eodem tamen planè modo, quo decreta Dei immutabilia ſunt, vniuerſæ quoque promiſſiones in ſingulis, & ſemper immutabiles ſunt.

Explic. & conf. theſis primæ.

Deum eſſe in ſua eſſentia immutabilem, extra controuerſiam eſt: non enim eſſet Deus, ſi eſſet mutabilis: cùm omne quod ſua eſſentia mutabile eſt, creatum ſit.

De immutabilitate verò decretorum Dei, hæc exſtant præter alia in Scripturis teſtimonia.

Num. 23. Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo: & non faciet? locutus eſt, & non implebit?

1 Sam. 15. Triumphator in Iſrael, hoc eſt, Deus non parcit, & pœnitudine non flectitur, neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam.

Malach. 3. Ego Deus: & non mutor.

Rom. 11. Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio.

Hæc loca non tam de eſſentia Dei, quàm de eius decretorum atque promiſſorum immutabilitate loquuntur.

Explic. theſis II.

Vti eſt illud Rom. 8. Quos præſciuit: eos & prædeſtinauit. Hoc propriè appellatur Dei decretum: quia eſt certa ſcientia ac definita voluntas: vel quia ex certa ſcientia, & ex definita voluntate profectum eſt. Decretum etiam propriè eſt illud, quo certò ſtatuit apud ſe, eorum non miſereri, quorum non miſeretur: & indurare quos indurat: ideóque damnare quos damnat: quod decretum Apoſtolus Rom. 9 explicauit nomine odij: Antequam quidquam boni vel mali egiſſent, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui, id eſt, decreui non miſereri.

Hæc decreta dicuntur immutabilia, non ſolùm in Deo: quia Deus non mutat propoſitum: ſed etiam in creaturis, quia in illis infallibiliter, quod de eis certò ſemel fuit conſtitutum, impletur. Huc illud Rom. 9. Quorum vult miſeretur: & hoc de electis: & quos vult, indurat: & hoc de reprobis. Decreta Dei, quomodo immutabilia

Subſcribunt Auguſtinus vbique, Lutherus & Bucerus. Lutherus ſpectatis his decretis, concludit in libro de ſeruo arbitrio, omnia fieri neceſſariò. Cap. 18. Ex quo, inquit, irrefragabiliter, omnia quæ facimus: etſi nobis videntur mutabiliter & contingenter fieri, & ita etiam contingenter nobis fiunt: reuera tamen fiunt neceſſariò & immutabiliter, ſi Dei voluntatem ſpectes. voluntas enim Dei efficax eſt: quæ impediri non poteſt, cùm ſit naturalis ipſa potentia Dei: deinde ſapiens, vt falli non poſſit. Et cap. 19, præter alia argumenta adducit locum Ieſaiæ: Conſilium meum ſtabit: & voluntas mea fiet. Quis, inquit, puer non intelligit, quid velint hæc vocabula: Conſilium, voluntas, fiet, ſtabit? Intelligit igitur Lu-

therus: consilia Dei esse incommutabilia, quia stant, hoc est, quia non solùm in Deo firma manent: sed etiam in iis, de quibus sunt, implentur. Ratio quoque id demonstrat. Quæ enim nunc Deus vult & facit, ea ab æterno etiam voluit, & se facturum præsciuit. Nihil enim aut in Deum, aut in Dei voluntatem, præscientiámve cadere potest noui: alioqui non esset Deus. Mutari autem æterna Dei decreta nō possunt: quin aliquid nunc de nouo agnoscat, & velit Deus, quod non nouerat ac voluerat priùs. Tam igitur mutari possunt æterna Dei decreta, quàm Deus ipse mutari potest.

» BVCERVS *Rom. 8, in quæstione de prædestinatione, cap. 1. Apostolus hoc loco id agit:*
» *vt doceat, Deum nos destinasse saluti antequam essemus: ne dum antequam aliquid boni feci-*
» *semus: & ex hoc probare instituit, certam esse & immotam hanc Dei voluntatem de nostra*
» *salute: quam auertere nulla creatura possit, quippe quam Deus ex se, & sua bonitate, quæ mu-*
» *tari non potest, & nullo nostri respectu, qui adeo miserè variat semper, sumserit.*
» *Ibidem cap. 2. Præsumendum igitur, vt principium fidei, nos omnes à Deo esse præscitos,*
» *præfinitos, separatos à reliquis, & selectos in hoc, vt æternùm seruemur: hócque propositum*
» *Dei mutari non posse.*

Expl. thesis III.

Hæc propositio non opus habet explicatione: cùm ex præmissis duabus necessariò consequatur, & per se sit manifesta.

Explic. thesis IV.

Cōsilia Dei immutabilia.

Consilium Dei intellexit D. Gregorius decretum illud, quod apud se ab æterno Deus, de re aliqua facienda, vt de homine aliquo vel misericorditer seruando, vel iustè damnando, simpliciter & secundum propositum voluntatis suæ fecit, atque firmauit: vt decretum de creandis hominibus, de lege danda, de mittendo Christo: vt decretum etiam de seruando per Christum Paulo, Petro: & contrà, de deserendo, excæcando, perdendo Pharaone, Iuda. Hæc decreta, ait Gregorius, Deus nunquam mutat, vt antè ostensum est. Nomine verò Sententiæ intellexit D. Gregorius sententiam de infligenda aliqua pœna, non iuxta suum æternum & immutabile beneplacitum: sed vel iuxta nostra merita, vel iuxta ordinem secundarum causarum, prolatam: idque semper cum subintellecta conditione, nimirum nisi resipiscamus. Iuxta nostra merita: vt cùm per Ionam Prophetam sententiam tulit contra Niniuitas, dicens: Adhuc quadraginta dies: & Niniue subuertetur. hoc enim exigebant illorum iniquitates.

Sententiæ Dei mutabiles.

Vide Aug. Tom. 3. de Genes. ad lit. lib. 6. cap. 17.

Conditio etiam subintelligebatur, nempe nisi resipiscerent Niniuitæ. Iuxta caussas secundas: vt cùm per Iesaiam dixit Ezechiæ: Dispone domui tuæ, morieris enim: & non viues. Spectata enim illius Regis valetudine, & aliis caussis secundis: non poterat diu ampliùs viuere Ezechias. Interim tamen decretum Dei firmum erat: vt neque Niniue subuerteretur, sed potiùs seruaretur, idque ad prædicationem Ionæ: neque rex Ezechias tunc moreretur, sed adhuc annos 15 viueret: idq; vita à Deo precibus impetrata. Nouit igitur Deus, huiuscemodi mutare sententias: sicut & per Ieremiam docet cap. 18, & alios Prophetas. Interim tamen nunquam nouit mutare consilium, hoc est, absolutum & firmum suæ voluntatis decretum: quemadmodum in vtroque exemplo, & Niniuitarum, & Ezechiæ, luculenter apparet. Immò quia necesse erat, propter immutabile Dei decretum, vt & Niniue seruaretur, & Ezechias adhuc annos 15 viueret: iccircò & ad illos misit Ionam, qui sua prædicatione, & talis sententiæ denuntiatione, Niniuitas ad Deum conuerteret, atque ita seruaret: & ad istum misit Iesaiam, qui sententiam quoque mortis Ezechiæ denuntiaret: eáque ratione illum ad vitam à Deo precibus petendam & obtinendam excitaret. Tantum igitur abest, vt arcana Dei consilia mutari possint: vt etiam propter illa perficienda, sententiæ quoque Dei, iuxta vel peccata nostra, vel caussas naturales nonnunquam pronuntiatæ, mutentur. Sic etiam ad hæc tum Niniuitarum, tum Ezechiæ exempla, & consequenter ad omnia similia loca, quæ contra certissimum dogma de immutabilitate decretorum Dei pugnare videntur: respondit Bucerus in 9. ad Rom.

Thesis

Thesis V. explic.

Sunt enim promissiones quædam absolutæ, quædam cum conditionibus, vel operum, vel fidei. Et illæ quidem nihil aliud sunt, quàm absolutæ voluntatis Dei significationes: hæ verò conditionalis voluntatis testimonia. Promissionum, aliæ absolutæ, aliæ conditionales: omnes autẽ immutabiles.

Absolutæ sunt, quæ de iis rebus sunt, quas Deus ipse per se, vel extra nos sine nobis complet: vel in nobis, sed sine vlla præcedente, aut nostri intellectus actione, aut nostris voluntatis consensione, perficit.

Ad primum genus absolutarum, pertinet promissio de mittendo Christo pro salute mundi: déque omnibus iis, quæ Christus gessit & passus est, & in Ecclesia constituit. Ad illud etiam pertinet absoluta promissio de seruando populo Israël, quem præsciuit, hoc est, elegit. Hæ promissiones simpliciter & propriè immutabiles sunt, tum in Deo, atque in se, quia Deus eas nunquam mutat: tum in iis, de quibus sunt, quia in eis tandem omnino impleantur, necesse est De iis Rom. 3. Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? nunquid infidelitas eorum fidem Dei euacuauit? absit.

Ad alterum genus absolutarum pertinent promissiones de illuminandis per Spiritum sanctum electis, qui adhuc sunt in tenebris, déq; donanda illis fide, & vera Dei cognitione: vt est illa apud Ierem. 31. Scribam Legem meam in cordibus eorum: & cognoscent me à maximo vsque ad minimum. Promissiones istas perficit in nobis Deus, siue vlla bona, & ad lucem diuinam recipiendam idonea, intellectus nostri aut voluntatis præcedente in nobis actione: ideóque absolutæ sunt, & sine vlla alicuius actionis nostræ conditione: cùm ante illapsum Spiritus sancti in corda nostra, nihil boni in nobis esse, aut à nobis præstari posit: vti etiam sunt promissiones de præparandis voluntatibus, de auferendo corde lapideo, & dando corde carneo: denique vt sunt omnes, quæ initium salutis promittunt. Omnes hæ absolutissimæ sunt, & sine vlla in nobis requisita conditione: quid enim ante inchoatum in nobis bonum, præstari à nobis potest boni? citra quod, Deus inchoare in nobis nolit bonum, atque salutem? Quia igitur Deus has promissiones per sese sine nobis complet, absolutissimæ sunt: ac proinde in ijs etiam Deus simpliciter est.

Conditionales verò promissiones sunt illæ, quarum complementum assequi non possumus, nisi quædam nos quoque præstemus: quæ tamen, nisi Deus ea in nobis gratis efficiat, nos ipsi præstare nequimus. Ad hoc genus promissionum pertinent non solùm promissiones legales, sed omnes etiam illæ Euangelicæ, quæ sunt non de inchoanda, sed continuanda & perficienda, consummandáque in nobis salute. Hæ omnes exigunt à nobis fidem, hoc est, fidei actum, & fructus fidei: ita vt citra hanc fidem, illarum complementum assequi non possimus. Exempla. Promissio de percipienda peccatorum remissione, & iustificatione nostri assequenda, ita postulat fidem viuam, quæ sine pœnitentia, studióque bonorum operum esse non potest, vt citra illam nemo iustificari possit. At quinam sunt illi, qui conditionem hanc præstare possunt, atque ita peccatorum remissionem & vitam æternam consequi? Soli illi, qui iam gratis à Deo, & sine vlla sua præcedente voluntatis actione donati sunt Spiritu fidei, salutis initio. Hi autem sunt soli electi, & destinati ad vitam.

Omnes igitur hæ promissiones conditionales immutabiles sunt: primùm quidem in Deo, & in se: quoniam etiamsi nemo crederet, & fide nemo earum complementum assequeretur: tamen manerent perpetuò apud Deum firmæ atque immutabiles: æternúmque verum hoc esset, Qui credit in Christũ, habet vitam æternam. Deinde in ipsis, qui iam salutis principium, hoc est, solidæ fidei donum, verè à Deo acceperunt, suum habent complementum. ij autem sunt electi & destinati ad salutem.

Ergo conditionales etiam promissiones, non solùm in Deo, & in se: sed etiam in ipsis electis immutabiles sunt: quia in ijs immutabilem consequuntur effectum: iuxta illud Apostoli, Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.

DE

DE OMNIPOTENTIA DEI.

THESIS PRIMA.

Deus, ſicuti ſapientiſſimus, liberæ voluntatis, atque immutabilis eſt: ita etiam omnipotentiſſimus eſt.

II.

Dicitur autem Deus omnipotens: primùm, quoniam quidquid vult, poteſt: atque ita poteſt, vt etiam reipſa, quæcũque vult, faciat in cælo & in terra. Pſal. 113.

III.

Deinde dicitur omnipotens: quia nihil eſt, vt ita loquar, factibile, quod Deus ipſe non poſſit facere, etſi non velit facere: multa enim poteſt, quæ tamen neque voluit, neque vult facere: eáque ſi ſimpliciter vellet, nulla ratione impediri poſſent, quin fierent. Matth. 26. Luc. 1. Rom. 9.

IV.

Non malè igitur omnipotentia Dei duplex eſſe, in Scholis definitur vna abſoluta, qua multa poteſt, etiam quæ non vult: altera actualis, qua, quæcunque vult, non ſolùm poteſt facere, ſed etiam potenter facit.

V.

Iuxta primam, hoc eſt, abſolutam Dei omnipotentiam, Deus potuiſſet omnes ad æternam vitam prædeſtinare: potuiſſet homines impedire, ne vllo modo peccarent: poſſet etiam omnium miſereri, & omnes ſeruare. Sed quia neque voluit, neque vult, ideo non omnes ſunt prædeſtinati ad vitam, neque omnes ſeruantur, ſed quorum vult, miſeretur, & quos vult, indurat. Rom. 9.

VI.

Iuxta alteram, ſcilicet actualem omnipotẽtiam: Deus non ſolùm omnia creauit, & quæcunque voluit ſemel, fecit in cælo & in terra: ſed etiam perpetuò omnia regit & agit, & operatur omnia in omnibus. Pſal. 113. Act. 17. 1. Cor. 12.

VII.

Proinde, ſicut illud piiſſimè dicitur, Deum in electis ac piis omnia bona efficere: ita illud minimè vt impium damnari poteſt, quod Auguſtinus, Lutherus, Bucerus, & alij ſecũdum Scripturas ſcriptum reliquerunt, Deum in ipſis etiam impiis, ſecundum hanc ſuam omnipotentiam ita omnia operari: vt omnium etiam voluntates flectat quocunque vult, ſiue ad bonum pro ſua miſericordia: ſiue ad malum, pro ſuo iudicio, nobis quidem occulto, ſed tamen ſemper iuſto. Prou. 21.

VIII.

Deus, quia tanquam primaria efficiens cauſſa operatur omnia in omnibus: in piis quidem verè & ſimpliciter author eſt omnium bonarum, tam internarum, quàm externarum, & tam animæ, quàm corporis actionum: non ſolùm quatenus actiones ſunt, ſed etiam quatenus actiones bonæ ſunt. At verò in impiis non ita: quia in iis author eſt omnium actionum, quatenus actiones: ſed non quatenus malæ & impiæ actiones ſunt.

IX.

In ipſis enim piis, non ſolùm manu ſuæ omnipotentię ipſas efficit actiones, ſed etiam vi ſui Spiritus, tum ipſos homines bonos efficit: tum ipſis actionibus bonam indit qualitatem, qua bonæ ſint. In impiis autem manu tãtùm ſuæ omnipotẽtiæ ipſas actiones excitat: qualitatem autem malam, qua & ipſi impij mali ſint, & ipſorum actiones impiæ, minimè præbet. Proinde, etſi operatur Deus omnia

in

in omnibus, flectátque omnium voluntates, quocunque vult: peccatorum tamen autor, aut ἀνεργος nullo modo dici potest.

X.

Quare omnia quoque, quæ in impiis & ab impiis fiunt: quatenus à Deo fiunt, bona sunt: quatenus verò ab impiis, peccata sunt.

EXPLICATIO THESIS VI. VII. VIII. IX. X.

Quòd scilicet Deus operetur omnia in omnibus, omniúmque voluntates flectat, quocunque vult: tam ad malum quàm ad bonum: nec tamen ipse autor peccati esse, aut dici possit.

Deum in piis electis omnia bona operari, extra controuersiam est: propter apertissima Scripturæ testimonia.

Prouerb. Præparatur voluntas à Domino.

Ierem. 31. Scribam Legem meam in cordibus eorum: & cognoscent me à maximo, vsque ad minimum.

Item. 32: Dabo timorem meum in corda eorum: vt non recedant à me.

Ezech. 11. Faciam, vt ambulent in præceptis meis.

Item: Auferam cor lapideum: & dabo eis cor carneum.

Rom. 8. Qui sunt filij Dei, aguntur à Spiritu Dei.

1. Cor. 12. Deus operatur omnia in omnibus.

Philipp. 2. Deus operatur in nobis velle & perficere.

At verò Deum in ipsis etiam impiis sua omnipotentia omnia operari, ita vt illorum etiam voluntates flectat quocunque vult: hoc est, etiam ad illa, quæ in ipsis impiis, dum ea admittunt, sunt peccata: quanquam Deus hoc faciendo neque peccet, neque autor sit peccati: non ita hoc omnibus videtur esse perspicuum & certum, atque illud superius de electis. Rem tamen ita se habere, docent apertè sacræ literæ: confirmant Patres: subscribunt nostri.

Deus etiam in impiis operatur: nec tamen peccati autor esse potest.

Prouerb. 21. Sicut diuisiones aquarum: ita cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. Quòd si corda regum potentissimorum in manu Domini ita sunt, vt illa flectat quocunque vult: multò magis corda reliquorum hominum. Omnium igitur hominum corda in manu Dei sunt: & illa flectit, quocunque vult.

2. Reg. 16. Semei filius Iemini maledicebat Dauidi: cùm filij Saruiæ vellent eum cohibere, dixit illis Dauid: Dimittite illum, vt maledicat: quoniam Dominus dixit illi, vt maledicat. Quomodo Deus hoc illi dixit? nunquid verbo iussit? minimè: sed, vt ait Augustinus, hoc ita dicitur: quòd eius voluntatem proprio vitio suo malam, in hoc peccatum iudicio suo iusto & occulto inclinauit.

Psal. 104. de impiis Aegyptiis sic ait Dauid: Et conuertit [Deus] cor eorum, vt odissent populum eius Israelem, & dolum facerent in seruos eius.

Ephes. 1. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.

Rom. 9. Ergo quorum vult, miseretur: & quos vult, indurat.

Avgvstinvs *Tom. 7. de gratia & lib. arb. cap. 1. vsque ad vigesimum demonstrat, quidquid boni in piis & à piis fit: totum esse à Deo, qui omnia, nempe bonas cogitationes, sancta desideria, & honestas actiones in piis operatur: & tamen ipsos pios suo libero arbitrio hæc omnia velle & operari. Deum enim esse, qui electorum voluntates ex malis faciat bonas: & qui deinde factas à se bonas, in bonos actus, & in æternam dirigat vitam: verùm non coactas, sed spontaneas.*

In cap. verò 20. multis Scripturarum tum autoritatibus, tum exemplis demonstrat, Deum

in ipsis etiam impiis sua iudicia exercere: illorum corda quocunque vult, hoc est, ad alia etiam peccata flectendo, atque ita priora illorum peccata, aliis peccatis puniendo: neque tamen Deum propterea illorum scelerum autorem esse: cùm malitiam peccandi in impiis non creet. Ac post. „ quam aliqua exempla & dicta Scripturarũ recitasset in cap. 20. postea sic incipit cap. 21. Quis, „ inquit, nõ ista iudicia diuina contremiscat: quibus agit Deus in cordibus etiam malorũ homi- „ num, quidquid vult: reddens eis tamen secundum merita eorum? Deinde iterum postquã eandem conclusionem aliis quamplurimis Scripturarum locis confirmasset: Agit, inquit, omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum: vt per eos agat, quod per eos agere „ ipse voluerit: qui omnino iniustè aliquid velle non nouit. Tandem concludens, ait: His & tali- „ bus testimoniis diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est: satis, „ quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum „ voluntates, quocunque voluerit: siue ad bonum, pro sua misericordia: siue ad mala, pro meritis „ eorum: iudicio vtique suo, aliquando aperto, aliquãdo occulto: semper autem iusto. fixum enim „ debet esse & immobile in corde nostro: quia non est iniquitas apud Deum.

Hanc autem Augustini conclusionem, vt piam atque verissimam probat Bucerus, vt de aliis taceam: in 1. ad Rom. sect. 7. in ea verba Apostoli: Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum, & desideria cordis sui. Postquam enim multis demonstrasset, illud verbum Tradidit, non posse intelligi de sola permissione, sed de actione interna Dei in cordibus piorum, eò quocunque vult flectentis: ad extremum, sententiam suam hoc Augustini loco, ex libro de gra- „ tia, & libero arbitrio, desumto: confirmat pag. 95. iis verbis: Ex quibus [scilicet Augustini „ verbis] satis apparet, sensisse sanctum hunc virum [Augustinum:] Deum, cùm seducit, „ indurat, tradit in sensum reprobum, immittit efficacem errorem: id facere, non tantùm defe- „ rendo, sed etiam animos hominum, vt errori concedant, & à concupiscentiis vincantur, incli- „ nando, iudicio suo (vt inquit) nunc aperto, nunc occulto, semper tamen iusto. Alia siquidem „ est ratio Dei erga nos: alia nostra erga proximos. Nos si quem decipimus, & in malas cupidi- „ tates pellicimus: semper peccamus. At Deus iustus, peccatis huiusmodi, peccata iustè punit. Id- „ circò inscrutabilia iudicia eius & abyssus multa prædicantur. Hæc Bucerus. Tandem verò contendit, reliquos quoque Patres idem re ipsa cum Augustino sensisse.

Buceri autem hanc fuisse doctrinam, dubium non est. nam mox in eodem loco, Augustini „ sententiæ subiecit: Nisi demus, inquit, Deum omnium corda pro suo arbitratu inclinare, quò „ libet: & nisi fateamur, eum omnia in omnibus efficere: Deum esse negamus.

Eandem doctrinam vbique in suis scriptis tradit constanter. Matth. cap. 6. sect. 2. in ea verba: Ne nos inducas in tentationem: postquam multis Scripturarum locis hanc doctrinam „ demonstrauit: concludit pag. 167. his verbis. Apertis itaque Scripturæ testimoniis euincitur: „ Dominum inducere in tentationem, tam suos, quàm reiectitios: & in eam tentationem, non „ solùm, qua aduersis externis probentur, quæ tentatio peculiaris Sanctis est: verùm etiam, qua „ errent, peccent, & malis se ipsos ac alios inuoluant. Vnde Iesaiæ 63. queruntur etiam electi: „ Quare seduxisti nos, Domine, à viis tuis: & induraſti cor nostrum, ne timeret te? conuerte „ propter seruos tuos, & tribus hæreditatis tuæ. Porrò tentatio, qua penitus quosdam ex- „ cæcat & indurat: ea peculiaris est reiectitijs: qui vasa iræ sunt, parati ad interitum, „ quos Deus fert & profert ad declarandam iram & potentiam suam. Roman. 9. Hæc Bucerus.

Eandem doctrinam tradit in cap. 9. ad Roman. in quæstione de Frædestinatione: cap. 1. „ Sed humana ratio nec istud ferre potest. Deum quosdam indurare, excæcare, tradere in sen- „ sum reprobum: & inde est, quòd irreligiosum putat, Deo tribui, quòd ad hæc quenquam „ præfinierit, atque destinarit. Etenim nouit, apud homines eum summæ iniquitatis ac cru- „ delitatis damnatum iri, qui seruum suum excæcaret, cùm ab eo aliquid officij requi- „ ret, quodis, nisi videns, præstare non posset: & inde pœnas de eo sumeret, quòd non „ feciſſet, quæ illiius ſiſſet. Ad eum iam modum iudicat & de Deo: censetq; eum iniquè exige- „ re ab ijs, quos ipse indurat, excæcat, & in sensum reprobum tradit, eam vitam, quam

nemo

nemo viuere potest, nisi ab ipso Deo ad id regenitus, illuminatus, & nouo rectóque sensu donatus: & crudeliter punire istiusmodi, cùm ea admittunt, quæ fert eorum induratio, cæcitas & mens reproba. Hoc ergo rationis nostræ iudicio offensi: alij exciderunt eò, vt dicerent, Deum tandem omnes impios illuminaturum & seruaturum, contra tam multa expressa oracula Scripturæ sanctæ: alij autem, qui Scripturæ sanctæ simpliciter, & vbique fidem habuerunt, cæperunt illa, Indurauit, Excæcauit, Tradidit in sensum reprobum, interpretari per Deseruit suo Spiritu, permisit excæcari, indurari. Atqui neutro modo, rationi humanæ satisfieri potest. nam agnoscere illa non potest, qua iustitia Deus vel ad tempus excæcet, induret, & in sensum reprobum tradat homines, à quibus exigit vitam omnibus modis sanctam & iustam. Tum non potest non inhumanum iudicare, Deum vel permittere labi, quos solus à lapsu seruare potest: & crudele, pœnas sumere de lapsis, qui ope eius destituti, non potuerunt non labi. Proinde iudicium rationis hîc penitus reijciendum est: & fatendum, iudicia Dei esse abyssum multam, esse imperscrutabilia, iusta tamen. Iustus enim est Dominus in omnibus viis suis: etiam vbi secùs nostræ rationi videtur. Fatendum itaque nobis est: Deum iustè exigere à nobis vitam sanctam, & virtutibus omnibus ornatam: iustè etiam, quos vult, indurare, excæcare, & tradere in sensum reprobum: iustè denique hos damnare, & punire: nobis autem omnem culpam nostræ perditionis adscribendam esse. De qua re dicemus in sequenti capite nonnulla: & diximus iam in sect. 7. cap. 1. Dum itaque constiterit, ad gloriam Dei pertinere, quòd prædicatur indurare, excæcare, & tradere in sensum reprobum, quos vult: satis liquet, etiam dici posse, Deum hos ipsos in hanc sortem præscisse, & destinasse, antequam eos conderet. Agit enim præfinito & certo consilio omnia.

Eandem tradit in nono cap. Roman. in explicatione exempli Pharaonis à Deo indurati.

Idem docet in libro de Reconcil. Eccles. edito anno 44. fol. 77. Testatur Scriptura, inquit, Deum eos, qui se non, vt cognouerunt, glorificant: tradere in concupiscentias cordium ipsorum.

Tandem concludit his verbis, fol. 78. Proinde sicut ex eo non consequitur, Deum vllius peccati argui posse, quòd prædicatur atrocissimis sanè peccatis, & vitiis aliis hominum peccata punire, operando in cordibus eorum, siue per angelos, vel bonos, vel malos, siue quocunque alio modo, ad inclinandas eorum voluntates ad mala pro meritis eorum, id quod D. Augustinus ex adductis, & aliis Scripturæ locis, euidentissimè demonstrat: neque id ex eo sequitur, quod nos ex verbo Dei, &c.

LVTHERVS *verò eandem ante Bucerum doctrinam tradiderat, cùm alibi, tum præsertim in libro de seruo arbitrio, cap. 38. 146. 147. vsque ad 165.*

Ac primùm quidem cap. 38. aduersus vltimam partem præfationis, hoc Augustini dogma, Deum operari bona & mala in nobis, defendit contra Erasmum. Contra secundam verò partem Diatribes, quæ incipit à cap. 134. fol. 491. in defensione loci Exodi 9. Indurabo cor Pharaonis: & Rom. 9. de excæcatione & induratione Pharaonis: hanc doctrinam fusissimè tractat.

Primo autem loco ait: absurdum quidem videri humanæ prudentiæ, quòd Deus homines induret, excæcet, tradat in reprobum sensum, atque eorum corda flectat ad mala, & postea propter hæc mala eos damnet, sed fidem & Spiritum aliter iudicare. Credere enim Deum esse & manere bonum: etiamsi omnes homines perderet, cap. 146. 147. Deinde confirmat, Deum operari omnia in omnibus: etiam mala in impijs, & hoc pertinere ad omnipotentiam suam, cap. 149. Tertiò explicat, quomodo Deus dicatur mala in nobis operari, vt indurare, tradere desiderijs, seducere, & similia: ita vt tamen Deo peccata impiorum nullo modo attribui possint: id docet, non ita esse intelligendum, quasi Deus nactus nos bonos, intelligentes, & molles, faciat malos, cæcos, duros: sed quòd tales, quales sumus, nisi velit regenerare, agitet manu sua omni-

potentiæ & iudicij: tali autem agitatione reddat magis cæcos, duros: seu quòd Deus non in nobis bonis, malum creet, quemadmodum si malignus caupo in vas non malum fundat venenum, ipsè vase nihil faciente, quàm quòd recipiat, vel patiatur cauponis malignitatem: minimè hoc modo esse intelligendum, Deum operari mala in impiis: sed ita, quemadmodum eques, qui equum claudum equitat, sua agitatione facit, vt ille equus suapte natura claudus, claudicet: cùm non possit agitatus aliter facere, quàm vt claudicet: motus quidē in equo, caussà est eques eum equitans: claudicationis verò, minimè. Interim tamen equus actu non claudicaret, si ab equite non agitaretur: eques igitur in equo operatur claudicationem: culpa tamen claudicationis in equitem transferri non potest. Item Deum operari in impiis, sicut qui secat serra malè dentata.

Deus, quomodo mala in impiis operetur: nec tamen mali autor sit.

Verba Lutheri si quis legere velit, sunt hæc, à capite 149. vsque ad 154. seu à folio 494. vsque ad folium 496. in editione Latina. Quæritur fortassis, quomodo Deus mala in nobis dicatur operari, vt indurare, tradere desideriis, seducere, & similia. Oportuit sanè verbis Dei contentos esse, & simpliciter credere quod dicunt: cùm sint opera Dei prorsus inenarrabilia. Tamen in obsequium rationis, id est, stultitiæ humanæ, libet ineptire & stulteſcere, & balbutiendo tentare, si quà possimus eam mouere. Primùm etiam ratio & diatribe concedit, Deum omnia in omnibus operari: ac sine ipso nihil fieri, nec efficax esse. est enim omnipotens, pertinétque id ad omnipotentiam suam: vt Paulus ait ad Ephesios. Item Satan & homo lapsi & deserti à Deo, non possunt velle bonum: hoc est, ea quæ Deo placent, aut quæ Deus vult: sed sunt in sua desideria conuersi perpetuò: vt non possint non quærere quæ sua sunt. Hæc igitur eorum voluntas & natura sic à Deo auersa: non est nihil. Neque enim Satan & homo impius, nihil est: aut nullam naturam & voluntatem habent, licet corruptam & auersam naturam habeant. Illud igitur reliquum quod dicimus naturæ in impio & Satana, vt creatura & opus Dei, non est minùs subiectum omnipotentiæ actioni diuinæ, quàm omnes aliæ creaturæ & opera Dei. Quando ergo Deus omnia in omnibus mouet & agit, necessariò etiam mouet & agit in Satana & impio: agit autem in illis taliter, quales illi sunt, & quales inuenit: hoc est, cùm illi sint auersi & mali, & rapiantur motu illo diuinæ omnipotentiæ: nonnisi auersa & mala faciunt: tanquam si eques agat equum tripedem vel bipedem: agit quidem taliter, qualis equus est: hoc est, equus malè incedit. Sed quid faciat eques? equum talem simul agit cum equis sanis, illo malè, istis bene: aliter non potest, nisi equus sanetur. Hic vides, Deum, cùm in malis, & per malos operatur, mala quidem fieri: Deum tamen non posse mala facere, licet mala per malos faciat, quia ipse bonus mala facere non potest: malis tamen instrumentis vtitur, quæ raptum & motum potentiæ suæ non possunt euadere. Vitium ergo est in instrumentis, quæ otiosa esse Deus non sinit: quòd mala fiunt, mouente ipso Deo: non aliter, quàm si faber securi serrata & dentata malè secaret. Hinc fit: quòd impius non possit non semper errare & peccare: quòd raptu diuinæ potentiæ motus, otiari non sinitur: sed velit, cupiat, faciat taliter, qualis ipse est.

Hæc rata & certa sunt, si credimus omnipotentem esse Deum: deinde, impium esse creaturam Dei: auersam verò, relictámque sibi, sine Spiritu Dei, non posse velle aut facere bonum. Omnipotentia Dei facit, vt impius non possit motum & actionem Dei euadere: sed necessariò illi subiectus paret. Corruptio verò seu auersio sui à Deo, facit, vt bene moueri & rapi non possit. Deus suam omnipotentiam non potest omittere propter illius auersionem. Impius verò suam auersionem non potest immutare. Ita fit, vt perpetuò & necessariò peccet & erret: donec Spiritu Dei corrigatur. In his verò omnibus, Satan adhuc in pace regnat, & atrium suum quietum possidet sub motu isto diuinæ omnipotentiæ.

Quomodo Deus induret impios.

Post hæc verò sequitur indurationis negotium, quod sic habet. Impius, vt diximus, sicut & Princeps suus Satan, totus est versus ad se, & ad sua: non requirit Deum, nec curat ea quæ Dei sunt: suas opes, suas glorias, sua opera, suum sapere, suum posse, & omnino suum regnum quærit: illíque vult in pace frui. Quòd si quis ei resistat,

aut

aut aliquid horum velit imminuere, eadem auersione, qua illa quærit, etiam mouetur & indignatur, & furit in aduersarium: & non tam potest non furere, quàm non potest non cupere & quærere: & tam non potest non cupere, quàm non potest non esse, cùm sit creatura Dei, licet vitiata. Hic est ille furor mundi aduersus Euangelium Dei. nam per Euangelium venit ille fortior, victurus atrij quietum possessorem: & damnat istas cupiditates gloriæ, opum, sapientiæ & iustitiæ propriæ, & omnia in quibus confidit. Hæc ipsa irritatio impiorum, cùm Deus illis contrarium dicit aut facit, quàm vellent, est ipsorum induratio & ingrauatio. Nam cùm per sese sint auersi ipsa naturæ corruptione, tum multò magis auertūtur, & peiores fiunt, dum ipsorum auersioni resistitur, aut detrahitur. Sic Pharaoni impio erepturus tyrannidem: irritauit eum, & magis indurauit & aggrauauit cor eius, dum illum per verbum Mosis velut regnum ablaturi, & populum suæ tyrannidi subtracturi, inuasit, & intus Spiritum non dedit: sed ipsius impiam corruptionem permisit, Satana regnante, succensere, intumescere, furere, & procedere cum securitate quadam & contemtu.

Non igitur quispiam cogitet, Deum, cùm dicitur indurare, aut malum in nobis operari, (indurare enim est malum facere) sic facere, quasi de nouo in nobis malum creet: ac si fingas malignum cauponem, qui ipse malus, in vas non malum infundat, aut temperet venenum: ipso vase nihil faciēte, quàm quòd recipiat, vel patiatur temperatoris malignitatem. Sic enim fingere videntur hominem per sese bonum, aut non malum, pati à Deo malum opus: dum audiunt à nobis dici, Deum in nobis operari bona & mala: nósq; mera necessitate passiua subijci Deo operanti: non satis cogitantes, quàm inquietus sit actor Deus in omnibus creaturis suis, nullámque sinat feriari. Sed ita cogitet, qui vtcunque talia volet intelligere: in nobis, id est, per nos Deum operari mala: non culpa Dei sed vitio nostro: qui cùm simus natura mali, Deus verò bonus, nos actione sua pro natura omnipotentiæ suæ rapiens, aliter facere non possit, quàm quòd ipse bonus, malo instrumento malum faciat: licet hoc malo pro sua sapientia vtatur bene ad gloriam suam & salutem nostram. Sic Satanæ voluntatem malam inueniens, non autem creans, sed deserente Deo, & peccante Satana, malam factam, arripit operando, & mouet quorsum vult: licet illa voluntas mala esse non desinat hoc ipso motu Dei. Hoc modo dixit Dauid 2. Reg. de Semei: Sine illum, vt maledicat. Dominus enim præcepit illi, vt maledicat Dauid. Quomodo præcipiat Deus maledicere, scilicet tam virulentum & malum opus? externum non erat vspiam tale præceptum. Respicit igitur Dauid illò, quod Deus omnipotens dixit, & facta sunt, hoc est, verbo æterno omnia facit. Itaque voluntatem Simei iam malam cum omnibus membris, contra Dauid antea accensam, oblato oportunè Dauide, vt merito talem blasphemiam, rapit diuina actio & omnipotentia: & ipse Deus bonus, per malum & blasphemum organum præcipit, id est, verbo dicit & facit (scilicet raptu actionis suæ) hanc blasphemiam.

Sic indurat Pharaonem, cùm impiæ & malæ eius voluntati offert verbum & opus, quod illa odit, vitio scilicet ingenito, & naturali corruptione. Atque cùm Deus Spiritu intus eam non mutet, pergat verò offerendo & obtrudendo: Pharao verò vires, opes, potentiam suam cōsiderans, illis eodem naturali vitio confidit: fit, vt hinc suarum rerum imaginatione inflatus & exaltatus: illinc verò humilitate Mosi & verbi Dei abiecta forma venientis, superbus contemtor factus, induretur, tum magis ac magis irritetur & ingrauetur: quò magis Moses instat & minatur. Hæc autem voluntas eius mala, se sola non moueretur, aut induraretur: sed omnipotens actor, cùm illam agat ineuitabili motu, vt reliquas creaturas: necesse est eam aliquid velle, cùm simul foris offert, quod naturaliter illam irritat & offendit: fit, vt Pharao non possit vitare indurationem sui: sicut vitare non potest & omnipotentiæ diuinæ actionem & auersionem, seu malitiam suæ voluntatis. Quare induratio Pharaonis per Deum sic impletur: quòd foris obijcit malitiæ eius, quod ille odit naturaliter: tum intus non cessat mouere omnipotente motu malam, vt inuenit, voluntatem: illéque pro malitia voluntatis suæ non potest non odisse contrarium sibi, & confidere suis viribus: sic obstinatur, vt neque audiat, neque sapiat, sed rapiatur possessus à Satana, velut insanus & furens.

„ *Hæc si persuasimus, vicimus in hac caussa, & explosis tropis & glossis hominum, verba*
„ *Dei simpliciter accipimus: ne sit necesse, Deum excusare, vel iniquitatis arguere. Cùm enim*
„ *dicit, Ego indurabo cor Pharaonis, simpliciter loquitur, ac si diceret: Ego faciam, vt cor Pha-*
„ *raonis induretur: seu, vt me operante & faciente, induretur. quod quomodo fiat, audiuimus,*
„ *scilicet intus generali motu, ipsam mouebo voluntatem malam: vt suo impetu & cursu vo-*
„ *lendi pergat: nec cessabo mouere, nec possum aliter. Foris verò offeram verbum, & opus, in quod*
„ *impinget impetus ille malus: cùm aliud non possit, nisi malè velle: me, ipsum malum mouente,*
„ *virtute omnipotentiæ. Sic certissimus erat, & certissimè pronuntiabat Deus, Pharaonem esse*
„ *indurandum: vt qui certissimus erat, Pharaonis voluntatem, nec motui omnipotentiæ resi-*
„ *stere, nec malitiam suam deponere, nec oblatum aduersarium Mosen admittere posse: sed ma-*
„ *nente voluntate eius mala, necessariò peiorem, duriorem superbiorem fieri: dum cursu & im-*
„ *petu suo impingeret in id quod nolebat, & quod contemnebat, confisus potentia sua. Ita vides*
„ *hic etiam hoc ipso verbo confirmari, liberum arbitrium nihil nisi malum posse: dum Deus, qui*
„ *non fallitur ignorantia, nec mentitur nequitia, tam securè promittit indurationem Pharao-*
„ *nis: certus videlicet, quòd voluntas mala, non nisi malum velle possit, & oblato bono sibi con-*
„ *trario, non nisi peior fieri possit.*

Ad querelas humanæ prudentiæ responsio.

Reliqua igitur sunt, vt quærat quispiam: cur Deus non cesset ab ipso motu omnipotentiæ,
„ *quo voluntas impiorum mouetur, vt pergat mala esse, & peior fieri? Respondetur: hoc*
„ *est optare, vt Deus propter impios desinat esse Deus: dum eius virtutem & actionem optas*
„ *cessare: scilicet vt desinat esse bonus: ne illi fiant peiores. At cur non simul mutat voluntates*
„ *malas, quas mouet? Hoc pertinet ad secreta maiestatis, vbi incomprehensibilia sunt iudicia*
„ *eius. Nec nostrum hoc est quærere, sed adorare mysteria hæc. Quod si caro & sanguis hic of-*
„ *fensa murmuret: murmuret sanè, sed nihil efficiet. Deus ideo non mutabitur. Et si scandali-*
„ *zati impij discedant quamplurimi: electi tamen manebunt. Idem dicetur illis qui quærunt,*
„ *Cur permisit Adam ruere; & cur nos omnes eodem peccato infectos condit: cùm potuisset il-*
„ *lum seruare, & nos aliunde, vel primùm purgato semine creare? Deus est, cuius voluntatis*
„ *nulla est caussa nec ratio, quæ illi ceu regula & mensura præscribatur: cùm nihil sit illi*
„ *æquale aut superius: sed ipsa est regula omnium. Si enim esset illi aliqua regula vel mensura,*
„ *aut caussa, aut ratio: iam nec Dei voluntas esse posset. non enim quia sic debet, vel debuit*
„ *velle, ideo rectum est quod vult: sed contrà, quia ipse sic vult, ideo debet rectum esse quod fit.*
„ *Creaturæ voluntati, caussa & ratio præscribitur, sed non creatoris voluntati, nisi alium illi*
„ *præfeceris creatorem.*

„ *Item cap. 160. Omnipotentiam Dei voco, non illam potentiam, qua multa non facit, quæ*
„ *potest: sed actualem illam, qua potenter facit omnia in omnibus: quo modo Scriptura vocat*
„ *eum omnipotentem. Hæc omnipotentia & præscientia Dei funditus abolent dogma liberi*
„ *arbitrij.*

„ *Et cap. 161. Scilicet hoc offendit quàm maximè sensum illum communem, seu rationem na-*
„ *turalem, quòd Deus mera voluntate sua homines deserat, induret, damnet: quasi delectetur*
„ *peccatis & cruciatibus miserorum tantis & æternis: qui prædicatur tantæ misericordiæ &*
„ *bonitatis, &c. Hoc iniquum, hoc crudele, hoc intolerabile visum est de Deo sentire: quo*
„ *offensi sunt etiam tot & tanti viri tot seculis. Et quis non offenderetur? Ego ipse non semel*
„ *offensus sum, vsque ad profundum & abyssum desperationis: vt optarem, nunquam esse me*
„ *creatum hominem: antequam scirem, quàm salutaris illa esset desperatio, & quàm gratiæ pro-*
„ *pinqua. Hæc omnia Lutheri sunt.*

Hæc autem ego omnia, tam quæ ab Augustino, quàm quæ à Bucero & Luthero scripta, & à me fideliter recitata sunt, tanquam verissima, certissima, & orthodoxa, ex verbo Domini desumta, & primo Symboli Christiani articulo consona, recipio atque amplector: & maioris explicationis gratia hæc subijcio.

Credo & doceo, Deum operari omnia in omnibus, etiã in impiis: omnia, inquam, quæ Dei naturæ conueniant, hoc est, omnes actiones, tam internas, quàm externas: quoniam omnis actio,

Ita, quatenus actio est, bona est, & sine Dei virtute nulla actio in creaturis, aut à creaturis fieri potest: iuxta illud etiam Act. 17. In ipso, hoc est, ipsius virtute viuimus, mouemur, & sumus. Nullus igitur motus, siue intellectus, siue voluntatis, siue animi, siue corporis, fieri in nobis, aut à nobis potest: qui non fiat virtute & actione Dei in nobis. Et ita primum Symboli articulum intelligo: Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Ita enim factorum confiteor: vt & conseruatorem, & motorem, actorémque intelligam. Ceterùm nullo modo hinc consequitur, Deum igitur cum homine peccante peccare: vel in peccante, caussam & authorem esse peccati: quandoquidem peccatum nihil aliud est propriè, quàm ἀνομία & priuatio rectitudinis, iuxta Legem Dei, in ipsa actione. Deus autem nullius irrectitudinis, vt ita dicam, author esse potest: cùm illius naturæ rectissimæ atque optimæ non conueniat. Omnis verò actionis, quà actio est, quia bona est, & Deo primæ caussæ agenti optimè conuenit: autor & prima caussa Deus est: immò ideo nos peccamus, quia actiones Dei in nobis, suapte natura bonas, nos nostra corruptione & malitia deprauamus atque contaminamus. Si puer scribendi ignarus, cuius manus à præceptore super papyro ducitur, inter pingendum, errorem admittat: actionis quidem & motus, hoc est, scriptionis, ipse quoque præceptor, qui manum pueri mouet, caussa esse omnino dicitur, & est: at verò erroris inter scribendum admissi, nullo modo author, aut caussa præceptor esse dicitur: sed tantùm puer, quia manum præceptoris rectè suam ducentem, non vsquequaque sequitur.

Fructus & necessitas doctrinæ, de generali Dei actione in omnibus.

Est autem hæc doctrina de generali Dei in omnibus suis creaturis actione, qua operatur omnia in omnibus: Christianis hominibus cognitu non solùm vtilis, sed etiam necessaria.

*Primùm, vt fidei nostræ primum articulum defendamus: nimirum Deum nostrum verè esse omnipotentem: rerum omnium conditorem, conseruatorem, motorem, actorem, ideóque verum Deum. Ridiculus fuerit Deus, inquit Lutherus de seruo arbitrio, cap. 160. si non omnia «
possit, & faciat, aut aliquid sine ipso fiat. Et nisi demus, inquit Bucerus in 1. ad Rom. pag. 95. «
Deum omnium corda pro suo arbitratu inclinare quo libet: & fateamur, eum omnia in om- «
nibus efficere: Deum esse negamus. Hæc Bucerus. Apostolus ipse, cùm vellet Athenien- «
sibus, qui ignotum falsumq; Deum colebant, demonstrare, quis esset verus Deus, quem colere deberent: hac veri Dei proprietate, quæ est, vt vbique sit, & omnia sua manu sustentet, vitam & motum præbeat, ideóque operetur omnia in omnibus: eum illis demonstrat, dicens: Prætereiens & contemplans simulachra vestra: inueni & aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis: hoc ego annuntio vobis: Deus, qui fecit mundum, hic non procul abest ab vnoquoque nostrum: in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Act. 17. Si hæc est vera Dei descriptio: nempe illum esse, cuius virtute & actione viuunt, quæcunque viuunt: cuius virtute & actione mouentur; hoc est, aguntur & fiunt, quæcunque fiunt: cuius denique virtute & actione sunt, quæcunque sunt: A contrario igitur non est verus Deus, ille qui non omnia sustentat: qui non omnia viuificat: qui non omnia in omnibus agit, vt ait Bucerus: & sine quo aliquid fit, vt ait Lutherus.*

Deinde hæc doctrina facit ad timorem Dei in nobis retinendum: quo timore, tanquam freno cohibeamur ab admittendis sceleribus. Si enim verè credimus, Deum in nobis esse, & continenter in nobis sua manu operari, hoc est, actiones in se bonas efficere, quas si nos nostra malitia inficiamus, & ita peccemus, Deum solere nos in alia peccata, quæ sint pœnæ præcedentium peccatorum, præcipitare: profectò diligentiùs cauebimus, ne bonas & continuas Dei in nobis actiones, malitia, quæ à Diabolo profecta est, & in nos per Adamum transfusa, inficiamus.

Tertiò, facit ad excitandam & conseruandam in nobis veram animi humilitatem: qua

de nobis ipsis desperati atque confusi: neque contra Deum, neque contra quempiam insolescamus: sed in perpetua animi nostri demissione viuamus. Si enim verè sentiamus, Deum illum esse, cuius virtute & actione omnia in omnibus fiant: ita vt sine illius virtute, neque boni bona, neque etiam mali mala, admittere possint: omnia verò pendere ex Dei omnipotente manu, atque actione: nos autem in manu Dei esse, sicut lutum in manu figuli, vt docet Apostolus: quomodo quispiam hoc apud se reputans, audebit aduersus Deum insolescere, aut suis viribus gloriari, ac superbire? Hac autem humilitate nihil homini salutarius. Ideo Apostolus volens nos ad hanc humilem de nobis ipsis cogitationem atque sensum adducere: argumentum ab hac Dei, qua agit omnia in omnibus, actione deducit 1. Cor. 4. Quid habes, vel naturalium, vel moralium, vel etiam diuinarum virtutum, motuum, & actionum: quod non accepisti? Si autem accepisti: quid gloriaris, quasi non acceperis?

LVTHERVS *quoque in libro de seruo arbitrio, cap. 161. ait, se hac doctrina sæpenumerò fuisse offensum vsque ad sui desperationem: sed postea se agnouisse, hanc desperationem esse salutarem, & gratiæ Dei propinquam: vt paulò antè visum est.*

Quarto: Ac proinde hæc doctrina facit ad hoc, vt humiles perpetuò pendeamus à Deo: nam si verè persuasi simus, nos ex nobis nihil posse vel mali, vel boni perficere: sed creatos à Deo, ab eo etiam solo viuificari, sustentari, moueri & agi, quocunque illi placeat: cogemur, velimus nolimus, non solùm modestè de nobis sentire: sed etiam quanti quanti sumus, nos in Dei sinum proijcere: & totam nostri curam atque solicitudinem illi committere: vt ipse de nobis agat, quidquid velit: modò nobis quoque ad sui gloriam vtatur, certi illum hoc facturum. Qui autem potest eousque peruenire, vt sui oblitus solam Dei gloriam desideret, & ea sola sit contẽtus: hic verus est Christianus: sicut etiam Christus nihil aliud quàm gloriam Patris, & electorum salutem curauit. Hac autem perpetua nostri obliuione, & à Deo solo dependentia: nihil homini salutarius contingere potest.

Quintò: Consequenter hæc doctrina facit ad alendam in nobis aduersus omnia aduersa patientiam. Si enim persuasi simus, Deum illum esse, qui omnia in omnibus operatur, idq; iustissimè: non irascemur ita inimicis nostris, qui nos vel verbis, vel factis lædunt: quin mox omnes illorum iniurias æquo animo feramus: scientes, Deum primariam esse caussam, quæ nos per inimicorum manus, propter nostra peccata castiget. Ita Iob hunc articulum optimè edoctus, cùm vidisset se per manus Sabæorum spoliatum, & variis iniuriis affectum: non illis iratus fuit, sed agnouit, Deum fuisse eum, qui in illis, hoc est, per illos hæc omnia operatus fuisset, propter sua peccata. Eò dixit: Dominus dedit: Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum.

Sextò & postremò: doctrina hæc facit ad perpetuas in nobis precationes excitandas. nam si verè credamus, Deum omnia in sanctis bona operari: rogabimus igitur, vt in nobis quoque operetur & velle, & perficere: ac si viderimus in nobis aliquid boni, mox illud acceptum feremus Deo: neque in nobis, sed in Deo gloriabimur. Si verò credamus, Deum etiam in impijs operari mala, hoc est, cæcitatem, indurationem, & alia, quæ ita sunt pœnæ peccatorum, vt etiam sint in impijs peccata: incitabimur ad deprecanda hæc mala, & ad orandum Deum, ne nos inferat in tentationem.

DE IVSTITIA DEI.

THESIS PRIMA.

Deus sicuti suapte natura liberæ est voluntatis, & omnipotentissimus: ita etiam suapte natura est iustissimus.

II.

Est autem iustus Deus, primùm quidem in sese, deinde erga alios. In se quidẽ, quatenus ita est perfectus: vt nihil in eo boni desiderari, & nihil in eum mali cadere possit. Ideo dicere, Deum aut peccare posse, aut esse authorem peccati: summa est in Deum iustissimum blasphemia.

III.

III.

Erga alios autem ita iustus est: vt eis nihil aut velle, aut facere possit iniustè. Rom.9.

IV.

Quidquid igitur agat, aut velit Deus, siue impiissimos latrones iustificet, & infantes quamplurimos damnet: siue innocentem Iobum multis calamitatibus afficiat,& impios Sabæos multis beneficiis cumulet:siue Petrum ad pœnitẽtiam reuocet,& Iudam in suo scelere deserat:siue Iacobum,antequam quidquam boni egisset, diligat, & Esau, antequam mali quidquam fecisset, odio habeat: siue denique quorundam velit misereri,& alios indurare,idque pro suo beneplacito: omnia iustissimè agit & vult,& nulla est iniquitas apud Deum.

V.

Deus enim est non solùm Deus omnium, neque solùm iudex omnium, sed etiam Dominus omnium,isque semper iustissimus.

VI.

Proinde sicut multa agit vt Deus, & multa agit, vt iudex: ita etiam multa agit vt Dominus:idque semper iustissimè: imò quidquid egit vnquam, aut agit, aut acturus est Deus:illud omne egit,& agit, & acturus est,aut vt Deus, aut vt Iudex, aut vt Dominus.

VII.

Vt Deus omnium: sicut omnia creauit, sic omnia amat, sustentat, regit, tuetur,& nihil odit eorum quæ fecit,Sap.10.sed pluit super iustos & iniustos:Matth. 5.& est omnium seruator.1.Tim.4.

VIII.

Est enim hoc Dei,quatenus Deus est, proprium ingenium, propriáque natura,vt sit summum bonum,& suam bonitatem communicet, tum creando ea quę non sunt,vt sint:tum ea quæ condita sunt,regendo, conseruando, & variis beneficiis quotidie magis ac magis cumulando,vt bene sint.Ies.46. Ego feci: Ego fero:Ego porto & seruo:ait Dominus.

IX.

Vt iudex omnium, vnicuique reddit iuxta opera sua: punit nocentes, & protegit innocentes:vlciscitur peccata,& remunerat benefacta. Matth.16.& 25.

X.

Est enim hoc proprium iusti iudicis officium, vt vltor sit, tanquam Dei minister:ad iram ei qui quod malum est,fecerit:eum verò qui bene egerit, gladio suo aduersus oppressores damnat. Prouerb.17. Qui iustificat, hoc est, absoluit impium,& qui damnat iustum: vterque abominabilis est Domino.

XI.

At verò vt Dominus omnium:quorum vult, miseretur, & quos vult, indurat: idque absque eo,vt vlla sit apud Deum iniquitas.Rom.9.Nam etiam quos indurat,iustissimè nimirum propter ipsorum peccata indurat.

XII.

Est enim hoc proprium Domini verè liberi,vt agat quidquid vult,de iis, in quæ plenum & absolutum habet ius:nec tamen vllius possit iniquitatis accusari. Deo autem pleniſſimum &absolutissimum ius est,sicut in reliquas creaturas:sic etiam in vniuersos & singulos homines. Proinde potest de eis facere quidquid vult,siue misereri,siue indurare: siue eligere, siue reprobare:siue seruare,siue perdere: Matth.20.Annon licet mihi in rebus meis facere quod volo?

XIII.

Proinde,etſi Deus pro ſuo liberrimo & abſolutiſſimo in omnes homines iure, de illis agit quidquid vult: & alios quidem creat, vt ſint vaſa miſericordiæ, & alios,vt ſint vaſa iræ:eóque,alios ita vocat,vt etiam trahat: alios verò ita vocat, vt tamen non trahat:& aliis quidem donat veram fidem ac perſeuerantiam in fide: aliis non donat, nec vult donare: eóque quoſdam vult ſimpliciter ſaluos fieri, alios verò ſimpliciter non vult ſaluos fieri: nullius tamen iniquitatis accuſari poteſt.Rom.9.

XIIII.

Ipſius etenim voluntas ſemper eſt iuſta:immò & regula omnis iuſtitiæ: neque enim ideo aliquid vult Deus, quia illud iuſtum eſt: ſed ideo aliquid iuſtum eſt, quia Deus illud vult.

XV.

Sicut enim voluntas reuelata in Lege,iuſta eſt: & ideo iuſta eſt, quia voluntas Dei eſt:ita voluntas arcana,ſeu beneplaciti,ſemper iuſta eſt:& ideo iuſta eſt,quia voluntas Dei eſt. Abraham iudicauit iuſtum eſſe, occidere filium innocentem, non certè ex Lege,quæ homicidium vetat:ſed tantùm inde,quia intellexit,hanc eſſe ſpecialem Dei voluntatem atque mandatum.

XVI.

Quidquid autem facit Deus, iuxta beneplacitum voluntatis ſuæ facit. Quidquid igitur faciat,illud ſemper iuſtum ſit,neceſſe eſt:Pſal.144. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis:& ſanctus in omnibus operibus ſuis.

XVII.

Quare, etſi opera noſtra examinanda ſemper ſunt ad voluntatem Dei, nobis reuelatam:& eatenus iudicanda ſunt iuſta eſſe,vel iniuſta, quatenus hæc illi ſunt conſona, aut diſſona: de operibus tamen Dei non eſt ſemper iuxta illam iuſtitiæ regulam iudicandum,cùm ipſe non ſit illi legi ſubiectus.

XVIII.

Multa enim à Deo fiũt,vti eſt odiſſe,hoc eſt,odio deſtinaſſe eos, qui nihil mali egerunt,cùm potuerit eos amare: vti etiam eſt, permittere homines labi in peccata, cùm poſſit impedire: vti quoque eſt, homines lapſos non corrigere, cùm poſſit emendare:& vti eſt,homines in peccatis indurare, cùm poſſit mollire: denique vti eſt damnare, quos poteſt ſine vlla reprehenſione, immò multa cũ laude ſeruare,& alia id genus multa:quæ ſi à nobis fiant,iniuſta ſunt, quia cum iuſtitia Legis, ſeu cum voluntate Dei in Lege reuelata pugnant: qua Lege & voluntate,nobis, non ſibi mandat Deus,vt omnes amemus, & omnes, quandocunque poſſumus,& quibuſcunque poſſumus, officiis iuuemus, atque ſeruemus. Illa tamen eadem opera,cùm à Deo fiunt,iniuſta non ſunt.

XIX.

Non ſunt igitur opera Dei,ſtatera Legis diuinę,qua opera noſtra,iuſtáne ſint, an iniuſta,cognoſcuntur:ſed ſola diuini beneplaciti trutina,ponderanda:ac cum primùm conſtiterit, Deum aliquid ſimpliciter voluiſſe, aut velle: mox concludendum eſt,illud eſſe iuſtiſſimum.

XX.

Sola etenim voluntas Dei abſoluta, cùm ipſa ſit iuſtiſſima, immò ipſa iuſtitia: facit vt omnia etiam Dei opera iuſtiſſima ſint.

XXI.

Vult autem ſimpliciter Deus, quidquid facit: ſiue eligat, ſiue reprobet:ſiue miſereatur,ſiue induret:ſiue ſeruet,ſiue perdat. Quidquid igitur facit Deus, iuſtiſſimum eſt.

XXII.

XXII.

Quare blaſphemi ſunt in Deũ, qui hoc illi ius in omnes homines liberrimum atque abſolutiſſimum, nimirum agendi de illis, & in illos quidquid lubet, adimere conantur. negant enim eſſe liberrimum Dominum: quem tantùm optimum Deum, & iuſtum iudicem eſſe volunt. Deus autem non eſt, qui non eſt omnium Dominus: quique non habet in omnes liberrimam agendi quidvis poteſtatem. Qui igitur hoc ius Deo, quantum in ſe eſt, eripiunt, illum etiã Deum eſſe negant.

XXIII.

Hoc autem ius Deo illi eripiunt: qui dicunt, falſum & contumelioſum eſſe in Deum, dicere, eum amare, vel odiſſe homines, antequam nati ſint: item, Deum eſſe crudeliſſimum tyrannum, ſi ipſe pro ſuo arbitrio quoſdã elegerit, vt ſint vaſa miſericordiæ: & alios reprobarit, vt ſint vaſa iræ: &, ſi quoſdam creet ad vitam, alios ad mortem, tantùm vt in illis ſuam miſericordiam: in iſtis autem ſuam potẽtiam atque iuſtitiam declaret: & vt in vtriſque hac ratione glorificetur.

DE MISERICORDIA DEI.

THESIS PRIMA.

Deus non ſolùm iuſtus eſt: ſed etiam miſericors. Dei enim miſericordia vbique prædicatur in Scripturis.

II.

Non eſt autem miſericordia in Deo, ſicut in nobis, affectio, ſeu paſſio aliqua: ſed tantùm propenſiſſima quædam voluntas miſerendi, hoc eſt, miſeris ſuccurrendi.

III.

Ceterùm duplex eſt Dei miſericordia: vna generalis, qua vt Deus, non ſolùm propenſus & paratus eſt, cum creaturis ſuis omnibus, tum præſertim hominibus, tam iniuſtis, quàm iuſtis, in aliqua miſeria ac calamitate conſtitutis, ſuccurrere: ſed etiam re ipſa ſuccurit ac miſeretur: non quidem omnibus ad vitam æternam, atque in perpetuum, ſed ad aliquam ſalutem, eámque tẽporariam. De hac Luc. 6. Eſtote miſericordes: ſicut & Pater veſter cæleſtis miſericors eſt, nimirum ita miſericors: vt Solem ſuum faciat oriri, nõ ſolùm ſuper iuſtos & amicos: ſed etiam ſuper iniuſtos & inimicos.

IV.

Altera ſpecialis eſt, atque perpetua, qua, vt liberrimus Dominus miſeretur, quorum vult: & quorum non vult, non miſeretur. Rom. 9. Hac enim ad vitam æternam & in perpetuum, ipſorum tãtùm electorum miſeretur: primò dum eos ſolos ad ſe efficaciter vocat atque trahit: ſecundò, cum eis ſolis verè peccata remittit, atque iuſtificat: tertiò, cùm eos ſolos verè regenerat, ſibíque ſanctificat: ac poſtremò, dum eos ſolos in vitam æternam glorificat: de qua Epheſ. 2: Deus, qui diues eſt miſericordia: propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos: cùm eſſemus mortui in peccatis: conuiuificauit nos in Chriſto Ieſu.

V.

Etſi verò hac ſpeciali miſericordia Deus re ipſa non miſeretur, neque etiã ſimpliciter vult miſereri, niſi eorum, quos ad eius participationem ab æterno prædeſtinauit: ab ea tamen in ſacris literis, & in prędicatione Euangelij, nemo excluditur: quin quiſque, ſi velit, eam vniuerſis & ſingulis oblatam, percipere poſſit.

VI.

Ceterùm quia homines impij deſtituti gratia Dei, per ſe non poſſunt hãc mi-

ſericordiam intelligere, nedum fide amplecti, atque percipere: Deus autem reprobis non vult, ſicut electis, hanc ſuæ miſericordiæ partem præſtare, vt ſcilicet illorum mentes illuſtret ad verè cognoſcendam: & eorum corda flectat ad verè amplectendam gratiam in Chriſto oblatam: iccircò fit, vt re ipſa non omnium miſereatur, ſed eorum tantùm, quorum vult ſimpliciter miſereri, hoc eſt, electorum. Rom. 9. Ergo quorum vult, miſeretur: & quos vult, indurat.

VII.

Tota autem ſalus, & omnes ſalutis partes, electio, vocatio, iuſtificatio, glorificatio, ſæpè in ſacris literis nomine miſericordiæ intelliguntur: vt in illo Apoſtoli, Rom. 9. Miſeretur quorum vult, id eſt, eligit, vocat, iuſtificat, glorificat quos vult. Miſericordia autem excludit omnia merita illius, cui fit miſericordia, & meram miſerentis gratiam commendat. Indicant igitur ſacræ literæ hac voce miſericordiæ, totam electorum ſalutem eſſe gratuitam.

VIII.

Quare quidquid boni in nobis fit, aut à nobis fit, ſiue cogitando, ſiue volendo, ſiue agendo: & quidquid boni à Deo impetramus, atque conſequimur, ideóque ipſa etiam æterna vita: totum illud venit de gratuita Dei miſericordia, qua miſeretur, quorum vult: & quorum non vult, non miſeretur.

VOCVM QVARVNDAM, QVAE IN DOCTRINA DE PRÆDESTINATIONE *vſurpantur, explicatio.*

De amore & odio Dei.

Amor, cùm Deo attribuitur, nullam affectionem, aut paſſionem, ſicut in nobis: ſed tria alia ſignificat.

Primùm æternam beneuolentiam, hoc eſt, æternam bonam voluntatem, ſeu propoſitum miſerendi, & benefaciendi, ſeruandiq;. Sic Rom. 9. Antequam quidquam boni egiſſet, Iacob dilexi. Hoc amore non omnes, ſed certos quoſdam amat. nam alios odit. Rom. 9. Iacob dilexi: Eſau autem odio habui: antequam quidquam boni feciſſent, aut mali. Huius autem amoris cauſſa efficiens, in ſolo Deo eſt, eius ſcilicet beneplacitum.

Deinde actualem beneficentiam, hoc eſt, ipſa amoris effecta: ſiue temporaria ſint, atque ad hoc ſeculum ſpectantia: ſiue æterna, & ad vitam æternam pertinentia. Sap. 10. Diligis omnia quæ ſunt, hoc eſt, omnibus tuis creaturis benefacis: eas ſuſtentando, regendo, conſeruando. Hoc amore amat omnes. omnibus enim benefacit. Matth. 5. quanquam non omnibus ex æquo. Huius etiam amoris cauſſa in ſolo Deo eſt: eius nimirum beneplacitum.

Poſtremò, alicuius rei probationem, complacentiam & oblectationem: quòd qui amat aliquid, etiam eo delectatur. Pſal. 44. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem. hic neque beneuolentiam, neque beneficentiam ſignificat: ſed probationem atque complacentiam: quòd ſcilicet Deo probetur iuſtitia, tam in ſeipſo, quàm in aliis: eóque amore oblectetur. Hoc amore certè non amat impios, quatenus impij ſunt. Pſal. 5. Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem.

ODIVM *quoque in Deo nullam ſignificat affectionem: ſed hæc tria.*

Primùm, negationem beneuolentiæ: ſeu decretum non miſerendi, aut benefaciendi ad vitam æternam. Sic Rom. 9. Antequam quidquam mali egiſſet: Eſau odio habui: hoc eſt, decreui non miſereri, ſicut Iacobi. Huius odij diuini cauſſa, in ipſo tantùm Deo latet: ipſius ſcilicet beneplacitum.

Deinde diſplicentiam, vel deteſtationem. quæ enim odimus: ea nobis diſplicent: eáque deteſtamur. Odit Deus iniquum & iniquitatem eius. Huius odij cauſſa quærenda non eſt extra rem, quæ diſplicet.

Poſtremò,

Postremò, alienationem voluntatis à beneficentia sua: seu decretum puniendi, atque perdendi, illiúsque decreti actionem. Psal. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem: hoc est: non solùm tibi displicent, & eos abominaris: sed etiam punire perderéque omnes constituisti: atque adeo punis & perdis. Huius etiam odij caussa, in ipsis tantùm, qui perduntur, hæret. non enim punit Deus: nisi qui digna punitione admiserint.

DE ELECTIONE.

Electionis vocabulum tria significat:

Primùm electionem æternam: qua scilicet ab æterno Deus ex omnibus omnium hominum generibus, ad salutis, æternæq. vitæ in Christo communionem elegit quos voluit: pro suo beneplacito. De hac Ephes. 1. Ii electi, non possunt fieri reprobi: quia hæc electio immutabilis est, cùm nihil aliud sit, quàm ipsum Dei firmum propositum miserendi, atque seruandi. Et huius electionis caussa efficiens, est ipsum solum Dei beneplacitum. Eph. 1.

Deinde electionem, qua Deus in tempore quosdam ex mundo, hoc est, ex reliqua hominum fæce eligit, actúque vocando, in communionem sanctorum adducit: vt sint populus Dei. Iuxta hanc electionem, populus Israëliticus, licet non omnes ad vitam æternam electi fuerint: totus tamen electus fuisse dicitur: nimirum ex reliquis gentibus, vt esset, & appellaretur populus Dei. Deuter. 26. Hodie elegit te Dominus Deus: vt sis ei populus peculiaris. Ita quotquot nomen dant Christo, & per Baptismum in Ecclesiæ corpus inseruntur: electi, ab Apostolis appellantur: 1. Pet. 1. Iuxta hanc electionem nonnulli ex electis fiunt reprobi: sed ideo hoc fit: quia non fuerunt iuxta priorem electionis speciem electi. Tales fuerunt illi, de quibus 1. Iohan. 2. Exiuerunt è nobis: sed non fuerunt ex nobis. nam si fuissent ex nobis [iuxta priorem scilicet, & æternam electionem,] mansissent vtique nobiscum: iuxta alteram scilicet quæ fit in tempore, electionem. Huius etiam electionis caussa, est sola Dei volũtas. Eligit enim ad hanc etiam temporariam fœderis sui participationem, quos vult, & alios non elegit.

Tertiò, electionem ad munus & ministerium aliquod temporarium. De hac Iohan. 6. Nónne ego duodecim vos elegi? scilicet ad Apostolatum: & vnus ex vobis Diabolus est? nempe Iudas. Fuit igitur etiam Iudas electus, iuxta hanc tertiam electionis speciem: sed non iuxta primam. iccircò etiam à sua electione excidit: & episcopatum eius accepit alter Act. 1. Iuxta hanc tertiam electionis speciem: nonnulli electi fiunt reprobi, hoc est, ab officio reiiciuntur. Huius etiam electionis primaria caussa est sola Dei voluntas. Galat. 1. Et vocauit per gratiam suam.

Iuxta hanc triplicem electionis speciem, illius quoque contrarium, hoc est, Reprobatio diuidi potest.

DE PRAESCIENTIA.

PRÆSCIENTIA *Dei aliquando accipitur pro illa cognitione, qua Deus ab æterno generatim prænouit; tam quæ alij admissuri erant: quàm quæ ipse facturus erat, siue in electis, siue in reprobis, siue in aliis creaturis, hoc est, bona tam naturalia, quàm moralia & Christiana opera.*

Aliquando verò pro illa cognitione, qua speciatim quosdam, hoc est, electos cum affectu amoris, vt suos prænouit: hoc est, ab æterno amauit. Rom. 8. & 11. Atque hæc idem est, quod Sanctorum prædestinatio.

De nomine Prædestinationis, seu ΠΡΟΟΡΙΣΜΟΥ.

PRÆDESTINARE: *Latinis est, principiò antè deliberare, definire & constituere apud*

te aliquid agere, antequam agas. Deinde est præmittere, & ad certum finem, atque vsum, antè aliquid deputare, atque dirigere.

ΠΡΟΟΡΙΖΕΙΝ *quoque Græcis est, tum antequam aliquid agas, quidquid agere velis, definire: tum vnumquodque antequam fiat, ad suum certum finem, atque vsum deputare.*

HABHDEL *etiam Hebraicum apud Mosen, quod Septuaginta verterunt προορίζειν: significat aliquid ex aliarum rerum multitudine, ad certum vsum segregare ac deputare. Hoc autem proprium est virorum sapientum atque prudentum: multò magis igitur Dei.*

Potest autem hoc nomen Prædestinatio, si ipsius significatio spectetur, generatim ad vniuersas creaturas, etiam ratione carentes, immò etiam vitæ expertes, extendi. Sed apud Patres, ea tantùm est hominum & Angelorum, tam piorum, quàm impiorum. In Scriptura verò nomen Prædestinationis seu προορισμῦ, ferè de piis electis tantùm vsurpatur: quare ij soli propriè prædestinati esse dicuntur.

Quadruplex igitur Prædestinationis definitio adferri potest: vna generalissima rerum omnium: altera generalis omnium hominum: tertia specialis, electorum tantùm: quarta specialis itidem, reproborum tantùm.

PRAEDESTINATIONIS DEFINITIO I.

Generalissima rerum omnium Prædestinatio, quæ, posteaquam ad exsecutionem ventum est, Prouidentia à multis solet appellari, sic definiri potest: Est æternum, sapientissimum, immutabileque Dei decretum: quo vnam quamque rem, antequam crearetur, ad suum certum vsum & finem deputauit: idque in bonum vniuersi, & ad gloriam suam.

Definitio II.

*Generalis verò, hoc est, * omnium hominum prædestinatio: est æternum, sapientissimum, immutabileque Dei decretum: quo apud se ab æterno constituit, primùm quidem, omnes homines tum creare ad sui imaginem & similitudinem, iustos atque sapientes, tum vt in peccatum à Satana tentati, suo libero arbitrio laberentur, permittere: atque in foueam æternæ mortis, tanquam stipendium peccati iustissimum, ruere: deinde horum alios è fouea peccati & mortis, gratis per Christum certis mediis liberare: & liberatos, Spiritu suo comitari: & tandem æterna vita donare: alios verò hac gratia non dignari: sed cum Satana potiùs tum excæcare, atque indurare, tum æterno exitio perdere: idque vt in illis diuina bonitas & misericordia: in istis autem diuina potentia & iustitia declaretur: atque ita in omnibus Deus glorificetur.*

* *Eum ad modum ego hîc locutus sum de omnibus hominibus, qui ex Adamo & Eua per carnalem generationem propagati sunt: eos scilicet creatos fuisse iustos: tentatos autem à Satana, proprio libero arbitrio peccasse: quo etiam modo Apostolus ad Hebr. 7. dixit, Leui in Abrahamo decimatum fuisse: cùm tamen ille nondum esset in rerum natura, sed tantùm in lumbis Abrahæ: quatenus scilicet, quod fecit Abraham: ipse etiam Leui fecisse dicitur: quia in Abrahamis lumbis erat.*

Definitio III.

Specialis electorum prædestinatio, est æternum, sapientissimum, immutabileque Dei decretum: quo apud se, ab æterno constituit, certos quosdam homines in altissimam peccati, atque mortis foueam vnà cum aliis omnibus lapsos: secundum beneplacitum voluntatis suæ gratis per Christum eripere: suo Spiritu perpetuò comitari: & vt bene operentur, efficere: ac tandem in possessionem æternæ vitæ introducere: idque in hunc vltimum finem, vt Deus per illos, & in illis à misericordia laudetur, glorificetur, & magnificetur.

Definitio

Definitio IV.

Specialis quoque Reprobatorum prædestinatio, est æternum, sapientissimum, immutabilèq; Dei decretum: quo apud se ab æterno constituit, certos quosdam homines in peccati atque mortis fouea, in quam vnà cum aliis lapsi fuerant: pro suo quidem beneplacito, sed iustissimo deserere: & desertos vnà cum Satana, alios quidem statim propter illud peccatum perdere: alios verò magis ac magis in dies excæcare: & excæcatos æterno tandem supplicio, propter sua multa scelera afficere: ídque vt in eis diuina iustitia declaretur, atque ita, sicut in aliis per misericordiam, sic in his per iustitiam glorificetur.

His iactis fundamentis: nunc quid de prædestinatione sentiam, certis ac perspicuis positis thesibus, planiùs fiet.

CAPVT II.

De æterna Dei prædestinatione in genere.

THESIS PRIMA.

AETERNA Dei prædestinatio de hominibus misericorditer saluandis, aut iustè propter suum peccatum damnandis: negari nullo modo potest.

Demonstratio.

Deus solus ille est, qui saluat quicunque saluantur: & damnat quicunque damnantur. est enim solus seruator: & solus iudex mundi. Rom. 3. Quoscunque autem seruat: & quoscunque damnat, prudens ac volens seruat & damnat: nihil enim agit aut imprudens, aut inuitus.

Quidquid verò nunc sciens & volens agit: ante mundi constitutionem præfiniuit, atque præsciuit se acturum. nihil enim nunc scit, aut vult: quod ab æterno non præsciuerit, atque voluerit: cùm nihil noui aut in Deum, aut in eius voluntatem & præscientiam cadere possit. Ergo quoscunque sciens & volens seruat atque damnat: eos ab æterno decreuit seruare atque damnare: & se seruaturum ac damnaturum præsciuit. Hæc autem est prædestinatio vel ad vitam, vel ad mortem. Prædestinatio igitur Dei de hominibus vel seruandis, vel damnandis negari non potest: quin negetur æterna Dei præscientia, atque voluntas: ideóque Deus ipse, cùm præscientia atque voluntas Dei nihil aliud sint, quàm ipse Deus præsciens, atque volens.

Testimonia.

Matth. 20. Multi vocati: pauci electi.

Matth. 24. Propter electos decurtabuntur dies illi.

Act. 13. Et crediderunt: quotquot præordinati erant ad vitam æternam.

Rom. 8. Quos præsciuit, hos & prædestinauit.

Eph. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem.

2. Tim. 1. Saluos nos fecit: & vocauit vocatione sancta: non secundum opera nostra: sed secundum suum propositum & gratiam: quæ data quidem est nobis per Christum Iesum, ante tempora æterna: sed palàm facta est nunc per apparitionem seruatoris nostri Iesu Christi.

II.

Deum ab æterno constituisse, hominem ad sui imaginem creare: & creatum permittere labi in peccatum, & in mortem ruere, & cum eo totum humanum genus: credo, & doceo.

Demonstratio.

Deus creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam: creatum verò, prudens & volens permisit suo libero arbitrio in peccatum labi, & in mortem ruere: & cum eo, atque in

eo totum humanum genus. Hoc docent ſacræ literæ, & fides Chriſtiana. Neque enim Deus impediuit hominem, vt non laberetur. Eccleſ. 15. Deus ab initio creauit hominem: & permiſit eum conſilio arbitrij ſui. Eccleſ. 7. Deus creauit hominem Adamum rectum, id eſt, probum: ipſi autem cogitationes vanas perſecuti ſunt. Quidquid autem fecit Deus: totum illud ab æterno præſciuit ac præſiniuit ſe facturum. Ergo decreuit ab æterno permittere, hominem & totum humanum genus in peccatum labi, & in mortem ruere.

Teſtimonia.

Act. 15. Notum à ſæculo eſt Domino opus ſuum. Hæc ibi. Creaſſe autem hominem, & eundem permiſiſſe in peccatum labi, opus fuit Dei.

» AVGVSTINVS *Tom. 7. de corr. & gratia, cap. 10. Quapropter ſaluberrimè confitemur, quod rectiſsimè credimus: Deum, Dominumque rerum omnium, qui creauit omnia bona valde; & mala ex nobis exoritura eſſe præſciuit; & ſciuit magis ad ſuam omnipotentiſsimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere: ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, vt in ea priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium: deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, iuſtitiæq; iudicium.*

» LVTHERVS *de ſeruo arbitrio, cap. 153. Cur permiſit Adam ruere? & cur nos omnes eodem peccato infectos condit: cùm potuiſſet illum ſeruare: & nos aliunde, vel primùm purgato ſemine, creare? Deus eſt, cuius voluntatis nulla eſt cauſſa, nec ratio: quæ ei ceu menſura & regula præſcribatur.*

III.

Omnes homines eſſe ad vitam æternam prædeſtinatos: aut omnes homines eſſe ad mortem æternam reprobatos: nec credo, nec doceo.

Demonſtratio.

Et ſi omnes homines in foueam peccati & mortis ſuo vitio lapſi ſunt: Deus tamen non omnes inde eripit, ſeruat, aut vnquam ſeruaturus eſt ad vitam æternam: neque omnes ibi deſerit, damnat, aut vnquam damnaturus eſt in mortem æternam. Matth. 25. Et ibunt ij in ſupplicium æternum: iuſti autem in æternam vitam. Quod autem nunquam facit, aut facturus eſt Deus: illud etiam nunquam decreuit facere, aut ſe facturum præſciuit: cùm illius neque præſcientia falli, neque voluntas impediri poſsit. Ergo neque ab æterno prædeſtinauit omnes ad vitam: neque omnes reprobauit ac prædeſtinauit ad mortem.

Teſtimonia.

Matth. 20. Multi vocati: pauci electi. Non ergo omnes electi. & ſi aliqui, illíque pauci electi: non igitur omnes electi, aut omnes reprobati. Rom. 9. Antequam nati eſſent, aut aliquid boni egiſſent, vel mali: Iacobum dilexi, Eſaum odio habui. Non igitur omnes dilexit ad vitam æternam: neque omnes odio habuit ad æternam mortem.

AVGVSTINVS *vbique, præſertim contra Pelagianos, atque in primis libro de prædeſtinatione Sanctorum, & libro de Bono perſeuer. & lib. de correp. & gratia, in Enchirid. ad Laurentium.*

LVTHERVS *de ſeruo arbitrio. Item in præfatione in Epiſtolam ad Romanos, in cap. 9. 10. 11.*

BVCERVS *vbique, & præſertim in Epiſt. ad Rom. & ad Epheſ. 1. in diſputatione contra Melchiorem Hofmannum: qui contendebat omnes eſſe electos ad vitam.*

IV.

Ex omnibus hominibus alios eſſe ad ſalutem vitámque æternam electos: alios verò à ſalutis participatione reiectos, & ad mortem æternam prædeſtinatos, ídq; à Deo ante mundi conſtitutionem: & credo, & doceo.

Demon-

Demonſtratio.

Deus ex omnibus hominibus alios ſalutis participes facit, atque in æternam vitam ſeruat: alios ſalutis participatione non dignatur, ſed potiùs ad æternam mortem damnat: idque ſciẽs, & volens. Matth.5. Et ibunt ij in ſupplicium æternum: iuſti autem in æternam vitam.

Quoſcunque autem nunc prudens & volens, vel ſeruat, vel damnat: eos ab æterno etiam voluit ac decreuit, vel ſeruare, vel damnare: & ſe vel damnaturum, vel ſeruaturum præſciuit. nam in præſcientiam & voluntatem Dei, nihil cadit noui: cùm vtraque ſit perfectiſſima. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm prædeſtinare.

Ergo ab æterno alij fuerunt ad vitam: alij ad mortem à Deo prædeſtinati.

Teſtimonia.

Matth.20. Multi vocati: pauci electi. Sunt ergo aliqui electi: aliqui non electi.

Rom.9. Iacob dilexi: Eſau odio habui. aliquos igitur dilexit ad vitam æternam: alios non dilexit.

2.Tim.2. Firmum fundamentum ſtat: habens ſignaculum hoc: Nouit Dominus qui ſint ſui. Si omnes eſſent prædeſtinati, & omnes eſſent Dei: non opus eſſet hoc ſignaculo, quo diſcernuntur illi, qui ſunt Dei, ab illis, qui non ſunt Dei. Sunt igitur alij Domini, hoc eſt, electi: alij non ſunt.

AVGVSTINVS *vbique, præſertim contra Pelagianos, lib. de Prædeſt. Sanctorum: & de Bono perſeuerantiæ: de corrept. & gratia.*

LVTHERVS *in præfatione in Epiſt. ad Rom. capite 9.10.11. Tractat, inquit, ſententiam* “ *Prædeſtinationis. ex ea enim ſola pendent omnia: nempe qui accepturi ſint verbum, qui non:* “ *qui credituri; qui non: qui liberandi à peccatis, qui obcæcandi: qui damnandi, & qui iuſtificandi ſint.* “

Idem in lib. de ſeruo arbitrio inculcat: alios ſcilicet eſſe electos ad vitam, alios reprobatos ad mortem: alios amatos fuiſſe & amari: alios odio habitos, etiam ante mundi conſtitutionem, & haberi.

BVCERVS *ad Rom. cap.9. in conciliatione locorum, Deus, quos vult, indurat: &, Deus omnes homines vult ſaluos fieri: apertè hoc docet, dicens: Qui verbum Dei ſequi ſimpliciter* “ *volunt: ex his ſe facilè expediunt. Primùm enim firmè inhærent in eo, quod Deus ipſe de* “ *ſe teſtatur: ſe ex perdito à primo parente genere hominum, quoſdam deligere ſibi refingendos ad vitam nouam & beatam: reliquos habere organa iræ ſuæ: in quibus edat exempla iuſtæ vltionis: qua commendat electis miſericordiam ſuam: quòd illos in eandem mortem natos, transfert in conſortium vitæ diuinæ. Hæc ille. Deinde ſubiectis aliquot exemplis & oraculis, idem clarè teſtantibus, concludit, dicens: Ex huiuſmodi itaque exemplis & oraculis, idem clarè teſtantibus, quorum Scriptura referta eſt, quibus ſcilicet diſcrimen, quo Deus homines habet, effertur: habent ſancti id ſibi perſuaſiſſimum, alios à Deo ad vitam electos eſſe, priuſquam hic mundus conderetur: alios, quia non ſunt electi ad vitam, deputatos etiam, antequam quidquam fieret, in id, ad quod eos Dominus tandem vſurpat, vt videlicet in eis exempla edat iræ ſuæ: & eo pacto nomen ſuum in eis ſanctificet. Cúmque vident ita placitum eſſe coram Deo: agunt cum Chriſto Domino noſtro, Deo Patri, pro hoc iudicio gratias: tam quòd myſterium ſalutis abſcondit ſapientibus & prudentibus huius ſæculi: quàm quòd reuelat illud electis paruulis: vtcunque vtriſque ex æquo reuelationem myſterij huius velit offerri. Deinde cùm Dominus nihilominus iubeat Euangelium prædicari omni creaturæ, & ad communionem ſalutis vocari quoſlibet: non diſputant Sancti, cur iubeat vocare Deus, quos tamen non vult venire, immò quos indurat, ne veniant: ſed ſic colligunt, Dominus eſt, qui iubet: noſtrum eſt igitur parêre, & ſatis habere, quod Domino interim erga reprobos ad id ſeruimus, vt illis adimatur omnis ſcelerum excuſatio: & confiteri ipſos oporteat, Deum ſe iuſtè condemnare.*

Confess. Argent. *In Confessione ciuitatis Argentinensis, anni 1539. artic. 8. Sunt enim aliqui non ex Deo*
„ *nati, ac Filio à Patre non donati, vasa iræ, præparata ad interitum: hædi, non oues: qui etiam*
„ *tandem in æternum ignem conijcientur. Hæc ibi. Falsum igitur est, quod quidam dicunt, Om-*
„ *nes homines datos esse Christo à Patre.*

V.

Proinde certum esse numerum, tum electorum ad vitam æternam, tum reprobatorum ad exitium æternum: certo certius est.

Demonstratio.

Omnium hominum, qui vnquam fuerunt, aut futuri sunt, numerus aliquis apud Deum sit, is q; finitus, oportet. Mundus enim & hominum generatio initium habuit, & finem tandem aliquando habitura est. Ex omnibus autem hominibus, alij, vt iam ostensum est, ad vitam: alij ad mortem prædestinati sunt, cùm omnino alij seruentur, alij damnentur: idque à Deo. Ergo certus sit apud Deum numerus electorum & reprobatorum, omnino necesse est.

Testimonia.

Luc. 10. Nomina vestra scripta sunt in cælis.

Luc. 12. Capilli capitis vestri numerati sunt.

2. Tim. 2. Firmum stat fundamentum: habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sint sui.

„ Avgvstinvs *Tom. 7. de corr. & gratia, cap. 13. Hæc de iis, inquit, loquor: qui prædesti-*
„ *nati sunt in regnum Dei: quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec*
„ *minuatur ex eis.*
„ *Ibidem: Hi ergo, qui non pertinent ad istum certissimum & felicissimum numerum: pro*
„ *meritis iustissimè iudicantur.*

Lvtheri Bvceri qve *testimonia de certo numero electorum: in probatione præcedentis, nempe quartæ propositionis, posita sunt. Subiectum etiam est testimonium huius ciuitatis.*

VI.

Prædestinationem, tam impiorum ad mortem, quàm piorum ad vitam, eámque æternam, firmam esse, atque immutabilem: ita vt neque semel electi possint ampliùs fieri reprobi, neque semel reprobati possint ampliùs fieri electi: & credo, & doceo.

Demonstratio.

Quos Deus seruat, ideo seruat, quia ab æterno simpliciter, & secundum propositum voluntatis suæ seruare eos, sed misericorditer in Christo decreuit: quos verò damnat, ideo damnat: quia simpliciter, & secundum voluntatem beneplaciti eos damnare, sed iustissimè propter peccatum saltem originis, ab æterno constituit. Voluntas autem Dei absoluta, omniáq; decreta secundum illam voluntatem facta: immutabilia sunt, vt antè demonstratum est. Qui igitur ad salutem sunt electi, immutabiliter manent electi: & qui reprobati, immutabiliter manent reprobati. Proinde electi non possunt fieri reprobi: neque reprobi possunt fieri electi.

Testimonia.

Ioh. 10. Nemo potest eas rapere de manu mea.

2. Tim. 2. Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sint sui.

Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.

„ Avgvstinvs *Tom. 7. de corr. & gratia. cap. 9. Iam filij Dei erant, in memoriali Pa-*
„ *tris sui inconcussa stabilitate conscripti.*
„ *Tom. 8. in Psal. 68. col. 738. dicens: Fratres, non sic accipere debemus, quòd quenquam Deus*

scribat

ſcribat in libro vitæ; & deleat illum. Si homo dixit, Quod ſcripſi, ſcripſi, de titulo, vbi ſcriptum erat, Rex Iudæorum: Deus quemquam ſcribit & delet?

Item in Pſal. 32. in illud, Conſilium Domini manet in æternum, col. 219. Vnde igitur, inquit, conſilium Domini manet in æternum: niſi de nobis, quos antè præſciuit, & prædeſtinauit? Quis tollit prædeſtinationem Dei? ante mundi conſtitutionem vidit nos: fecit nos: emendauit nos: miſit ad nos: redemit nos. Hoc eius conſilium manet in æternum: hæc eius cogitatio manet in ſæcula ſæculorum.

LVTHERVS *de ſeruo arbitrio, cap. 168. Atque hoc ipſum eſt, inquit, quod liberum arbitrium cogit nihil eſſe: quòd æternus & immutabilis ſit amor: æternum odium Dei erga homines: antequam mundus fieret.*

Idem in præfatione in epiſt. ad Rom. Prædeſtinationis neceſſitatem immutabilem eſſe ait.

BVCERVS *idem vbique docet. In quæſt. de Prædeſt. Rom. 8. cap. 1. Prædeſtinatione vocat voluntatem Dei de noſtra ſalute certam atque immotam, quam euertere nulla creatura poſſit. Item cap. 2. appellat propoſitum Dei: quod mutari non poſſit.*

CAPVT III.

De prædeſtinatione Sanctorum.

THESIS PRIMA.

VOTQVOT ad ſalutem, & æternam vitam electi ſunt: eos fuiſſe non ex futuris ſuis meritis, neque propter futuram illorum fidem, ſed GRATIS ex miſericordia, & ſecundum beneplacitum Dei electos: credo, & doceo.

Demonſtratio.

Quotquot vocantur, iuſtificantur, & glorificantur: non propter ſua merita; neque propter virtutem fidei, ſed gratis eos Deus vocat, iuſtificat, glorificat: idque ſciens, ac volens. Vbique hoc contendunt ſacræ literæ: præſertim Apoſtolus ad Rom. Galatas. &c. Quidquid autem nunc agit Deus: illud ab æterno decreuit, & præſciuit ſe facturum. Ergo ad æterno præſciuit, ac præſtituit, ſe, quoſcunque gratis iuſtificat, & glorificat: gratis, & non propter opera, vel etiam propter dignitatem fidei vocaturum, iuſtificaturum, glorificaturum. Proinde neque opera, neque fides, vllo modo cauſſa fuerunt, aut eſſe poſſunt prædeſtinationis Sanctorum. Quare, affirmare fidem cauſſam eſſe electionis: eſt negare, Sanctos gratis à Deo vocari, & iuſtificari.

Teſtimonia.

Ioh. 15. Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos.

Rom. 9. Cùm nondum nati eſſent, aut egiſſent aliquid vel boni, vel mali: vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret: non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Maior ſeruiet minori.

Eph. 1. Elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem: vt eſſemus ſancti. Cùm ait, In Chriſto: excludit omnia noſtra merita. Et non ait, Quia futuri eramus ſancti: ſed, Vt eſſemus ſancti. Item addit: Secundum beneplacitum voluntatis ſuæ, quod propoſuerat in ſemetipſo. Quid eſt, In ſemetipſo? hoc eſt: extra ſe nihil vidit, cuius rationem haberet, in eligendis nobis.

AVGVSTINVS *doctrinam hanc efficaciſſimè contra Pelagianos, inimicos gratiæ Dei, demonſtrauit vbiq; ferè: præſertim in libris de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Bono perſeuerantiæ. Tota Eccleſia catholica hanc ſecuta eſt, & ſequitur. Neque aliter docuit Lutherus, Bucerus, & alij omnes doctrinæ Euangelicæ defenſores. neque enim articulus de gratuita*

iustificatione defendi potest: nisi defendatur prædestinatio gratuita: cùm ab hac illa pendeat. Quare, qui volunt fidem nostram, causſam esse nostræ electionis: ij omnino negant, iustificationem salutémque totam esse gratuitam.

» AVGVSTINVS *Tom. 7. de corr. & gratia, cap. 1. Ac per hoc, inquit, & desiderare auxi-*
» *lium gratiæ: initium gratiæ est. Hæc ille.*

RETRACTAT. *lib. 1. cap. 23. retractat id, quod aliquando dixerat, Deum elegisse fidē in præscientia: vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret. Hanc sententiam, tanquam erroneam, atque impiam, retractat, & docet, fidem quoque*
» *effectum esse prædestinationis & gratiæ: non igitur causſam. Profectò, inquit, non dicerem,*
» *scilicet, Deum cùm prædestinauit, futuram cuiusque fidem respexisse: Si iam scirem, etiam*
» *ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu.*

In libro verò de Prædestinatione Sanctorum, per multa capita demonstrat, apertissimis Scripturarum testimoniis, neminem fuisse electum, quia crediturus erat: sed quotquot electi
» *sunt, electos fuisse, vt crederent. Iccirco cap. 17. Rogo, inquit, quis audiat Dominum dicentem,*
» *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & audeat dicere, Credere homines, vt eligantur: cùm*
» *potiùs eligantur, vt credant? Hæc ille.*

LVTHERVS *quoque docuit, omnia à prædestinatione pendere: ideóq; & fidem effectum*
» *esse prædestinationis, non autem causſam. In præfatione in Epist. ad Roman. Tractat, inquit,*
» *sententiam prædestinationis. ex ea enim sola, omnia pendent: nempe qui accepturi sint*
» *verbum; qui non: qui credituri; qui non: qui liberandi; qui obcæcandi: qui damnandi & iusti-*
» *ficandi sint.*

BVCERVS *omnino consentit: ac præter alia loca in Epist. ad Ephesios, cap. 1. pa. 21. Præ-*
» *cognitio eorum, inquit, quæ facturi eramus; aut futura in nobis fides: nequaquam fuit nostræ*
» *electionis causſa.*

II.

Quotquot ad æternã vitam prædestinati sunt: in Christo, hoc est, vt per Christum, & propter Christum, salutem, æternámque vitam consequantur, prædestinatos fuisse: & credo, & doceo.

Demonstratio.

Quotquot enim iustificantur, & glorificantur: eos in Christo Deus iustificat & glorificat: idque sciens, ac volens. Hoc etiam vbique docent sacræ literæ. Nihil autem sciens, ac volens facit Deus: quod non ab æterno voluerit atque præsciuerit se facturum. Ergo ab æterno quotquot nunc in Christo iustificat & saluat: sese in Christo iustificaturum, ac seruaturum præsciuit, & præfiniuit. Quare, negare qui prædestinati sunt ad vitam, esse prædestinatos in Christo: est affirmare, qui seruantur, sine Christo seruari: ac proinde est negare, Christum esse Mediatorem, & seruatorem mundi. Qui autem hoc in Ecclesia docuerit: legi neminem.

Testimonia.

Ephes. 1. Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem. Plura non subijcio: quia hoc vnicum satis est: & nemo vnquam in Ecclesia Christi aliter docuit.

III.

Qui prædestinati sunt ad æternam vitam: eos etiam prædestinatos fuisse ad omnia illa media, quæ ad vitam æternam consequendam necessaria sunt, vti est fides, opera fidei, & perseuerantia in fide: credo, & doceo.

Demonstratio.

Deus enim quotquot in vitæ æternæ possessionem adducit: per debita hæc media ad illam adducit: nunquam autem sine iis: multò verò minùs per vias vitæ æternæ consequendæ contrarias: vti per infidelitatem & peccata regnantia, quempiam ad illam adduxisse legitur.

Totum

Totum hoc doctissimè demonstrauit Augustinus in libris contra Pelagianos: in primis autem de prædestinatione Sanctorum, & de Bono perseuerantiæ. Nihil autem nunc facit Deus: quod non decreuerit, & præsciuerit se facturum. Ergo quotquot prædestinauit ad vitam æternam: prædestinauit etiam ad media, quæ ad illam ducunt: nimirum ad fidē &c. Quare dicere, prædestinatos ad vitam, etiamsi viuant, & perseuerent in peccatis; tamen tandem saluatum iri: est negare, ipsos Sanctos verè esse ad vitam æternam prædestinatos quandoquidem tam ad media, quàm ad finem prædestinati sunt, quicunque prædestinati sunt.

Testimonia.

Eph.1. Elegit nos, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in caritate. Non ait Apostolus: Elegit nos, quia futuri eramus sancti: sed, vt essemus sancti. Sumus ergo prædestinati ad sanctitatem.

Item cap.2. Ipsius opus sumus: conditi in Christo Iesu ad opera bona: quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Sumus ergo prædestinati ad bona opera.

Tit.2. Apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominibus: erudiens nos: vt abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus: sobriè, iustè, & piè viuamus in præsenti sæculo. In hunc igitur etiam finem Christus venit: & pro electis mortuus est: vt scilicet eos sanctificaret, donaret Spiritu fidei, accenderet ad amorem Dei, & ad studium bonorum operum, quibus mediis tandem in æternæ vitæ possessionem eos introduceret.

Act.27. Paulus iuxta reuelationem angeli pronuntiat decretum Dei: nimirum neminem eorum, qui erant in naui, periturum: tamen cùm postea videret nautas, præ timore tempestatis parare se ad fugam: ait centurioni & militibus, nisi curent nautas retinendos in naui: eos non posse saluos fieri. Prædestinatio igitur non tollit media ad salutem consequendam præparata. Et vtrunque verum est: Qui sunt prædestinati ad vitam, non posse perire: &, Nisi quis credat in Christum: & in fide perseueret: eum periturum. Ideo etiam 2. Timoth.2. cùm dixisset, Nouit Dominus, qui sint sui: mox de mediis, hoc est, de studio pietatis subiecit, dicens: Et discedat ab iniquitate.

AVGVSTINVS *Tom.7. de corrept. & gratia, cap.6. Quis, inquit, in æternam vitam* "
potuit ordinari, nisi perseuerantiæ dono: quandoquidem qui perseuerarit in finem, hic saluus "
erit? Item cap.7. Quicunque igitur ab illa originali damnatione, ista diuinæ gratiæ largita- "
te discreti sunt: non est dubium, quòd & procuratur eis audiendum Euangelium: & cùm au- "
diunt, credunt: & in fide, quæ per dilectionem operatur, in finem vsque perseuerant. & si quā- "
do exorbitant, correpti emendantur: & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, "
in viam, quam reliquerunt, redeunt: & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate, periculis "
huius vitæ, mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis: qui vasa miseri- "
cordiæ operatus est eos: qui & elegit eos in Filio suo, ante constitutionem mundi, per electio- "
nem gratiæ. "

Non aliter docuerunt Lutherus & Bucerus, & alij docti viri. nouerunt enim hanc necessariam esse sequelam: Si omnia quæ ad salutem faciunt, donantur nobis à Deo, & mera sunt dona Dei: Deum ergo decreuisse & præscisse, se gratis illa donaturum. Et si secùs se res haberet: salus certè nostra non esset gratuita: sed daretur gratia secundum merita. quæ fuit hæresis Pelagij.

Legatur tamen Bucerus in Matth.16. sect.5. pag.364. vbi euidentissimè hoc demonstrat: & "
postea concludens, ait: Omnia igitur salutis nostræ, donum sunt, & opus vltroneæ & gratuitæ "
beneuolentiæ Dei.

IV.

Electos ad vitam æternam, non posse perire: ac proinde necessariò seruari: & credo, & doceo.

Demonstratio.

Deus enim, quos ad vitam æternam elegit: illos simpliciter secundum beneplacitum ve-

luntatis, ideóque immutabiliter voluit, & vult seruari. est enim illa voluntas immutabilis: eosdem etiam præsciuit, se infallibiliter seruaturum. est enim præscientia Dei infallibilis. Potest etiam eos seruare, cùm sit omnipotens: imò sine vllius impedimento, re ipsa seruat. Ergo electi infallibiliter seruantur: ac proinde non possunt perire. Illud autem dicitur NECESSARIO *fieri: quod non potest aliter esse. Necessariò igitur seruantur: si perire non possunt. Quare dicere, Electos posse damnari: est dicere, & absolutam Dei voluntatem posse mutari: & eius præscientiam posse falli: & eiusdem omnipotentiam posse impediri: Hoc autem nihil aliud est: quàm negare, Deum esse Deum. Qualis enim est ille Deus: cuius vel præscientia falli: vel voluntas impediri: vel potentia infirmari potest?*

Testimonia.

Ioh. 10. Christus ait: se habere oues, quas nemo rapere possit de manu sua.

Item cap. 6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui veniet ad me, non eiiciam foràs.

Item: Hæc est enim voluntas eius, qui misit me, Patris: vt ne quid perdam ex omnibus iis, quæ dedit mihi: sed resuscitem illa in nouissimo die.

Rom. 8. Quos prædestinauit, vocauit, iustificauit: hos & glorificauit.

2. Tim. 2. Firmum fundamentum Dei stat: habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sint sui.

„ *Augustinus Tom. 7. de corr. & gratia: cap. 7. Exilis* [*de quibus Apostolus Rom. 8. Quos*
„ *prædestinauit*] *nullus perit: quia omnes electi sunt.*
„ *Item ibidem: Illi ergo electi, qui secundum propositum vocati: qui etiam prædestinati, atq;*
„ *præsciti. Horum si quisquam perit: fallitur Deus. Sed nemo eorum perit, quia nõ fallitur Deus.*
„ *Horum si quisquam perit: vitio humano vincitur Deus. Sed nemo eorum perit: quia nullare*
„ *vincitur Deus.*
„ *Item cap. 9. Iam filij Dei erant in memoriali Patris sui, inconcussa stabilitate conscripti.*
„ *Item ibidem: Non enim perit Filius promissionis: sed perditionis. ipsi sunt illi prædestinati,*
„ *& secundum propositum vocati: quorum nullus perit.*

Lutherus de seruo arbitrio concludit: omnia fieri mera necessitate, propter immutabilem Dei præscientiam, atque voluntatem: sicut antea demonstratum est: Multò magis igitur electos necessariò, hoc est, infallibiliter seruari propter immutabilem prædestinationem.

„ *Cap. 17. Est itaque, inquit, & hoc in primis necessarium & salutare Christiano: nosse,*
„ *quòd Deus nihil præscit contingenter: sed quòd omnia incommutabili & æterna, infallibilique*
„ *voluntate & præscientia, & proponit, & facit.*

Item cap. 20. non probat quidem fatum Stoicum, quod etiam Augustinus confutauit: sed fatum Christianum, hoc est, immutabilem necessitatem prædestinationis, commendat atque confirmat: idque à fatali etiam illa necessitate: de qua sæpe apud Poëtas fit mentio: & à dictis vulgò vsitatis apud omnes gentes, vt est illud: Quod Deus vult, fiat. item: si volet Deus, faciemus. item, Sic voluit Deus.

„ *Eandem doctrinam tradit in Præfatione, in Epist. ad Rom. nam ibi quoque appellat im-*
„ *mutabilem necessitatem prædestinationis. Et hæc, inquit, certè stabilis sententia & immota*
„ *prædestinationis necessitas, summè necessaria est. tam imbecilles enim sumus: vt si in mani-*
„ *bus nostris situm esset, paucissimi aut nulli seruarentur. Diabolus enim omnes vinceret. Nun*
„ *cùm hæc stabilis & certissima Dei sententia mutari non possit, nec ab vlla creatura conuelli:*
„ *tum certè spes est nobis reliqua tandem vincendi peccati, quatumuis etiam nunc in carne sæ-*
„ *uiat. Hæc omnia Lutheri sunt.*

Bucerum citare, superuacaneum est: cùm in omnibus suis scriptis hanc doctrinam vrgeat: nimirum electos non posse perire: ideóque necessariò saluari. Vnum tamen locum indi-
„ *cabo. In Iohan. cap. 10. sect. 3. in illud, Oues meæ vocem meam audiunt. In iis, inquam, apertè*
„ *docet: omnia à diuina electione pendêre: eósque, quibus semel datum fuerit oues esse, perire*
„ *nunquam posse.*

V.

V.

Quos elegit Deus, eos non in hunc finem solùm elegisse, vt ipsi seruentur, sed in primis, vt suam in eis ostendat misericordiam: ac proinde, vt ipse Deus in eis, & per eos glorificetur: credo, atque doceo.

Demonstratio.

Electos Deus seruat, & quos seruat, hoc est, condonatis peccatis iustificat, atque glorificat: in istis suam patefacit misericordiam: qua de causa tota salus sæpe significatur nomine misericordiæ. Rom. 9. Miseretur, quorum vult: inde autem Deus glorificatur: immò quos seruat: ideo seruat, vt in eis ostendat suam misericordiam. Ideo vasa misericordiæ appellantur, quoniam in hunc finem creantur, & regenerantur, fiúntque vasa Dei: vt in eis suam misericordiam toti orbi patefaciat. Quidquid autem nunc facit in tempore: illud decreuit facere ante mundi constitutionem. Ergo ab æterno decreuit quosdam seruare, in hunc finem, vt in eis ostenderet diuitias misericordiæ suæ: atque ita à misericordia, in illis, & per illos glorificaretur. Proinde caussa finalis prædestinationis sanctorum, triplex est: vna ipsorum salus: altera misericordiæ & bonitatis Dei declaratio: postrema, quæ ex vtraque surgit, ipsius Dei glorificatio.

Testimonia.

Eph. 1. Elegit nos secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ. Hic est vltimus finis.

Prou. 16. Omnia propter semetipsum creauit Dominus: etiam impium ad diem malum. hoc est, & fecit, & facit omnia ad gloriam suam: quæ potissimùm relucet in salute electorum: eóque in patefactione suæ misericordiæ erga electos.

Rom. 9. Vt notas faceret diuitias gloriæ suæ, erga vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Hic est alter finis, tum salutis electorum, tum etiam damnationis reprobatorum: patefactio nimirum misericordiæ Dei erga electos.

Doctrinam hanc esse etiam Augustini, Lutheri & Buceri: immò omnium Ecclesiarum Christi: dubium non est. Iccircò breuitatis gratia in re perspicua non morabor: proferendis in medium doctorum virorum testimoniis.

VI.

Finem prædestinationis, qui est vita æterna, & media ad hunc consequendum necessaria, vti est in primis Spiritus Christi, ac fidei in cordibus eorum, qui seruantur: ita esse inseparabiliter coniuncta, vt neque quispiam habere possit vitam æternam, sine Spiritu Christi, & fidei: neque Spiritus Christi & fidei in aliquo esse queat, quin habeat ius vitæ æternæ, & infallibiliter ipsam quoque perfectam vitæ æternæ possessionem habiturus sit: ac proinde, veram fidem nō esse nisi electorum ad vitam æternam: & credo, & doceo.

Demonstratio.

Vitam æternam haberi non posse sine Spiritu Christi & fidei, manifestum est: nam qui non habet Spiritum Christum, hic non est eius. Rom. 8. Qui autem non sunt Christi: ij cum Christo in æterna vita regnare non possunt.

Item Iohan. 3. Qui autem incredulus est Filio: ira Dei manet super illum. Hac de caussa, etsi infantes fidelium electi, actualem fidem non possunt habere: Spiritu tamen fidei præditi sint, si debeant in æternam vitam ingredi, necesse est. Illud etiam manifestum est: Quicunque habent Spiritum Christi, & fidem in Christum: eos habere vitam æternam. Qui enim aguntur à Spiritu Christi: ij sunt filij Dei: ait idem Apostolus, Rom. 8. Quòd si filij: etiam hæredes sunt vitæ æternæ. Soli autem electi verè iustificantur & glorificantur, habéntque vitam æternam: vt Apostolus eodem capite 8. Rom. docet. Consequitur ergo ex iis necessariò, veram fidem & Spiritum Christi, non esse nisi in electis ad vitam æternam.

Teſtimonia.

Matth.13.& Luc.8. qui ſignificati fuerunt ea terra bona, quæ partem ſeminis quartam recepit, conſeruauit & fructum attulit: ij ſoli vera fide, hoc eſt, perpetua, non temporaria crediderunt. Hi autem fuerunt electi: Electorum ergo tantùm vera fides eſt.

Iohan.10. Vos non creditis: quia non eſtis ex ouibus meis. Reproborum ergo, qui non ſunt oues Chriſti: fides non eſt.

Act.13. Et crediderunt, quotquot præordinati fuerant ad vitam æternam: ergo præordinatorum tantùm ad vitam æternam, hoc eſt, electorum, eſt fides.

2.Cor.13. Tentate voſmetipſos, an ſitis in fide: vos ipſos probate. annon cognoſcitis voſmetipſos, quòd Ieſus Chriſtus in vobis eſt: niſi ſicubi reprobi eſtis? Fides igitur, quæ Chriſtum ita apprehendit, vt ſit in nobis ipſis: reproborum non eſt.

Tit.1. veram fidem Apoſtolus vocat electorum fidem: eſt igitur electorum tantùm.

Cùm res ſit perſpicua ex Scripturis: non ſubijciam multorum hominum teſtimonia, quorum doctiſſimi quique idem in ſuis libris ſcriptum reliquerunt. Vnum tamen aut alterum Buceri locum protuliſſe: ſatis eſto.

» *Matth.16.ſect.5.pag.364. Credere Deo verè nemo poteſt: niſi adflatus Spiritu filiorum*
» *Dei. hunc iam Deus iis ſolis donat, quos habet propter meritum filij ſui inter ſuos, quibus pec-*
» *cata remiſit. Hoc autem iis demum facit, & iis demum donat Filium ſuum: quos ad id elegit*
» *ante conditum mundum.*

Idem tradiderat antea multis in locis: præſertim Matth.8. in tractatione de fide: ſolos ſcilicet electos verè credere.

» *Et in Ioh.10.ſect.3. Hic namque audimus, inquit, eos tantùm vocem Chriſti audire, hoc*
» *eſt, fidem recipere: qui oues ſint. Hæc omnia ſunt Buceri. Nomine autem ouium, intelligit electos, vt ibi ſatis liquet.*

VII.

Omnes Chriſtianos debere, & per gratiam Dei poſſe certos eſſe de ſui ad æternam vitam prædeſtinatione: credo, atque doceo.

Demonſtratio.

Debent omnes ita credere in Chriſtum: vt certi ſint, propter eum ſibi condonata eſſe peccata: ſeq; eſſe coram Deo iuſtificatos: ac proinde perfectè habituros vitam æternam. Et quicunque donati ſunt vera fide: non ſolùm poſſunt de ſui iuſtificatione & ſalute eſſe certi: ſed etiam re ipſa certi ſunt. Doctrinam hanc paſſim tradunt Euangeliſtæ & Apoſtoli. Primò iubent credere in Chriſtum: deinde pronuntiant, qui credunt, eos eſſe iuſtificatos, & habere vitam æternam. Poſtremò, iubent fideles explorare ſe ipſos: an ſint in fide. qua locutione docent, fideles ſcire poſſe, an habeant veram fidem, necne. Fideles igitur hac gratia, vt credant in Chriſtum, donatos: debere & poſſe certos eſſe de ſui iuſtificatione & ſalute, manifeſtum eſt.

Patres quoque, præſertim Auguſtinus & Bernhardus, hanc ſalutis certitudinem inculcat.

LVTHERVS *etiam, & omnes Proteſtantes, hunc præcipuum articulum de certitudine ſalutis contra Papiſtas defendunt: atque ita defendunt, vt etiam Papiſtæ doctiores nunc non aliter ſentiant, atque doceant: & maxima pars diſputationis Ratisbonenſis in hoc articulo, de certitudine ſalutis, conſumitur.*

Non poteſt autem quiſpiam certus eſſe de ſui iuſtificatione & ſalute per Chriſtum: niſi certus ſit etiam de ſui ad iuſtificationem & ſalutem prædeſtinatione in Chriſto: non enim iuſtificantur: niſi ad iuſtificationem prædeſtinati: Rom.8. Si ergo, qui credit in Chriſtum, debet & poteſt certus eſſe de ſua ſalute, ſeu iuſtificatione, quiſque etiam verè Chriſtianus debet & poteſt eſſe de ſui prædeſtinatione certiſſimus: nimirum certitudine fidei. Quare dubitare de ſui ad ſalutem prædeſtinatione in Chriſto: eſt dubitare de ſui iuſtificatione per Chriſtum.

Teſtimonia.

Marc.1. Credite Euangelio: iubemur ergo omnes credere Euangelio. Euangelium autem annuntiat:

annuntiat: nos ita fuisse à Patre amatos, vt Filium suum pro salute nostra dederit. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit. Dilectos autem fuisse à Patre hoc amore, est, fuisse prædestinatos ad salutem per Christum: Rom. 9. Iubemur igitur omnes credere, nos esse prædestinatos ad salutem in Christo.

Luc. 12. Nolite timere, pusille grex: quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Hoc autem beneplacitum Dei, est ipsa prædestinatio ad regnum. Iubentur ergo omnes, qui sunt de grege Christi: credere sine dubitatione, se esse ad regnum Dei prædestinatos per beneplacitum Dei.

Posse autem nos certos esse de nostri electione; manifestum est. Etenim Rom. 8. ait: Ipse autem Spiritus sanctus reddit testimonium spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Quòd si filij & hæredes: ergo ad hæreditatem prædestinati.

Item ibidem: Certus sum, inquit Apostolus: quòd neque mors; neque vita; neque denique vlla creatura poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu, Domino nostro. Etsi enim Apostolus in singulari ait, Certus sum: de omnibus tamen fidelibus, & nomine omnium fidelium loquitur: id quod indicat pronomen plurale NOS.

Si etiam vera fides est tantùm electorum, vt demonstratum est: &, Quicunque habet veram fidem, eam in se sentit, vt Scripturæ docent, Augustinus, Lutherus, & omnes: Potest ergo quisque verè fidelis concludere à fide in Christum: se esse electum ad vitam. est enim fides vera verissimum & certum diuinæ electionis testimonium.

BVCERVS *in quæstione de prædestinatione, in 8. Rom. parte altera. Itaque quod primum* " *Deo debes: est, vt credas, esse te ab eo prædestinatum. nam id ni credas: facis eum tibi, cùm te* " *ad salutem vocat per Euangelium, illudere. vocat enim te Euangelio ad iustificationem, &* " *gloriæ suæ communicationem. Hæc autem non potest contingere: nisi prædestinatis, præscitis &* " *electis in hoc.* "

Item: Præsumendum igitur, inquit, vt principium fidei, nos omnes à Deo esse præscitos, " *præfinitos, separatos à reliquis, & selectos in hoc: vt æternùm seruemur: hócque propositum* " *Dei mutari non posse. Hæc ille.* "

VIII.

Proinde dubitare de nostri in Christo prædestinatione: Diabolicam & perniciosissimam tentationem esse: doceo, atque aio.

Demonstratio.

Diabolicam esse tentationem, hinc manifestè apparet. propositum enim Diaboli præcipuum & vltimum in omnibus suis tentationibus, est, vt veritatem verbi Dei, vel nobis persuadeat esse mendacium: vel saltem, vt illud in dubium vocet: sicut in prima tentatione primorum parentum; & in tentatione Christi manifestè apparet. Ac proinde eò spectat: vt vel nullo modo credamus nos à Deo ad æternam vitam amari: & per Christum esse redemtos; vitámque æternam habituros: vel saltem, vt de iis rebus dubitemus. Qui autem vel nullo modo credit, se esse ad vitam æternam in Christo prædestinatum; vel saltem ea de re dubitat: dubitet etiam necesse est, an Deus se amet ad vitam, & an Christus se redemerit: & proinde, an beatam vitam sit per Christum consecuturus. Neque enim quis potest credere, se amari à Deo, & se redemtum fuisse per Christum: nisi etiam credat, se fuisse ex gratia ad vitam in Christo prædestinatum. Atque hinc etiam patet: Diabolicam hanc tentationem, omnium esse perniciosissimam: quoniam ad diffidentiam de Deo, & ad desperationem salutis adducit: & à desperatione ad licentiam omnium vitiorum atque scelerum: inde verò in æternum exitium.

Testimonia.

Luc. 12. Nolite timere, pusille grex: quic complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Hæc autem adhortatio, non ad Apostolos solùm: sed ad totum Christi gregem pertinet. ait enim, Nolite timere, pusille grex. Quicunque ergo sunt de hoc grege: timere non debent: quin complacuerit Patri cælesti, dare sibi regnum.

LVTHERVS *in Gen. cap. 26. fol. 36. hanc dubitationem, vt Diabolicam & perniciosissimam acerrimè damnat. Idem facit in Psal. 5. item in Psal. 22. & ait: huc spectare hanc dubitationem: vt scilicet euertat fidem. Neque enim illis Locis Lutherus damnat doctrinam de immutabili prædestinationis necessitate: immò magis confirmat: sed tantùm damnat dubitationem, quam Satan suggerit, an simus prædestinati, necne. Quare cùm damnat dubitationem, suadet certitudinem: nos scilicet esse prædestinatos in Christo ad æternam salutem.*

» BVCERVS *idem facit vbique in quæstione de Prædestinatione. præter alia: Proinde, in-*
» *quit, si dubitas te prædestinatum esse: dubitare quoque necesse est, te esse vocatum, vt saluus*
» *fias: esse iustificatum, esse denique glorificandum: hoc est, necesse est, te dubitare de omni promis-*
» *sione salutis tuæ: dubitare de Euangelio: hoc est, Deo nihil credere omnium, quæ tibi in Euan-*
» *gelio offert. Hæc ille.*

Et paulò pòst: Cum neglectu, inquit, odióque Dei, omne malum inuehitur: quando admittitur de nostri prædestinatione dubitatio. Ergo tanquam caput omnis noxiæ tentationis repellenda est hæc quæstio: Sumúsne prædestinati? nam qui de hoc dubitat, nequit esse Christianus.

IX.

Christianum hominem debere non solùm de sui electione in Christo ad æternam vitam, persuasum esse: sed etiam idem de suis in Christo fratribus confidere: doceo, atque aio.

Demonstratio.

In quibuscunque apparent signa diuinæ electionis: eos debemus confidere esse electos. Signa autem electionis, sunt fides in Christum viua, hoc est, quæ se per dilectionem, & opera bona patefecit: deinde perseuerantia in fide hac. In quibus autem signa hæc non conspiciuntur, sed potiùs contraria, pro fratribus habendi non sunt. In quibuscunque verò apparent: pro fratribus habendi sunt. Fratres igitur in Christo, electos esse ad vitam æternam confidere debemus.

Testimonia.

Apostolus quoscunque videbat fidem habere in Christum, & dilectionem in Sanctos: eos sine vllo scrupulo appellabat Sanctos, & electos: etiamsi certus non esset, an essent perseueraturi in fide, nécne.

Eph. 1. de omnibus fidelibus, ad quos scribebat, sine vlla exceptione sic loquitur: Sicut elegit nos in Christo ante mundi constitutionem. Item: Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus. Item, Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei.

1 Ioh. 3. Nunc filij Dei sumus.

Petrus Apostolus in principio prioris Epistolæ, omnes Christianos, qui erant in Ponta, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia: appellat electos secundum præscientiam Dei Patris.

Quanquam autem illud verum est, iudicium nostrum & Ecclesiæ, in iis rebus, quæ Deo soli verè notæ sunt, iuxta illud, Nouit Dominus, scilicet solus, qui sint sui, sæpenumerò falli: interim tamen debemus sic de iis, qui notas habent electionis, sentire: idq; necessarium & vtile est electis: nam alioqui quomodo possimus inter nos veram amicitiam colere, vel φιλαδελφίαν: nisi quis alterum habeat pro electo, quocum sit æterna vita fruiturus: planè ego non video. quomodo etiam possumus eundem simul inuocare Patrem: nisi credamus, nos omnes esse illius filios, quicunque eundem inuocamus Patrem? & quomodo possumus nos mutuò appellare fratres: nisi credamus, omnes nos ex eodem Patre Deo natos esse? hoc autem est, esse electos. Debemus igitur Christianos omnes, in quibus nulla apparent certa argumenta, quòd alieni sint à fide in Christum, & à Spiritu filiorum Dei: pro electis complecti.

Quia hæc propositio certissima est, ideo nulla hominum subijcio testimonia.

CAPVT

CAPVT IV.

De reprobatione & prædestinatione impiorum.

THESIS PRIMA.

DEVM quosdam ante mundi constitutionem, secũdum propositum voluntatis suæ, reprobasse, atque odisse: hoc est, decreuisse illos, postquam in peccatum lapsi fuissent, in eo peccato relinquere, & à communione salutis in Christo reiicere: credo, & doceo.

Demonstratio.

Ab orbe condito, postquam primus homo lapsus est in peccatum, & in eo totum humanum genus: Deus multos in peccato suo deserit, & salutis communione non dignatur. Apparet hoc primùm in omnibus illis, quibus ne verbum quidem salutis annuntiari & reuelari voluit, vt Gentibus tempore Israëlitarum, verbo tantùm in Iudæa retento: vt tempore etiam Christi, qui neque ipse iuit, neque Apostolos misit ad Gentes prædicatum Euangelium: nisi post resurrectionẽ. Intra illud autem tempus, quamplurimi inter gentes periêre, sine cognitione Euangelij. Et Christus ait Matth. 11. Gratias ago tibi, Pater, quòd abscondidisti hæc à sapientibus. Nunc quoque infinitæ sunt gentes, quibus Euangelium non annuntiatur: neque quid illud sit, intelligunt. Deinde idem apparet in pueris infidelium: qui antequam audire etiam possint Euangelium, moriuntur. Postremò apparet in iis, qui audiunt quidem Euangelium: sed tamen non possunt credere Euangelio. Iohan. 12. Certè si simpliciter vellet Deus hos omnes seruare: omnes seruarentur. Non ergo omnes vult seruari: cùm non omnes seruentur. Neque etiam hîc valet exceptio illa, Deus omnes seruaret, si omnes vellent seruari, hoc est, credere in Christum. Nam si Dominus vellet simpliciter omnes seruari: largiretur procul dubio omnibus ea, quæ ad salutem consequendam necessaria sunt: inter quæ etiam continetur voluntas bona. Philip. 3. Cùm igitur hæc media aliquibus donet, & non omnibus: non omnes igitur simpliciter vult seruari. Ad id certè, quod dictum est de infantibus infidelium, quos antequam possint viam salutis agnoscere, Dominus tollit è medio, & in peccato originali mortuos damnat: responderi nihil potest, nisi quis velit, aut cum Pelagio negare pueros nasci in peccato: aut cum Turcis & Iudæis affirmare, peccata etiam extra Ecclesiam Christi, & sine Spiritu Christi condonari. Manifestum igitur est: Deum multos in peccatis natos, in ipsis etiam peccatis deserere, & communione salutis non dignari, nec velle dignari. Quidquid autem nunc simpliciter non vult Deus: illud etiam ab æterno noluit: & quidquid nunc facit, id ipsum ante conditum mundum decreuit facere. Ergo ante conditum mundum Deus quosdam noluit communione salutis dignari, sed in suis peccatis sese illos deserturum præsciuit, ac præfiniuit. Hoc autem est reprobare & odisse Dei.

Testimonia.

Matth. 7. Tum confitebor illis, quòd nunquam nouerim vos: Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Impios igitur Deus, neque etiam ante conditum orbem agnouit, nimirum pro suis: neque amauit ad vitam æternam.

Iohan. 17. Totum humanum genus in duas secat partes Dominus Iesus: & vnam appellat mundum: alteram homines, qui non sint de mundo: & hos ait dilectos fuisse à Patre: sicut & ipse dilectus est ante mundi constitutionem. Docet igitur apertissimè, mundum, hoc est, eos, qui nunc sunt increduli, ab æterno non fuisse Deo dilectos. Quos autem Deus non dilexit ab æterno ad vitam æternam: illos dicitur odisse: hoc est, à communione salutis reiecisse.

Rom. 9. Antequam nati essent, aut aliquid boni vel mali fecissent: Iacobum dilexi, Esaum autem odio habui. Exemplo autem horum duorum gemellorum, concludit Apostolus de omnibus hominibus: alios fuisse Deo dilectos: alios odio habitos ante mundi constitutionem. Sic etiam Augustinus, & omnes post Augustinum Patres interpretati sunt. Sic Bucerus in 9.

» *ad Rom. sect. 3. Istuc verò oraculum (nimirum, In hoc ipsum excitaui te:) de Pharaone edi-*
» *tum est. Sed sicut ex oraculis, quæ suprà attulit, editis nominatim de electione & reiectione*
» *Isaac & Ismael, Iacob & Esau, quid de omnium electione atque reiectione sentiendum sit, do-*
» *cuit: ita in præsenti ostendit ex eo, quod de indurationе Pharaonis dictum priuatim est: quid*
» *de omnium induratione iudicandum sit. In hoc enim ista nobis iudicia Dei in certis homini-*
» *bus descripta sunt: vt in illis videamus, quid Deus statuat de hominibus in vniuersum. In*
» *cunctis istis hypothesibus theses insunt. Hæc Bucerus.*
» *Item in Epist. ad Ephes. cap. 1. pag. 23. Illa verba, inquit, [nimirum Iacob dilexi: Esau au-*
» *tem odio habui] non ad illos duos tantùm sunt restringenda: sed ad totam vtriusque familiæ*
» *posteritatem, atque adeo ad pios omnes, & impios.*

II.

Quosdam non solùm à communione salutis reprobatos fuisse, sed etiam ad excæcationem, indurationem, & alia mala, quæ ita sunt pœnæ peccatorum, vt etiam sint peccata, prædestinatos fuisse, idque iustissimo Dei iudicio: & credo, & doceo.

Demonstratio.

Deus multos propter præcedentia peccata excæcat, indurat, tradit in sensum reprobum, vt faciant ea, quæ non decent. Hoc passim inculcatur in sacris literis. Exod. 9. Deut. 28. Iesai. 6. Rom. 9. 2. Thess. 2. Neque hæc loca de sola permissione intelligi posse, docet Augustinus, Lutherus & Bucerus: quanquam omnis etiam permissio Dei voluntaria est. Quidquid autem nunc facit Deus: ab æterno se facturum præsciuit, ac præfiniuit. Ab æterno igitur quosdam ad excæcationem, indurationémque prædestinatos fuisse: negari non potest.

Testimonia.

Act. 4. decreuerat Deus, vt per Pilatum & Herodem Christus damnaretur. Conuenerunt enim verè, inquiunt Apostoli, in ciuitate ista: aduersus sanctum puerum tum Iesum, quem vnxisti: Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israël: ad faciendum, quæcunque manus tua & consilium tuum decreuerunt [est προώρισε, præfiniuit, seu prædestinauit] *fieri.*

Augustinus *hanc eandem tradit doctrinam passim in libris contra Pelagianos: & quidem Tom. 7. de corr. & gratia, cap. 7. scribit de Iuda: illum fuisse electum ad opus damnabile: vt per illud, opus venerabile, hoc est, mors Christi, & per illam redemtio mundi compleretur.* » *Cùm itaque audimus, inquit, Nónne ego vos duodecim elegi: & vnus ex vobis Diabolus est? illos debemus intelligere electos per misericordiam: illum, scilicet Iudam, per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum: illum ad effundendum sanguinem suum. Hæc ille.*

» Lvtherus *in præfatione in Epist. ad Rom. Tractat, inquit, sententiam prædestinationis. ex ea enim sola pendent omnia: qui liberandi à peccato; qui occæcandi. Hæc ille. Si à prædestinatione pendet, qui occæcandi sint, & qui liberandi à peccato: ergo tam ad occæcationem prædestinati sunt, qui occæcantur: quàm ad liberationem à peccato, qui à peccato liberantur.*

Bvcervs *in cap. 8. Rom. in quæst. de Prædest. idem concludit. postquam enim concluserat, prædestinationem de ipsis etiam reprobis dici posse: mox subiunxit: Videtur illis* [qui scilicet aliter sentiunt] *Deo indignum: dicere, Deum aliquem præfiniuisse ad perditionem. Atqui Scriptura non veretur dicere: Deum tradere quosdam homines in sensum reprobum, & agere in perniciem. Quid igitur indignum Deo, dicere, etiam statuisse antea, vt illos in sensum reprobum traderet, & ageret in perniciem? Paulò pòst concludens: Dum itaque, inquit, constiterit, ad gloriam Dei pertinere, quòd prædicatur indurare, excæcare, & tradere in sensum reprobum, quos vult: satis liquet etiam dici posse: Deum hos ipsos in hanc sortem præscisse, & destinasse: antequam eos conderet. agit enim præfinito & certo consilio omnia.*

III.

III

Quosdam fuisse ante mundi constitutionem non solùm reprobatos, & ad indurationem præfinitos: sed etiam ad æternam mortem prædestinatos: & credo, & doceo.

Demonstratio.

Multi enim à Deo damnantur in æternam mortem. Quidquid autem nunc facit Deus: ab æterno decreuit, & præsciuit se facturum. Multos igitur ab æterno ad æternam mortem prædestinauit.

Testimonia.

Matth.25. Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius, hoc est, omnibus impiis, Diaboli ministris, & sectatoribus.

Rom.9. omnes impios appellat vasa iræ, aptata ad interitum.

AVGVSTINVS *Tom.2.epist.105.ad Sixtum Presbyt.col.470.A. Quanuis itaque Deus faciat vasa iræ in perditionem: vt ostendat iram &c. tamen in eisdem iræ vasis propter meritum massæ, in contumeliam debitam factis, id est, hominibus, propter naturæ quidem bonum creatis, sed propter vitia, supplicio destinatis: iniquitatem, quam rectissimè veritas improbat: damnare nouit ipse: non facere.*

LVTHERVS *in præfatione in Epist.ad Rom. Tractat, inquit, sententiam prædestinationis: ex ea enim sola pendent omnia: qui damnadi, & qui iustificandi sint. Sic ille. Ergo sicut qui iustificantur, ad iustificationem: ita qui damnantur, ad damnationem fuerunt prædestinati.*

BVCERI *testimonium ex iis, quæ in præcedenti propositione dicta sunt: colligi facilè potest. ait enim non debere videri Deo indignum, quòd aliquos præfinierit ad perditionem.*

IV.

Etsi quoscunque à communione salutis reprobauit Deus, non propter futura mala illorum opera, sed secundum suum beneplacitum reprobauit. Rom.9: tamen quoscunque, tum ad excæcationem, atque indurationem, tum ad æternas pœnas luendas prædestinauit: propter ipsorum peccata, saltem originale, prædestinatos fuisse, & credo, & doceo.

Demonstratio.

Quoscunque excæcat, aut indurat: non sine caussa: sed propter sua ipsorum peccata, saltem originale excæcat: Deus enim neminem punit citra caussam peccati.

Rom.1. Et quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt: propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum, & desideria cordis sui.

Rom.2. Ira & indignatio: tribulatio & angustia: in omnem animam hominis operantis malum.

2.Thess.2. Eò quòd dilectionem veritatis non receperunt, in hoc, vt salui fierent: propterea mittit illis Deus efficacitatem illusionis: vt credant mendacio.

Quæcunque autem, & quibuscunque de caussis facit, aut facturus est Deus: illa omnia & easdem ob caussas constituit ante conditum mundum facere. Quicunque igitur ad pœnas peccatorum prædestinati sunt, excæcationem, & mortem æternam: propter sua peccata, ad eas prædestinati sunt.

Testimonia.

Cùm propositio sit perspicua, multa non subijcio testimonia. Duo, vnum Augustini; & alterum Buceri, satis esse debent.

AVGVSTINVS *Tom.2.Epist.105.ad Sixtum: Neque enim, inquit, damnantur, qui non peccarunt.*

BVCERVS *in Reform.Eccles.de peccato originali, pag.76. concludit: quicunque condemnantur: propter proprium peccatum condemnari. Iustus est, inquit, Deus. non igitur*

„ *condemnat ad æternam mortem; niſi quod peccato proprio perditum eſt. Hæc ille. Aſſumit autem: omnes ex Adamo natos, etiam infantes, niſi regenerentur, ad æternam mortem condemnari: infert concluſionem: omnes igitur, etiam infantes ex Adamo peccaſſe.*

V.

Deum creare impios, ſed non illorum impietatem: ac proinde, creatorem quidem eſſe impiorum: ſed non autorem impietatis: credo & doceo.

Teſtimonia.

Prouerb. 16. Omnia propter ſemetipſum creauit Dominus: etiam impium ad diem malum.

Iohan. 1. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.

Impietatis verò autorem non eſſe: docet illud Apoſtoli, Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum. ergo non per Deum.

AVGVSTINVS *Tom. 7. de gratia, & libero arbitrio, cap. 21. apertè ait: Deum etſi corda impiorum ipſe vertat, quocunque vult, vtpote à ſe creata: malitiam tamen illorum non feciſſe. Quorum malitiam, inquit, non ipſe fecit.*

Item Tom. 2. Epiſt. 105. ad Sixt. col. 470. multis demonſtrat: Etſi Deus facit vaſa iræ, & indurat: ita vt indurati non poſſint non peccare: ipſos tamen impios non poſſe ſui peccati culpam in Deum transferre. Ac præter alia, contra hos Dei accuſatores, qui dicunt, Quid ad
„ *huc non conqueritur? voluntati enim eius quis reſiſtit? profert illud Prouerb. 19. Inſipientia*
„ *viri violat vias eius: Deum autem cauſatur in corde ſuo. Et mox concludens: Quamuis itaq;*
„ *inquit, Deus facit vaſa iræ in perditionem, vt oſtendat iram, & demonſtret potentiam ſuam,*
„ *qua bene etiam vtitur malis: & vt notas faciat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ,*
„ *quæ fecit in honorem non damnabili maſſæ debitum, ſed ſuæ gratiæ largitate donatum: ta-*
„ *men in eiſdem iræ vaſis, propter meritum maſſæ in contumeliam debitam factis, id eſt, ho-*
„ *minibus, propter naturæ quidem bonum creatis, ſed propter vitia ſupplicio deſtinatis, ini-*
„ *quitatem, quam rectiſſimè veritas improbat, damnare nouit ipſe, non facere. Sicut enim vo-*
„ *luntati eius tribuitur humana natura, nullo dubitante, laudanda: ſic hominis voluntati culpa*
„ *tribuitur, nullo recuſante, damnanda.*

Videantur, quæ eadem de re ſcribit, Tom. 7. de nuptiis, & concupiſcentia, lib. 2. cap. 16.

„ *Lutherus de ſeruo arbitrio, cap. 42. Hic eſt fidei ſummus gradus, credere, illum eſſe cle-*
„ *mentem: qui tam paucos ſaluet, tam multos damnet: credere iuſtum, qui ſua voluntate nos ne-*
„ *ceſſariò damnabiles facit: vt videatur, referente Eraſmo, delectari cruciatibus miſerorum, &*
„ *odio potiùs, quàm amore dignißimus.*

„ *Item cap. 148. Deus, inquit, condidit Pharaonem impium, hoc eſt, ex impio & corrupto*
„ *ſemine, ſicut in Prouerb. 16. Salomon dicit, Omnia propter ſemetipſum fecit Dominus, etiam*
„ *impium ad diem malum: non quidem creando malitiam in eo, ſed ex malo ſemine forman-*
„ *do eum, & regendo.*

„ *Item. Licet Deus peccatum non faciat: tamen naturam peccato, ſubtracto Spiritu, vi-*
„ *tiatam formare non ceſſat, & multiplicare: tanquam ſi faber ex ligno corrupto ſtatuas fa-*
„ *ciat. ita qualis eſt natura, tales fiunt homines: Deo creante & formante illos ex natura tali.*
„ *Hæc omnia Lutherus.*

„ *Bucerus Rom. 9. ſect. 4. in expoſitione illorum verborum: Si verò Deus tulit &c. Figmen-*
„ *to non licet poſcere rationem à figulo, cur ſe ſic finxerit: ita multò minùs poterit nobis fas eſſe,*
„ *requirere, cur nos Deus ea conditione fecerit, qua fecit. Attamen ſi hæc omnis ei cauſſa ſit, cur*
„ *impios faciat & ferat in hac vita, vt in eis exempla edat vltionis in peccata, & hinc formi-*
„ *dandam potentiam ſuam, & infinitam in electos ſuos bonitatem manifeſtiorem faciat: quid*
„ *potes tu habere, ô homo, quod in Deo culpes?*

„ *Item paulò poſt: Etiam malis, inquit, Deus bene vtitur: tum quoque, quando illi ſceleſtiſ-*

ſimè

simè agunt, & se ipsos in interitum præcipitant. Iam toti à Deo FACTI *sunt, & ad ea vtique* "
facti & coaptati animo & corpore, cunctóque ingenio & corporis & animi: ad quæ illos vsur- "
pat Deus. "

Item de Iuda loquens: Per Iudam, inquit, voluit Deus tradere Filium suum in mortem. Id "
fuit Iudæ exitio: præstitisset ei non fuisse natum. Atqui cùm huc esset diuinitus deputatus: quis "
dubitet iam in vtero matris ad istud factum & formatum esse? "

VI.

Reprobos necessariò damnari: credo, & doceo.

Demonstratio.

Reprobi reipsa damnantur: nec possunt facere, quin damnentur: quippe qui perpetuò propter suas iniquitates rei sunt coram Deo mortis æternæ. Neque illis iniquitates condonantur: cùm perpetuò sint sine vera fide in Christum. Illud autem dicitur necessarium: quod non potest aliter se habere. Necessariò igitur, hoc est, infallibiliter impij damnantur.

Testimonia.

Matth. 7. Arbor mala non potest bonos fructus facere: quæ autem nunquam facit fructum: ea tandem succidatur immota sententia Domini, necesse est. Matth. 3. Immò omnis planta, quam non plantauit Pater, eradicabitur. Matth. 15. Sunt autem impij semper malæ arbores, & sine verè bono fructu. item arbores sunt non plantatæ à Domino. Si igitur non possunt seruari: necessariò damnantur.

Lutherus quoque in libro de seruo arbitrio defendit, quæcunque fiunt, mera necessitate fieri.

Cùm igitur impij damnentur: necessariò illos damnari manifestum est.

Idem cap. 42. nos omnes [cùm scilicet nascimur, quia in peccatis nascimur] necessariò damnabiles à Deo fieri. nisi quis igitur ab hac necessaria damnatione liberetur: illum necessariò damnari, quis neget? Non liberantur autem impij, cùm semper maneant impij. Impios igitur necessariò damnari, certissimum est.

Item in cap. 147. ait liberum arbitrium non posse velle bonum, necessarióque seruire peccato. Ergo necessariò damnatur: quia damnationem euitare non potest.

Bucerus Rom. 9. in ea verba, Voluntati eius quis resistit? Voluntatem, inquit, cùm di- "
cit: notat Deum ea velle, ad quæ homines indurat. Cùm addit, Quis resistat: indicat ne- "
cessitatem faciendi ea, quæ fert induratio. Hæc Bucerus. Impij ergo excæcati necessariò, sed ta- "
men sine vlla voluntatis coactione peccant: ac proinde necessariò damnantur. Hæc enim fert induratio.

Idem in Matth. 9. sect. 1. pag. 242. Sed reprobis, inquit, oportet noxia esse omnia: etiam quæ "
maximè sunt salutaria. "

Item in Matth. 13. sect. 1. pag. 320.

VII.

Impios non in hunc quasi vltimum finem, vt scilicet ipsi postea damnentur, & æternùm crucientur: sed tum propter salutem electorum, tum in primis propter gloriam Dei creari, atque tolerari: credo, & doceo.

Demonstratio.

Per impios Deus promouet salutem electorum: idque diuersis rationibus: vt dum per illorum tyrannidem, atque iniquitates, hos purgat, & exercet in patientia, ac fide. per eosdem declarat suam potentiam, atque iustitiam: dum in eos propter sua scelera animaduertit: id quod etiam cedit in salutem electorum: quia spectata dira vltione Dei in impiorum

scelera, ipsi diligentiùs sibi cauent à peccatis. item cùm vident illos puniri æternùm, sibi verò, qui non illis meliores fuerunt, parci: apertiùs vident, atque sentiunt misericordiam Dei erga se. Deus autem in creatione, sustentationéque impiorum, illos sibi proposuit fines, quos etiam per ipsos impios consequitur. Creauit igitur impios, & quotidie creat in salutem electorum, & gloriam suam.

Testimonia.

Prouerb. 16. Omnia creauit Dominus propter semetipsum: etiam impium ad diem malum. Rom. 9. In hoc ipsum excitaui te: vt ostendam in te potentiam meam. Item, Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, tulit in multa patientia vasa iræ, aptata ad interitum: & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. In iis verbis apparent tres fines: propter quos Deus creet, atque sustentet impios in hac vita. Primus est gloria Dei, vt scilicet in ipsis manifestetur potentia & ira Dei contra peccatum, ideóque eius gloria illustretur. Secundus est, ipsorum impiorum interitus: ideo appellat eos vasa iræ, aptata in interitum. Tertiùs, est electorum salus: vt scilicet ipsi meliùs ex iudiciis Dei aduersus reprobos, quanta sit Dei erga se misericordia, intelligant: ideóque tum à peccato diligentiùs sibi caueant, tum ad gratias Deo agendas pro sua erga se misericordia, ardentiùs inflammentur. Ideo eos appellat vasa misericordiæ, & ait, Vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.

Avgvstinvs *Tom. 6. contra Faustum Manichæum, lib. 16. cap. 21. Ad aliquem namque vsum sanctorum, ordinatur omnis cæcitas impiorum à summo Deo: qui pro sui regiminis æquitate, bene vtitur etiam malis: vt qui suo arbitrio iniustè viuunt, illius iudicio iustè disponantur.*

Bvcervs *quoque in cap. 9. ad Rom. sect. 4. eadem tradit. In quæstione verò de Prædestinatione, duos fines ponit indurationis Iudæorum: Proximum quidem esse ipsorum impiorum perditionem: vltimum verò ipsius Dei gloriam.*

Istud tamen, inquit, hic obseruandum est: non posse Deo in his, quos indurat, excæcat, & euertit, finem vltimum, eorum perditionem. propter se enim Deus, & in gloriam suam fecit omnia: etiam impium ad diem malum: Prouerb. 16. Hinc dicebat Dominus Pharaoni: In hoc hoc ipsum excitaui te: vt declararem in te virtutem meam, & celebretur nomen meum in omni terra. Et vbique in Scripturis, gloria Domini finis esse vltionis malorum prædicatur. De graui omnium gentium vltione & deiectione, prædicebat Iesa. 2. Ibi ergo aliquoties repetit istud: Solus Dominus in die illa sublimis erit. At proximum tamen finem, perditionem malorum sibi esse, dum excæcat & indurat eos, Dominus ipse gloriatur. Cùm enim Iesa. 6. de induratione & excæcatione malorum loquitur, hanc caussam subijcit: Ne respiscant, & sanem eos. Hinc & infrà sequenti capite, dicuntur reprobi organa iræ facta, & coaptata in perniciem: κατηρτισμένα. Hæc omnia Buceri sunt.

Vsus huius doctrinæ.

Has autem caussas agnoscere creationis, sustentationis, & excæcationis impiorum: vtile est electis. nam, vt ait Bucerus, valebit hoc nobis ad id, vt ampliùs à peccatis nostris metuamus: & in bonitatem Dei speremus firmiùs.

VIII.

Etsi Deus ab æterno certos quosdam ad communionem salutis in Christo elegit, alios verò ab ea excluſit, pro suo beneplacito: ac proinde quosdam creet in hunc finem, vt seruentur, & ita in eis suam declaret misericordiam: alios verò vt perdantur, & ita in eis suam patefaciat iustitiam: non propterea tamen Deum esse iniustum, crudelémve tyrannum, aut acceptatorem personarum: doceo, atque defendo.

Demonstratio.

Deus enim certos quosdam ad communionem salutis trahit, & saluat: alios non trahit, nec

nec saluat. Certè infideles multos, illorúmque pueros nec vocat, nec trahit, nec saluat: non tamen propterea quispiam dicit, illum esse acceptorem personarum, aut crudelem tyrannum. Ergo neque quia ab æterno decreuit quosdam seruare, & alios à salutis communione excludere: accusari debet, aut potest, vel crudelitatis, vel προσωπολημψίας. Est enim Deus Dominus omnium: & ius habet absolutum in omnes: & quidquid agit, iustum est: nec desinit esse clementissimus, atque optimus Deus, etiamsi misereatur quorum velit, & induret quos velit.

Testimonia.

Psalm. Iustus Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis: misereri autem & indurare: seruare & damnare: omnia sunt opera Dei.

Rom. 9. Apertè, & ex professo docet Apostolus: omnia pendere à voluntate Dei: eúmque misereri, quorum velit; & indurare, quos velit: neque tamen ob id, vllam apud Deum esse iniquitatem. Sicut enim figulus nullius iniquitatis accusari potest, quòd ex eadem massa faciat quædam vasa in contumeliam, cùm alia faciat in honorem: idq; quoniam potestatem habet faciendi ex suo luto, quæcunque, & in quoscunque velit vsus vasa: ita multò minùs Deum accusari posse iniustitiæ, aut crudelitatis: quòd ex hominibus alios induret; aliorum misereatur: alios faciat vasa misericordiæ; & alios vasa iræ.

Avgvstinvs autem hunc locum Apostoli vbique vrget ad hoc propositum: cùm docet, Deum pro suo beneplacito alios elegisse ad communionem salutis: alios ab ea reiecisse, & ad mortem reprobos, ad vitam autem electos prædestinasse. Fixum enim debet esse, inquit, & immobile in corde nostro: quia non est iniquitas apud Deum: de gratia, & lib. arb. c. 21.

Tom. 2. Epist. 105. ad Sixtum Presbyt. Quòd autem personarum acceptorem Deum sè credere existimant, si credant, quòd sine vllis præcedentibus meritis, cuius vult, miseretur, & quos dignatur, vocat: & quem vult, religiosum facit: parum attendunt, quòd debita pœna reddatur damnato: indebita gratia, liberato: vt nec ille se indignum quæratur, nec dignum se iste glorietur: atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, vbi vna, eadémque massa damnationis & offensionis inualuit: vt liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia subueniret.

Legatur etiam contra duas epistolas Pelagianorum: ad Bonifacium, lib. 2. cap. 7.

Lvtherus de seruo arbitrio, cap. 42. Hic est, inquit, fidei summus gradus: credere illum esse clementem, qui tam paucos saluat, tam multos damnat: credere iustum, qui sua voluntate nos necessariò damnabiles facit, vt videatur, referente Erasmo, delectari cruciatibus miserorum.

Legantur etiam, quæ de eadem rescribit cap. 146. 147. Sed nec prosunt tamen, inquit, tropi: nec euaditur absurditas. Absurdum enim manet, ratione iudice, vt Deus ille iustus & bonus exigat à libero arbitrio impossibilia: & cùm liberum arbitrium non possit velle bonum, necessariòque seruiat peccato, tamen imputet ei: & dum non confert Spiritum, nihil mitiùs, aut clementiùs faciat, quàm si induret, vel indurari permittat. Hæc dictabit ratio, non esse boni & clementis Dei: superant nimiò captum illius: nec captiuare etiam sese potest, vt credat bonum esse Deum, qui talia faciat, & iudicet: sed secluſa fide, palpare & videre, & comprehendere vult: quomodo sit bonus & non crudelis: comprehenderet verò tunc, quando sic de Deo diceretur, Neminem indurat, neminem damnat: sed omnium miseretur; omnes saluos facit: vt destructo inferno, positóque metu mortis, nulla pœna formidaretur futura. Ideo sic æstuat, & contendit; vt Deum excuset, & defendat iustum & bonum. Sed fides & spiritus aliter iudicant: qui Deum bonum credunt, etiamsi omnes homines perderet.

Eandem tradidit passim Bucerus in 9. Rom. in explicatione exempli Pharaonis. Nostrum, inquit, vtique est: Deo omnem sapientiam, atque iustitiam quàm simplicissimè, atque ore plenissimo tribuere, in iudiciis illius quibuslibet, etiam eorum, quorum rationem inire non possumus.

Item in ea verba: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Ipsa Dei voluntas, inquit, Deo causa est omnium, & ea ipsa est iustitia.

Horum autem omnium hæc ratio est: quia Dominus hæc non agit, vt iudex: sed vt liberrimus Dominus, qui ius habet in omnes homines absolutissimum. iccircò quidquid de illis agit: iustissimum est. In fine sæculi iudicabit omnes, vt iudex: ideo vnicuique reddet secundum facta ipsius. Nunc miseretur, quorum vult, & indurat quos vult, vt liberrimus omnium Dominus: quanquam quos etiam indurat, vt iustissimus iudex, propter ipsorum scilicet peccata, indurat iustissimè.

IX.

Etsi prædestinatio certa est, ita vt qui electi sunt, perire non possint; & qui reprobati, seruari non queant: non ideo tamen præceptiones, correptiones, atq; obiurgationes & orationes superuacaneas esse: doceo, atque contendo.

Demonstratio.

Nam quod ad electos attinet, præceptiones, correptiones, orationes; denique totum ministerium Ecclesiasticum, media sunt, quibus Deus vtitur in illis ad vitam æternam deducendis. Hoc totum Augustinus de corrept. & gratia doctissimè & perspicuè demonstrat: & cap. quidem 3. sic ait: O homo in præceptione, cognosce, quid debeas habere: incorreptione, cognosce, tuo te vitio non habere: in oratione, cognosce vnde accipias, quod vis habere. Quod autem attinet ad reprobos, iis præceptionibus, & obiurgationibus, denique toto ministerio Ecclesiastico, inexcusabiles redduntur.

Testimonia.

Etsi nostra salus tota pendet à gratuita Dei electione: non propterea tamen cessandum esse à prædicatione morum & Legis, ab exhortationibus, reprehensionibus, & obsecrationibus, docent Christus & Apostoli. Ipsi prædicarunt prædestinationem, & omnia pendere à Dei voluntate: hominémque ex se nihil posse: interim tamen perpetuò admonebant homines sui officij: reprehendebant; adhortabantur; obsecrabant; & orabant etiam pro illis. Christus ait: Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit: idem tamen hortatur omnes, dicens, Venite ad me, omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. Pharisæis reprobis ait, illos ideo non credere, quòd non sint ex ouibus suis: item, quòd non sint ex Deo: interim tamen illos reprehendit: quòd non audiant, nec credant.

Apostolus Petrus, Act. 2. ait, Iudæos, qui se audiebant, dum interemerunt Christum per manus iniquorum, impleuisse definitum Dei consilium: interim eos acriter reprehendit, de hoc magno scelere.

Paulus ait Rom. 9. Neque volentis, neque currentis est, sed miserentis Dei: interim tamen hortatur fideles, vt velint, & curant. 1. Cor. 10. Sic currite, vt comprehendatis.

Rom. 8. ait, Quid oremus, nescimus: ipse autem Spiritus orat pro nobis: interim hortatur fideles ad orationem, dicens 1. Thess. 5. Sine intermissione orate.

Philip. 3. ait, Deus operatur in nobis velle & perficere: interim idem ait Rom. 8. Nolite conformari huic seculo.

1. Tim. 2. ait, Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sunt sui. interim ait 1. Cor. 10. Qui videtur stare, videat ne cadat.

Iacobus item cap. 1. ait. Omne datum optimum de sursum esse, descendens à Patre luminum: interim ibidem ait: Si quis indiget sapientia: postulet à Deo. Ergo licet tota salus, & quidquid ad salutem pertinet, pendeat à gratia Dei, & ab ipsa æterna Dei electione, atque proposito: non sequitur tamen, cessandum esse à prædicatione morum, ab obiurgationibus, à studio bene agendi. quare? quia iis mediis electi trahuntur ad Christum, & ducuntur in vitam æternam.

Avgvstinvs *Tom. 7. de bono perseuerantiæ, cap. 14. hanc eandem tradit doctrinam:*
„ *& ait, esse prædicandum; esse obiurgandum; esse orandum. Audiunt enim, inquit, hæc, & fa-*
„ *ciunt, quibus datum est: nō autem faciunt siue audiant, siue non audiant, quibus non est datū.*

An

CAPVT V.

An prædicanda sit doctrina de prædestinatione, & quomodo, & quibus de caussis.

THESIS PRIMA.

DOCTRINAM autem hanc de prædestinatione Dei æterna, atque immutabili, esse neque supprimendam omnino: neque in Scholis tantùm inter doctos explicandam: sed etiam in pulpitis ad populum prædicandam: sed sobriè, hoc est, iuxta ea tãtùm, quæ de hac in Scripturis reuelata sunt: & prudenter, hoc est, sermone ita attemperato, vt neque ad licentiam; neque ad desperationem adducat, sed ad ædificationem faciat: dico, atque doceo.

Demonstratio.

Prædicandum est Euangelium, & quidem totum, atque integrum. Dominus enim non iussit partem Euangelij, sed totum prædicari: idq; omnibus, tam indoctis, quàm doctis; tam insipientibus, quàm sapientibus: non in angulis, sed palam, & publicè, cùm dixit: Ite in vniuersum mundum: & prædicate Euangelium omni creaturæ. Præcipua autem pars Euangelij, est doctrina de æterna & incommutabili electione eorum, qui credunt in Christum, ad vitam æternam: & æterna, atque incommutabili reprobatione, atque ad mortem æternam prædestinatione eorum, qui nunquam in Christum verè credunt: & Deum quidem ex gratuito, æternóque amore, eos etiam qui credunt, sibi elegisse, vt crederent: ideóque totam illorum salutem, esse gratuitam, firmam, atque constantem: eos verò, qui nunquam credunt, non dignatum fuisse ea gratia, qua electos, vt crederent: quòd tamen non credant, hoc fieri ipsorum vitio: Quare totam illorum etiam condemnationem, quia fit propter illorum infidelitatem & peccata, iustissimam esse. Habere igitur electos, cur semper glorificent Deum pro tanto erga se amore, & cur ei se præbeant obsequentes: reprobos verò non habere, cur de Deo possint conqueri, cùm, quidquid agit Deus, iustissimè agat. Cur hæc doctrina non prædicetur, cùm tota faciat ad gloriam Dei, ad salutem & consolationem electorum: & tamen simul ad tollendam omnem impiis excusationem?

Testimonia.

Christus sæpe eam prædicauit, & quidem palàm, & ad plebem, atque indoctis.

Matth. 11. Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis: vtique in cinere & sacco pœnitentiam egissent q.d. Sed Deus noluit per me ibi hæc fieri: proinde etiam eos pœnitere non potuit: Maius igitur supplicium vestræ debetur impœnitentiæ & incredulitati.

Matth. 11. Ob hanc caussam, Gratias tibi, inquit, ago, Pater: quòd absconderis hæc à sapientibus, & reuelaris paruulis: ita Pater, quoniam sic placitum est tibi.

Item Matth. 13. Vobis datum est nosse mysteria regni: ceteris in parabolis loquor, vt videntes, non videant: & audientes, non intelligant.

Matth. 20. Non est meum dare vobis: sed quibus paratum est à Patre meo.

Matth. 22. Multi sunt vocati, pauci electi.

Matth. 24. Propter electos decurtabuntur dies illi. Item: Dabunt signa magna: ita vt, si fieri possit, seducantur etiam electi. quasi dicat, sed non possunt seduci.

Luc. 17. Duo erunt in agro: alter assumetur, alter relinquetur.

Matth. 25. Venite benedicti Patris mei: possidete regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi.

Luc 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.

Luc.12.Nolite timere,pusille grex:quia complacuit Patri vestro,dare vobis regnum.

Ioh.6.Omne quod dedit mihi Pater:ad me veniet.q.d.alij non possunt ad me venire.

Iohan.8. Qui ex Deo natus est: verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Ioh.10.Sed vos non creditis: quia non estis ex ouibus meis, id est, electis.

Item: Oues meæ non peribunt in æternum.

Ioh.15. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos.

Ioh.17.Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. Ergo filij perditionis pereant, necesse est, id est, reprobi: filij autem promissionis, id est, electi, saluentur, oportet.

Nulla ferè pagina est, præsertim in Euangelio Iohannis, vbi mentio aliqua non fiat electionis & reprobationis.

Apostoli eandem publicè prædicarunt. legantur Acta Apostolica. cap.1. de Iuda ait Petrus: Oportebat impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauidis, de Iuda. Item aiunt: Iudam præuaricatum, à suo Apostolatu excidisse: vt iret in locum suum, id est, in infernum, ad quem fuerat destinatus.

Item: Ostende, quem elegeris. Erat ergo alteruter illorum electus à Deo ad Apostolatum. tantùm petitur, vt electio patefiat.

Act.2. primò arguit Apostolus Iudæos peccati, quòd Christum crucifigendum curarint: deinde tamen dicit, hoc pacto impletum ab eis fuisse decretum, quod per Prophetarum os anteà prædixerat.

Act.4. aiunt Apostoli: Pilatum & Herodem conuenisse, ad facienda, quæcunque manus Dei, & consilium eius decreuerant fieri. peccatum tamen non adscribitur Deo, sed Pilato & Herodi.

Act.13.Et crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam.

Item 15.de conuersione gentium ad Christum, Iacobus Apostolus verba faciens, ait: Nota autem à sæculo sunt Deo omnia opera eius. Ergo ab æterno prænorat, & præfinierat, se conuersurum gentes ad gratiam Euangelij.

De Apostolo Paulo quid dicam? quoties hanc prædestinationem inculcet: norunt, qui eius Epistolas legerunt, & legunt.

Rom.8. Nota est omnibus illa catena: Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini Filij eius: quos autem prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos etiam iustificauit: & quos iustificauit, hos & glorificauit.

Caput 9.10.11.quam doctrinam continent, nisi de prædestinatione?

1.Cor.1. Stulta mundi elegit Deus: vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus: vt confundat fortia: & ignobilia, & contemtibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt: vt ea quæ sunt, destrueret.

2.Cor.4. Quòd si velatum est Euangelium nostrum: iis, qui pereunt, velatum est.

Gal.1.Segregauit me ex vtero matris meæ: & vocauit per gratiam suam.

Eph.cap.1.totum ferè est de electione & prædestinatione.

2.Thess.2. postquam dixisset reprobos perire, quos etiam solet appellare hoc nomine, Illos, qui pereunt: subiungit de electis: Nos autem debemus gratias agere Deo semper, pro vobis, fratres dilecti à Deo: quòd elegerit nos Deus primitias in salutem.

2.Tim.1. Qui vocauit nos vocatione sua sancta: non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam: quæ data fuerat nobis in Christo Iesu, ante tempora æterna: manifestata autem nunc per apparitionem Iesu Christi.

2.Tim.2.Firmum stat fundamentũ: habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sunt sui.

Iudas ita scribit de seductoribus impiis: eos fuisse olim προγεγραμμένους in hoc iudicium, hoc est, à Deo præfinitos & præscriptos ad hoc iudicium: vt scilicet vexent Ecclesias suis flagitiis: & deinde ad iudicium, hoc est, ad condemnationem æternam.

Atque hæc omnia scripserunt Apostoli: non ad aliquot doctos: sed ad perfectas Ecclesias, vbi

vbi erant & docti & indocti. Summa: tam in veteri, quàm in nouo Testamento passim occurrunt aut sententiæ, aut exempla prædestinationis diuinæ, à Prophetis & Apostolis palàm Ecclesiis proposita: idq́, præter alios fines, vt omnes intelligant fideles, nihil contingere vel piis, vel impiis, fortuitò, aut casu: sed omnia ante mundi constitutionem fuisse à Deo sapientissimè definita, & constituta, ideóq, etiam præscita. Consolari ergo se debere pios: quòd sua salus certa sit in manu Dei ante mundi constitutionem: & gratias agere Deo, quòd se elegerit: cùm tamen tantam aliorum hominum multitudinem iustè à communione salutis reiecerit.

Prædicandam igitur esse prædestinationem Dei, exempla Prophetarum, Christi, & Apostolorum euidentissimè docent.

AVGVSTINVS *quoque hoc idem docet: tum alibi, tum in libro de Bono perseuerantiæ, à cap. 14. ferè vsque ad finem libri. In illis nouem prioribus capitibus, quatuor facit Augustinus. Primùm, respondet ad rationes illorum, qui contendebant, non esse prædicandam hanc doctrinam, etiamsi vera sit. Deinde, contendit: omnino prædicandam esse. Tertiò, ostendit necessitatem & vtilitatem prædicationis de prædestinatione: sic prædicetur, vti est prædicanda: nempe eo modo, quo & Apostoli eam prædicarunt. Postremò, consequenter docet modum, quo prædicanda est: vt faciat ad ædificationem. Præter alia, hæc habet verba in cap. 16. Aut enim* “ *sic prædestinatio prædicanda est: quemadmodum eam S. Scriptura euidenter loquitur, vt in* “ *prædestinatis sine pœnitentia sint dona & vocatio Dei: aut gratiam Dei secundum nostra dari* “ *merita, confitendum: quod sapiunt Pelagiani. Hæc Augustinus, Quis non videat necessitatem* “ *prædicationis de prædestinatione? & Pelagianorum esse, tum negare prædestinationem: tum curare, vt talis doctrina supprimatur? & negare gratuitam prædestinationem, esse, negare gratiam Dei?*

Sed quoniam nonnulli sine vllo pudore damnant Augustinum in hoc articulo de prædestinatione: audiant isti saltem, quid Lutherus Germaniæ lux hac de re scripserit contra Erasmum: qui Erasmus prudentia quadam carnis ductus, censebat quoque de prædestinatione nõ esse prædicandum, aut scribendum. Verba Erasmi hæc fuerunt: Quid inutilius: quàm hoc paradoxum euulgari mundo? Quidquid fit à nobis: non libero arbitrio, sed mera necessitate “ *fieri: & illud Augustini: Deum operari bona & mala in nobis: sua bona opera remunerare* “ *in nobis: & sua mala opera punire in nobis* [*hæc enim duo docuerat Lutherus*] *quantam fenestram vulgò hæc vox prodita, mortalibus aperiret ad impietatem? Quis malus corriget vitam suã: quis credet, se amari à Deo? quis pugnabit cũ sua carne? quæ igitur vtilitas aut necessitas talia inuulgandi: cùm tot mala videantur inde prouenire? Hæc omnia Erasmi fuerunt* “ *contra Lutherum. Ego certè nunquam ausus fui, aut auderem hæc duo paradoxa docere, nisi adhibita vera & vtili explicatione. Lutherus hæc ergo docuit: & postea cõtra Erasmum etiam defendit. Hæc autem fuit responsio & defensio Lutheri in lib. de seruo arbitrio, in responsione ad vltimam partem præfationis Erasmi, in cap. 38.*

Mi Erasme, iterum & ego dico: si hæc paradoxa ducis hominum esse inuenta: quid con- “ *tendis? quid æstuas? contra quem dicis? an est vllus in orbe hodie: qui vehementius homi-* “ *num dogmata sit insectatus, quàm Lutherus? Igitur nihil ad nos ista monitio. Si autem Dei* “ *verba esse credis ea paradoxa: vbi est frons tua? vbi pudor? vbi, non dico iam modestia illa* “ *Erasmi: sed timor & reuerentia Deo vero debita: qui dicis, nihil inutilius dici posse hoc ver-* “ *bo Dei? Scilicet creator tuus à te, creatura sua discet, quid vtile & inutile sit prædicatu. ac* “ *stultus ille vel imprudens Deus hactenus nescierit, quid doceri oporteat: donec tu magister eius* “ *modum illi præscriberes sapiendi & mandandi. quasi ipse ignorasset: nisi tu docuisses, sequi ad* “ *hoc paradoxon, quæ tu infers. Si igitur Deus voluit, talia palàm dici & inuulgari, nec spectari* “ *quid sequeretur: tu quis es, qui vetes? Paulus Apost. in Epist. ad Rom. non in angulum, sed in* “ *publicum, ac coram toto mundo, liberrimo ore eadem etiã durioribus verbis palàm disserit, di-* “ *cens: Quos vult, indurat. & iterũ: Deus volẽs notã facere iram suam. Quid durius, sed carni:* “ *illo Christi verbo? Multi vocati: pauci electi. & iterum: Ego scio, quos elegerim. Scilicet hæc* “ *omnia talia sunt, te autore: vt nihil possit inutilius dici: quòd videlicet hinc ad desperationem* “ *& odiũ, & blasphemiã prolabantur homines impij. Hæc ille.*

„ Deinde ad illa absurda, quæ ex ista doctrina dicebat Erasmus consequi: ita respõdet Luthe-
„ rus: Quis, inquis, studebit corrigere vitam suã? Respondeo. Nullus hominum: neq; etiam vllus
„ poterit. nã correctores tuos sine Spiritu Deus nihil moratur, cùm sint hypocritæ. Corrigentur
„ autem electi & pij per Sp. S. ceteri incorrecti peribunt. Neq; enim Augustinus dicit, nullorũ aut
„ omnium opera bona coronari: sed aliquorum. Ideo non erunt nulli: qui corrigant vitam suam.
„ Quis credet, inquis, se à Deo amari? Respondeo. Nullus hominum credet, neque poterit: electi
„ verò credent: ceteri non credentes peribunt: indignantes & blasphemantes: sicut tu hìc facis.
„ Non igitur nulli erunt, qui credent. Quòd verò his dogmatibus fenestra aperitur ad impieta-
„ tem: esto. illi pertineant ad lepram superiùs dictam, tolerandi mali. Nihilominus simul eisdem
„ aperitur porta ad iustitiam, & introitus ad cælum; & via ad Deũ: pro piis & electis. Quòd si
„ tuo consilio istis dogmatibus abstinuerimus; & hominibus verbum hoc Dei absconderimus:
„ vt vuusquisque falsa persuasione salutis illusus, Deum non disceret timere & humiliari: vt per
„ timore tandem ad gratiam & amorem veniret: tum pulchrè clauserimus fenestram tuam.
„ verùm loco eius aperiremus nobis & omnibus valuas, immò hiatus & voragines, non modò
„ ad impietatem: sed ad inferni profunda. Sic ipsi nec intraremus in cælum: & alios intrantes
„ prohiberemus. Quæ igitur vtilitas, aut necessitas talia inuulgandi: cùm tot mala videantur
„ inde prouenire? Respondeo: Satis erat quidem, dicere, Deus voluit ea vulgari: voluntatis verò
„ diuinæ rationem quærendam non esse: sed simpliciter adorandam: data gloria Deo: quòd cùm
„ sit iustus & sapiens solus: nulli faciat iniuriam: nec stultè aut temerè quidpiam agere possit:
„ licet nobis longè secus appareat: hac responsione pij sunt contenti. Tamen vt ex abundantia su-
„ pererogemus: duæ res exigunt talia prædicari. Prima est humiliatio nostræ superbiæ, & cogni-
„ tio gratiæ Dei: altera, ipsa fides Christiana. Primùm, Deus certò promisit humiliatis, id est, de-
„ ploratis, & desperatis gratiam suam. Humiliari verò penitus non potest homo: donec sciat,
„ prorsus extra suas vires, consilia, studia, voluntatem, opera: omnino ex alterius arbitrio, con-
„ silio, voluntate, opere, suam pendère salutem: nempe Dei solius. Si quidem quamdiu persuasus
„ fuerit, se vel tantulùm posse pro salute sua; manet in fiducia sui; nec de se penitus desperat ideo
„ non humiliatur coram Deo: sed locum, tempus, opus aliquod sibi præsumit, vel sperat, vel optat
„ salutem: quo tandem perueniat ad salutem. Qui verò nihil dubitat, totum in voluntate Dei
„ pendère: is prorsus de se desperat: nihil elegit, sed expectat operantem Deum: is proximus est
„ gratiæ: vt saluus fiat. Itaque propter electos ista vulgantur: vt isto modo humiliati, & in ni-
„ hilum redacti: salui fiant. Ceteri resistunt humiliationi huic: immo damnant doceri hanc de-
„ sperationem sui: aliquid vel modiculum sibi relinqui volunt, quod possint. Hi occultè manent
„ superbi & gratiæ Dei aduersarij. Hæc est inquam vna ratio: vt pij promissionem gratiæ hu-
„ miliati cognoscant, inuocent, & accipiant.

„ Altera est: quòd fides est rerum non apparentium. Vt ergo fidei locus sit: opus est, vt omnia,
„ quæ creduntur, abscondantur: non autem remotiùs absconduntur, quàm sub contrario obie-
„ cto, sensu, experientia. Sic Deus, dum viuificat: facit illud occidendo: dum iustificat: facit il-
„ lud reos faciendo: dum in cælum vehit: facit id ad infernum ducendo: vt dicit Scriptura: Do-
„ minus mortificat; & viuificat: deducit ad inferos, & reducit. 1. Reg. 2. de quibus nunc non est
„ locus prolixiùs dicendi. Qui nostra legerunt: habent hæc sibi vulgatissima. Sic æternam suam
„ clementiam & misericordiam abscondit sub æterna ira: iustitiam sub iniquitate. Hic est
„ fidei summus gradus, credere illum esse clemẽtem: qui tam paucos saluat; tam multos damnat:
„ credere iustum: qui sua voluntate nos necessariò damnabiles facit: vt videatur, referente Era-
„ smo, delectari cruciatibus miserorum; & odio potiùs, quàm amore dignus. Si igitur possem vl-
„ la ratione comprehendere, quomodo is Deus sit misericors & iustus, qui tantam iram & imi-
„ quitatem ostendit, non esset opus fide. Nunc cùm id comprehendi non potest: fit locus exercendæ
„ fidei: dum talia prædicantur & inuulgantur: non aliter, quàm dum Deus occidit: fides vitæ in
„ morte exercetur. Hæc Lutherus.

„ Bvcervs cùm alibi, tum in Epist. ad Ephes. cap. 1. idem dicit: Sunt, inquit, nonnulli,
„ qui de electione Dei apud populum non esse loquendum iudicent. Sed cùm beneficia Dei

apud

apud homines ſint amplificanda: certè hoc quod maximum eſt, non eſt prætermittendum: ſed Pauli exemplo commemorandum eſt: & confirmanda in hominibus fides de electione: & in filiis Dei nequaquam metuendum, ne vitæ & religionis omnis diſſolutionem, eius commemoratio inducat. Item paulò pòſt: Si huius, inquit, electionis memoria & meditatio auferretur: Bone Deus, quomodo reſiſteremus Diabolo?

Ibidem in loco de election. pag. 22. Quoties enim, inquit, Diabolus tentat fidem noſtram: nunquam autem non tentat: tunc ſemper ad electionem nobis eſt recurrendum, & de ea cogitandum: atque ita cogitandum, vt omnem dubitationem excludamus. Nam ſi hac fidei certitudine careamus, ſi de ea perſuaſi non ſumus: non poſſumus vitam æternam expectare: Deum pro patre; & Chriſtum pro redemtore non poſſumus agnoſcere: nihil denique ſolidæ pietatis & veræ dilectionis Dei in nobis eſſe poteſt. Explodendum ergo illud de conſopienda electionis memoria in cœtu fidelium.

II.

Non tantùm vtile, ſed etiam neceſſarium eſſe, vt hæc doctrina de prædeſtinatione in Eccleſiis retineatur, doceatur & prædicetur: credo, & doceo.

Demonſtratio.

Primùm quidem hoc vtile eſt, & neceſſarium hac de cauſſa: vt ſcilicet Deus noſter agnoſcatur verus eſſe Deus. 1.

Verus enim Deus ille eſt: qui omnia ab æterno prænouit: & cuius præſcientia falli non poteſt. Act. 15. Nota à ſæculo ſunt Deo omnia opera ſua. Non eſt igitur verus Deus: qui aut non omnia præſcit: aut cuius præſcientia falli poteſt. Quid eſt autem prædeſtinatio: niſi certiſſima Dei præſcientia: qua præſciuit, quos eſſet miſericorditer ſeruaturus, aut quos iuſtè damnaturus? 1.

Item verus Deus ille eſt: qui omnia quæcunque fiunt, vult: & ſine cuius voluntate nihil fit. Matth. 10. Non cadit paſſer in terram, ſine voluntate Patris veſtri. Non eſt igitur verus Deus ille, citra cuius voluntatem aliquid fiat. Quid eſt autem prædeſtinatio: niſi decretum, ſeu certa Dei voluntas, qua ab æterno voluit, tum quæcunque agit, & ſinit fieri, agere & ſinere fieri: tum ſpeciatim, quoſcunque ſaluat, aut damnat, ſaluare & damnare: idq; iis modis, & rationibus, quibus etiam agit, ſaluat, aut damnat? 2.

Item Deus ille eſt, qui quæcunque ſecundum beneplacitum ſuæ voluntatis ſtatuit atq; decreuit: immutabiliter ſtatuit, atq; decreuit: h. eſt. qui tum in ſua eſſentia, tum in ſuis ſecundum beneplacitum factis decretis immutabilis eſt. Malach. 3. Ego Deus: & non mutor. Non eſt igitur verus Deus ille, qui mutatur in illis ſuis conſiliis, quæ ſimpliciter ſemel decreuerat, vt fierent. Quid eſt autem prædeſtinatio: niſi æternum & immutabile Dei conſilium ſeruandi quoſcunque ſeruat; & damnandi quoſcunque damnat: illos per miſericordiam; hos per iudicium? 3.

Item verus Deus ille eſt, qui omnipotens eſt, atque ita omnipotens, vt quæcunque vult, non ſolùm poſſit facere, ſed etiam faciat: ſicut etiam quæcũque facit, vult. Pſal. 113. Omnia, quæ Dominus voluit, fecit in cælo, & in terra: idq; non ſolùm res ipſas creando, ſed etiam in rebus omnibus omnia operando: vſq; adeo, vt etiam hominum voluntates ſuapte natura liberas flectat quocunq; vult, ſine vlla ipſarum coactione. Act. 17. In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus. Prouerb. 21. Cor regis in manu Domini: quocũque voluerit, flectet illud. Ille igitur nõ eſt Deus, qui nõ poteſt, quæ vult: & qui non operatur omnia in omnibus. Quid eſt autem prædeſtinatio: niſi æterna & omnipotentiſſima volũtas Dei, ſeruãdi quos ſeruat, & damnãdi quos damnat? 4.

Item ille verus eſt Deus, qui, quos ſeruat, ex miſericordia ſola & gratia ſeruat: & quos damnat, iuſtè damnat. Exod. 33. Ego miſerebor, cui voluero. Deus eſt etiã ſemper iuſtus. Rom. 9. Non eſt iniquitas apud Deum. Non eſt igitur Deus ille, qui vel ſaluat ex meritis, & non ex gratia: vel qui damnat iniuſtè. Quid eſt autem prædeſtinatio: niſi decretum Dei ſeruandi, quos ſeruat ex mera miſericordia: & damnandi, quos damnat ex iuſto iudicio? 5.

Eſt autem manifeſtiſſimum, has eſſentiales Dei proprietates, in ipſa doctrina de præde-

ſtinatione, tanquam in proprio ſpeculo relucere: & hac doctrina negata, has etiam proprietates Dei negari: & ea occultata, has etiam occultari: & ea prædicata, has etiam prædicari. His autem negatis, negatur Deus: & prædicatis atque confirmatis, prædicatur, atque aſſeritur Deus. Ergo vt defendatur Deus noſter verus eſſe Deus: doctrina de prædeſtinatione, retinenda, defendenda & prædicanda eſt.

II. Deinde prædicanda eſt prædeſtinatio, vt ipſa etiam gratia Dei, quòd non detur ſecundum merita contra hæreſin Pelagianam defendatur. Hunc finem vidit Auguſtinus: ideo ita ſcriptum reliquit in lib. de Bono perſeuerantiæ. c. 21. „ Si autem vtrumque [ſcilicet fides ſanctorum „ & perſeuerantia in fide] Dei donum eſt: & hæc Deus dona ſua, quod negare quis poteſt? datu„ rum ſe eſſe præſciuit: prædeſtinatio prædicanda eſt, vt poſſit vera Dei gratia, id eſt, quæ non „ ſecundum merita noſtra datur: inſuperabili munitione defendi. Hæc ille. Pelagiani enim docebant gratiam omnibus hominibus ex æquo offerri, & Deum, quantum in ipſo eſt, velle omnes ex æquo ſaluos fieri: in hominum autem poteſtate eſſe, gratiam & ſalutem oblatam vel acceptare, vel reijcere. Quòd igitur quidam ſeruentur, inde fieri, quia ſuo libero arbitrio gratiam amplectantur, & hoc ex ipſis eſſe: quòd autem alij damnentur, id inde fieri, quia cùm poſſint: nolint tamen gratiam oblatam recipere. Quæ omnia, vt Auguſtinus docet, eò tandem ſpectabant: vt tacitè concluderetur, gratiam ſecundum merita noſtra dari. Hoc autem impium dogma nulla ratione meliùs refutari poteſt: quàm prædicatione gratuitæ prædeſtinationis: quæ in ipſis pueris luculentiſsimè reſplendet. Infidelium enim infantes non regenerati damnantur: nec tamen ideo damnantur, quòd gratiam oblatam noluerint amplecti. Fidelium autem regenerati ſeruantur, nec tamen ideo ſeruantur, quia voluerint gratiam recipere: ſed quia Deus ab æterno iſtos voluit ſeruari, illos ſeruari noluit. Falſum igitur eſt, Deum ideo nos ſeruare, quia nos velimus ſeruari, & gratiam oblatam amplecti: ſed contrà potiùs ideò nos & ſeruari, & velle ſeruari, & velle gratiam amplecti, quia Deus prior ab æterno ſimpliciter voluit nos ſeruari: ſimpliciter voluit, nos gratiam oblatam amplecti. Deus enim operatur in nobis & velle & perficere, pro ſua bona voluntate. Philip. 2. vt & initium & conſummatio ſalutis noſtræ à Deo ſit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Verum quidem eſt, neminem adultum ſeruari, niſi velit ſeruari, & gratiam amplecti. Ceterùm noſter aſſenſus, aut voluntas bona non eſt primaria cauſſa ſalutis noſtræ: niſi cauſſa ſine qua non, vt vocant. cauſſa verò propriè noſtræ ſalutis eſt voluntas Dei æterna: quia eadem etiam eſt cauſſa noſtræ bonæ voluntatis.

Proinde cùm prædeſtinationis prædicatione, omnino Pelagiana hæreſis, quæ oppugnat gratiam Dei, expugnetur: vtiliſsima & neceſſaria eſt prædicatio prædeſtinationis. Ideo „ Auguſtinus Tom. 7. de bono perſeuerantiæ, cap. 16. „ Aut ſic prædeſtinatio prædicanda eſt, quemadmo„ dum eam ſacra Scriptura euidenter loquitur, vt in prædeſtinatis ſine pœnitentia ſint dona „ & vocatio Dei: aut gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, confitendum, quod ſapiunt „ Pelagiani. Hæc ille. Ac certiſsimum eſt: non poſſe defendi gratuitam iuſtificationem per Chriſtum: niſi defendatur gratuita prædeſtinatio in Chriſto: cùm hæc ſit illius cauſſa.

III. Tertia cauſſa conſequitur ex ſecunda: & ea eſt, vt omnis humana ſuperbia retundatur, & ſola diuina gloria extollatur: hoc eſt, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Hunc finem apertè tradunt ſacræ literæ. Epheſ. 1. Elegit nos in laudem gloriæ gratiæ ſuæ: hoc eſt, vt ipſe ſolus à gratuita gratia glorificetur. Si enim non ſtatuamus hoc fundamentum, quicunque ſeruamur, ſeruari ideo, quia ante mundi conſtitutionem Deus voluit ex ſola ſua gratia, in Chriſto nos ſeruari, antequam ſcilicet aliquid boni egiſſemus: Deinde quidquid boni in nobis inchoatum eſt, totum à Deo gratis fuiſſe inchoatum, ſiue illud ſit in intellectu, ſiue in voluntate, ſiue in affectionibus: Poſtremò, inchoatam ſalutem à Deo, ab eodem etiam continuari in finem vſque, abſque meritis noſtris: Quomodo poſſumus totam gloriam attribuere Deo? Eſt autem neceſſe, vt ſalutem noſtram, aut totam nobis, aut totam Deo, aut partim Deo, partim nobis adſcribamus. Si totam nobis: peiores fuerimus Pelagianis. Si partim Deo, partim nobis: erimus Pelagiani, ſi totam Deo: ſumus verè Chriſtiani: quia damus totam gloriam,

vt

vt decet, soli Deo. Sed hoc non potest fieri, nisi decretum etiam seruandi nos gratis agnoscamus, confiteamur, & prædicemus in Deo ante ipsam mundi constitutionem fuisse: hæc autem est prædestinatio. Etenim si initium prædicandæ gratiæ Dei erga nos inde sumamus, cùm nos iam natos incipit iustificare: semper suggeret caro, aliquid igitur in nobis fuisse amplius, quàm in aliis, qui non iustificantur: propter quod nos, & non alios iustificare voluerit: siue illud fuerit aliquod bonum naturale, siue ciuile, siue præparatio aliqua, siue desiderium aliquod, quod in nobis præcesserit gratiam Dei. Hoc autem nihil aliud est: quàm cogitare, gratiam dari secundum merita: atque ita etiam aliqua ex parte in nobis gloriabimur. At verò si prædicemus, ita Deum ex mera gratia nos vocasse, voluntatem præparasse, fidem donasse, desideria bona in cordibus nostris excitasse, iustificasse & sanctificasse: vt hoc totum, antequam etiam nati essemus, hoc est, ante mundi constitutionem, sese gratis facturum præscierit, atque præfinierit: omnis gloriandi materia nobis eripitur, & in solo Deo gloriari cogimur. Ideo Augustinus Tom. 7. de Bono perseuerantiæ, cap. 20. Sicut enim prædicanda est pietas, vt ab eo, qui habet aures audiendi, Deus rectè colatur: Prædicanda est pudicitia, vt ab eo, qui habet aures audiendi, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur: Prædicanda est caritas, vt ab eo, qui habet aures audiendi, Deus & proximus diligatur: Ita etiam prædicanda est ista prædestinatio beneficiorum Dei, vt qui habet aures audiendi, non in se ipso, sed in Domino glorietur.

Hinc sequitur quarta caussa, atque vtilitas: vt scilicet fiducia de nostra salute, in cordibus nostris confirmetur. Cùm enim vna ex parte audimus, & ita credimus, salutem electorum in proposito Dei firmatam esse, idque ab æterno in Christo, ita vt perire amplius non possint: ex altera verò parte credimus, vt credere debemus, nos esse ex electorum numero per gratiam Dei: quomodo dubitare amplius possumus de salute nostra? Sic Apostolus prædestinationem in hunc finem & ipse considerabat, & fidelibus proponebat: vt scilicet tentati diffidentia aliqua, sese in certa fiducia salutis, hac doctrina confirmarent. Rom. 8. Scimus, quòd diligentibus Deum, omnia in bonum cooperantur: iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. nam quos præsciuit, eos & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui: vt sit ipse primogenitus inter multos fratres: quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, hos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis: quis contra nos? quis accusabit electos Dei? Certus sum: quòd neque mors; neque vita, neque vlla creatura poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. IV.

Ita 2. Tim. 2. ne propter quorundam à veritate defectionem, reliqui quoque fideles dubitarent de sua salute: confirmauit eos firmitudine prædestinationis, dicens: Sed firmum stat fundamentum Dei: habens signaculum hoc, Nouit Dominus, qui sunt sui.

Ita reliqui Apostoli: ita Christus eam doctrinam in hunc præcipuè vsum proponebat: vt scilicet fiducia salutis, quæ certissima est in æterno Dei proposito, confirmarentur. Ideo Bucerus optimè in quæstione de prædestinatione, Rom. 8. caput secundum totum consumsit in explicando vsu, in quem sit considerandæ prædestinatio: & respondet, de sententia quoque Philippi Melanthonis: in hunc finem esse considerandam, vt de nostra salute fiamus certiores. postea concludit iis verbis: Perstat igitur ex prædestinatione, fiduciam salutis confirmãdam esse: prædestinationis autem certitudo nequaquam ex nostris operibus: sed ex promissione diuina petenda: ac ita semper ad fidei confirmationem, prædestinatio confirmanda est: nunquam autem vlla ex re, prædestinationis dubitatio admittenda est. Hæc Bucerus. Vbi diligenter notandum quod ait: Nulla ex re, dubitatio de prædestinatione, est admittenda. Ergo neque quotidiani lapsus debent nos abducere à certitudine nostræ prædestinationis, ac per consequens, nostræ salutis.

Quinta caussa est, vt specialia Dei in nos Christianos beneficia, ideóque & specialis eiusdem erga nos amor melius cognoscatur, & viuidius sentiatur. Si prædicemus, omnes in vniuersum homines esse ad vitam æternam prædestinatos: ideóque velle Deum simpliciter omnes ser- V.

uari: singularia in nos beneficia, singularísque erga nos amor in Christo, sepeliuntur: ideóque gratia Dei extenuatur. quæ enim ex æquo in omnes conferuntur beneficia: illa non sunt singularia: proinde neque specialis aliquis donantis amor erga aliquos esse cognoscitur. Exemplum: Quòd Deus pluuiam suam mittit, tam super bonos, quàm super malos: tam super iniustos, quàm super iustos: specialis amor erga electos non est. Proinde verum est illud: Quò magis prædestinationis & salutis beneficium erga omnes amplificatur: eò magis illud, erga paucos fideles extenuatur. At verò si cogitemus, omnes quidem in vniuersum, in conspectu Dei, propter peccatum originale fuisse damnatos, ideóque omnes æternæ morti obnoxios: pro sua verò misericordia, Deum certos quosdam, id est, nos, non autem omnes à peccato & morte liberasse: ac proinde non etiam omnes, sed certos quosdam, id est, nos à peccato & morte sese liberaturum, reliquos verò damnaturum, præfiniuisse, atque præsciuisse: & ita præfiniuisse, vt illam præfinitionem mutare nullo modo velit: inde facilè & verè, quantus fuerit, & sit Dei erga nos amor, intelligemus. Ergo vt melius hic specialis amor Dei erga nos cognoscatur: prædicanda est hæc specialis & certa, atque immutabilis quorundam, id est, nostri omnium, qui in Christum credimus, ad vitam æternam, immò & ad fidem in Christum prædestinatio.

Hunc vsum vidit Augustinus: iccircò scriptum etiam reliquit in Epist. 105. ad Sixtum
» Presbyt. Liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia
» subueniret. Si autem gratia: vtique nullis meritis reddita: sed gratuita bonitate donata.
» Sed iniustum est, inquiunt, in vna eadémque caussa mala, hunc liberari, illum puniri. nempe
» ergo iustum est, vtrumque puniri. Quis hoc negauerit? Agamus ergo gratias Saluatori: dum
» nobis redditum non cernimus, quod in damnatione similium, etiam nobis debitum fuisse co-
» gnoscimus. Si enim vtrique illuderarentur, lateret, quid peccato per iustitiam debeatur: si ne-
» mo, quid gratia largiretur.
» Ita Tom. 7. de prædest. Sanct. lib. 1. cap. 9. Vnde constat, inquit, magnam esse gratiam, quòd
» plurimi liberantur: & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoscunt: vt qui glo-
» riantur, non in suis meritis, quæ paria esse vident damnatis sed in Domino glorientur.

VI. Sexta caussa consequitur ex quinta. ea autem est: vt ex percepto illo speciali, æterno, & immutabili amore Dei erga nos: quo amore nos præ innumeris populis & gentibus dignatus est ad vitam æternam: nostra quoque corda vicissim ad Deum redamandum, & modis omnibus glorificandum, inflammentur. Paulus certè Rom. 8. non tantùm vt confirmaret se & alios in fide de sua salute: sed etiam, vt & se, & alios ad amorem Dei accenderet atque inflammaret: prædestinationis sermonem instituit, dicens: Scimus, quòd diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum: iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Item: Quis nos separabit à charitate Christi? an tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius &c? Item: Certus sum, quòd neque mors, neque vita; neq; angeli, neq; principatus; neque potestates; neq; instantia; neq; futura, neq; sublimitas; neque profunditas, neque vlla alia creatura, poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

VII. Septima, quæ sextam sequitur: est, vt ad bona opera excitemur. accensò enim amore Dei in cordibus nostris: mox etiam officia amoris inde erumpunt. Deinde prædestinationis doctrina est: non solùm nos ad finem esse prædestinatos: sed etiam ad media: quæ sunt fides, & bona opera. fidei effecta. Ergo si credamus, nos esse ad æternam vitam electos: & simul intelligamus, media ad eam consequendam esse bona opera, & ad hæc nos esse prædestinatos, vt in eis ambulemus: fieri non poterit, quin ad studium bonorum operum incitemur. In hunc finem Paulus Eph. 1. scripsit, nos esse electos, vt essemus sancti & inculpati coram ipso per charitatem. Item: Nos ipsius esse opus, creatos in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in ipsis ambulemus. cap. 2.

VIII. Octaua est: vt ad ipsum quoque proximum, præsertim fratres in Christo, amore complectendos, & beneficiis, quibuscunque possumus, prosequendos, accendamur. Si enim vna ex parte prædicemus, quoscunque ad æternam vitam prædestinauit Deus, eos sine vlla dubitatione simul æterna vita in cælo cum Christo fruituros: altera verò ex parte, non solùm persuasi simus

de

de nostri electione, sed etiam confidamus, pios fratres, quibuscum hic in eadem Christi Ecclesia viuimus, ad eandem vitam esse electos: ac proinde illos nobiscum, eandem beatam vitam æternùm victuros: qui fieri poterit, vt non illos amemus, & fraternis officiis amorem erga illos nostrum quotidie declaremus; atque ad nos vicissim redamandos exstimulemus? In hunc finem, præter alios, Christus, Apostolos omnes alloquens, dixit, se illos elegisse: vt intelligerent, colendam esse inter ipsos amicitiam: cùm ad eandem vitam æternam omnes pertineant. Non aliò spectabat Apostolus, cùm pronuntiabat de piis omnibus, in plurali numero: Elegit nos, prædestinauit nos. Est hæc vtilitas doctrinæ de prædestinatione, non parua.

Proinde nono loco: facit hæc doctrina ad accendendum in nobis studium implendæ Legis Dei: quæ in dilectione Dei & proximi, & in præstandis vtriusque dilectionis officiis, posita est. IX.

Postremò valet mirabiliter ad patientiam in omnibus aduersis sustentandam, & ad omnes iniurias, contumelias, calumnias, infamias, denique ad cruces omnes æquo animo ferendas, ac tolerandas. Persuasi enim, nos è mundo ad æternam vitam esse electos, & electionem hanc mutari non posse, ideóque nos non habere hic ciuitatem permanentem: sed ciuitatem, sed regnum, sed vitam nostram in cælo esse, & non esse condignas passiones huius sæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, denique nihil nobis aduersi contingere, quod non fuerit ab æterno prædestinatum, vt contingeret: quid obsecro aduersi nobis accidere potest, quod licet initiò pungat, non tamen mox ad nos reuersi, & Spiritu in æternam illam prædestinationem sublato, à corde nostro depellamus: atque ita depellamus, vt licet carnem feriat: tamen cor ipsum nequaquam vulneret? Hunc fructum Apostolus Rom. 8. doctrinæ de prædestinatione subiecit, cùm dixit: Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis: quis contra nos? quis ergo poterit nos separare à charitate Dei? num tribulatio? num angustia? Sed in iis omnibus superamus per eum, qui dilexit nos. X.

Quanta igitur sit huiusce doctrinæ vtilitas: ex iis, quæ dicta sunt: satis liquère existimo.

LVTHERVS de seruo arbitrio, cap. 41. & 42. cùm Erasmus iudicasset, supprimendam esse hanc doctrinam, tanquam inutilem, & minimè necessariam: contrà ipse demonstrat duabus præcipuè de causis eam esse prædicandam. Prima est humiliatio nostræ superbiæ; & cognitio gratiæ Dei. altera, ipsa fides Christiana, quæ cùm sit rerum non apparentium, solet sub contrariis sensui nostro, & nostræ experientiæ, abscondi. Hunc igitur esse fidei summum gradum, vt credamus illum esse clementem, qui tam paucos saluat: tam multos damnat: & iustum, qui sua voluntate nos necessariò (sicut ipse loquitur) damnabiles facit. Verba Lutheri fuerunt in præcedenti proxima propositione decima, recitata. In capite etiam 20. huius doctrinæ vtilitatem & necessitatem explicans, dixit: Hac ignorata doctrina, neque fidem, neque vllum Dei cultum consistere posse.

PHILIPPVS MELANCHTHON *in Locis prioribus probatis Luthero, cap. 1. quod est de libero arbitrio, & prædestinatione: primò explicat doctrinam de prædestinatione: deinde tradit necessitatem & vtilitatem huius doctrinæ multiplicem: atque apertè ait: neque timorē Dei, neque fiduciam in Deum certiùs aliunde disci posse, quàm ex doctrina de prædestinatione. Verba eius hæc sunt: Postremò libertatem homini adimit diuina prædestinatio. eueniunt enim*
« *omnia iuxta diuinam prædestinationem, tum externa opera, tum internæ cogitationes in om-*
« *nibus creaturis. ad Ephes. 1. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*
« *Matth. 10. Nónne duo passeres asse veneunt: & vnus ex illis non cadit super terram, sine Pa-*
« *tre vestro? Obsecro, quid hac sententia clariùs dici potuit? Prouerb. 16. Vniuersa propter se-*
« *metipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum. & rursus 20. A Domino*
« *dirigūtur gressus viri. quis autem hominum intelligere potest viam suam? rursum 16. Cor ho-*
« *minis disponit viam suam: Dominus autem dirigit gressus eius. Ierem. 10. Scio, Domine: quòd*
« *non est hominis via eius: nec viri est, vt dirigat gressus suos. Præterea idem docent diuinæ hi-*
« *storiæ. Gen. 15. Nec dum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. In secundo capite primi*
« *libri Regum: Et non audiuerunt vocem Patris sui, quia voluit Dominus occidere eos. Quid*
« *similius casui fortuito, quàm quòd Saul abit quæsiturus asinas: & vngitur à Samuele: inau-*

» guraturq; regno? Rursum in primo Regum, cap. 10. Abijt cum Saule pars exercitus, quorum » tetigerat corda Deus. In tertio Regum, cap. 12. non acquieuit rex populo: quoniam auersa- » tus fuerat eum Dominus, vt suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Si- » lonitæ ad Hieroboam, filium Nabath. Et quid aliud in 9. ca. & 11. ad Rom. Paulus agit, quàm » vt omnia, quæ fiunt, in destinationem diuinam referat? Abhorret ab hac sententia iudicium » carnis, seu rationis humanæ: contrà, amplectitur eam iudicium Spiritus. Neque enim vel » timorem Dei, vel fiduciam in Deum certiùs aliunde disces: quàm vbi imbueris animum hac » de prædestinatione sententia. Annon eam vbique in Prouerbiis inculcat Salomon: vt aliàs ti- » morem; aliàs fidem doceat? annon inculcat eam in eo libro, cui Ecclesiasticæ titulus est? mul- » tùm enim omnino refert ad premendam, damnandámque humanæ rationis, tum sapientiam, » tum prudentiam: constanter credere, quòd à Deo fiant omnia. Annon hoc vno loco efficacis- » simè consolatur discipulos Christus, cùm inquit: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt? » Quid igitur, inquies, nullane est in rebus, vt istorum vocabulo vtar, contingentia? nihil ca- » sus? nihil fortuna? Omnia necessariò euenire, Scripturæ docent. Esto. videatur tibi esse in re- » bus humanis contingentia. Iudicio rationis hic imperandum est. Sic Salomon, cùm in præ- » destinationis cogitatione versatus esset, inquit: Et intellexi, quòd omnium operum Dei nul- » lam possit homo inuenire rationem, eorum quæ sub Sole fiunt. Sed ineptus videar, quòd sta- » tim initio operis de asperrimo loco, de prædestinatione disseram. quanquam quid attinet in » compendio, primo, an postremo loco id agam, quod in omnes disputationis nostræ partes inci- » det? Et cùm de libero arbitrio omnino primo loco agendum esset: quî potui dissimulare senten- » tiam Scripturæ de prædestinatione: quando voluntati nostræ libertatem, per prædestinatio- » nis necessitatem adimit Scriptura? quanquam non omnino nihil puto referre, statim pueri- » les mentes hac sententia imbui: quòd omnia eueniant, non iuxta hominum consilia & cona- » tus; sed iuxta Dei voluntatem. Annon hoc Salomon in illis gnomis suis, quas pueritiæ scri- » psit, statim à principio monet? Neque fidem, neque metum Dei doceri posse iudico: nisi per- » suasum nobis sit, omnia in omnibus efficere Deum. Sophistæ nobis non aliter Deum descripsêre: » atque Iouem suum Poëtæ. Bellè scilicet illi: nam rationem sequebantur: quæ prorsus est ignara » Dei, & cæt.

» Dulcescet hæc de prædestinatione sententia, vbi impiæ rationis iudicium, Spiritus Dei » stultificauerit. Quid enim imbecillitas humana perinde optet: atque vt in manu Dei omnia » nostra consistant, ne nostris consiliis, sed diuinis regamur? Magnum omnino est, commi- » sisse omnia diuinæ voluntati. Tollit itaque omnem libertatem voluntatis nostræ prædestinatio » diuina. Qua de re copiosè disseruit Paulus ad Rom. 8. Hæc ille.

Hos verò priores Philippi Locos, præsertim propter hoc primum caput de libero arbitrio, & prædestinatione, ita probauit Lutherus: vt ad Erasmum scripserit, eos dignos esse, non solùm immortalitate, sed etiam canone Ecclesiastico. Legatur epistola Lutheri, præfixa libro de seruo arbitrio. Nunquam etiam eos retractauit Philippus: quanquam in Locis posterioribus magis accommodauerit sermonem suum in hoc argumento ad captum humanæ prudentiæ, quàm in prioribus, in quibus veritatem ipsam liberiùs expressit.

Illud certum est, hanc doctrinam, quam in his prioribus Locis, de Prædestinatione tradidit Philippus, & quam ante ipsum Lutherus, & ante Lutherum Augustinus, & alij in Ecclesia Christi docuerunt: non fuisse vnquam in Ecclesia hæreseos damnatam. Ergo mei accusatores non possunt eam in me, aut in Augustino damnare hæreseos; quin fateantur taciti, Lutherum quoque, atque Philippum, vt de aliis taceam, fuisse aliquando, post promulgatum etiã Euangelium, hæresi infectos, & Bucerum in eadem hæresi mortuum esse.

BUCERI *sententiam, quàm hæc doctrina vtilis sit, superiùs explicauimus. nunc addo*
» *quædam alia ex illius in cap. 1. ad Eph. commentariis: Si huius, inquit, electionis memoria &*
» *meditatio nobis auferretur: Bone Deus, quomodo resisteremus Diabolo? Quoties enim Dia-*
» *bolus tentat fidem nostram, nunquam autem non tentat, tunc semper ad electionem est no-*
» *bis recurrendum, & de ea cogitandum: atque ita cogitandum, vt omnem dubitationem ex-*
cludamus.

cludamus. nam si hac fidei certitudine careamus, si de ea persuasi non sumus: non possumus vitam æternam exspectare: Deum pro Patre, & Christum pro redemtore non possumus agnoscere: nihil denique solidæ pietatis & veræ dilectionis Dei in nobis esse potest. Explodendum ergo illud, de consopienda electionis memoria in cœtu fidelium, dogma. Hæc Bucerus.

HABETIS, *clementissimi Domini, meam de prædestinatione sententiam: quam iccircò profiteor, atque defendo: quòd videam illam esse è sacris literis, quemadmodum vidistis, desumtam. Hanc fuisse Augustini doctrinam, nemo, ne illi quidem, qui eā impugnant, vti fuit Pighius, deinde Castalio, & nunc cum illis nonnulli alij, quorum nominibus parco, inficiari audent. Quantæ autem semper authoritatis fuerit in Ecclesia Augustinus: & quanti ab omnibus, præsertim in hac contra Pelagianos doctrina, factus fuerit: testantur omnes post eum Patres, immò tota Ecclesia catholica: quæ hanc doctrinam, ceu piam, orthodoxam [illegible] utarémque: nunquam non est amplexa. Faciunt huic rei testimonium ea, quæ de hac doctrina variis in locis scripsit D. Gregorius primus. nam is quoque totus noster est. item quæ D. Bernhardus: quæ D. Prosper Aquitanicus: quæ Honorius: & quæ ante hunc Fulgentius: quæ denique Lombardus ipse, & puriores quique Scholastici. omnes enim in hac doctrina secuti sunt Augustinum: quippe quem agnouerunt secundum Scripturas ea de re disseruisse. Hieronymus, qui non solitus erat aliorum scripta, præsertim Augustini, facilè probare, quòd scilicet non ita eam teneret, quam ipse, linguarum cognitionem: cùm tamen disputat contra Pelagianos, Tom. 2. lib. 3. honorificam admodum mentionem facit Augustini: & libros, quos contra Pelagianos scripserat, vehementer laudat. In summa tota Ecclesia Augustini doctrinam, præsertim contra Pelagianos, semper est secuta. Possem hîc nostri temporis doctissimorum virorum testimonia, quæ Augustino in hac præsertim doctrina de prædestinatione dant, summæ eruditionis & eximiæ pietatis, subijcere: nisi vnius Buceri testimonium, satis mihi esse videretur. Is in lib. de vera Eccles. reconciliatione, articulo 3. qui est de caussa peccati: appellat eum verè Catholicum & Orthodoxum Patrem, & Ecclesiæ doctorem.*

An autem Lutherus & Bucerus, vt de aliis taceam, eandem secuti sint: ipsorum libri satis luculenter demonstrant. Ne quis verò eludat librum de seruo arbitrio, quasi illius pœnituerit Lutherum, aut quippiam in eo retractarit: illud, quod etiam anteà admonui, retinendum est, quod Lutherus de hoc suo libro scripsit ad VVolfgangum Fabricium Capitonem, 9. Iulij, anno 1537. De Tomis, inquit, meorum librorum disponēdis: ego frigidior sum, & segnior: eò quòd Saturnina fame percitus, magis cuperem eos esse deuoratos. nullū enim agnosco meum iustum librum: nisi fortè de seruo arbitrio, & Catechismum. Hæc Lutheri sunt. αὐτόχειρον est hîc Argentinæ. Iustus quoque Ionas hunc librum in linguam Germanicam conuertit: vt omnes Germani non solùm docti, sed etiam indocti, atque imperiti eum legerent. Nisi iudicasset vir ille doctus & pius, hoc in libro piam, orthodoxam, & vtilem doctrinam contineri: nūquam, quæ ipsius fuit pietas, librum hunc Germanicè etiam inuulgandum curasset. Certè ipsius in Epist. ad Rom. præfationem, nemo vnquam huc vsque improbare fuit ausus.

Lutheri de suis libris iudicium.

Si quis verò neget, hanc fuisse Buceri doctrinam, eámque constantissimam, vsque ad mortē: nimis magnam sancto illi viro, & doctori Ecclesiæ fidelissimo, facit iniuriam. Quæ scripsit de prædestinatione sparsim in commentariis suis in Euangelistas; in Psalmos; deinde in Epistolam ad Romanos: eadem docuit in postremo commentario in Epistolam ad Ephesios.

Porrò, quæ semper post renouatum Euangelium, totius huius ciuitatis vestræ fuerit de prædestinatione doctrina: nulla res meliùs & clariùs, & certiùs, quàm vestræ scriptæ & impressæ Confessiones: demonstrare vobis potest.

CAPVT VI.

Testimonia Confessionum Ecclesiæ Argentinensis: de prædestinatione; déque iis, quæ ad prædestinationem pertinent.

In Apologia tertij, quarti, & quinti articuli Confessionis, Ann. xxx.

a QVI verè credit: is per Spiritum sanctum de gratia Dei ita certificatus est: vt nullæ creaturæ vnquam, vt de ea amplius dubitet, eum pertrahere possint: immò proprietas hæc vocabuli Fidei, est, vt excludat omnem dubitationem.

De prædestinatione ex Apologia.

Etiamsi aduersarij obijciunt: Deum iustum esse Iudicem, ac propterea peccata punire, bona verò opera præmijs remunerare: non tamen inde sequitur, aliquid bonorum operum, ita ex nobis ipsis esse, quocunque modo accipere velis: quo minùs omne illud, sicut etiam nos ipsi, quos ex nihilo creauit, sit opus Dei. etenim ille vtrumque operatur: ipsum velle, & perficere. Philip. 2.
b immò omnia in omnibus. 1. Cor. 12.
c d Adest quidem libera voluntas: quilibet enim sponte & volens facit bonum vel malum: atque ad hunc modum Deus hominem creauit: non vt veluti truncus trahatur, aut bestiarum more, vi impellatur: sed vt creatura rationalis ducatur ad id, quod sibi videtur honestū, vtile & iucundum esse, amplectendum, aut quod contrarium est, reijciendum. Hoc ipsum quilibet in se ipso experitur, nimirum quòd in omnibus rebus pro sua propria intelligentia & voluntate
e agat. Idem etiam Sacræ literæ vbique abundè ostendunt: vnde etiam S. Patres hominem li-
f berum arbitrium habere dixerunt. Sed ex his omnibus non sequitur, Deum in hominibus non omnia agere ac perficere, id est, operari ipsum velle & perficere: aut hominem aliquid, quantulumcunque illud sit, ex se ipso posse. sicut non sequitur, si vellemus dicere, Fructus nascuntur ex arboris naturali succo: ergo fructus non sunt Dei opus & creatura. Quemadmodum enim Deus vtitur naturali operatione arboris ad productionem fructuum: ita in humanis operibus & actionibus vtitur Deus hominis ratione, intelligentia, & voluntate: &
g tamen propriè loquendo sunt ista omnia Dei actiones, & opera, ipse homo, eius ratio, iudicium, electio, voluntas, actio, opus, reliquáque omnia. Et quemadmodum Deus vult nos agere: ita permittit, impellit nos, & dat nobis ea intelligenda, iudicanda, eligenda, velle, suscipere, perficere, in omnibus rebus tam internis, quàm externis, siue pertinentibus ad æterna,
h siue ad temporalia. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Act. 17. Ipse omnia ex nihilo fecit: ideóque conseruat, mouet, & facit omnia quæcunque sunt, in quocunque tandem, aut per quemcunque hæc fiant. Sic etiam S. Patres de hac re scripserunt: inter quos S. Bernhardus in
„ libro suo de libero arbitrio sic scribit: [col. 1596.] Quid igitur? hoc ergo totum liberi arbitrij
„ opus, hoc solum eius est meritum: quòd consentit? est prorsus. non quidem, quòd vel ipse con-
„ sensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit: cùm nec cogitare, quod minus est, quàm
„ consentire, aliquid à nobis, quasi ex nobis, sufficientes simus. Quòd si consideretur fons & ori-
i go huius doctrinæ, qua dicitur, nos ex nobis ipsis posse in bonum consentire: quò etiã hæc doctrina tendat; & quid nobis secum adferat: facilè apparebit impietas huius erroris. Constat, eos,
k qui homini volunt attribuere aliquam inclinationem, ex se ipso ad bonum, sicut Pelagiani
l fecerunt: aut aliquam cooperationem & consensum ad bonum, sicut Sophistæ & aduersarij nostri facere conantur: eos, inquam, hac sua doctrina illud conari facere, vt Deus ab hominibus iustus Iudex cognoscatur, neq; possit vllo modo iniustitiæ à nobis accusari. Sed idem illis accidit, ac si quis fumum volens euitare: in ignem se præcipitaret. Dum enim suo isto commento

mento volunt præcauere, ne Deus iniustus ab hominibus iudicetur, quod ipsum tamen non m
assequuntur, sicut ostendemus: talem inuehunt doctrinam, ex qua sequeretur, Deum non
esse Deum. Si enim Deus debet esse, & haberi Deus: oportet eum omnium rerum vnum & solũ n
esse fontem, atque opificem: ita vt nihil prorsus reperiatur, quod non totum ipsius sit opus. Ita-
que si homini attribuatur aliqua inclinatio, aliquod propositum, aut consensus aliquis ad
bonum proprius, qui Dei donum & opus non sit: tum per hoc ipsum statuitur, & affir-
matur aliquid, quod Deus non creauit: iam abnegatur Deus omnium rerum creator: item,
quòd in ipso viuamus, moueamur, & simus: quòd operetur ipsum velle & perficere. Falsæ
etiam erunt omnes Scripturæ, quotquot testantur, Deum omnia in omnibus operari. Neq; ta-
men inde sequeretur, quòd hominibus non posset propterea iniustus videri, qui hominem si-
ne causſa condemnet. Quid enim Petrus donis suis naturalibus rectè vsus est, & meliorem o
partem elegit, Iudas verò minimè: huius rei certè oportet aliquam quoque esse causſam, quæ sa-
nè sit ab ipso Deo: siue sit propria aliqua motiua gratia, vt quidam Theologi vocant: siue quòd
Petrus meliori donatus fuerit natura. Ita quocunque modo loquamur, aut examinemus: re-
periemus tandem in Petro aliquam fuisse prærogatiuam, quam à Deo habuit: cuius vltima
causſa nulla alia dari potest, quàm Dei voluntas & decretum. Paulus Rom. 9. de Esau & Ia- p
cob ita loquitur: Nondum enim natis pueris, cùm neque boni quidpiam fecissent, neq; mali: vt
secundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante dictum est il-
li: Maior seruiet minori: sicut scriptum est: Iacob dilexi: Esau autem odio habui. Et quoniam q
ista, nimirum, Deum hunc reijcere, alium recipere antequam natus sit, & boni, aut mali ali-
quid fecerit: rationi humanæ iniqua & absurda esse videntur: ideo ipse Apostolus superiori-
bus verbis recitatis, sibi obijcit: Quid igitur dicemus? num iniustitia est apud Deum? Absit.
nam Moysi dicit: Miserebor, cuiuscunque misereor: & commiserabor quemcunque commi-
seror. Itaque non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. & ostenso Pharaonis exẽplo,
subiicit: Itaque cui vult misereturr: & quem vult, indurat. Post hæc iterum inducit aduersa-
rium sibi obijcientem: Dices ergo mihi, quid adhuc conqueritur? nam voluntati eius quis r
resistit? quasi dicat, si velit me induratum habere: ego nihil contrà possum: non possum eius
voluntati resistere: & hac ratione culpa non mea, sed ipsius Dei fuerit. Ad hæc Paulus diuino- s
rum mysteriorum peritissimus, nullam aliam adfert solutionem, quàm non decere homi-
nem ex aduerso respondere Deo: sicut non decet figmentum, ei qui finxit, dicere: Cur me
finxisti ad hunc modum? cùm figulus potestatem habeat, ex sua massa fingere quod vult. Ni-
hil hîc Paulus ait de malis, quæ præuiderit Deus in reprobis: qua de re Scholastici doctores t
subtiliter disputant. Vidit enim Apostolus: etiam sic humanam rationem statim obijcere po-
tuisse, Deum in Esau ideo futura mala præuidisse: quòd ei bona dare non constituerit: quæ si ei
largiri voluisset: etiam potuisset in eodem futura bona præuidisse. Itaque quocunque modo ista
examines: necesse est, si modò sacram Scripturam veram esse velimus, confiteri, neminem ex
se ipso aliquid boni vel suscipere, vel si oblatum fuerit, arripere posse. Itaq; D. Augustinus in 13. v
sermone in hæc verba Apostoli, sic inquit: Omnino si Spiritus sanctus non adsit: nihil boni po- ‹‹
tes efficere. econtrà cui adest Spiritus sanctus: is non potest bonum repudiare, aut ad Christum ‹‹
non venire. quod idem S. scriptor in 6. cap. Iohannis pulchrè docet. ‹‹

Quanquam autem nemo aliquid boni cogitare, taceo velle, amplecti, aut agere possit, nisi x
per Spiritum sanctum: Deúsque largiatur vtrumque, ipsum velle & perficere: nihilominus ta-
men homo habet liberam & incoactam voluntatem. in omnibus enim rebus, vel bonis, vel
malis: ipse iuxta proprium suum iudicium & placitum eligit, vult, & suscipit. Vnde y
etiam meritò cùm bonum arripit, & facit: à Deo pro sua bonitate mercedem accipit: & cùm
malum sequitur: punitur. Itaq; Augustinus aduersus Pelagium, & Cœlestinum rectè scribit: z
Quis non videat, eum qui ad Christum venit, aut non venit: hoc ipsum libera voluntate ‹‹
facere: cui enim Pater reuera reuelat, quid in Filio suo nobis donet; eúmque dat verè cognoscen- ‹‹
dum: is non potest non ad eum venire, seq; illi tradere: idq; promta voluntate, & proprio li- ‹‹
beróque arbitrio. Cui verò Pater Filium non reuelat: is etiam non potest ad eum venire: sed ‹‹

» tradit seipsum rebus his temporariis, quas caro eius, tanquam bonas iudicat: neglecta inte-
» rim diuina gratia. atque id ipsum quoque facit ex libero iudicio, & propria, spontaneáque vo-
» luntate.

A Verùm in hoc negotio hominibus impedimento est: quòd existimant, non esse liberum arbi-
trium in illis rebus, quæ aliter se habere non possunt: neque cogitant libero arbitrio opponi coa-
ctionem, & agi inuitum: non autem necessitatem, aut aliter volendi impossibilitatem. alioqui
enim in vita aterna nullum haberemus liberum arbitrium: immò vbi liberum arbitrium ad
suam perfectionem peruenerit, & verum bonum adeptum fuerit: nunquam patietur se ab illo
abstrahi. nam quòd iam hoc illud volumus: infirmitatis nostræ est. Necessitas verò & vni rei
solùm adhærere: Dei proprietas est, & illarum creaturarum, quæ Deo sunt proximæ. Itaque
» tum primùm beati erimus, cùm illam adepti fuerimus. Hoc D. Bernhardus bene intellexit.
» vnde in libro de libero arbitrio sic scripsit, col. 1591. Nemo proinde putet: ideo dictum liberum
» arbitrium: quòd æqua inter bonum & malum potestate, aut facultate versetur: cùm cadere
» per se quidem potuerit: non autem resurgere, nisi per Domini Spiritum. alioqui nec Deus, nec
» Angeli sancti, cùm ita sint boni, vt non possint esse & mali: nec præuaricatores item Angeli,
» cùm ita sint mali, vt iam non valeant esse boni: liberi arbitrij esse dicuntur. sed & nos illud
» post resurrectionem amissuri sumus: quando vtique inseparabiliter alij bonis; alij malis ad-
» mixti fuerimus. Ceterùm nec Deus caret libero arbitrio; nec Diabolus. quoniam quòd ille esse
» non potest malus: non infirma facit necessitas: sed firma in bono voluntas: & voluntaria fir-
» mitas. quódque is non valet in bonum respirare: non aliena facit violenta oppressio: sed sua
» ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio. Nunc itaque ex eo potiùs liberum
» arbitrium dicitur: quòd siue in bono, siue in malo æquè liberam facit voluntatem: cùm nec bo-
» nus quispiam, nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens. Hæc ille.

B Hæc sunt verba Bernhardi in lib. de lib. arb. & hæc est illius sententia: Liberum arbitrium
afferre quidem, vt homo in omnibus rebus, tam bonis, quàm malis, quidquid vult, aut susci-
pit: liber sit & spontaneus: non extrinsecùs contra suam voluntatem impulsus & coactus: sed
vt iuxta proprium suum iudicium & beneplacitum agat: non autem afferre secum, vt homo
propterea omnia ex propriis suis viribus eligere possit. nemo enim quidquam eligere potest:
quod non bonum esse iudicet. nemo autem quod verè bonum est: absque Spiritu sancto potest
intelligere: eóque nec nisi per illius gratiam, bonum illud eligere possumus. Itaque Dauid sem-
per orat in suis Psalmis: vt Deus se illuminet, ducat, doceat &c. Et Paulus precatur suis: vt
impleantur vera cognitione & intelligentia: vt probare possint & intelligere, quæ bona sint &
salutaria.

C Quòd verò Deus hunc illuminat & trahit; illum verò minimè; & cur hoc faciat: ne in-
quiras: inquit Augustinus: si non vis errare. Et in libro de prædestinatione Sanctorum: cùm
D interrogaretur, Si ad Christum venire non possumus; nisi ipse nos doceat: cur ergo non omnes
» doceat, vt omnes veniant: hanc adfert responsionem: Omnes quos docet: eos sua misericordia
» docet. quos verò non docet: eos non docet secundum suum iudicium. Qui igitur fidem habet
E diuinis literis: is simpliciter fatebitur: Deum omnia in omnibus operari ex suo certissimo
F.G & infallibili iudicio, iustissimáque voluntate: omniáque simpliciter & necessariò ita fieri,
sicut fiunt. Ipse est, qui docet, trahit, probos efficit: item qui errare facit, indurat, tradit in
sensum reprobum, vt omnia malè faciant, eos, quos ipse vult: sicuti eos, antequam essent, vel
H.I ad vasa gratiæ, vel ad vasa iræ præparauit. Nihilominùs hic etiam illud verum est: homi-
nem liberè ex propria sua voluntate vel bona, vel mala facere: sicut sacræ literæ passim te-
K stantur: ac propterea nos, tanquam liberè volentes & eligentes, docent, exhortantur, vo-
cant & terrent.

L Hinc etiam est, quod sacræ literæ dona Dei, quæ nobis propter bona nostra opera Deus ex
mera sua misericordia largitur (semper enim quidquid fecerimus: inutiles serui sumus)
mercedem nominat. Et quanquam nemo simpliciter quidquam boni facere, ne quidem cogi-
tare possit, nisi id à Deo ei ex mera misericordia datum fuerit: nemo tamen se de peccato potest
excusare,

excusare, aut Deo culpam aliquam imputare: sed potiùs quemlibet propria sua conscientia inc-
usat & condemnabit. Rom.2. quidquid tandem hîc homines contentiosi blaterent.

Ceterùm humanæ rationi videtur valde absurdum esse: eum hominem condemnatum N
iri, qui ad Christum non venerit: neque tamen possit venire, nisi à Patre fuerit tractus: quem
etiam Pater trahere nolit. Contra eiusmodi cogitationes cùm primùm inciderint: debet quili-
bet Christianus eodem modo, sicut Paulus, sibi ipsi respondere: Atqui, ô homo, quis tu es: qui
ex aduerso respondes Deo? Num dicet figmentum ei qui finxit &c. Aliam profectò, & melio-
rem solutionem nemo tibi afferre poterit, quàm Paulus hîc protulit. Itaque fateamur: Deum O
esse Deum: eúmque omnia in omnibus operari: fateamur etiam: Deum homini rationem & li- P
beram propriámque voluntatem dedisse, atque ad eum modum ducere, sicut passim Scriptura
testatur. Præterea Deum non immeritò & iniustè te punire propter mala, quæ tu libera vo- Q
luntate committis: etiamsi aliter non possis, nisi alio modo in te operetur: cuius rei tibi tua con-
scientia satis idoneum erit testimonium.

Conclusiones ex superioribus Apologiæ locis collectæ.

In ista vestra Apologia, has præcipuas habetis conclusiones, quæ multas ex superioribus
meis confirmant.

I.

Hominem verè Christianum non solùm debere esse; sed etiam reipsa esse de gratia Dei, hoc
est, de æterna & immutabili Dei erga se beneuolentia, ideóque de sui ad salutem electione,
certum: atque ita certum, vt propter nullam rem de ea amplius dubitet: & si aliqua surrepat
dubitatio, eam debere à se procul depellere.

Hinc facilè apparet, illos contra vestram Apologiam docere: qui docent, Sanctos debere
ita credere, se propter suos lapsus ex infirmitate etiam admissos, omnino excidisse à gratia, &
desertos prorsus esse à Spiritu sancto, vt nullum amplius semen fidei, & verbi Dei in se reli-
ctum maneat.

II.

Quidquid sumus, & quidquid boni in nobis est, tam cogitare & velle, quàm perficere: to- b
tum esse à Deo, & opus Dei: qui in nobis ea operatur pro sua voluntate: Philip.2. Inde liquidò
apparet, totam nostram salutem esse gratuitam: ac proinde ad hanc etiam ex mera gratia, &
non ex præuisione operum, aut fidei nostræ, cùm etiam hæc sit opus Dei, nos fuisse electos. Erra-
re igitur illos, qui docent: Dei quidem solius esse, gratiam omnibus ex æquo offerre: nostrum
autem, illam amplecti. item, fidem caussam esse nostræ electionis.

III.

Deum operari omnia in omnibus: non tantùm in piis, sed etiam in impiis. In Apologia c.e
enim postquam dixistis, quidquid bonorum operum in nobis, hoc est, in piis est, velle & perfi- f.g
cere, esse à Deo: statim correctione subiecta dicitis: immò Deum operari omnia in omnibus, 1. h
Cor.12. Et infrà: quemadmodum Deus vult nos agere: ita permittit, impellit nos, & dat no- E
bis ea intelligenda, iudicanda, eligenda, velle, suscipere, perficere in omnibus rebus, tam ex-
ternis, quàm internis, siue pertinentibus ad æterna, siue ad temporaria. In ipso enim viuimus,
mouemur, & sumus: Act.17. Ipse omnia ex nihilo facit: ideóque conseruat, mouet & facit om-
nia quæcunque sunt, in quocunque tandem, aut per quemcunque hæc fiant.

Hinc igitur colligere promtum est: illos aduersus vestram apologiam docere: qui negant, ita
Deum omnia in omnibus operari: vt hominum etiam voluntates vertat quocunque vult.

IV.

Etsi Deus operatur omnia in omnibus, etiam ipsum velle: ipsam tamen hominis volunta- d.x
tem liberam manere: quòd quilibet sponte & volens agat, quidquid agit, siue bonum, siue
malum. Et propter hanc caussam iurè homini soli imputari peccata, eúmque, vt ne peccet, ad y.z
moneri: & propter peccata iustè puniri.

D.I K.L M *Hinc colligitur: illos igitur aduersus vestram apologiam docere, qui docent: si verum est, Deum flectere omnium hominum voluntates, quocunque vult, & operari omnia in omnibus: nullam igitur superesse libertatem voluntatis: & Deum statui authorem peccati: & iniustè homines damnari.*

V.

f. i k.l *Impiam esse doctrinam, hominem aliquid, quantulumcunque illud sit, ex se ipso posse: & in bonum consentire, aut aliquam ad bonum habere inclinationem.*

V I.

g *Deum, quemadmodum vult nos agere: ita etiam permittere & impellere nos, vt agamus: iuxta illud Act. 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus.*

Hinc colligere promtum est: eos contra vestram apologiam docere: qui dicunt blasphemiam esse in Deum, dicere, Deum quempiam impellere ad aliquod opus.

V I I.

k.l m.n *Eos, qui docent, aliquem homini esse consensum ex se, & negant, Deum operari omnia in omnibus: illud quidem hac doctrina conari, vt defendant Deum esse iustum: sed neq; hac ratione illud obtinere, & in aliud magis absurdum impingere: nempe vt negent, Deum esse Deum: quòd Deus non sit Deus, si non sit omnium rerum vnicus & solus fons, & opifex.*

V I I I.

o p *Quòd aliquis seruetur, aut damnetur, tandem necesse esse fateri, primariam caussam fuisse & esse Dei voluntatem, atque decretum: iuxta illud etiam Apostoli, Rom. 9. de Iacob & Esau: cùm nondum nati essent, aut aliquid egissent vel boni vel mali: vt secundum electionem, Dei propositum maneret, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

I X.

o *Quidquid enim in homine reperiri potest, propter quod saluetur: id totum fluxisse à voluntate & decreto Dei.*

X.

p.q *Deum aliquos recipere, scilicet in communionem salutis, & in gratiam suam, alios autem reijcere, etiam antequam nati sint, aut aliquid boni vel mali fecerint: idq; secundum propositum voluntatis suæ: iuxta illud etiam Rom. 9. Antequam nati essent, aut aliquid boni vel mali fecissent, Iacob dilexi, Esau autem odi. Hoc autem est prædestinatio, & reprobatio.*

X I.

p *Deum, iuxta illud Rom. 9. Iacob dilexi, Esau odio habui, quosdam amasse, antequam quidquam boni fecissent: & alios odisse, antequam quidquam fecissent mali.*

X I I.

q *Iniquum quidem & absurdum videri rationi humanæ, Deum aliquos recipere; alios reijcere, antequam nati essent: non esse tamen iniquum, cùm ita velit Deus: iuxta responsionem Apostoli: Nunquid est iniquitas apud Deum? absit. nam Mosi dicit: Miserebor, cuius misereor.*

X I I I.

r.s *Etsi Deus velit aliquem indurare, & induratum ea admittere, quæ ita admittit, vt non admittere non possit: non propterea tamen quempiam posse aut de Deo conqueri, aut culpam sui peccati in Deum transferre: sed contrà, Deum optimè conqueri de induratis, quòd peccent.*

X I V.

Ad quæstionem, Si Deus velit me induratum habere, & ego nihil contra possim, nec possim eius voluntati resistere; & proinde non possim non peccare induratus: quid igitur conqueritur Deus? nullam aliam dandam esse responsionem, quàm illam Apostoli: O homo, tu quis es, qui respondes Deo? annon habet potestatem figulus luti: vt ex eadem massa fingat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?

X V.

t *Deum enim non reprobasse, quos reprobauit, propter futura mala illorum opera: & si quis*

quis id affirmet, ne Deus posſit accusari iniustitiæ: humanæ tamen rationi non satisfieri: quin statim habeat cuius Deum accuset. dicturam enim illam esse: Deum iccircò in Esau futura mala præuidisse, quòd ei bona dare non constituerit: quæ si ei largiri voluisset, etiam potuisset in eodem futura bona præuidisse.

XVI.

Omnino, si Spiritus sanctus non adsit, nihil boni posse hominem efficere: contrà, si adsit, hominem non posse bonum repudiare, aut ad Christum non venire: iuxta dictum Augustini serm. 13. de verbis Apostoli: & in 6. cap. Iohan.

XVII.

Errare illos, qui existimant liberum arbitrium non esse in illis rebus, quæ aliter se habere A
non possunt. non enim libero arbitrio opponi necessitatem, aut aliter volendi impossibilitatem: sed coactionem, & agi inuitum. Necessitatem, & uni rei soli inhærere, Dei proprietatem esse, & illarum creaturarum, quæ Deo sunt proximæ: quibus tamen nihil magis liberum est.

XVIII.

Deum quosdam illuminare & trahere: alios non illuminare, nec trahere: sed cur hoc fa- C
ciat, non esse quærendum, si nolimus errare: quoniam constat, Deum, quos docet, docere pro D
sua misericordia: quos verò non docet, eos non docere, secundum suum iudicium.

XIX.

Omnia simpliciter & necessariò ita fieri, sicut fiunt. F

XX.

Deum illum esse, qui non solùm docet, trahit, & probos efficit, scilicet electos: sed etiam qui G
errare facit, scilicet reprobos, indurat, tradit in sensum reprobum, vt omnia male faciant.

XXI.

Interim tamen hominem, siue pium, siue impium, liberè, & propria sua voluntate vel bo- I. K
na, vel mala facere: ac proinde, quia liberè volumus & eligimus, nos à Scripturis doceri, mo- L
neri, vocari, terreri, & cùm bona opera remunerari, tum etiam mala puniri. M

XXII.

Deum quosdam, antequam essent: præparasse ad hoc, vt essent vasa iræ: alios verò, vt essent H
vasa misericordiæ.

XXIII.

Quanquam nemo simpliciter aliquid boni facere, immò ne cogitare quidem posſit, nisi id M
à Deo ei ex mera misericordia datum fuerit: neminem tamen se de peccato posse excusare, aut Deo culpam aliquam imputare: sed potiùs quemlibet à sua propria conscientia accusari, & condemnari, Rom. 2. quidquid tandem hîc homines contentiosi blaterent.

XXIV.

Hominem illum, qui non veniat ad Christum, etiamsi non posſit venire, quia à Patre non N
trahatur: condemnari tamen.

XXV.

Etsi verò hoc humanæ prudentiæ videatur absurdum, vt scilicet is damnetur, qui ad N
Christum non veniat, quia non potuit venire: verum tamen id esse. humanæ autem pruden- O
tiæ ita respondendum esse, sicut Apostolus fecit: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: cur me finxisti sic? hac enim dari non posse meliorem responsionem.

Conclusiones ex articulis disputatis in Synodo Argentinensi: Anno 1533.

Quartus articulus.

Quò verò ab hac morte & condemnatione liberaremur: voluit Deus verbum suum CC

» æternum, per quod omnia creauit, carnem assumere, nobísque miseris mortalibus, per omnia,
» solo peccato excepto, similem fieri. Hic est verus Deus, & verus homo, Dominus noster Iesus
» Christus, vtriusque naturæ, diuinæ & humanæ particeps: qui sua passione & morte pro nobis
» satisfecit, nos Patri reconciliauit, omnes quotquot illi credunt, & ad eum ista fide veniunt.

Non veniunt autem ad Christum vera fide: nisi electi. Act. 13. Si igitur Christus sua pas-
a *sione & morte illos tantùm reconciliauit Patri, qui ad se fide viua veniunt: manifestum est ex*
ista conclusione, pro solis electis Christum efficaciter mortuum esse.

Postremus articulus.

» *Quanquam autem Deus, qui nos omnes ex nihilo creauit, ideo vti vult ministerio verbi,*
» *& Magistratus, vt suos à seipsis, & ab omni malo ad se per Dominum nostrum trahat: nihi-*
a» *lominus tamē sunt aliqui vasa iræ: in quibus vtrumque ministerium nihil aliud efficit, quàm*
b» *vt omnis ipsis adimatur excusatio: atque vt inde deteriores reddantur, magísque indurentur.*
cd» *tales ad mortem peccant. pro his non est orandum. hi etiam tandem æternùm condemnabun-*
ef» *tur. Quapropter contradicunt Deo, & toti Scripturæ: qui aiunt, nullam esse condemnatio-*
» *nem, neque vllum esse discrimen electorum ad vitam æternam, & reproborum, qui tandem*
» *æterna morte sunt condemnandi.*

Sunt hîc hæ conclusiones.

I.

a *Homines aliquot esse vasa iræ. Non sunt ergo omnes electi ad salutis & misericordiæ communionem.*

II.

b *In vasis iræ, hoc est, in reprobis, ministerium verbi & ciuiles magistratus nihil aliud efficere, quàm primò, vt omnis ipsis tollatur excusatio: secundò, vt inde deteriores fiant, & magis indurentur.*

III.

c *Reprobos peccare ad mortem.*

IV.

d *Pro reprobis non esse orandum. Ergo neque Christus pro illis rogauit Iohan. 17.*

V.

e *Reprobos tandem æternùm condemnatum iri. Non possunt ergo seruari.*

VI.

f *Illos contradicere Deo, & toti Scripturæ: qui aiunt, nullum esse discrimen electorum ad vitam æternam, & reproborum ad æternam mortem. Est igitur contra verbum Dei & doctrinam huius ciuitatis, dicere, non esse aliquos homines reprobatos, & destinatos ad mortem æternam, & alios electos & prædestinatos ad æternam vitam.*

Conclusiones ex summa doctrinæ ministrorum Ecclesiæ Argentinensis, anni M.D. XXXIX. cui subscripserunt omnes ministri: atque in primis Bucerus, Capito, Hedio. Huius summæ αὐτόγραφον est hîc Argentinæ, manu D. Buceri scriptum, & subscriptum manu D. Capitonis & Hedionis.

ART. IV.

a» *Confitemur, hūc Deum esse creatorem & gubernatorem omnium rerum: à quo videlicet, &*
b» *per quem, & in quo sunt omnia. qui etiam omnia facit ac largituri, iuxta propositum volunta-*
c» *tis suæ: qui miseretur cuius vult; & indurat, quem vult. Nihilominus tamen fatemur: omnia*
d» *quæcunque ipse facit, bona & recta esse: in nobis verò omnia & peccata, & abominationem co-*
» *ram ipso esse, quæcunque contra eius voluntatem facimus, loquimur, cogitamus, & cupimus.*

Sunt

Sunt hîc hæ concluſiones.

1. *Deum omnia facere ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* a
2. *Deum miſereri quorum vult: & indurare quos vult.* b
3. *Quæcunque facit Deus: omnia iuſta & recta eſſe. Ergo etiamſi reprobet, qui nondum* c
nati ſunt: etiamſi induret, & induratos propter peccata, quæ indurati non poſſunt non admittere, damnet: omnia bene, iuſtè, & rectè facit: & nulla eſt iniquitas apud Deum.
4. *Omnia, quæ nos contra Dei voluntatem facimus: peccata eſſe. Ergo etiamſi Deus ope-* d
ratur omnia in omnibus: actiones tamen illæ, quatenus à Deo ſunt, bonæ ſunt: quatenus à nobis, peccata ſunt.

ART. V.

Natura noſtra, proh dolor, ita eſt deprauata, & corrupta: vt ſi derelicti à Deo, naturæ ſolùm “
impetu feramur, nihil, niſi quod malum eſt, expetere poſſimus. Ac propterea fit: vt ex nobis “
ipſis nihil, niſi quod malum eſt, cogitemus, loquamur, & faciamus. animalis enim homo non “
percipit ea quæ Dei ſunt: atque id tamdiu, donec regenerati, Spirituq; ſancto donati, ac diuinæ “
naturæ quodammodo participes facti fuerimus. “

ART. VI.

Hic ſolus & vnicus Mediator peccata noſtra ſuſtulit: nos Patri reconciliauit: Spiritum a
ſanctum & regenerationem omnibus illis impetrauit, quos Pater illi dat, quique verbum eius “
audiunt. “
Hanc regenerationem vnà cum omnibus Chriſti meritis, Spiritus ſanctus cordibus fide- b
lium inſpirat: & ad extremum vſque in illis conſeruat. “

Sunt hîc hæ concluſiones.

1. *Chriſtum peccata illorum ſuſtuliſſe, & eos Patri reconciliaſſe, & Spiritum ſanctum,* a
ac regenerationem illis impetraſſe: quos Pater illi dat, & qui eius verbum audiunt. Ergo illi, qui non ſunt dati Chriſto, hoc eſt, qui non ſunt electi: non ſunt etiam reconciliati Patri per Chriſtum: neque remiſſionem peccatorum vnquam aſſequuntur: neque accipiunt Spiritum ſanctum & regenerationem.
2. *Regenerationem vnà cum omnibus Chriſti meritis, per Spiritum ſanctum cordibus* b
fidelium inſpirari, & ad extremum vſque conſeruari in illis. Ergo electi ſemel regenerati, & Regeneratio in Electis perpetua.
vera fide donati, ad extremum vſque in illo perſeuerant: Spiritu ſancto illos in ea, vſque in finem conſeruante.

ART. VIII.

Sunt enim aliqui non ex Deo nati, ac Filio à Patre non donati: vaſa iræ, præparata ad in- “a
teritum: hædi, non oues: qui etiam tandem in æternum ignem conijcientur. “b

Hîc ſunt hæ concluſiones.

1. *Non omnes homines eſſe natos ex Deo, nec Chriſto à Patre donatos, nec oues: ſed quoſ-* a
dam eſſe hædos, & vaſa iræ præparata ad interitum.
2. *Reprobos, ſeu vaſa iræ, tandem in æternum ignem eſſe conijciendos.*

ART. IX.

Credimus ergo, & docemus: omnem boni intelligentiam deſiderium, cogitationem, verba “a
denique & opera: mali item cognitionem, eiúſque fugam & abominationem, nobis ſolùm “
ex diuina electione per hunc vnicum Mediatorem contingere: ſi quidem toto corde ei credide- “b
rimus.

Hîc hæ ſunt concluſiones.

1. *Omnes bonas cogitationes, ſancta deſideria, & bona opera, ideóque fidem ipſam: à ſo-* a
la electione nobis contingere. Ergo iis, qui non ſunt electi: hæc non contingunt: & fides, fideiq; fructus effecta ſunt electionis: non autem ſunt cauſſæ.
2. *Quæ ab electione contingunt, per Chriſtum Mediatorem contingere. Ergo prædeſti-* b
natio non prodeſt ſine Chriſto, nec Chriſtus ſine prædeſtinatione.

Art. XVII.

„ *Quoniam baptiſmus eſt lauacrum regenerationis, diuinæq; gratiæ primum ſacramentum:*
„ *cúmque hanc benedictionem etiam noſtris liberis à Chriſto precibus impetrare debeamus:*
a „ *(poſſumus enim eiuſmodi preces piè & rectè, ſecundum Chriſti verba facere: ſemper tamen*
b „ *Deo reſeruante ſuam electionem: quam etiam, ſicuti & veram in adultis fidem, in quibus neu-*
„ *trum horum perfectè ſcire poſſumus, eos baptizantes, pro iisq; orantes, Deo reſeruatam volu-*
„ *mus:) propter has cauſſas, infantes noſtros baptizamus: ſimúlque Eccleſiæ teſtatam facimus,*
ac prædicamus Dei erga nos gratiam & redemtionem per Chriſtum factam, eáque omnia per
veram fidem. Niſi enim crederemus, Deum velle id nobis dare, quod ex verbo eius petimus:
noſtra oratio nihil aliud eſſet, quàm contemtus & illuſio Dei.

Hîc de prædeſtinatione ſunt duæ concluſiones.

a *1. Illis, qui non ſunt electi, nihil prodeſſe baptiſmum; neque orationes ab Eccleſia pro ipſis factas: ideóque nec benedictionem, quam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ impetrauit, impetrari poſſe.*

b *2. Etſi ignoremus qui ſint electi, & qui non: poſſe nos tamen piè & rectè, immò & debere ſecundum Chriſti inſtitutionem pro omnibus orare, & infantes omnes baptizandos curare.*

Art. XVIII.

„ *Porrò conditio illa perpetuò diligenter eſt adhibenda & includenda: Secundum tuam ele-*
„ *ctionem & propoſitum diuinæ voluntatis tuæ. quæ conditio etiam adhibenda eſt, & retinen-*
„ *da: quoties pro adultis qui baptizandi ſunt, oramus: nihil curantes, quidquid tandem ipſi con-*
„ *feſsi fuerint. neque enim cor ipſorum, aut voluntatem Dei erga ipſos ſcire poſſumus. vult Deus,*
„ *ac permittit nobis agere ſecundum quod nos intelligimus: ac inter eos, qui ad cæleſte regnum,*
„ *hoc eſt, ad Eccleſiam pertinent: etiam liberos noſtros nobis commendauit.*

Hîc etiam illæ eædem duæ confirmantur.

Concluſio illius ſummæ doctrinæ Eccleſiæ Argentinenſis.

„ *Quidquid his iam dictis repugnat: agnoſcimus erroneum, atque falſum eſſe: ideóque meritò*
„ *repudiandum.*

1. *Repugnat autem quartæ propoſitioni: Negare, Deum omnia facere ſecundum propoſitum*
ſuæ voluntatis: ac proinde, qui ſunt reprobati, non eſſe reprobatos voluntate Dei: & contrà, ad
2. *regulas humanæ iuſtitiæ Deum redigere: vt æqualibus æqualia det. Item repugnat eſſe iniquum*
& tyrannicum, vt Deus pro ſuo arbitrio miſereatur, quorum velit, ac quos velit, damnet: cùm
omnes ſint ex æquo illius creaturæ.

Repugnat quintæ: dicere, in poteſtate hominis eſſe, vt ſalutem oblatam in Euangelio recipiat, & reijciat.

1. *Repugnat ſeptimæ: dicere, etiam qui non ſunt dati Chriſto, id eſt, reprobos, qualis fuit Iudas,*
reconciliatos eſſe Deo, remiſsionem peccatorum aſſequi, & iuſtificari, ac Spiritum regeneratio-
2. *nis accipere. Dicere item: electos ſemel iuſtificatos ac regeneratos, prorſus amittere Spiritum*
ſanctum: ipsámque regenerationem non in omnibus electis ad extremum vſque conſeruari.

1. *Repugnat octauæ: dicere, Omnes ſine vlla exceptione, eſſe datos Chriſto à Patre: aut, omnes*
2. *eſſe electos: & negare, quoſdam eſſe vaſa iræ præparata ad interitum. Dicere item, reprobos*
poſſe fieri electos, & poſſe ſaluari.

1.2. *Repugnat nonæ: dicere, Cauſſam electionis eſſe fidem noſtram. Dicere item: Illis, qui non ſunt*
electi, contingere iſta ſalutaria bona, fidem, & veros fidei fructus: quæ à ſola electione
per Chriſtum electis contingunt.

1. *Repugnant decimæ ſeptimæ: dicere, Reprobis etiã, ſeu non electis, prodeſſe baptiſmum, aut*
benedictionem Chriſti, hoc eſt, iuſtificationem & ſanctificationem impetrari & contingere
2. *poſſe: vt, quòd Iudas fuerit iuſtificatus & regeneratus, ſicut etiam Petrus. Item facere iſtiam*
equelam: Si omnia pendent ab electione, & electi non poſſunt perire: ergo fruſtraneum eſſe
miniſterium Eccleſiaſticum, Sacramenta, baptiſmum, & qui talem ſtatuunt prædeſtinatio-
nem: ab iis tolli pœnitentiam, Sacramenta, reprehenſiones, bona opera, & huiuſmodi alia.

Omnia

Omnia ergo hæc dogmata, quia pugnant cum iis propositionibus Ecclesiæ Argentinensis, immò cum verbo Dei: & erronea, & falsa sunt agnoscenda: & ideo repudianda, atque è Scholis & Ecclesiis eliminanda.

Præcipuæ conclusiones orthodoxæ, disputationis de prædestinatione, & libero arbitrio: inter Martinum Bucerum, & Melchiorem Hofmannum, habitæ Argentinæ, Anno M.D.XXXIII.

1. *Deum, postquam ab æterno præsciuisset, humanum genus per lapsum primorum parentum æternæ morti obnoxium futurum: ex mera sua misericordia, antequam iacerentur fundamenta mundi: sibi aliquos de hominibus ad vitam æternam elegisse, præsciuisse, ac prædestinasse. Rom. 8. 9. 11. Ephes. 1.*

2. *Hos electos, postea à Deo iuxta suum beneplacitum, per verbum suum, & Spiritũ vocari. Rom. 8. idq; fieri: cùm se ipsum illis præbet in summis tenebris versantibus, rectè cognoscendũ: atq; hæc omnia fieri propter vnicũ mediatorẽ Iesum Christũ. 1. Tim. 2. Ioh. 14. Matt. 11.*

3. *Ex hac Dei cognitione, si vera & efficax sit: confestim oriri amorem erga Deum: qui efficit in nobis, vt idem velimus, & sentiamus: & præparat nos, vt ad omnia bona parati ac promti simus.*

4. *Veram enim Dei cognitionem tollere à nobis φιλαυτίαν, & admirationem nostri, & eorum bonorum, quibus nos præ aliis donatos esse sentimus: non secùs atque cùm lumen lucernæ, splendore Solis obscuratur.*

5. *Hinc tandem consequi: vt homo toto corde, animo, omnibúsque sui corporis partibus, à solo Deo, eiúsque Filio Iesu Christo pendeat, & quasi diuinæ naturæ consors efficiatur.*

6. *Deum cum reliquis hominibus, scilicet non electis, sic agere solere: vt semper seipsum eatenus illis cognoscendum præbeat, quò tandem se ipsos cogantur de contemtu Dei accusare, ac reos facere: & sic reddantur inexcusabiles. Rom. 2.*

7. *Hos homines, scilicet non electos, nunquam habere veram penetrantem, & efficacem Dei cognitionem. 1. Cor. 2. Ies. 64. Matth. 11. Ioh. 10. 3. 4.*

8. *Deum non eodem modo cum omnibus agere: suúmque Spiritum, per quem seipsum, & bona sua rectè intelligenda largitur, non omnibus ex æquo dare: sed iis solùm, quos ante fundamenta mundi elegit, Christóque Filio suo, Domino nostro tradidit.*

9. *Hunc enim Spiritum sanctum signaculum esse, arrhabonem, & certissimum testimonium in nobis: quòd simus filij Dei. Rom. 8. 2. Cor. 1. Gal. 3.*

10. *In hoc consistere, & tanquam fundamento niti fidem & doctrinam suam, scilicet Ecclesiæ Argentinensis, de Prædestinatione seu electione Dei: quòd doceant, ac credant: Deum, qui ex nihilo omnia fecit, aliquos homines in Christo, & per Christum Filium suum, donare suo Spiritu ad vitã æternam: & ita regenerare, vt ipsum rectè cognoscant, veréque credant, & confidant: ipsum per Christum Filium suum peccata sibi condonaturum, ac in æternum, Deum sibi propitium futurum: ex qua fiducia ipsi eum, tanquam Patrem suum, & Christum, tanquam redemtorem suum vnicè amant, atque inuocant.*

11. *Christũ pro electis apud Patrẽ intercedere, & esse propitiationem pro peccatis ipsorũ.*

12. *Reprobos esse illum mundum, qui Christum Deminum nec nouit, nec recipit, immò odio habet, & persequitur. Ioh. 1. 15.*

13. *Dominum Iesum non rogasse pro reprobis: qui mundi nomine intelliguntur, & vasa sunt iræ ad interitum præparata.*

14. *Neque electionem, neque meritum Christi omnibus hominibus esse communia: sicut somniat Hofmannus: ad miseras conscientias vexandas, & sanam doctrinã corrumpendam.*

15. *Bonam & liberam ad bonum voluntatem donari à Deo, iis quos è mundo elegit in Christo: ceteris verò non item.*

16. *Necesse est: vt ij, quos è mundo Deus non elegit in Christo: in suis peccatis moriantur, ac pereant.*

17. *Quòd reprobi, etsi necesse est, vt in suis peccatis moriantur: quia Deus non dat illis bonam voluntatem ad bonum: in illis tamen liberrima voluntate versentur.*

18. *Hac de caussa tandem verbum Det, quod contemnunt (Ioh.12.) & cognitio veritatis, quæ ipsis diuinitus inspirata est (Rom.1.) quanquam non ita solida & efficax, vt electis, Matth.11.1.Cor.12.simul attestante ipsorũ conscientia, eósq; accusante, (Rom.2.) cõdemnabit.*

19. *Deum nemini quidquam debere: & potestatem habere sua bona quibuscunque velit, distribuendi: neque fas esse, ei in his rebus contradicere. Rom.9.*

20. *Doctrinam, omnes homines esse ad vitam æternam electos, & per Christum redemtos: eò spectare, vt gratiam electorum & meritum Christi extenuet: contrà verò hominis vires ac potentiam extollat.*

21. *Citare locos Scripturarum, quibus salus per Christum omnibus hominibus communiter ex æquo offerri videtur, vti est ille, Deus vult omnes homines saluos fieri, ad probãdum, electionem & meritum Christi reuera omnibus esse communia: esse hominum impostorum.*

22. *Locum 1.Tim.2. Deus vult omnes homines saluos fieri: item 1.Iohan.2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec nostris solùm, sed etiam totius mundi: non posse intelligi, nisi συνεκδοχικῶς, pro multis, hoc est pro omnibus illis, qui saluantur: hos autem esse electos.*

23. *Non esse existimandum, vbi posita sunt vocabula ista, Omnis mundus, totus mundus: ibi confestim omnes homines, nemine excepto, esse intelligendos: cùm non vbique hæc nomina eandem habeant significationem.*

24. *Meritum Christi propterea toti mundo commune dici & prædicari: quòd post Christi ascensionem, non tantùm Iudæi, sed omnes etiam aliæ gentes debeant eius participes & compotes fieri: omnes inquam, qui ex iis in numero electorum fuerint.*

25. *Discrimen electorum & reproborum tam perspicuè & firmiter vbique in sacris literis tradi & exprimi: vt nisi Hofmannus singulari studio cuperet nouam hæresin introducere: nunquam tam turpiter contra lucem veritatis ausus fuisse aliquid tentare.*

26. *Locum 1.Ioh.2. Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi: intelligendum esse pro peccatis eorum, qui non perseuerant in peccato, hoc est, electorum.*

27. *Locum 1.Tim.2. Deum velle omnes homines saluos fieri: ad electos tantùm pertinere; sed ex omnibus populis & gentibus. hæc enim ideo dici: vt pro omnibus ad Deum preces fundamus, & omnibus in eo seruire parati simus, vt ad veritatis cognitionem perueniant.*

28. *Cùm aliqui sint filij Diaboli, hoc est, reprobi, certum esse, locos, qui salutem vniuersaliter promittunt: ad electos tantùm reipsa pertinere.*

29. *In electorum gratiam, Christum præcipuè in carnem venisse.*

30. *Quòd Paulus Rom.5. Adamum, per quem peccatum & mors, & Christum, per quem iustitia & vita in mundum peruasit, inter se conferat: non inde sequi, sicut simpliciores quidam concludere volunt, quòd quemadmodum omnes simpliciter homines in Adamo perierunt: ita per Christum omnes, nemine excepto salutem rursus sint consequuturi.*

31. *Spiritu Dei electos tantùm donari.*

32. *Electionem & meritum Christi, omnibus hominibus promiscuè, nemine excepto, communia esse, probari minimè posse: idq; neque ab initio, vt Hofmannus: neque ad extremum, vt alij affirmant.*

33. *Diuinæ veritati repugnare, si quis dicat, hominibus, simulac ipsis prædicatur Euangelium, statim quoque potestatem dari illud recipiendi, & iam eos habere libertatem eligendi id, quod bonum est & salutare.*

34. *Liberum arbitrium & facultates, seu vires eligendi & faciendi aliquid boni: tantùm esse ex spiritu diuinæ adoptionis: per quem solum, Euangelium intelligitur. hunc verò non omnibus dari.*

35. *Fidem ab omnibus requiri: sed non omnibus dari: nec tamen cuiquam hac in re à Deo fieri iniuriam.*

36. Cæcam

36. Cæcam rationem, cùm audit Deum misereri cuius vult, & indurare quem vult, statim obÿcere: Quid igitur conqueritur? Voluntati eius quis resistet? Sed ei nihil esse respondendum: nisi quod Apostolus respondet: Atqui, ô homo: tu quis es, qui respondeas Deo?

37. Etiamsi quis concedat, vires eligendi bonum omnibus ex æquo concedi: necesse tamen esse, vt vsus istarum virium ad bonum, sit à Deo, aut ab hominibus. non ab hominibus, quia haberent aliquid boni, quod non accepissent à Deo. Id verò dicere: est negare Deum. Ergo à Deo. Quòd si à Deo: non ergo ex æquo dari hominibus vires ad bonum: cùm vsus istarum virium sit in aliquibus; in aliis non sit.

38. Omnem cognitionem & verum vsum bonorum & donorum Dei, immò quidquid boni excogitare potest homo: totum illud nihil aliud esse, quàm dona & opera Dei: & qui plus habet boni, vel facit, id omne à Deo accepisse.

39. Quicunque malè faciunt: eos caussam huius suæ prauitatis & malitiæ, nemini nisi sibi ipsis adscribere debere.

40. Deum ipsissimam esse iustitiam.

41. Quòd Deus, qui est summum bonum, velit suam creaturam in æternum cruciari, & perire: non esse iniquum, neque diuinæ bonitati repugnare.

42. Animum hominis, qui trahitur à Deo, credere se à Deo electum, & ad æternam vitam prædestinatum esse: Deúmque velle in se habitare, & omnia bona operari.

43. Ex fide, qua credimus nos esse electos, & Deum velle in nobis habitare, & omnia bona operari: consequi, vt vltrò & libenter studeamus huic diuinæ gratiæ & vocationi, consentienter viuere, gratósque nos erga Deum toto corde, animo, omnibúsque viribus exhibere.

44. Hofmannum quidem vrsisse, & quantum potuit, vociferatum esse, hanc esse simplicem Dei voluntatem, vt omnes salui fiant; & nemo condemnetur: sed hoc non esse verum, nisi de electis, qui hanc Dei bonam voluntatem possunt intelligere.

45. Deum, quos excæcat, indurat, condemnat, & per verbum suum iubet excæcare, & indurare: eos citra controuersiam volentem, excæcare, indurare & condemnare. à nemine enim hæc facere, illum cogi.

46. Cùm in peccatis concepti simus omnes, & nascamur: propterea Deum nunquam, vt nos puniat, summo eóque optimo iure destitui.

47. Hoc verissimum manere: Deum sicuti nos omnes ex nihilo creauit: ita sine dubio, vt prudentem opificem priùs considerasse & præuidisse, ad quem finem voluerit singulis vti.

48. Hofmanni hanc fuisse doctrinam: Deum, prout præuidet, & præscit homines gratiã suam fuisse amplexuros, aut malum bono prælaturos; secundum illud eos vel ad vitam, vel ad mortem æternam præparare.

49. Hofmanni verò sententiam erroneam & impiam esse, & hinc fieri perspicuum: quòd si interrogetur ipse Hofmannus, vnde sit, quòd Deus præuidet, quosdam suam vocationem ad bonum non secuturos, sed malum potiùs electuros esse? nihil habeat quod respondeat, nisi quia Deus probè nouit, cùm ipse illis adesse nolit, sicut aliis, suo Spiritu: eos nihil vnquam boni aut cogitare, aut amplecti posse: & quòd si iis, qui gratiam respuunt, eundem Spiritum dare vellet, quem aliis dat, eosdem etiam idem Spiritus eò quò electos impelleret: & contrà, si electis non daret suum Spiritum, ipsos quoque non alia facturos, quàm reprobi faciant. Deum igitur ideo præuidisse, quosdam suam vocationem ad bonum secuturos, quia decreuit illis suum communicare Spiritum: quò non solùm possint, sed etiam velint vocationem ad bonum sequi. nihil enim in nobis esse boni, quod non acceperimus à Deo. 1. Corinth. 4. Ideo verò præuidisse alios suam vocationem ad bonum non secuturos, sed malum potiùs electuros esse: quòd constituerit istis suum non communicare Spiritum: sine quo Spiritu optimè prænouit, eos ex se nihil boni vel cogitare, vel amplecti posse.

50. Quare simpliciter dandam esse Deo gloriam, & cum Paulo fatendum, Deum creasse nos ex nihilo: & propterea potestatem summam habere, instar figuli, dandi nobis, & nos fingendi pro sua voluntate: Rom. 9.

51. Ac, si Deus misereatur nostri, & det se nobis cognoscendum, ita vt verbum suum non solùm audiamus; sed etiam sequamur: esse quod illi gratias agamus. Sin minùs, omnino culpam nobis ipsis imputandam esse: Deo verò omnem iustitiam & gloriam esse tribuendam.

52. Omnes pios hæc libenter fateri, & certò credere atque confidere, Dei voluntatem esse, se saluos facere: reliquos verò sicut omnibus rebus, ita etiam hac simplici veritate, & vera Dei gloria offendi, neque credere, Deum velle se saluos facere: ac propterea hoc ipsum tandem illos experiri.

Totam verò hanc doctrinam, quam in ea contra Hofmannum disputatione Bucerus defendit, non solùm totus Senatus probauit: sed etiam omnes tribus, omnésque ciues, tanquam piam & orthodoxam confirmarunt: contrariam verò huic, tanquam impiam damnarunt: in cuius rei perpetuum testimonium, ipse Hofmannus, tanquam pertinax hæreticus, in carcerem coniectus, in eodem mortuus est.

Ego quoque, quidquid in doctrina Hofmanni damnauit Senatus noster Argentinensis, damno: & quidquid in ea disputatione Buceri probauit, probo, recipio, atque amplector. Amplector etiam, quidquid superiùs ex Apologia, & ex disputatis articulis in Synodo anni 1533. & ex confessione anni 1539. de eadem doctrina retuli. quòd sciam, totam hanc doctrinam ex verbo Dei desumtam fuisse: ac proinde eam aduersus omnes Hofmannicos, illius sanæ doctrinæ, ideóque gratiæ Dei aduersarios, quoties opus fuerit: me defensurum polliceor, atq; promitto.

Ne verò quispiam eludat vel Confessionem anni 1530. & eius Apologiam: vel articulos disputatos, vel totam hanc disputationem Hofmannicam, vel Confessionem anni 1539. quasi illa vel probata nunquam fuerint huic Argentinensi Ecclesiæ, vel postea retractata: subijcio hîc Senatus, & totius ciuitatis nunquam retractatam, immò non semel confirmatam illorum omnium comprobationem.

Ex præfatione Confessionis religionis Christianæ quatuor ciuitatum, Carolo V. Augustæ exhibitæ 1530.

A.iij.pag.1. *Ne igitur nos tam impiæ [aduersariorum] criminationi tacendo, fidem facere; & diris istorum calumniis, Christi veritatem quam profitemur, prodere quisquam existimet: visum est illam Confessionem nostram in publicum edere, adiuncta eius apologia, quam nostris Ecclesiastis parare nuper mandauimus. Nam religio erat, saluificam Christi doctrinam nobis singulari adeo Dei bonitate communicatam, tantis blasphemiis non adserere: & ferre, nos horrendis adeo, sed æquè falsis criminibus notatos, publicum offendiculum constitui.*

Et post versus octo.

Quò igitur Christiani nominis professores cognoscere possitis, quàm nulla vel species veri istis calumniis insit: per Iesu Christi gloriam, cui vni hisce in rebus studemus, oramus, hanc nostram Confessionem, eiúsque Apologiam, in qua optima fide confutatorum verba & argumenta adducta sunt, legere, & ad Scripturarum fidem omnia expendere, nostráque & confutatorum istorum rationes inter se librare velitis.

Et paulò pòst.

Cui [Deo] ad hoc ipsum hac Confessione, Apologiæq; nostræ editione seruire voluimus: neminem verò inhumaniùs attingere, nedum aspergere conuitio &c.

Et paulò pòst, iterum atque iterum.

Ex libello, qui inscribitur, Ordinatio & ceremoniæ pro parochiis & ministris Ecclesiæ Argentinensis, & ad eam pertinentibus, post habitam Synodum institutæ, &c. A.ij. pag.ij.

Postquam Synodus ob tria præcipuè capita celebrata fuit: primò, vt conciliatio doctrinæ Christianæ, atque depulsio sectarum & schismatum doctrinæ huic aduersantium quæreretur: secundò,

ſecundò, vt externæ, & ad ædificationem ſpectantes ordinationes atque cæremoniæ inſtituerentur: tertiò, vt inquiſitio diligens vitæ atque conuerſationis eorum, qui Eccleſiæ ſunt præfecti, haberetur. Ad primum caput, doctrinam & ſectas concernens, concluſum & decretum eſt, quòd Senatus in Confeſsione Cæſareæ Maieſtati Auguſtæ exhibita, & articulis in Synodo propoſitis & diſceptatis perſiſtere; eámque vti veram Chriſtianam doctrinam hîc populo proponi & tueri ſeriò; neque vllum dogma vel ſectas, quæ doctrinæ commemoratæ aduerſentur, in ſua vrbe perpeti velit: nulla ratione habita prolixiorum ſcriptorum Clementis Ziegleri, Melchioris Hofmanni, atque aliorum, quæ in ipſa Synodo, & pòſt ſunt oblata. Verùm vt ſana doctrina hîc apud omnes meliùs conſeruetur, & prouehatur, cunctíque errores & ſeductrices doctrinæ arceantur, atque præcaueantur: Senatus præter alias rationes, & media huc ſpectantia, etiam iſtud perpendit, atque ſtatuit: quòd Seniores Eccleſiæ, fidelem attentionem præſtare debent: vt hæc profeſſa doctrina, quemadmodum in commemorata Confeſsione, atq; articulis Synodi comprehenſa eſt, fideliter hîc doceatur, atque prædicetur: etiam, vt nemini quidquam, quod huic doctrinæ aduerſetur, ſiue in angulis, ſiue in propatulo effundere atque calumniari, nedum ab ea alios abſtrahere liceat. Quòd ſi tale quid fieri reſciuerint: Senatui, vel ſubſcriptis examinatoribus indicent: vt fidelis & neceſſaria animaduerſio fiat, &c.

Ex primo decreto Senatus, ſingulis tribubus paulò poſt Synodum habitam propoſito. A. iij. fac. 1.

Senatus vult, omnes & ſingulos vos diligenter, paternè, & quàm maximè rogatos, admonitos & adhortatos vt in ſacroſancto Euangelio, atque Dei verbo, quemadmodum hoc ex ſacris literis, in hac vrbe doctum, prædicatum, atque coram Cæſarea Maieſtate cõfeſſum eſt: conſtanter perſeueretis: vitámque veſtram, diuina adiuti gratia, ſecundum hoc inſtituere, atque conformare velitis: nempe vt id non ſolùm in ſpecie & ſermone, verùm etiam in efficacia & vita, ad gloriam Dei, proximíque ædificationem, apud vos deprehendatur.

HABETIS *hîc, clariſsimi Domini, meam de prædeſtinatione ſententiam, perſpicuè explicatam, & multis tum diuinarum literarum, tum D. Auguſtini, Lutheri & Buceri, tum denique veſtrarum Confeſsionum teſtimoniis comprobatam, atque confirmatam. Habetis etiam maiorum veſtrorum decreta, quibus doctrinam hanc in veſtra Apologia & Confeſsionibus explicatam confirmarunt, atque vt in veſtra Eccleſia & Schola fideliter retineretur, ac doceretur, mandarunt.*

Nunc proteſtor coram Deo & Angelis eius: de prædeſtinatione me non aliter vel ſentire, vel docere: quàm nouerim ſenſiſſe: ac docuiſſe primùm quidem Prophetas, atque Apoſtolos: deinde Auguſtinum; & poſt Auguſtinum, aliósque orthodoxos Patres, Lutherum & Bucerum, multóſque alios doctiſsimos viros: & quidem in Germania, poſt renouatum Euangelium in Eccleſia Chriſti: & quam vos ipſi quoque, & maiores veſtri in veſtra Apologia, articulis Synodalibus, diſputatione contra Hofmannum, & Confeſsione anni 1539. profeſsi eſtis.

Rogo autem vos Dominos meos, vt hanc meam prolixam quidem, ſed neceſſariam fidei meæ de prædeſtinatione explicationem, æqui & boni conſulatis: & vt, iuxta maiorum veſtrorum decreta, doctrinam hanc veſtram in Scholis & Eccleſia fideliter retinendam; contrariam verò ex ea eiiciendam curetis.

HIER. ZANCHII,

DE PERSEVERANTIA SANCTORVM IN FIDE, CONFESSIO.

NVNC verò explicaturo mihi, & confirmaturo meam de perseuerantia Sanctorum in fide, sententiam: principiò vt tollatur omnis ambiguitas, quæ in vocibus homonymis posita est: explicanda sunt hæc tria præcipua nomina, quæ in hanc quæstionem veniunt: FIDES, GRATIA, SANCTVS: quidque his nominibus intelligã. Deinde ne quispiam putet, illis de rebus inter nos esse controuersiam, de quibus reuera nulla est: remouenda sunt ea, quę videri possunt inter nos controuerti, cùm tamen non controuertantur. Tum demum quibusnam in rebus posita sit controuersia, & quæ mea de illis sit sententia, explicabitur: & Scripturarum, Patrum, ac nostri temporis doctorum virorum testimonia, quibus sententiam meam defendo, in medium proferentur.

CAPVT I.

DE FIDE.

Fides, pro doctrina fidei: & pro vi Spiritus, quæ creditur.

FIDES, *quantùm ad intelligendam hanc præsentem controuersiam, operæ pretium est explicare, capitur nonnunquam* κατ᾽ ἐξοχήν *& μετωνυμικῶς pro ipsa doctrina, quam fide recipimus ac profitemur: sæpissimè autem propriè pro ipso dono, quo doctrinam intelligimus, atque amplectimur. Pro doctrina: vt 1. Tim. 1. Milites bonam malitiam: retinens fidem & bonam conscientiam. De hac fidei significatione hîc non disputatur. est enim apud omnes in confesso, illos dici excidere à fide: qui doctrinam semel receptam abiiciunt: aut quibus doctrina iusto Dei iudicio eripitur. 1. Tim. 1.*

Fides ἀνυπόκριτος, & hypocritica.

Fides verò in altera significatione diuiditur in veram ac iustificantem, & non veram, neque iustificantem: hoc est, in sinceram, ac minimè simulatam; & in hypocriticam: 1. Tim. 1.

Fides hypocritica, duplex.

Hæc hypocritica ac simulata duplex est: vna, quam non solùm qui eam simulant, sciunt esse simulatam: sed plerunque alij quoque ex eorum perseuerantia in sceleribus, minimè sinceram esse intelligunt. vt fides illorum, de quibus Tit. 1. Confitentur, se nosse Deum: factis autem negant. Talis fuit fides illorum qui Christum sequebantur propter panem, Ioh. 6. Talis & fides Iudæ: præsertim postquam cœpit cogitare deprodendo Christo.

Altera ita similis est fidei veræ: vt non solùm qui eam habet, non agnoscat esse simulatam: sed alij quoq; ex viridi & florente quadã herba honestæ vitæ, quam profert, illam omnino sinceram, atque veram esse iudicent. tantùm καρδιογνώστης *Deus, qui falli non potest, & nouit, quid sit in homine: eam nouit esse hypocriticam. Talis fuit fides multorum discipulorum: qui posteaquam sibi visi fuissent sincerè multos menses in Christũ credidisse, audito tamen sermone de carne Christi manducanda, à Christo defecerunt: Ioh. 6. idq; quoniam putabant, Christũ loqui de carne sua, orali & carnali manducatione manducanda. Talis fides fuit illorum: de quibus Ioh. 2. Multi crediderunt in eum, videntes signa quæ edebat: Iesus autem non se credebat eis: eò quòd nosset omnes: & sciebat quid esset in homine.*

Fidei etiam hypocriticæ vis miraculorum additur.

Iis duabus conceditur nonnunquam à Deo vis quædam Spiritus sancti: qua nonnulli ex istis impiis, præter persuasionem, quam de Christo, eiúsque potentia vehementem habent, nonnunquam etiam agitati prophetant, & miracula edunt: quales fuerunt illi, de quibus Matth. 7. Domine, Domine: nonne in nomine tuo eiecimus dæmonia? Hanc vim nonnulli vocant fidem miraculorum: sed quoniam mihi videtur potiùs esse singularis quædam efficacitas, &

vis

vis fidei, tam veræ, quàm non veræ, aliquando & aliquibus concessa in edendis miraculis, quàm aliqua specialis fides: iccircò duas tantùm fides hypocritarum constituo. Vtraque autem fides, & mortua & temporaria est. Mortua: quia quod priorem attinet, illa nunquam homines mouet ad odium peccati, & ad amorem iustitiæ; neque ad honestam, Christianámque vitam traducendam. illi enim verbis confitentur Deum & Christum: at factis negant. Altera verò: etsi initio cum gaudio quodam verbum Dei excipit; & florentem quandam Christianæ vitæ herbam profert: nunquam tamen iustos & maturos fructus adfert: sed in aliis mox; in aliis non ita multò pòst, omnis huiuscemodi fidei succus exarescit: aut magno crucis propter Christum sustinendæ æstu exhaustus, aut spinis huius sæculi suffocatus. Ac proinde vtraque etiam temporaria est: quia vtraque tandem, vt dixi, prorsus exarescit, atque omnino deficit. De neutra in præsenti quæstione de perseuerantia Sanctorum in fide mihi sermo est, aut vnquam fuit: sed tantùm de vera fide. Fides hypocritarum, & temporaria, & mortua est.

4. Vera autem, & ἀνυπόκριτος fides, vna reuera tantùm est: licet propter vim miracula edendi, in aliquibus additam, in aliis non additam, duplex ab aliquibus constituatur: vna, communis omnibus electis, quæ etiam fides electorum à Paulo appellatur: & ea est, qua electi iustificantur, & viuunt: de qua Scriptura ait: Iustus ex fide sua viuet.

Altera specialis: & ea quidem est, qua speciatim quidam electi non solùm iustificantur, sed etiam miracula edunt, prophetant, & aliis variis Spiritus sancti dotibus Ecclesiam instaurant: quisque secundum mensuram huiusce fidei sibi concessæ. De hac Matth. 17. Si habueritis tantam fidem: quantum est granum sinapis; & dixeritis huic monti, Transi hinc illuc: transibit. & Rom. 12. Vt vnicuique partitus est Deus mensuram fidei. item: Siue prophetiam, secundum portionem fidei. De hac etiam fide, quatenus scilicet non solùm iustificat, sed etiam prophetat, miracula edit, & variis dotibus Ecclesiam instaurat, non loquor in hac quæstione. Multi enim certis de caussis à Domino ad tempus tantùm, hac fidei efficacitate, in faciendis miraculis, & vaticinando ornantur: sed certis etiam temporibus illa spoliantur: interim tamen non destituuntur fidei virtute, qua iusti sunt & viuunt. Hæc autem fides, quatenus iustificat, habet omnes eas proprietates, quas etiam fides iustificans omnibus electis communis. Fides vera.

5. De communi igitur vt loquamur, Fides vera & iustificans, omnibus electis communis bifariam etiam capitur. Aliquando pro ipso habitu fidei, seu pro ipsa vi atque virtute per Spiritum sanctum in corda electorum infusa: è qua actus, quo in Christum actualiter, vt ita loquar, credimus, gignitur, atque, vt Scholæ loquuntur, elicitur. Est enim fides reuera, vt mox ostendam, virtus, seu vis quædam, ac proinde qualitas infusa per Spiritum sanctum. Fides vera, habitualis, & actualis.

Aliquando fides accipitur pro ipso fidei actu: quo in ipsum Christum reapsè cogitando & fidendo, credimus.

Etsi verò hæc omnia non possum in scripturis syllabatim indicare: distinctionem tamen ipsam Scripturæ, quanquam aliis verbis manifestè docent. Ac primùm quidem fidem frequentissimè pro actu credendi accipi, nemo dubitat. Hoc enim docent sacræ literæ, cùm dicunt, hominem fide iustificari: accipere remissionem peccatorum: intelligere aptata esse sæcula. adulti certè remissionem peccatorum consequi non possunt, sine actuali fide. Pro habitu verò seu vi in cordibus electorum hærente, atque manente, nonnunquam accipi, Scripturæ etiam demonstrant: vt cùm dicunt, iustum viuere ex fide sua. item, sine fide impossibile esse placere Deo. Iusti certè etiam, cùm dormiunt, & de Christo nulla actuali fide cogitant, viuunt tamen ex fide, & placent Deo. Appellatur etiam fides in Scripturis scientia, cognitio Dei, πληροφορία. Hæc autem in animis residet: etiam cùm actu non cogitamus de Deo: & scientia in prædicamento. Qualitatis ponitur à philosophis. In ipsis etiam pueris, in quibus nullus cogitationis, ac sensus, aut fiduciæ actus esse potest: ipsum tamen fidei Spiritum atque vim inesse, fatentur omnes docti.

Bvcervs apertè hoc fatetur multis in locis: vt in Epist. ad Eph. cap. 1. Et quidem etiam

distinctionem hanc fidei in Habitum & actum tradit in libro de reconciliatione Ecclesiarum, controuersia de reconciliando articulo iustificationis, folio 170. Item folio 126. apertè ponit hæc verba, Credere habitu, & credere actu: & vtrumque afflatu Spiritus fieri. Et in Epist. ad Romanos, cap. 9. in quæstione de libero arbitrio, non improbat quòd Scholastici habituale gratiæ donum appellent id, quod Apostolus internum hominem vocat. Et quis neget, fidem esse Dei donum, facultatémque per Spiritum sanctum infusam, qua credimus in Christum?

Fidem igitur aliquando pro actu, aliquando pro habitu, non quidem acquisito, sed infuso, accipi: extra controuersiam esto.

Fides fortis, & infirma: magna & parua.

6. Hæc autem vera fides secatur in fortem, quæ & magna: & in imbecillam, quæ & parua fides in Scripturis appellatur. In aliquibus enim magna & fortis est: in aliis, infirma & pusilla: imò in eodem aliquando infirma, atque admodum debilis: aliquando confirmatior, atque fortior est. Infirma fuit in Petro, cùm ambulant super aquas cœpit mergi: inde & Dominus ei dixit, Modicæ fidei, quare dubitasti? item, cùm Christum negauit. Atque ita aliquando hæc infirma est: vt non tantùm ὀλιγοπιστία, sed etiam nonnunquam ἀπιστία appelletur à Domino in Scripturis. Matth. 17. Quare non potuimus dæmonium eijcere? respondet Dominus: Propter incredulitatem, ἀπιστίαν vestram. Mar. 9. Domine, adiuua incredulitatem meam. Item capite vltimo. Fortis fuit in eodem Petro, quum post resurrectionem Domini, magna cum παῤῥησία, nihil metuens, prædicabat Christum: denique cùm maluit mori, quàm Christum non confiteri & prædicare. Et quidem quò imbecillior est fides, eò frequentiùs & grauiùs: quò autem fortior, eò rariùs & leuiùs peccatur à Sanctis. omnia enim Sanctorum peccata ab aliqua fidei imbecillitate proficiscuntur.

Vera fides, & viua est, & perpetua.

7. Siue autem imbecilla sit, siue fortis; siue magna, siue parua: semper vera fides duas habet, præter alias, essentiales, vt ita loquar, & inseparabiles proprietates: citra quas vera & iustificans fides appellari non potest. Vna est vita, altera est perpetuitas. Est enim primùm necesse, vt sit viua, vitam Christi in fideli excitans: hoc est, quæ in corde quidem fidelis hominis, nouos & cælestes motus, nouas & cælestes cogitationes, noua & cælestia desideria; nouos denique & cælestes affectus conformes Legi Dei, terrenos subinde expellendo excitet: id quod significatur in Scripturis nomine purificationis cordium, item mortificatione carnis, & viuificatione Spiritus, seu crucifixione & sepelitione veteris Adami, & viuificatione atque resuscitatione noui hominis: in reliquis verò partibus, efficax sit, & operetur per dilectionem erga Deum & proximum. Hanc proprietatem passim in Scripturis inculcat Spiritus sanctus: præsertim autem in Epistola Iacobi & Iohannis, ex professo ita essentialem fidei esse hanc proprietatem docet, vt nisi hæc adsit, illa minimè vera & iustificans fides appellari possit. De hac prima proprietate, nulla inter nos est controuersia.

Altera fidei veræ essentialis proprietas est, vt sit perpetua: & vt nunquam penitùs in ipso electo deficiat. Hanc proprietatem ego multis Scripturarum, & Patrum, & nostrorum doctorũ testimonijs demonstrare possum. Sed hæc quæ subijciã in præsenti Confessione satis sunto.

1. Abrahæ fides non solùm viua fuit, vt præter alios Iacobus in Epistola sua demonstrat: sed etiam perpetua. etsi enim variis tentationibus agitata fuit, nunquam tamen penitus in eo defecit. Hanc proprietatem fidei Abrahæ demonstrat, cùm Moses in historia Abrahæ, tum Apostolus Rom. 4. Quicunq; autẽ iustificantur, non alia fide iustificantur, quàm ea, qua etiã Abraham pater fidelium omnium iustificatus est: vt Scripturæ passim docent. vnde & pater credentium appellatus fuit: quòd quicunque sunt filij promissionis, & ita credũt, vt illis fides imputetur ad iustitiã tum in eundem Seruatorẽ Christũ ac Deum, in quem & Abraham: tum eãdem, hoc est, simili fide, qua Abraham, credunt: & vt credant, necesse est. Inde D. Iesus Iudæos, qui se filios Abrahæ esse gloriabantur, negabat esse filios Abrahæ. quamobrem? quia non faciebant opera Abrahæ, hoc est, quia neque in eum, in quem Abraham: neque ea fide, qua Abraham, credebant. Iacobus etiam euincit illos, qui fidem habent mortuam sine operibus,

operibus, non esse iustificatos, sicut Abraham iustificatus fuit. quid ita? quoniam non sunt præditi ea, hoc est, simili fide, qua & Abraham: fide, inquam, operante per dilectionem. Sicut igitur Iacobus euincit, illam non esse veram & iustificantem fidem, quæ mortua est, quia non est similis fidei Abrahæ in hac qualitate, quæ est, vt sit viua: ita euincitur, illam fidem, quæ non est perpetua, sed temporaria, non esse veram & iustificantem fidem. quare? quia non est similis fidei Abrahæ in hac altera essentiali proprietate, quæ est, vt sit perpetua. Perpetuitatem autem tam esse essentialem proprietatem fidei iustificantis, & ad æternam vitam ducentis; quàm etiam vitam: manifestum inde fit, quòd sicut illi non possunt seruari, quia non habent viuam fidem: ita nec illi, qui non eandem habeant perpetuam. temporarij enim neque Deo grati sunt: neque seruantur: & quicunque perseuerauerit in finem, hic tantùm saluus erit. Vera igitur & iustificans, saluánsque fides esse non potest: nisi sit & viua, & perpetua: immò quomodo potest esse & appellari viua fides, vitámque æternam adferens: si non etiam ipsa æternùm viua sit, sed tandem moriatur, atque penitus euanescat?

2. In parabola seminis explicatur natura veræ, & non veræ fidei. Fidei non veræ dantur duæ proprietates: vna, quòd non sit viua, hoc est, quòd licet cum gaudio semen verbi accipiat, & herbescentem etiam honestæ vitæ speciem proferat: nullum tamen verum fructum adferat: idq; propterea quòd semen cadit in terram, quæ terra aut petrosa est, ideóque in qua radices agere non potest: aut spinis referta, ideóque in quam semen iactum, atque in herbam iam versum, suffocatur antequam fructum vllum proferre possit.

Altera proprietas, quæ non veræ, neque iustificanti fidei ibi datur, est, quòd non sit perpetua, sed temporaria. Veræ igitur fidei contrariæ sint qualitates oportet: hoc est, vt sit viua & perpetua. Atque hæ ibidem etiam explicantur: nimirum in illa parte terræ, quæ semen iactũ retinuit, & inde multum fructum protulit. Perpetuitas in eo significatur, quòd illa terra retinuit semen in ea iactum, illúdque, neque à spinis suffocatum fuit, neque ex æstu Solis exaruit. Vita in eo, quòd multum fructum attulit. Quòd verò postea Dominus in explicatione parabolæ dixit de veris fidelibus: alios adferre fructum tricecuplum, alios sexagecuplum, alios verò centuplum: significauit, in omnibus quidem electis, vtrísque fidelibus, esse fidem & viuam & perpetuam, sed tamen in aliis esse fortiorem, atque viuaciorem: in aliis imbecilliorem, atque languidiorem. Etsi igitur vera fides, non in omnibus electis est æquè fortis atque viuida: in omnibus tamen & viua sit & perpetua, necesse est: alioqui vera & iustificans fides dici non potest. Ac profectò non video, quomodo non consequatur: si fides non vera est temporaria: fidem igitur veram non esse temporariam: &, si temporaria non est, esse igitur perpetuam: quandoquidem contrarium temporario est ipsum perpetuum.

Testimonia nunc subiicio ex Patribus.

AVGVSTINVS *ad Iulianum Comitem: sicut citatur in Decretis: Charitas: inquit, quæ potest deficere, nunquam vera fuit.*

Ita Ambrosius in 2. Cortnth. 6. Ergo neque fides vera est: si non sit perpetua, sed possit deficere.

Idem, Augustinus, Tom. 7. in Iohan. Euang. tract. 106. col. 513. Credere verè: est credere inconcussè, firmè, stabiliter, fortiter: vt iam ad propria non redeas, & Christum relinquas. Hæc ille. Vera igitur fides non est: si non sit inconcussa, firma, stabilis, fortis: ita vt à Christo nunquam deficiat. Quid est autem hoc: nisi fidem esse perpetuam?

LVTHERVS *in Postillis maioribus, in sexagesima in Euang. Lucæ 8. de semine: quartos auditores, qui verbum Dei perpetuò retinent, & fructum adferunt: veros & sinceros Christianos appellat: reliquos omnes temporarios, vocat non sinceros & non veros. Ergo fides temporaria non est vera, neque sincera fides: & sola perpetua, vera & sincera est.*

BRENTIVS *quoque in idem Euangelium, de temporariis loquens, ait, illos non verè credere. Fides ergo temporaria non est vera.*

BVCERVS *in Luc. 1. pag. 141. Pietas, quæ finem nouit, non est vera pietas. Ergo neque fides, quæ finem habet, vera fides est.*

Idem in Matth. 8. sect. 2. in tract. de Fide: Solos electos ait verè in Christum credere: reprobos credere; sed ad tempus, ideóque non verè: & fidem illorum, quia temporaria est, neq; veram esse fidem, neque iustificare, aut filios Dei facere.

Idem in Ioh. 2. sect. 3. in ea verba, Iesus autem non se credebat eis: primùm docet, illos, qui ibi dicuntur credidisse in Christum, fuisse temporarios. deinde de temporariis: Isti, inquit, sunt, qui credunt in nomen Christi: & ipse tamen se eis non credit. nouit enim quid sit in homine: nouit eos nihil minùs habere, quàm veram solidámque in se fidem. Hæc ille. Fides igitur temporaria non est vera, solidáque fides.

Idem in libro de reconcil. Eccles. in controuersia de iustificatione, in significatis verbi Credere: concludit primùm, vt credamus, id in nobis fieri afflatu Spiritus sancti: deinde istum afflatum contingere variis modis. primùm, aliquando esse huiusmodi, vt credamus aliquid verborum Dei, sed non omnia: deinde, talem, vt credamus omnia, sed non semper, verùm ad tempus. Horum autem neutrum docet esse afflatum veræ fidei, fol. 128. 138. 139. Reliquos verò afflatus veræ fidei, quos ibi recenset, & explicat, omnes cum perpetuitate coniungit, ac proinde docet, non esse veram fidem, nisi perpetua sit. Folio certè 139. ait, hanc fidem, quam Dominus vocat temporariam, vocari à Paulo fictam, & à Iacobo mortuam: eámque non esse eiusdem rationis cum viua & vera illa fide, quæ vitam Dei in Christo verè apprehendit. Quibus verbis docet Bucerus: fidem, si temporaria sit, esse etiam fictam & mortuam, hoc est, nec viuam, nec veram fidem. Vera igitur fides, perpetua sit oportet.

Idem in Epist. ad Eph. cap. 1. in ea verba, Obsignati estis Spiritu promissionis sancto: temporariam fidem appellat imaginem fidei, item simulatam credulitatem: & eam à Iacobo ait appellari fidem mortuam: ideóque non esse veram fidem: sicut etiam homo mortuus non est verus homo: quòd illa additione, scilicet mortua, destruat naturam fidei: sicut etiam, cùm dicimus hominem mortuum, illa additione mortui, hominis natura destruitur.

„ *Verùm, inquit, non de imagine fidei, sed de vera fide loquitur Paulus: cùm de salutari, &*
„ *à Spiritu sancto profecta fide loquitur. licet enim illa fidei imago mirabiliter aliquando profi-*
„ *ciat, vt etiam protrudat segetem: tamen nascente Sole, tandem extinguuntur tales fructus:*
„ *vt apparet in iis, qui ex Euangelio libertatem carnis quærunt, & nihil de cruce considerant,*
„ *quæ ibi docetur. hæc fides est simulata credulitas: Iacobus vocat fidem mortuam, quæ additæ*
„ *conditio, destruit fidei naturam: vt cùm dicimus hominem mortuum, illa additione hominis*
„ *natura destruitur. Hæc Bucerus. Si igitur fides non sit perpetua: vera & viua fides non est.*

Idem in eadem epist. ad Eph. cap. 4. in tract. de Ecclesia, initiò, fol. 111. triplicem ponit fidem: primò, iustificantem, ideóque veram & perpetuam fidem: deinde, planè mortuam: & tertiò, inter has mediam, ipsam temporariam: & has duas postremas non esse veras fides
„ *demonstrat, neque iis iustificari homines. Quanquam, rursus, inquit, non desint, qui fidem*
„ *quandam mediam ponunt inter eam, qua iustificamur, quæ operatur per dilectionem, &*
„ *planè viua fides dicitur: & fidem omnino mortuam, hoc est, nihil boni operis facientem. Et*
„ *est sanè quædam etiam à Domino notata fides temporaria: quæ tametsi non perduret, ac pro-*
„ *ficiat eò, vt iustum fructum ferat, in herbam tamen se effert. Hæc fides, est assensus Euan-*
„ *gelij: qui in hoc inspiratur hominibus etiam reprobis, vt & hi aliquomodo Deum verbis*
„ *& factis glorificent, orationibúsque Sanctorum commendent, atque simul nudentur omni ex-*
„ *cusatione ignorantiæ. Talis fuit fides Caini (sacrificabat enim & ipse) Saulis, Achabi, Iudæ*
„ *proditoris; ac omnium qui à Deo eò vsque illuminantur, vt sacrum Dei verbum aliquomodo*
„ *& aliquanto tempore cum gaudio amplectantur ac degustent, participésque fiant donorum*
„ *cælestium, atq; Spiritus S. & tamen rursus recidunt in impietatem, in eaq; pereunt obstinati.*
„ *Verùm quidquid vitæ & operis in horum fide conspicitur: manent tamen homines huiusmodi*
„ *temporario dono, & mutila fide donati, quamdiu carent fide iustificatrice extra Christum:*
„ *ideo in morte, & sub ira Dei, omnésque illi fidei, qualis qualis est in illis, motus, atque in specie*

benefacto

benefacta, sunt Dei quidem boni bona opera, vt quibus etiam per malos generi humano benefacit, ad infinitæ suæ bonitatis gloriam amplificandam: ipsis autem hominibus, qui ea opera faciunt voluntate adhuc impia, quia sanguinem Iesu Christi, & per eum oblatam iustificationem, pergunt impiè auersari: sunt mala opera & peccata. Hoc tamẽ interest inter hos, qui hac, quanquam euanida & non regenerante fide, Christum Dominum verbis confitentur, & factis nondum palàm negant: & eos, qui quidquid verbis se credere dicant, factis tamen Christum Dominum conculcant pedibus, & sanguinem eius profanum habent: quòd illi in externa communicatione sunt ferendi, donec suam impietatem planè prodant: hi autem quia se ipsi manifestos suæ impietatis faciunt, minimè: neutri tamen membra sunt vnquam vera corporis Christi, quia in Christo non viuunt. Hæc Bucerus. In ijs Buceri verbis apparet præter alia: primò, fidem si sit temporaria, non esse veram, aut iustificantem: veram igitur & iustificantem fidem esse perpetuam. Secundò: Saulem & Iudam nunquam habuisse veram & iustificantem fidem: cùm illorum fides fuerit temporaria. Falsum igitur esse, quod quidam docuit, & scriptũ reliquit: Saulem & Iudam fuisse iustificatos, sicut etiam Dauidem & Petrum. Tertiò, neque temporarios, neque apertè impios vnquam esse vera Ecclesiæ membra. Solos igitur electos, & vera fide præditos, vera esse membra Ecclesiæ.

Musculus in Iohan. cap. 8. pag. 62. in illa verba: Si manseritis in sermone meo: verè discipuli mei estis: Coniungit, inquit, soliditatem & stabilitatem cum veritate. quod verum est, solidum est: quod falsum est, vt vanum est, & fictum, ita & stabile esse nequit: præsertim si examinationi subijciatur. quod aurum est, permanet aurum: quod videtur, cùm non sit, non diu decipit: quia falsam auri speciem diu retinere non potest. Solidum granum trituram sustinet ac ventilationem: paleæ verò leui ventilatione in auram abijciuntur. natiuus color firmior est: fictus facilè proditur. verus amicus etiam rebus aduersis non cedit: falsus & simulatus ad quamuis auram mutatur. magna est veritatis vbique soliditas. Sic veri Christi discipuli solidi sunt & firmi: nec facilè rebus tristibus mutantur: falsi verò ne in pace quidem constantes sunt.

Idem in locis de patientia, cap. Quid sit patientia, pag. 757. Fides, inquit, temporaria, vera fides non est.

Liquidò igitur demonstratum est: perpetuitatem vsque adeo essentialem esse proprietatem veræ fidei, vt nisi sit perpetua, vera fides esse, aut dici non possit.

Fidei veræ descriptio.

FIDES *igitur est virtus, seu vis, eáque viua ac perpetua: à Patre, propter Christum, per Spiritum sanctum in corda electorum, hoc est, nostra, gratis infusa: qua persuasi, id quod proponitur in scriptis Propheticis & Apostolicis, esse verbum Dei: illud totum, tam Legem, quàm Euangelium, vt verum Dei verbum, indubitato & constanti assensu recipimus: atque ita recipimus, vt & per Legem peccata nostra verè agnoscamus, iram Dei sentiamus, de viribus nostris desperemus; & soli do Mediatoris, qui peccata nostra tollat, iram Dei placet; virésque ad peccata deinceps vitanda, & Legem Dei seruandam, nobis suppeditet, desiderio afficiamur: & per Euangelium, Iesum verum esse Christum, Deum ac hominem, vnicum redemtorem, ac vnà cum Patre, & sancto vtriusque Spiritu, seruatorem nostrum, eúmque perpetuũ, verè agnoscamus, & agnitum amplectamur: omníque fiducia & spe de remissione peccatorũ, salute, & vita æterna, in eo solo collocata, atque defixa, in nostris necessitatibus inuocemus: & perpetuò illius amore affecti, perpetuò etiam in Legis eius faciendæ studium incumbamus: idq; tum, vt ipsius nomen perpetuò per nos glorificetur: tum vt nos veros esse Dei filios perpetua obedientia declaremus: tum denique, vt quotquot possumus electos, non solùm lingua, sed etiam totius vitæ nostræ sanctitate, ad Christum adducamus: & adductos, magis ac magis in illius fide confirmemus.*

Hæc est mea fidei descriptio: eáque plena, conflata ex omnibus suis caussis & præcipuis effectis. singulæ autem ferè partes superiùs probatæ sunt.

1. Primò quòd sit virtus, seu vis, ideóque habitus quidam, in quinta fidei partitione superiùs ostensum est: vbi diuisa fuit fides in habitum & actum. Vulgò quoque obtinuit, vt fides, spes, & caritas, virtutes Theologicæ appellentur: & non Bucerus solùm, sed etiam alij multi desiniunt sæpe fidem ita, vt dicant, eam esse donum Dei, & opus Spiritus sancti in mente electorum, quo Euangelio Christi credunt. Est igitur discrimen inter donum, quo credimus, & inter ipsum motum animi, actionémque credendi. Immò in disputatione Ratisbonensi, pag. 443. idem Bucerus probat definitionem fidei, qua dicitur, Fidem esse virtutem diuinitus & gratis » infusam. Item pag. 445. concludit definitionem fidei, dicens: Fides itaque, qua credimus Deo, » & iustificamur: quid possit esse aliud, quàm illa vis diuinitùs inspirata? illa doctrina & » testificatio Spiritus sancti, qua amplectimur, & volentes accipimus oblatam promissionem » remissionis peccatorum. Virtus etiam philosophis dicitur illa esse, quæ bonum facit haben- » tem. Sic Cicero de Finibus: Virtus vis illa est, qua res, cuius est virtus, perfecta redditur. Fi- » des autem reuera facit bonum & perfectum eum, cuius cor occupat: facit enim iustos, purifi- » cat cor &c. Est igitur virtus.

2. Viua & perpetua. hæ quoq; duæ essentiales fidei proprietates, eius naturam explicantes, fuerunt superiùs demonstratæ, in cap. de fide.

3. Infusa. hoc est adiectum: vt discrimen fiat inter virtutes, vel à natura inditas; vel studio acquisitas: & inter illas, quæ desuper è cælo donantur.

4. A Patre. hoc est additum, vt intelligatur vnde, tanquam à primo fonte sit fides: nempe à Patre nostro. est enim ille fons sicut diuinitatis, sic etiam omnis virtutis, & omnium bonorum. Iac. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.

5. Propter Christum. nihil enim boni in nos confertur, nisi propter Christum: & Christus sua passione meruit electis, sicut salutem & vitam æternam, sic etiam fidem, qua salutem & vitam recipiant.

6. Per Spiritum sanctum: vt explicetur immediata & efficax caussa efficiens fidei in nobis: & intelligatur, non sufficere externam prædicationem verbi, & vim liberi arbitrij nostri, vt Pelagiani sentiebant: sed opus esse interna Spiritus sancti actione ad fidem in nobis concipiendam. Sicut enim diffusa est caritas Dei in cordibus nostris, non per liberum arbitrium, quod surgit ex nobis, vt ait Augustinus: sed per Spiritum, qui datus est nobis: sic etiam fides per Spiritum sanctum; non autem per liberum arbitrium infunditur in corda nostra.

7. Gratis: vt excludatur omne nostrum meritum: & agnoscatur fides esse gratuitum Dei donum: vt Scripturæ vbique prædicant.

8. In corda electorum. vera enim fides solis datur electis: vt & Augustinus & Bucerus vbique docent secundum Scripturas: vnde & fides electorum à Paulo appellatur: nec mentem tantùm, sed cor in primis occupat.

9. Hoc est, nostra. hoc est adiectum, vt quisque nostrum confidat, se esse vnum ex electorum numero: neque putemus nos excludi ab illorum consortio.

10. Qua persuasi, id quod proponitur &c. hoc est primum effectum fidei infusæ: vt persuadeat, id quod verè est verbum Dei, esse verbum Dei. Hac de caussa appellatur à Græcis πίστις, à persuasione. neque enim possumus recipere & assentiri, nisi persuasi priùs simus, illud esse verbum Dei.

11. Totum, tam Legem, quàm Euangelium. Hæc est materia fidei, circa quam versatur. non enim solùm Euangelium, sed etiam Legem fides credit esse verbum Dei: & tam Legem, quàm Euangelium recipit, atque amplectitur.

12. Vt verbum Dei. etsi enim prædicatur ab hominibus: illud tamen non vt hominum; sed vt Dei verbum, sicuti est, fides recipit: vt ait Apostolus.

13. Indubitato & constanti assensu. proprium enim veræ fidei est, vt excludat omnem dubitationem. vnde & πληροφορία appellatur. est enim ἔλεγχος rerum nõ apparentiũ. Heb. 11. Constanti assensu verò additum est: quia vera fides non modò assentitur, modò dissentit: sed sem-

ſemper & conſtanter aſſentitur: aliquando quidem firmiùs, aliquando infirmiùs, conſtanter tamen credit. nunquam enim tanquam falſum reiicit verbum Dei.

14. Atque ita recipimus, vt per Legem. Explicantur ſpecialia effecta fidei: & primùm effecta, quæ parit in nobis ex intuitu atque aſſenſu in Legem Dei. Sunt enim hæc quatuor effecta omnibus, nota quorum primum eſt cognitio peccati: alterum, ſenſus iræ Dei contra peccatum: tertium, deſperatio de noſtris viribus, ex eo, quòd videmus Legem eſſe ſpiritualem, & requirere perfectiſſimam obedientiam, nos autem eſſe carnales, venditos ſub peccatum: quartum, deſiderium Mediatoris. eſt enim pædagogus, ad Chriſtum ducens.

15. Et per Euangelium. Sunt enim iſta præcipua effecta fidei, quæ in electis parit: ex eo, quòd intuetur in Euangelium Chriſti. primum eſt vera cognitio illius, qui immediatè prædicatur in Euangelio, nempe Ieſu: quòd is ſit verus Chriſtus: Deus & homo, quoad perſonam: redemtor, quoad officium. Vnicum, quia ſolus dedit λύτρον. Vnà cum Patre & ſancto vtriuſq; Spiritu Seruatorem noſtrum: quia licet ſolus dederit λύτρον, eóque ſolus propriè ſit redemtor: non ſolus tamen ſeruat, id eſt, iuſtificat, regenerat, beat: ſed vnà cum Patre, & Spiritu ſancto. PERPETVVM: *quia opus ſalutis incoatum continuat.*

Ita fides efficit, vt agnoſcamus per Chriſtum: ipſum etiam Patrem, tanquam noſtrum Patrem; & Spiritum ſanctum, tanquam eum, per quem in nobis habitantem regeneramur, & ſanctificamur.

Secundum effectum eſt: quòd hunc vnicum ſeruatorem noſtrum Deum, per hanc fidem non ſolùm agnoſcimus, ſed etiam agnitum amplectimur, vera ſcilicet dilectione & reuerẽtia tanquam noſtrum Deum Patrem, Seruatorem. Cum hac coniuncta eſt fiducia de remiſſione peccatorum, & ſpes de plena conſecutione æternæ ſalutis, ex miſericordia ac bonitate Dei, & propter merita Ieſu Chriſti.

Tertium eſt inuocatio: oritur ex cognitione, fiducia ac ſpe.

Quartum, ſtudium Legis & voluntatis eius faciendæ. oritur immediatè ex amore & reuerentia erga Deum.

16. Idque tum vt ipſius nomen. Tres hîc fines noſtræ obedientiæ, & ſtudij bonorum operũ. Primus, eſt gloria Dei: alter teſtimonium noſtræ filiationis & fidei: tertius, ſalus electorum: eorum quidem, qui adhuc foris ſunt, vt ad Chriſtum accedant: eorum verò, qui intus ſunt, vt in Chriſto conſeruentur.

Breuis eſt hæc declaratio: ſed tamen ſi opus fuerit, fuſiùs explicabo; & firmis Scripturarum teſtimoniis probabo.

De hac fide mihi ſermo eſt, cùm loquor de fide, & præſertim in hac quæſtione de perſeuerantia Sanctorum in fide, à qua contendo ſanctos nunquam penitùs excidere: quia neque radicem ipſam, hoc eſt, virtutem ſeu vim infuſam, quam alij vocant habitum; alij ſemen, propter verbum Dei, quod retinet, prorſus amittunt: neque omnes eius fructus vnquam penitus excutiunt: Deo & illam & iſtos perpetuò in eis conſeruante, propter ſuam promiſſionem, & Chriſti precationem, atque meritum.

Non ſum autem ſecutus definitionem quorundam doctiſſimorum virorum, qui ſic definiunt fidem, vt eam dicant eſſe fiduciam miſericordiæ promiſſæ propter Filium Dei. quoniam licet hanc definitionem non improbem: plena tamen non eſt. Et licet fiducia nunquam à vera fide ſeparetur: aliud tamen eſſe fiduciam, & aliud fidem, Apoſtolus ad Epheſios tertio capite apertè docuit, cùm dixit: In quo (ſeu per quem) Ieſu Chriſto habemus liberam inuocationem παῤῥησίαν, & additum cum fiducia, ἐν πεποιθήσει, quæ eſt per fidem illius. Fiduciam hîc vocat Apoſtolus πεποίθησιν: & fidem πίστιν: & illam facit huius effectum. Definitio quoque fidei, quæ eſt Heb. 11. latiùs ſe extendit, quàm nomen fiduciæ. Et Bucerus in libro de reconciliatione Eccleſiarum, in articulo de Iuſtificatione, multis demonſtrat, fidem à fiducia differre: quãquam ſemper ſint ambæ inſeparabiliter coniunctæ.

Hac igitur de cauſſa, malui Bucerum ſecutus, ita fidem definire, vt dicerem eam eſſe vim, ſeu virtutem gratis in corda electorum infuſam: qua &c. quàm dicere eam eſſe fiduciam.

DE GRATIA.

GRATIA, *quantum attinet ad præsentem controuersiam, principiò accipitur pro illo æterno fauore Dei, quo ante tempora æterna, nos præ aliis multis gentibus dignatus est: vt scilicet nos in Christo ad vitam æternam elegerit: vocaturus postea in tempore, iustificaturus, & glorificaturus. Hæc gratia alio nomine vocatur æternus amor, quo Deus nos complexus est in Christo. De hac gratia, cùm alibi frequentissimè, tum præsertim 2. Tim. 1. Vocauit nos vocatione sua sancta: non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & GRATIAM: quæ data est nobis in Christo ante tempora æterna, manifestata autem nunc per aduentum Seruatoris nostri. Ait datum fuisse nobis: etiam antequam nati fuissemus: sed non erat adhuc manifestata. De hac gratia loquor in quæstione de perseuerantia: & contendo, omnes, quibus ante tempora æterna, vt loquitur Apostolus, data fuit hæc gratia: ex ea nunquam excidere. quia si fuit illis data antè quàm nati essent; nec peccata, in quæ præuidit Deus illos lapsuros, impedire potuerunt eum, quin daret illis hanc gratiam: nihil igitur etiam nunc est, quod possit efficere, vt ea gratia excidant. est enim ea nihil aliud, quam gratuitus Dei amor æternus & immutabilis erga suos electos. Et hæc gratia in Deo ipso est: ac proinde est immutabilis. In nobis non est nisi illius cognitio, sensus, atque effecta. Ideo ait Apostolus: Quæ fuit data nobis ante tempora æterna: nunc autem manifestata per aduentum Seruatoris nostri.*

2. *Gratia igitur accipitur secundo loco pro effectis illius gratiæ, seu fauoris & amoris, quo Deus nos complexus est ante tempora æterna. Quæ effecta, diuersa cùm sint: diuersæ etiam gratiæ nominantur. omnia enim gratis dantur: & omnia sunt primæ gratiæ effecta. Atque in primis donum fidei, quo illam primam gratiam agnoscimus, atque sentimus, gratia appellatur. Ab hac etiam, aio electos non penitùs excidere. Regeneratio quoque singularis Dei gratia est: neque hac gratia penitus priuantur. eam enim conseruat Spiritus sanctus in electis ad extremum vsque, vt postea demonstrabo. Remissio etiam peccatorum gratia est: gratis enim datur. Ab hac etiam nunquam excidunt: quia peccata, quæ semel sunt condonata, illis nunquam iterum imputantur. sunt enim dona & vocatio sine pœnitentia. Rom. 11. Timor quoque Dei, spes, & amor in Deum singulares sunt gratiæ. Neque has gratias penitùs amittunt electi. neque enim vnquam eò vsque adducuntur: vt Deum Epicureo contemtu contemnant: aut vt de illius bonitate prorsus desperent, aut illum odio habeant. Denique omnia illa fidei effecta, quæ à fide separari nullo modo possunt, gratiæ appellantur: & illas nunquam penitus in electis exstingui, contendo: quia si fides non exstinguitur prorsus, neque etiam effecta cum fide inseparabiliter coniuncta, penitus exstingui possunt. De iis igitur omnibus gratiis, intelligo in hac quæstione, Sanctos non posse penitus excidere à gratia.*

3. *At verò sunt alia Spiritus sancti dona, & illius primæ gratiæ effecta, quæ etiam ipsa gratiæ appellantur, eò quòd gratis dentur: sed quæ minimè necessariò cum virtute fidei semper hæreant: vt purior mundities conscientiæ & cordis: vt alacritas Spiritus ex bona conscientia proficiscens: vt magna παῤῥησία in prædicando & confitendo Christo: vt heroica animi fortitudo in ferenda quauis grauissima cruce: vt vehemens & singularis gustus bonitatis & beneuolentiæ Dei erga nos: vt libera & hilaris inuocatio Dei, & multa alia fidei effecta, quæ sunt ceu lucidissimæ flammæ, ex ardenti igne affulgentes: & ceu splendidissimi radij, è corpore Solari emicantes, totúmque aërem iucundissimè illustrantes. Certè vt ignis flāmæ, vel subductis lignis, vel aqua superfusa restinguuntur, licet totus ignis non simul & statim penitus extinguatur: & vt Solis radij, interiectis crassis nubibus, ex nostro aëre propelluntur: quanquam tota planè lux Solis minimè tollatur: ita hæc, de quibus iam diximus fidei & Spiritus sancti effecta, peccatis ex consensu admissis, è mentibus & cordibus sanctorū tolli, manente tamen, propter diuinam promissionem, fidei substantia, nunquam negaui, neque negari potest: cùm & exempla Sanctorum in Scripturis id luculenter demonstrent: & Sanctus quisque in se ipso experiatur. Dauid, etsi non penitus amisit fidem, neque omnem Dei timorem*

timorem, neque omnem in Deum fiduciam atque ſpem, neque omnem in Deum amorem: neque enim vnquam aut verbum Dei omninò cõtemſit, aut de Dei miſericordia deſperauit; aut Deũ odio habuit: multa tamen alia ſe amiſiſſe, fatetur ipſe, dum ea repetit, ac ſibi reſtitui precatur. Munditiem conſcientiæ & cordis, quæ ante peccatum fruebatur, amiſiſſe fatetur, dum petit ſe lauari & mũdari ab iniquitate ſua, dicẽs Pſal. 51. Laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo mũda me. Itẽ: Expia me Hyſſopo, & purus ero: lauabis me, & candidior ero niue. Itẽ: Cor mundũ crea in me Deus. Illam animi lætitiam, qua anteà exſultabat in Domino, & alios quoq; ad exſultandum ſubinde hortabatur, dicens: Lætamini in Domino, & exſultate iuſti: amiſſam poſt peccatum fuiſſe fatetur, dum eam petit ſibi reſtitui, dicens: Gaudio & lætitia perfunde me: & fac vt exſultent oſſa quæ percuſiſti. Item: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui. Senſum, quo per fidem ſentiebat Deum ſibi eſſe propitium, & quaſi læto vultu arridentem, poſt peccatũ exſtinctum fuiſſe; & conuerſum in tremorẽ, quo totus concutiebatur, dum videbat eum ſibi iratum, & ſe quaſi iracundè intuentem, fatetur dum ait: Auerte faciem tuã, ſcilicet iracundam, à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele. Illam etiam vltroneam Spiritus voluntatem, qua anteà ſponte & lubenti animo, ea quæ recta erant, conſtanter ſectabatur: poſt peccatum, ſi non penitùs amiſſam; ſaltem mirum in modum labefactatam fuiſſe, ita vt poſteà elanguerit ad ea quæ Dei ſunt, docet ipſe dum ait: Spiritu principali vel ſpontaneo confirma me.

De iis igitur, & aliis ſimilibus gratiæ & fidei effectis, quæ gratiæ etiam non immeritò appellantur, quòd gratis dentur, & gratiæ Dei ſint effecta: non loquor in hac controuerſia de Perſeuerantia ſanctorum in fide & in gratia: non enim me latet hæc effecta nonnunquam amitti: ſed tum de gratia illa prima, tum de gratijs ſecundi generis mihi ſermo eſt.

DE SANCTIS.

Nunc quid nomine Sanctorum intelligam, accipite. Hoc nomen Sanctus, cùm de hominibus dicitur: principio generatim accipitur pro omnibus illis, qui vero Deo ſe conſecrarunt, & Chriſto nomen dederunt, eumq; & eius religionem profitentur: ſiue id coram Deo, verè & ſincerè: ſiue tantùm coram hominibus id fiat. Sic populus Iſrael, etiamſi non omnes eſſent verè ſancti: Sanctus tamen totus appellabatur. Sic Paulus omnes qui dederant nomen Chriſto, Sanctos appellabat, Rom. 1. ſic 1. Pet. 2. omnes ad quos ſcribebat Chriſtianos, ſanctam gentem appellat & regale ſacerdotium.

Speciatim verò & propriè, hoc nomen pro illis accipitur, qui non ſolùm appellantur, ſed etiam reuera ſunt coram Deo ſancti. ij autem ita in Scripturis deſcribuntur: qui cùm fuerint ab æterno in Chriſto electi: poſteà etiam in tempore, ſecundum propoſitum fuerunt ad Chriſtum vocati: veráque fide in Chriſtum donati: & verè per Chriſtum iuſtificati: ac verè per Spiritum ſanctum regenerati, ſanctificati & in Chriſtum inſiti: atque ita inſiti, vt iam in illis non ampliùs regnet peccatum, ſed Chriſtus: neque ampliùs ſecundum carnem ambulent, ſed ſecundum Spiritum: & à Spiritu Chriſti ita agantur & cuſtodiantur, vt & perpetuo amore legis Dei affecti; perpetuò etiam in illius faciendæ ſtudium incumbant: & contrà perpetuo peccati odio inflammati; perpetuò etiam contra peccatum pugnent: atque ita pugnent, vt licet nonnunquam propter virium Spiritus remiſſionem & fidei imbecillitatem, atque propter nimium carnis & peccati impetum, inter pugnandum quaſi ex equo deiecti, in terram corruant: atque ita multa patiantur & agant quæ nolint, & multa quæ velint, perficere non poſſint: mox tamen vi Spiritus ſubleuati, pugnam redintegrent. His notis, deſcribuntur nobis paſſim in S. literis veri ſancti: præſertim in Pſalmis & Epiſtolis Pauli. Neque aliter pij patres & Lutherus & Bucerus definierunt, qui ſint verè ſancti. Neque enim reprobi vnquam verè ſancti ſunt: cùm neque ſanctitas Chriſti illis vnquam communicetur aut imputetur: neque vera & iuſtificante fide vnquam ornentur: neque per Spiritum ſanctum vnquam verè ſanctificentur aut regenerentur: neque vnquam verè ament legem Dei, aut odio habeant peccatum: ſed & ſeruiant peccato, & viuant in peccato, & in peccato moriantur. Rom. 8. Rom. 6. Rom. 8. Rom. 7. Galat. 5.

Denique

Denique tria sunt in Republica Christiana hominum genera: qui sicut Christiani & discipuli Christi, sic etiam sancti appellantur. Primum genus, est illorum qui Christum quidem confitentur & profitentur, & verò etiam nonnunquam prædicant: sed factis semper negant: hoc est, nunquam imitantur, aut in animis intus; aut in moribus foris. Hi nunquam verè incipiunt viuere secundum Christum: neque verè coram Deo, neque simulatè coram hominibus. Hi igitur etiamsi appellentur sancti: nunquam tamen sancti sunt, neque coram Deo, neque coram Ecclesia.

Alterum genus, est eorum, qui non solùm Christum confitentur & profitentur verbis, sed etiam factis & honesto vitæ genere, idque coram hominibus, & tota Ecclesia Christi, adde etiam, multos annos, ac nonnunquam ferè ad finem vsque vitæ, ita quodammodo exprimunt: vt nemo sit, qui non eos iudicet inter verè sanctos esse connumerandos: sed interim perpetuò latet dolus in corde eorum: interim nunquam ex animo amant Christum: interim nunquam verè delectantur lege Dei, aut ex animo oderunt peccatum. Ac proinde coram Deo, qui corda omnium nouit, & scit quid sit in homine: nunquam verè sunt sancti. inde fit, vt neque in illa fucata sanctitate, ad finem vsque perseuerent. Hi igitur incipiunt quidem viuere secundum Christum coram hominibus: sed quia coram Deo nunquam verè incipiunt, ideò neque coram Ecclesia, in ea externa vitæ sanctitate, in finem vsque perseuerant. Proinde etsi sancti dici possint ad tempus coram Ecclesia: nunquam tamen verè sancti sunt coram Deo.

Tertium genus est illorum, qui quoniam electi sunt ad veram sanctitatem, & ad eam efficaciter vocati, verè iustificati, veréque regenerati, & sanctificati; donatique vera, hoc est, viua & perpetua fide; & scriptam habent legem in cordibus suis, denique à Spiritu sancto, nunquam penitùs destituuntur: Iccircò posteaquam semel donati vera fide & inserti in Christum, cœperunt verè odisse peccatum, amare legem Dei, & studere ex animo veræ & Christianæ sanctitati: in eo studio ita continenter pergunt, vt licet aliquando langueſcant, illud tamen prorsus nunquam deponant: sed in eo ad finem vsque perseuerent. Sic enim verè sanctos sub nomine discipulorum suorum definiuit Christus Iohan. 8. Verè discipuli mei estis: si manseritis in Sermone meo. Quæ verba perpendens Augustinus Tom. 7. de Corrept. & Gratia cap. 9. inde concludit: illos tantùm verè esse discipulos Christi, filios Dei, & sanctos: qui in finem vsque in sermone & fide Christi perseuerant. Denique, inquit

» *column. 1336. D. ipse saluator, Si manseritis, inquit, in verbo meo: verè discipuli mei*
» *estis. nunquid in his computandus est Iudas: qui non mansit in verbo eius? nunquid in his*
» *computandi sunt illi, de quibus Euangelium sic loquitur: vbi Dominus commendasset man-*
» *ducandam carnem suam & bibendum sanguinem suum, ait Euangelista: Hæc dixit in Sy-*
» *nagoga, docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus*
» *est hic sermo, quis potest eum audire? sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmura-*
» *bant de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis*
» *ascendentem vbi erat prius? Spiritus est qui viuificat: caro autem non prodest quidquam.*
» *verba quæ ego locutus sum vobis: Spiritus & vita sunt. sed sunt quidam ex vobis qui non*
» *credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes; & quis traditurus esset eum: &*
» *dicebat: Propterea dixi vobis: quia nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ex*
» *hoc multi discipulorum eius abierunt retrò: & iam non cum illo ambulabant. Nunquid non*
» *& isti discipuli appellati sunt, loquente Euangelio: & tamen non erant verè discipuli: quia*
» *non manserunt in verbo eius: secundum id quod ait, si manseritis in verbo meo: verè disci-*
» *puli mei estis. Quia ergo non habuerunt perseuerantiam: sicut non verè discipuli Christi, ita*
» *nec verè filij Dei fuerunt: etiam quando videbantur esse & ita vocabantur. Appellamur er-*
» *go nos & electos Christi discipulos, & Dei filios: quia sic appellandi sunt, quos regeneratos*
» *piè viuere cernimus. Sed tunc verè sunt quod appellantur: si manserint in eo propter quòd*
» *sic appellantur. Si autem perseuerantiam non habent, id est, in eo quod cœperunt esse non*
» *manent: non verè appellantur, quod appellantur & non sunt. apud eum enim hoc non sunt: cui*

notum

notum est, quod futuri sunt, id est, ex bonis mali. Propter hoc Apostolus cùm dixisset, Scimus, quòd diligentibus Deum, omnia operantur in bonum: sciens, nonnullos diligere Deum, & in eo bono vsque in finem non permanere, mox addidit: His qui secũdum propositum vocati sunt. Hi enim in eo, quòd diligunt Deum, permanent in finem vsque: & qui ad tempus inde deuiant, reuertuntur, vt vsque in finem perducantur, quod in bono esse cœperunt. Hæc D. Augustinus.

Nomine igitur Sanctorum in hac quæstione, quósnam secundum Scripturarum descriptionem, & Christi definitionem intelligam, habetis: nempe illos, quibus, quia vocati sunt secundum propositum, & æterno amore à Deo dilecti, ipsi quoque Deum amare nunquam desinunt: omnia etiam peccata, vt ait D. Augustinus de corrept. & gratia, cap. 9. per Dei gratiam cooperantur in bonum: sicut de iis ait Apostolus Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.

Licet autem ex iis, quæ tum de vera fide, tum de gratia, tum de verè sanctis secundũ Scripturas explicaui &, cùm Augustini, tum etiam Buceri testimoniis confirmaui, facilè, quod vestrum est prudentissimum iudicium, concludere possitis, tam esse certum, electos verè sanctos perseuerare in fide & in gratia, ideóque in Christo: vt si non perseuerent, neque verè electi; neque vera fide præditi; neque verè sancti vnquam fuisse, dici vllo modo possint: tamen quia hæc controuersia de perseuerantia Sanctorum, quædam etiam alia, præter illud primum atque præcipuum, habet capita, quæ ad perfectam huius cognitionem, cognitu ipsa quoque necessaria sunt: Iccircò Dominos meos clementissimos rogo: vt ne ea quoque, quæ sequuntur, attentè legere, & diligenter examinare grauentur.

CAPVT II.

Quæ non controuertantur, & quæ controuertantur in hoc articulo de Perseuerantia.

NVNC *remouenda sunt illa, quæ non veniunt in hanc præsentem de perseuerantia Sanctorum quæstionem: idq; duabus de causis: vna, vt Domini clariùs intelligant statum controuersiæ: atque ita rationes etiam, quibus sententiam meam probabo, meliùs percipiant: & an concludant nécne, faciliùs intelligant. Altera, vt posteaquam viderint, de quibúsnam controuersia sit inter nos, & de quibus non sit: intelligant, quanta sit & probitas, & eruditio meorum aduersariorum: qui cùm ea mihi obijciant, & impugnent, & damnent, quæ tamen ego nunquam aut asseueraui, aut etiam in quæstionem adduxi: declarant, se aut nescire, quid dicant, & de quibus loquantur: aut à Spiritu non bono agitari.*

1. Ac primùm quidem hic nulla est controuersia, de fide illorum sanctorum hypocritarum, qui fidem & pietatem ita simulant, vt etiam se simulare minimè ignorent. qualis fuit ille doctor hypocrita, qui simulabat fidem in Christum, & se illius doctrinam amplecti: ac proinde illum, vti magistrum suum interrogauit, dicens: Quid faciendo vitam æternam possidebo? Luc. 10. Et quales fuerunt illi, qui à Pharisæis missi, dixerunt Christo: Magister, scimus, quòd verax sis, & viam Dei cum veritate doceas, & non cures quempiam: neque enim respicis personam hominum. & ille, & isti ita fidem & reuerentiam in Christum simulabant, vt etiam scirent se eam simulare. Ita multi sunt in Republica Christiana, qui etiamsi vnà cum aliis profiteantur Christum: certò tamen sciunt, se non verè in Christum credere: & quidquid pietatis profitentur, esse simulatum: id quod impia etiam ipsorum vita, & firmum in sceleribus perseuerandi propositum, illis confirmat. De horum omnium fide, vel potiùs simulacro fidei, præsens quæstio de perseuerantia Sanctorum in fide, nullo modo intelligitur.

2. Neq; etiam intelligẽda est de fide temporaria alterius generis hypocritarũ: nẽpe illorũ, qui ita sibi videntur ex animo & verè credere in Christũ, & speciosa quadam vitæ sanctitate, tũ

sibi,tum aliis imponũt: vt nullo modo suam fidem hypocriticam esse agnoscant:quanquã Deus probè videt illam omnino non esse sinceram aut veram.Sunt enim multi, in quorum cordibus ita latet dolus,latet hypocrisis, latet impietas: vt neque ipsi eam intueri & agnoscere possint: sed solus Deus: iuxta illud Hier.17. Prauum est cor hominis, & inscrutabile: quis & cognoscet illud? Tales fuerunt illi,de quibus Iohan.2. Multi videntes signa quæ faciebat, crediderunt in eum.Iesus autem non se credebat eis: eò quòd ipse nosset omnes: & opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine.ipse enim sciebat,quid esset in homine.q.d.Illi nesciebant, in se ipsis latere incredulitatem; in suis ipsorum cordibus latere dolum, atque hypocrisin; sed tamen Christus sciebat, quales essent; & an verè crederent, nécne: ipse enim solus sciebat, quid esset in homine.Tales sunt omnes illi, qui à Domino Iesu vocantur πρόσκαιροι, hoc est, temporarij.ipsorum enim fides sincera,ideóque vera non est: quanquam ipsi tam sibi, quàm aliis vera & sincera fide præditi esse videantur. Non esse autem illorum fidem sinceram, atque iustificantem,infrà demonstrabo apertissimis,tum sacrarum Scripturarum,tum Lutheri,atque Buceri testimoniis. Quare cùm non sit vera atque sincera fides illorum, pietas & sanctitas: ipsi quoque verè sancti & verè pij esse non possunt. Nostra autem quæstio est, de vera verorum Sanctorum fide.

3. Neque etiam,vt modò de veris Sanctis loquamur,cõtrouersia est: An electi, etiam postea quam iustificati & regenerati,& sanctificati sunt,donatique vera fide & Spiritu sancto, possint peccare,& frequenter peccent. Hoc enim est extra omnem controuersiam: cùm nemo nesciat,quid de se,& omnibus regeneratis scribat Apostolus 1.Iohan.1.Si dixerimus,quòd peccatum non habeamus,ipsi nos seducimus,& veritas in nobis non est.

D.Hieronymus Tom.2. adscribit hunc errorem Iouiniano: & eum multis Scripturarum locis doctissimè refutat,lib.2.aduersus Iouinianum.

Augustinus verò Tom.6.lib.de hæresibus ad Quod vult deum,hæresi 88.hanc hæresin attribuit Pelagio Monacho.

Irenæus tamen longè ante Augustinum & Hieronymum,hanc hæresin collocat inter alios Valentini & discipulorum eius errores,libro primo. Cùm enim reliquorum hominem appellarent alios χοϊκοὺς;alios ψυχικοὺς;se ipsos vocabant πνευματικοὺς:in quos nullum peccatum,nullaue impietas cadere posset.

4. Neque verò etiam controuersia est: an ij electi,atque sancti peccent,tantùm dum sentiũt flammas concupiscentiæ,quod omnium sanctorum esse, dum sunt in hac mortali carne, dubitat nemo: An verò etiam nonnunquam ex aliquo consensu in varia labantur peccata, eáque grauissima,tam in primam,quàm in secundam tabulam admissa. Scimus enim omnes, Dauidem & Petrum grauissima admisisse facinora: illum in secundam, hunc in priorem tabulam: idque ex consensu & voluntate: sed vt postea demonstrabo, non plena. Est hic error quorundam Anabaptistarum & Libertinorum:qui dicunt,etsi ipsi quoque sentiant carnis affectiones:carni tamen ita nunquam consentire,vt verè & propriè peccent.

5. Neque item controuersia est: an Sancti, dum hoc modo peccant, nimirum ex consensu, Deum offendant,& eius iram contra se prouocent.est enim apud omnes pios in confesso: Deum omnibus,& omnium tam piorum,quàm impiorum peccatis offendi:atque ita offendi, vt eius ira semper contra eos;qui peccant,tam pios,quàm impios, tam electos, quàm reprobos prouocetur. Nemo enim ignorat illud de ipsis etiam filiis Dei à Deo per Prophetam pronuntiatum, Psal.88. Quòd si filij mei dereliquerint Legem meam: visitabo in virga iniquitates eorum. Flagella quoque grauissima, quibus pios propter sua peccata punitos fuisse in Scripturis legimus,& quotidie puniri videmus, confirmant,Deum omnibus & omnium peccatis offendi:& ad iracundiam,vt Scripturæ loquuntur, prouocari.

6. Atque hinc etiam manifestum est:non esse controuersiam:an sancti iis peccatis quodãmodo inimici Dei fiant, & à gratia Dei excidant: nempe eo modo, quo etiam filij nonnunquam à gratia parentum excidere dicuntur.liberi enim cùm parentes offendunt, & ad iracundiam prouocant, dicuntur quodammodo excidere à gratia parentum: quatenus scilicet parentes,

etiamsi

etiamsi nondum penitus paternum exuant affectum erga liberos, neque voluntatem, hæredes illos omnium bonorum paternorum constituendi & declarandi mutent: offensi tamen peccatis liberorum, paternas blanditias in seueritatem quasi hostilem, & aperta amoris effecta, in ea effecta mutant, quæ odij effecta omnino esse videntur. illis enim acerbè irascuntur, toruis oculis illos intuentur, acriter obiurgant, & quasi inimicos suos crudelissimè nonnunquam verberant, & tantùm non occidunt. Quis non tum dicat, tales liberos verè inimicos factos esse suis parentibus, & excidisse prorsus à gratia parentum? Ita filij Dei dicuntur suis peccatis inimici Dei fieri, & excidere à gratia Dei: cùm Deus, etsi nunquam paternum erga illos affectum ponat, aut voluntatem dandi illis per Christum vitam æternam mutet. tamen illorum peccatis offensus, effecta amoris in effecta odij cuiusdam, odij, inquam, non erga filios, sed in filiorum scelera mutat: idq; tam intus in ipsorum, qui peccant animis, quàm foris. Intus quidem, dum facit, vt sentiant conscientiam se accusantem, Deum sibi esse iratum, & se reos esse mortis factos. Foris verò: dum facit, vt iram Dei contra se, etiam in flagellis corporis & rerum externarum experiantur. De hoc igitur non est controuersia, quoniam non minùs ego, quàm alij, & scio, & doceo, Deum, cùm sancti peccant, illorum peccatis offensum irasci, & peccata in illis odisse, & grauissimè punire, non quidem vt inimicum Sanctorum: eos enim semper castigat, vt Pater: sed vt hostem vitiorum & scelerum in suis etiam filiis: ac proinde quodammodo (quem scilicet superiùs explicaui) dici posse, hosce filios excidisse à gratia Patris: quanquam neque ille desinit illis esse Pater, neque isti illius desinunt esse filij: ac proinde nunquam penitus à gratia Patris excidisse, dici verè possint: id quod verè dici posset, si & ipse desineret illis esse Pater, omnémque erga illos paternum affectum poneret, decretúmque constituendi illos hæredes vitæ æternæ, mutaret: & isti desinerent illius esse filij, & omne ius vitæ æternæ amitterent: quod non sine blasphemia dici potest.

7. Neque etiam quæstio est: an Sancti iis suis peccatis, quantum in ipsis est, in diuinam æternæ mortis sententiam incurrant, seu an rei æternæ mortis fiant. Nemo enim est, qui illam iusti Iudicis sententiam ignoret: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro hoc, vt faciat ea. Sunt igitur omnes, quicunque illi sint, qui in Legem Domini peccant, suapte natura, & quantum in ipsis est, maledicti, & æternæ mortis rei. Sed an hæc peccata Sanctis imputentur à Deo ad condemnationem, alia quæstio est. Paulus Rom. 8. pronuntiat hoc modo: Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulent, sed secundum Spiritum. isti autem sunt Sancti, de quibus ego loquor in hac quæstione.

8. Proinde quæstio etiam non est: an Sancti ijs suis peccatis ita offendant Deum Patrem, & ita illius iram aduersus se prouocent, & sententiam æternæ mortis incurrant: vt opus habeant resipiscentia, & nouo fidei actu ad Patrem sibi reconciliandum, & ad nouam peccati veniam consequendam: & proinde ad pœnæ etiam, quæ peccato debetur, condonationem impetrandam. Est enim illud in confesso apud omnes verè pios & verè doctos, Sanctis ad nouam noui peccati remissionem consequendam, nouo fidei & resipiscentiæ actu opus esse, iuxta illud in Scripturis vulgatissimum: Fide homines iustificari, & peccata remitti: quæ dicta, cùm de adultis sermo est, intelliguntur semper de fide actuali, hoc est, de actu fidei: quo non solùm mente intelligimus peccata nobis esse per Christum remissa, sed etiam voluntate huiusce modi remissionem Euangelio significatam & oblatam apprehendimus, atque recipimus. Nam illud quidem certissimum atque verissimum est: Deum peccata electis nunquam ad æternam condemnationem imputare, idque tribus de causis: quarum prima est æternus ipsius & immutabilis amor, quo electos in Christo ab æterno complexus est, & continenter sine intermissione prosequitur: amor autem ibi non est, vbi ad condemnationem peccata imputantur. Altera est ipsum perpetuum Christi meritum, quo omnia electorum debita semel persoluta sunt, facto ipsorum etiam debitorum chirographo: idque, vt non possint amplius ad condemnationem electis imputari. Tertia est ipsa perpetua Spiritus sancti in cordibus electorum inhabitatio, & seminis fidei, atque regenerationis conseruatio. Etsi igi-

tur hoc certissimum est, Deum peccata nunquam electis imputare: idq; tum propter suum æternum erga ipsos amorem, tum propter perpetuum Christi meritum ipsis imputatum: tum propter perpetuam Spiritus sancti in ipsorum cordibus habitationem, & fidei cõseruationem: interim tamen illud etiam verissimum & certissimum est, Sanctos, postquam lapsi sunt, licet ex infirmitate, in aliquod peccatum, non posse illius noui peccati nouam remissionem consequi sine nouo fidei & veræ resipiscentiæ actu: hoc est, non posse sine noua fidei cognitione & apprehensione denuò intelligere atque percipere illud nouum peccatum sibi esse remissum, Patrem sibi reconciliatum, & pœnam, quæ peccato debebatur, condonatam. est enim illud in religione Christiana certissimum axioma: Nouum peccatum, noua opus habere remissione: & nouam remissionem noua impetrari fide, hoc est, nouo fidei actu ipsam apprehendente remissionem.

9. Neque etiam quæstio est: an Sancti iis suis peccatis conturbent, atque, vt Apostolus Ephes. 4. loquitur, contristent tum Spiritum sanctum in se habitantem: tum: suum spiritum, hoc est, interiorem hominem. Est enim in confesso, & omnes Sancti sentiunt, cùm peccant, & postquam peccarunt, suum spiritum, mentem & conscientiam perturbari ac sauciari. nam vis quasi quædam fit spiritui & conscientiæ, cùm ex consensu peccamus, inde oritur perturbatio mentis. Quia verò Spiritus sanctus in cordibus piorum inhabitat, & interiorem hominem agit, atque sustentat: inde fit, vt perturbato nostro spiritu, hoc est, homine renato & interiore, ipse quoque Spiritus sanctus inhabitans, conturbari ἀνθρωποπαθῶς dicatur à Paulo. De hac conturbatione ipse quoque Dauid conqueritur, dicens Psalm. 29. Auertisti faciem tuam, ô Deus, à me: & factus sum conturbatus. Quibus verbis indicat, vt etiam AVGVSTINVS obseruauit, tum Sanctos labi in peccata, cùm Deus paululùm suam auertit faciem, & eos relinquit suo arbitrio, atque ita eos turbari: cùm verò Deus conuertit faciem iterum, & respicit nos: tum demum nos iterum repurgari & confortari. Sic etiam contigit Petro.

10. Atque hinc etiam perspicuum fit, non esse quæstionem, An Sancti iis peccatis ardentem in se Spiritum suffocent, & bonos eius motus atque actiones ac flammas reprimant, & quodammodo extinguant, ac proinde etiam fidem ipsam labefactent, inuocationem, fiduciam, gaudium, pacémque conscientiæ, & alia fidei effecta opprimant. ista enim peccati effecta, sunt illæ animi perturbationes, de quibus Eph. 4. Nolite Spiritum contristare. & de quibus Dauid: Auertisti faciam tuam à me, & factus sum conturbatus. De hac fidei, spiritus, & caritatis labefactatione, & imminutione, ac restinctione, intelligitur illud Apocal. 2. Habeo aduersus te pauca: quòd caritatem tuam primam reliquisti: non certè in totum: nam antè eum laudauit à constantia, dicens: Sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. mox ait, Sed habeo aduersus te pauca, quòd caritatem tuam primam reliquisti. non ait simpliciter caritatem, sed Primam, hoc est, illam ardentem. refrigerat ergo igitur & languerat, sed non penitus exstincta fuerat.

11. Quæstio denique non est: an etiam, quantum in se est, Sancti totum fidei, caritatis & Spiritus ignem penitus exstinguant. illud enim constat, Sanctos, dum peccant ex consensu aliquo, talia admittere peccata, propter quæ mereantur, vt omni prorsus fide, & Spiritus auxilio spolientur. Neque si seruatur in istis fides & Spiritus: ipsorum aut meritis, aut viribus seruatur: sed tum propter merita & intercessionem Christi: tum propter promissionem & misericordiam Dei, virtute Spiritus sancti seruantur.

Neq; ego de iis omnibus, quæ modò ab ista quæstione excluſi, aliter vnquam aut sensi, aut docui in vestra Schola, quàm hic à me sunt explicata: id quod meæ scriptæ prælectiones testificari liquidò possunt. Quare, qui me innocentem, & puræ atq; orthodoxæ doctrinæ iam multos annos professorem, nunc primùm, post annos nimirum octo, quibus in vestra Schola & docui, & disputaui: de multis etiam quæ hic recensui, quasi contrarium istis docuerim: vbiq; falsò accusarunt, traduxerunt, calumniati sunt, idq; securè, quòd viderunt me peregrinum esse, imperitum linguæ Germanicæ, destitutum gratia populari, impeditum etiam ne, quæ

poterant

poteram ratione, saltem in Schola veritatem, meámque existimationem defenderem : Qui me inquam hominem Christianum, professorem Scripturarum, & Ecclesiæ Christi membrum tam grauibus calumniis, per sesquiannum, & amplius, apud omnes traduxerunt, & nunquam colloquio me dignari voluerunt. Viderint ipsi, qua conscientia hæc fecerint. Qui sunt ex electis, & qui vel ex ignorantia, vel ex infirmitate peccarunt : ego illis precor à Domino resipiscentiam. reliquos, si qui non sunt Domini (nouit autem Dominus, qui sunt sui) cito ad tribunal Dei altissimi. Deus est iustus iudex : & horrendum est incidere in manus Dei viuentis.

CAPVT III.

Quæstio prima, de duplici homine in renatis.

An quisque Sanctus atque regeneratus duplici constet homine : interiore nimirum, atque exteriore.

NVNC *venio ad controuersa, quæ ad summam, quinque quæstionibus continentur. Primarius enim meus accusator, hoc etiam ex meis prælectionibus collegit, atque damnauit: vt videre est in thesibus mihi ab ipso obiectis. In fine etiam suæ orationis aduersus epilogum meæ prioris orationis in Capitulo habitæ, habet hæc verba*: Nihilominus tamen hanc, quam facit Zanchius, in quinta sua propositione de perseuerantia Sanctorum distinctionem, inter duplicem renatorum hominem, & quòd renati tantùm carne peccent, non verò tota voluntate, & toto pectore : falsam & portentosam esse assero. *Hæc ille : quibus quid damnet in mea doctrina, nemo non intelligit: nimirum renatos constare duplici homine: & eosdem, cùm peccãt, non peccare secundum Spiritum, sed secundum carnem, ideóque non plena & tota voluntate.*

Quod igitur ad illam distinctionem attinet, aio eam esse Apostolicam, & in Ecclesia Dei antiquissimam: idq; iudicio etiam omnium doctorum & piorum virorum : ita vt mirer, quî fieri possit, vt Doctor Theologiæ, hanc distinctionem portentosam appellarit. Quid autem nomine hominis interioris & exterioris intelligam : centies in Schola fuit à me explicatum : nimirum Interiorem, esse totum hominem, quatenus ex Deo natus, & Spiritu sancto renouatus est : eundem verò totum hominem, quatenus ex Adamo natus, corruptus & deprauatus est, exteriorem vocari: quorum etiam illum nouum, hũc autem veterem hominem appellant Scripturæ. Sic etiam docti omnes interpretantur: & præter alios Bucerus in Epist. ad Rom. 7. & ad Eph. 3. quanquam hanc etiam interpretationem interioris & exterioris hominis, quasi mea solius esset, impugnarunt aduersarij mei.

Testimonia verò huius distinctionis sunt apud Apostolum multa: Rom. 7. Condelector Lege Dei, secundum interiorem hominem : video autem aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ. Quis hîc in Apostolo renato non videat duplicem hunc hominem, interiorem & exteriorem? Rom. 6. Hoc scientes : quòd vetus homo noster simul cum eo crucifixus est. Vetus homo, Apostolo est totus homo natus ex Adamo, corruptus & animo, & corpore. Coloss. 3. Exuite veterem hominem, & induite nouum. Quid est nouus homo? totus idem homo : quatenus renouatus est, & regeneratus in Christo. Eph. 3. Vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominẽ. Ibi Bucerus: Vocat, inquit, interiorem totum hominem reformatum : sicut per exteriorem totũ hominem animalem intelligit, & corruptum, & veterem. Interior idem est, quem aliâs nouum: Exterior, quem aliâs vocat veterem. Hæc Bucerus. Ephes. 4. Deponentes veterem hominem : & induentes nouum. Ibi Bucerus : Vetus, inquit, homo est tota natura nostra, vt est in hunc mundum prolata : & eam attulimus nobiscum ex visceribus matris nostræ, sine Spiritu S. quæ appellatur caro, Coloss. 3. Hæc ille. Apparet igitur, distinctionem hanc non esse portentosam.

QVÆSTIO SECVNDA,

De modo, quo Sancti volentes peccant.

QVOT *ad alterum attinet: damnant hanc propositionem tanquam falsam & portentosam, Sanctos seu renatos, cùm peccant, idque volentes, non secundum hominem interiorem, hoc est, ea parte, qua sunt renati; sed tantùm secundum exteriorem, hoc est, ea parte, qua non sunt renati, peccare: seu eos peccare, non secundum Spiritum, sed secundum carnem: neque velle peccatum voluntate Spiritus, sed tantùm voluntate carnis: ac proinde peccare quidem voluntate, sed non tota: & ex consensu, verùm nõ pleno: id quod alij dicunt, non ex animo. Hanc, inquam, damnãt propositionem vt falsam & portentosam: vt suprà ostensum est. contrà verò contendunt, Sanctos, cùm peccant ex consensu, quemadmodum peccauit Dauid & Petrus, peccare tota & plena voluntate, totóq; pectore. Sic enim de Petro aiunt, Petrus toto pectore abnegauit Christum, & toto pectore abhorrebat à Christo. Ac proinde inde concludunt, Sanctos, cùm peccant volentes, amittere penitus totam fidem, & totum Spiritum sanctum. Ego contrà, hanc ipsorum sententiam, tum generatim de verè Sanctis omnibus, tum speciatim de Dauide & Petro, tanquam pugnantem cum sacris literis, & doctis, sanctisque Ecclesiæ Patribus, damno: illam verò superiorem sententiam probo, atque amplector: idq; multis adductus tum rationibus, tum sacrarum literarum & Patrum, doctorúmq; virorum testimoniis: quorum quædam hic subiicio.*

1. *Si sancti, cùm volentes peccant, tota & plena voluntate, totóque corde peccant: nulla igitur sui parte peccatum odio habent, aut detestantur, & nolunt. Hoc autem falsissimum est, & pugnat cum sacris literis.*

Rom. 7. Apostolus de Sanctis & renatis omnibus in sua persona repræsentatis, sic ait: Lex spiritualis est: ego carnalis sum, nempe quod ad hominem exteriorem: venundatus sub peccato, hoc est, sub tyrannide peccati originalis: sicut seruus emtitius sub tyrannide emtoris sui. huiusmodi autem serui non amant tyrannos suos; neque illis ex animo seruiunt. cupiunt enim perpetuò libertatem. Docet igitur, Sanctos perpetuò odisse peccatum: proinde cùm peccant, non peccare plena voluntate, seu ex animo. Hoc meliùs explicat, cùm subdit: Quod enim ago, scilicet peccatum, non probo: hoc est, neque mente laudo, neque voluntate interioris hominis amo. vtrumque enim simul significat Apostolus verbo γινώσκειν: sicut & alibi sæpiùs in Scripturis: vt Rom. 9. Non repulit plebem, quam προέγνω, id est, præcognouit vt suam, & præamauit. ita Matth. 11. Non noui vos. Sequitur Apostolus. Non enim quod volo, hoc facio: sed quod odi, hoc ago: hoc est, quod volo voluntate spiritus, hoc ego vt carnalis non facio, nempe bonum: sed quod odi spiritu, hoc ago, vt carnalis, nempe malum. Docet igitur, in renatis, quatenus renati sunt, semper inesse odium peccati: tametsi quatenus carnales sunt, subinde admittant peccata: id quod paulò pòst repetit, dicens: Non enim quod volo, facio bonum: sed quod non volo voluntate Spiritus malum, hoc ego, vt carnalis ago. Et mox: Condelector enim Lege Dei, secundum interiorem hominem: video autem aliam Legem in membris meis pugnantem cum Lege mentis meæ, & captiuum me reddentem Legi peccati, quæ est in membris meis. Ecce eius quod initiò dixerat explicationem & confirmationem: nempe cùm dixit: Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccatum. Renati igitur propter hominem interiorem, qui odit peccatum, sunt ceu captiui in corpore peccati: ac proinde cùm faciunt peccatum, non illud faciunt ex animo: quia spiritu illud detestantur, & quasi inuiti illi seruiunt: vnde & dolentes hanc miseriam & seruitutem quasi coactam, exclamant cum Apostolo: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? & quia confidunt, se certò liberatum iri per Christum: ideo se sustentant hac spe, dicentes, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

Quòd

Quod autem multis docuerat, posteà concludit in fine capitis, dicens: Itaque ipse idem ego mente quidem seruio legi Dei: carne autem legi peccati. Apostolum hîc loqui de renatis, fatentur omnes docti. Non loqui autem tantùm de motibus concupiscentiæ, sed etiam de peccatis actualibus, quæ Sancti interdum admittunt; præter testimonia Doctorum virorum, docent verba illa sæpè repetita, Facio, Ago, Operor, Seruio. Sic etiam Bucerus scribit in eum locum. Facere, inquit, quidam in his pro concupiscere accipiunt. Sed sic non loquitur Paulus: factum ipsum intelligit, quod impulsu concupiscentiæ fit, contra id quod mens dictat, & mens legi consentiens approbat. Si igitur sancti in peccatis etiam actualibus agunt, quatenus carnales, quod nolùt sed oderunt, quatenus spirituales & renati: manifestum est, Sanctos nunquam peccare plena voluntate, seu pleno consensu. Immò eo vsque progreditur Apostolus in eo loco: vt quoniam sancti non peccant plena voluntate, neque secundum interiorem hominem, dicat, Sanctos, cùm peccatum admittunt, non illos esse, qui malum agant aut operentur: sed peccatum ipsum, nempè originalem corruptionem, quod est in illorum membris. Sic enim argumentatur. Si autem quod non volo, ago: non iam ego operor, id est, perpetro illud, sed quod inhabitat in me peccatum. Quis hîc non videat: Apostolum apertè & multis concludere, tantùm abesse vt sancti, cùm peccant etiam actualiter, vt vocant, debeant dici peccare tota & plena voluntate, totóque pectore, & tam secundum interiorem, quam secundum exteriorem hominem: vt potiùs quodammodò possint dici non ipsi malum facere, sed ipsum inhabitans peccatum? idque propterea quod pars renata non consentit peccato: interim tamen, non excusantur à peccato, neque illorum peccata extenuantur: nam licet non secundum præcipuam partem, nempè secundum hominem interiorem, sed tantùm secundum exteriorem peccent: & mente quidem legi Dei, carne autem legi peccati seruiant: tamen reuerà ipsi sunt qui sua propria voluntate peccant.

2. Si pij peccant tota voluntate, ergo quæcunque volunt secundum carnem, ea perficiunt, At hoc est contra Apostolum qui Galat. 5. ait: Caro concupiscit aduersus Spiritum: & Spitus aduersus carnem: vt non quæcunque volueritis, ea faciatis. Hoc dictum est intelligendum ex æquo, nempe quod quia caro pugnat contra Spiritum: iccirco sancti, quæ volunt secundum Spiritum, non semper possint perficere: & contra, quia Spiritus pugnat aduersus carnem, ideò sancti, quæ volunt secundum carnem, perficere itidem non semper valeant. Ergo sicut sancti non amant Deum toto corde & tota mente, quia caro impedit: ita non amant peccatum, neque peccant toto corde, quia Spiritus, ne id fiat, impedimento est.

3. Sancti nunquam peccant ex destinata malitia, seu vt alij volunt, ex animo, sed semper aut ex infirmitate, aut ex ignorantia. Malitia autem in ipsa propriè residet voluntate & corde, Matth. 15. Non igitur sancti peccant plena voluntate, toto corde, plenóque consensu.

Sanctos verò nunquam ex destinata malitia, sed semper ex ignorantia aut ex infirmitate peccare: his demonstratur testimoniis. Sancti secundum interiorem hominem condelectantur lege Dei, quod sit bona, Rom. 7. atque ita delectantur, vt quos non delectat lex Dei, ij non sint sancti. Ideo cum Dauide quisque Sanctus verè dicit: In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam ò Deus: Volui, sui collibuit, & Lex tua in medio cordis mei (scripta est) Psalm. 89. Habent enim legem scriptam in cordibus suis per Spiritum sanctum. Ierem. 31. Idcirco in ea perpetuò meditantur, Psal. 1. In eorum etiam cordibus non est dolus. Psal. 32. Sunt enim veri Israelitæ, in quibus non est dolus. Ioh. 1. Et habent Spiritum Christi, à quo in interiore homine reguntur: alioqui sancti non essent. Rom. 8. Et diligunt iustitiam, & oderunt iniquitatem. Psal. 44. Diligunt enim legem Domini. Psal. 118. Gemunt etiam cum Apostolo, quòd sint captiui, venundati sub peccato. Rom. 7. Quomodo igitur possunt ex destinata malitia, ideóque tota voluntate peccare?

Augustinus Tom. 7. de Corrept. & Grat. cap. 9. Exemplo Dauidis & Petri docet, omnes sanctos cum peccant, peccare conturbatos: quod Christus paululum ab eis auertat faciem suam, iuxta illud Psal. 29. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Peccare autem conturbatum: non est peccare ex studio, atque ex destinata malitia: sed potius præter animi propositum.

Idem Tom. 4. Quæst. 25. in Num. tria peccatorum genera constituit: alia quæ fiunt ex infirmitate: alia quæ ex ignorantia: alia quæ ex contemtu præceptorum Dei: seu, vt Scriptura loquitur ibi, in manu superbiæ. Aliud est igitur, inquit, præcepta contemnere: aliud, magni pendere quidem, sed aut ignarum contrà facere, aut victum. Est autem in confesso, Sanctos non peccare ex contemtu Dei, aut mandatorum eius, id quod ipse quoque PHILIPPVS MELANCHTHON *in 10. cap. 1. Corinth. scribit: eos non peruenire vsque ad Epicureum contemtum. amant enim Legem & mandata Dei. Psal. 118. Peccare autem ex contemtu; & destinata malitia, idem sunt. Sancti igitur ex destinata malitia nunquam peccant. Quomodò igitur Theologi quidam audent contra me scribere, eos peccare toto corde & voluntate tota?*

Gregorius I. Tom. 1. in Iob. cap. 34. lib. 1. cap. 11. eandem tradit distinctionem, ex ignorantia, ex infirmitate; ex industria atque studio. & ex ignorantia ait peccasse Paulum qui ait: Sed ideò misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Ex infirmitate Petrum, cùm negauit Christum: Ex studio & industria, illos Iudæos, de quibus Dominus: Si non venissem, inquit, nec locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Item: Et viderunt, & oderunt me & patrem meum: Iohan. 15. Hinc quid sit peccare ex infirmitate & ex studio, declarat dicens: Aliud est enim bona non facere: aliud bonorum odisse doctorem: sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare. Sæpe enim peccatum præcipitatione committitur: quod tamen consilio & deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque solet accidere: amare bonum, sed implere non posse. Ex studio verò peccare, est bonum nec facere nec amare. Sancti autem semper amant bonum: alioqui sancti non essent. vnde & Augustinus de Corrept. & Gratia cap. 9. iuxta illud Apostoli, Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum: iis qui secundum propositum vocati sunt sancti, ait: Hi enim (scilicet sancti, secundum propositum vocati) in eo quod diligunt Deum, permanent vsque in finem. Si igitur, iuxta D. Gregorium peccare ex studio, est bonum nec facere nec amare: &, iuxta Augustinum, sancti semper amant bonum, quia in eo quod amant, permanent vsque in finem: consequitur, Sanctos non peccare ex studio, seu ex destinato malitia.

Lutherus quoque idem passim tradit. Tom. 5. in Comment. maiori in Epist. ad Galat. 5. in illa verba, Manifesta sunt opera carnis: apertiss. verbis ait: Dauidem & Petrum, cùm illa grauia scelera admiserunt, peccasse ex infirmitate, & non ex destinata malitia. Hinc Paulus (inquit) de Sanctis loquens, dicit carnem in ipsis concupiscere aduersus Spiritum. Itaque non aderunt desideria & pugnæ carnis, non tamen ideò statim obsunt illis, qui eas sentiunt. sed ita de hac re iudicandum est: aliud esse solicitari à carne, & eius concupiscentias non vltrò ferre, sed Spiritu ambulare & reniti, & cætera: aliud esse assentire carni, & opera eius securè perficere, in illis commorari; & tamen interim simulare pietatem, & iactare Spiritum, &c. Priores consolatur, dum dicit eos Spiritu duci, & sub lege non esse: posteribus comminatur æternum interitum. Immò quandoque etiam accidit: vt sancti labantur, & desideria ipsius carnis perficiant. Sicut Dauid grandi & horribili lapsu cecidit: Item autor fuit cædis multorum, dum volebat Vriam in acie perire: eáque re hostibus etiam occasionem dedit gloriandi contra populum Dei, adorandi idolum suum, & blasphemandi Deum Israël. Lapsus est horribiliter & Petrus: cùm negaret Christum. Sed quamlibet illa peccata grandia sint: tamen non ex contemtu Dei, aut ex destinata malitia, sed ex infirmitate commissa sunt. Deinde admoniti, non perseuerarunt obstinati in peccatis: sed resipuerunt. Male igitur fecit quidam Doctor, qui in Schola dixit: Petrum toto corde negasse Christum; & toto corde abhorruisse à Christo. Lutherus hîc aliter scripsit.

Item paulò pòst fol. 423. ait: Quare sancti peccant, labuntur, & etiam errant, sed per ignorantiam. Non enim libenter vellent negare Christum, amittere Euangelium. Hæc ille. Ergo neque Petrus libenter negauit Christum. erat enim sanctus. Si autem non libenter voluit negare: ergo non tota voluntate negauit.

Bucerus

4. BVCERVS vbiq; hanc eandem inculcat doctrinam: Sanctos scilicet electos nunquam peccare tota voluntate, seu ex animo, destinatáq; malitia: sed semper ex ignorantia & ex infirmitate. Accipite hæc testimonia.

In 7. ad Rom. ex professo hanc quæstionem tractat: Quî cohæreat, nos, quod bonum est, velle, nec facere tamen: malum facere, & id tamen non velle, sed odisse: immò malum & facere, & non facere. Explicaturus autem quæstionem: primùm inuestigat, de quali homine ibi Apostolus exemplo sui loquatur: & in summa concludit, eum loqui de homine renato, qui fide vera iam Legem Dei recepit, & eam amat, eáq; delectatur: sed nondum tantam Spiritus Christi copiam accepit: vt eam possit vita eò vsq; sectari, vt non subinde eam transgrediatur: non solùm concupiscendo, quod etiam perfectorum est, sed etiam in varia & in fœda scelera labendo: sicut Dauidi, & Petro etiam, antequam maiorem Spiritus copiam in die Pentecostes accepisset, accidit. horum enim duorum exempla ibi commemorat. Secundo loco inuestigat, qua ratione fiat, vt idem homo renatus, velit & nolit malum, quod agit. Conclusio est: id contingere, quoniam in homine duplex sit voluntas: vna, qua consentit Legi: altera, qua facit quod detestatur: vna, quæ sequitur cognitionem Legis: altera, quæ sequitur cognitionem hauslam à sensibus, quæq; est de rebus præsentibus: seu id fieri, quoniam in renato duo sunt homines, interior & exterior: mens & caro: quarum vna seruit Legi Dei, altera Legi peccati. Hinc igitur fieri, vt Sancti & malum quod nolunt, agant: & bonum quod volunt, non faciant. Quare eos non peccare pleno consensu, neq; tota voluntate, neq; totos, hoc est, secundum vtrumq; hominem.

Idem in cap. 8. ad Rom. sect. 2. Vos verò non viuitis secundum cupiditates carnis: docet ex Apostolo, fieri non posse, vt qui verè sunt Christi, & habent Spiritum Christi, viuant secundum carnem, & argumentum hoc ipse iis verbis conficit. Quoscunque obtinet Spiritus Christi, ij non possunt secundum carnem viuere. Spiritus Christi obtinet, quicunque Christi sunt. ergo qui Christi sunt, ij nec possunt quidem secundum carnem viuere. Hæc ille. Est autem ambulare secundum carnem, sponte, & libenti, totóq; animo carnis ductum sequi, eiúsq; cupiditatibus tota voluntate obtẽperare. Ergo Sancti nõ peccant toto animo, totaq; volũtate.

Idem in Matth. 8. sect. 2. pag. 222. ait, in hoc Sanctos electos, cùm peccant, à reprobis differre: quòd id ipsum, quod faciunt malum, oderunt, & quamprimùm ab eo resiliunt: quippe rectè persuasi de Deo, & eius bonitate. vnde mente Lege ipsius condelectantur, malúmq; carnis detestantur. Impij autem, malum quod agunt, amant: ac nisi sibi à Deo, vel ab hominibus timerent vltionem, optarent illi perpetuò inhærere.

Et paulò infrà docet, peccata Sanctorum ex imbecillitate fidei proficisci, dicens: Ac quidquid electi peccant, inde venit, quòd sanctæ isti persuasioni aliquid adhuc apud illos deest. Item ait ibidem, quòd mens Sanctorum inconsulta ruit in peccatum, auertente ita aciem eius vi cupiditatis.

Idem in cap. 12. Matth. sect. 4. pag. 307. habet hæc verba. Quicunq; post cognitam veritatem, relapsi ad impietatem animo fuerint, id est, volentes peccauerint: eos necesse est veritatem iam ante damnasse: id autem est blasphemare Spiritum sanctum. Hæc Bucerus.

Manifestum est autem, Sanctos electos nunquam peccare in Spiritum S. vt ibidem Bucerus docet. Nunquã igitur animo relabũtur ad impietatem post agnitã veritatẽ, i. volentes, plena sc. voluntate peccant, vt Bucerus ibi interpretatur, quid sit relabi animo ad impietatẽ.

Idem in sect. 4. pag. 308. Electi, inquit, non peccant vnquam, nisi ex ignorãtia. Item, semper sentias in electis quoddam semen Dei & veritatis studium: etiam tum cùm veritatẽ oppugnant, aut certè pugnantem cum illa vitam degunt. Item: Et in multis perditè viuẽtibus, qui electi sunt, videas latentẽ quendam iusti rectiq; amorem. Et hæc de electis scribit, antequam etiã veritatẽ recipiant, aut iustificẽtur. quãtò magis igitur hæc vera sunt de electis iam iustificatis? Proinde de iis ita subiicit pag. 309. Vbi verò veritatem receperunt (scilicet electi) quidquid peccãt, inde peccãt, quòd per cupiditates carnis auertuntur, vt veritati cognitæ nõ attendant. eò autẽ nunquã prolabuntur, vt veritatem odio habeãt, & insectentur: sed mox

» *potiùs amore ipsius, quòd peccarunt, incipiunt magnoperè odisse & detestari.*
» *Idem Matth.7.sect.6.pag.200. Hactenus igitur peccare pius non poterit: quòd ex animo*
» *iniquitati & peccatis nequit esse deditus, ita vt impij solent: sed Lege Dei mente vsq; conde-*
» *lectabitur: eò quòd semen Dei, verbi ipsius, & Spiritus filiorum, apud illum maneant, na-*
» *túsque ex Deo sit. Simul tamen, quoniam in carne sua boni nihil habet: committit pleraque*
» *quæ odit, veréq; peccata sunt. at quoniam illis secundum interiorem hominem non delectatur,*
» *animóque Christo addictus est, imaginíque ipsius respondere ante omnia cupit, nec dubitat de-*
» *nique, Christi merito omnia sibi condonanda, atque ad imaginem illam peruenturum: nihil*
» *quoque damnationis ei erit, quamlibet peccatori, manenti nimirum in Christo: Rom.8. Deus*
» *siquidem illi peccata non imputabit. quare neque peccata erunt, vti debita non sunt, quæ cre-*
» *ditor remisit: etiamsi verè ea contraxeris, neque persolueris tamen. Proinde, quicunque Christi*
» *verè fuerit: is, vt non poterit peccare, hoc est, peccatis animo deditus esse & studere: quod so-*
» *lùm Deus imputat, & peccatum habet: ita necesse est, voluntati eius pro viribus studeat, ne-*
» *que quidquam priùs habeat, quàm ad ipsius verbum totum se comparasse. Interim tamen ob-*
» *repent à carne non pauca: vt nunquam quidem illi non orandum sit, Remitte nobis debita*
» *nostra: verùm merito Christi, in quo omnem ille fiduciam collocat, omnia vt condonabuntur,*
» *ita peccata non erunt. Qui itaque voluntatem Patris non fecerit, hoc est, faciendæ ex animo*
» *non studuerit (aliud enim facere, non est huius vitæ) is neque Patrem, neque Christum nouit:*
» *non est natus ex Deo, ac Spiritu filiorum Dei etiamnum caret: eóque fucus erit, quamlibet*
» *Christo, Domine, Domine, acclamet. corde namque ipsum Dominum nondum agnouit: quo il-*
» *lum Dominum nemo vocare potest, nisi ex vera fide. Hæc omnia Bucerus.*
» *Idem in Psal. primum, versu 1. pag.3. Porrò obseruandum quod non ait vates: Beatus ille,*
» *qui non fuerit improbus, peccator, malitiosus: sed qui non habuerit cum his commercium, non*
» *fuerit horum secutus consilia, nec facta imitatus. apud eos enim beati esse, & ex Lege Dei vi-*
» *uere possunt, semen Dei, & Spiritus bonus ita obtinet: vt peccare, hoc est, toto animo praui &*
» *peruersi esse nequeant. id quod disertis verbis Iohannes in sua Epistola, cap.3. adseruit: quippe*
» *qui nati sint ex Deo. Ceterùm quotidie delinquimus omnes: vt idem confitetur cap.1. nec pau-*
» *ci identidem à malo præoccupati: consulta sceleratorum ad tempus sequuntur: vt Dauidi, Pe-*
» *tro & aliis vsuenit: quorum alter explendæ voluptatis caussa, & adulterium, & homicidium*
» *admisit: alter cupiditate vitæ eò adductus fuit, vt negaret Seruatorem. Hîc de sententia Bu-*
ceri iterum Dauid & Petrus collocantur in numero eorum, qui etiamsi peccant: non peccant
tamen, aut peruersi sunt, toto animo.
» *Mox de Manasse & latrone subijcit, dicens: Sedisse in sede peruersorum, & penitùs cum*
» *illis in malitia conspirasse videri possit Manasses rex Iehuda: quo nullus regum, vel plus ido-*
» *lolatriæ contra Dominum inuexit, vel sanguinis Prophetici fudit. Cum hoc non abs re for-*
» *san iunxeris latronem cum Domino crucifixum. Vterque sanè filius Dei exstitit: alioqui nec*
» *ille ex corde Deum orare, & malorum suorum exorare veniam: nec hic municipatum para-*
» *disi percipere potuisset. qui namque non sunt ex Deo nati: vt nihil diuinarum rerum intellige-*
» *re, quod Paulus de eis affirmat, neque audire quidem possunt, id quod Seruator ipse testatus est*
» *Ioh.8. Ita neque quærere & orare tale aliquid valent. Vterque igitur ad vitam præordinatus*
» *& ante conditos homines, ad salutem delectus fuit: eóque verè improbus flagitiosus, & mali-*
» *tiosus, quamlibet improbè, flagitiosè, & malitiosè plurima designarint, neuter fuit. quia apud*
» *eos plenus, atque consummatus Dei contemtus, amórque, & studium prauitatis solidum, nun-*
» *quam exstitit: vtcumque sedem sibi inter impios peruersos fixissent: hoc est, meditatam vitæ*
» *rationem inter eos statuissent. Hæc ille. Quòd si electi, etiam antequam sint renati, semen*
quoddam Dei & pietatis in se retinent: quantò magis id censendum est de electis iam rena-
tis? Si autem tale pietatis semen in eis semper residet, nunquam igitur
tota voluntate in facinus aliquod, sicut
impij sese proijciunt.

Explicatio

Explicatio quæstionis, Quî fiat, vt idem Sanctus vir, quod non vult malum, tamen agat, eóque & velit: & quod vult bonum, non faciat, eóque & nolit.

SI quis autem non intelligat, quî fieri possit, vt idem homo, quæ recta sunt, velit, nec faciat tamen: & quæ non vult mala, sed odit & detestatur, faciat tamen: legat Bucerum in illum locum Apostoli, cap. 7. ad Rom. Ibi hanc quæstionem doctissimè & pijssimè, quomodo id fiat, explicat: exemplisque Dauidis, cùm admisisset adulterium; & Petri, cùm negauit Christum, rem ob oculos ponit. Idem facit in libro de reform. Ecclesiarum, in controuersia de iustificatione. fol. 132.

Summa responsionis Buceri ad hanc quæstionem, hæc est, sicut suprà etiam breuiter retulimus: hoc ideo fieri, quoniam in homine duplex sit voluntas: vna, qua consentit Legi, quòd bona sit: altera, quæ facit, quod detestatur. vna, quæ sequitur cognitionem Legis: altera, quæ sequitur cognitionem haustam à sensibus. Dum itaque fide vera Legem Dei consideramus: eam non posse non placere. quare cùm hæc consideratio valet, seu obtinet in nobis: tum nos odisse necessariò, quæ Lex vetat mala: & amare, quæ præcipit bona. Cùm verò mens nostra, tum propter suam à peccato originali acceptam imbecillitatem, tum propter violentas & perturbatas carnis appetitiones à consideratione eius boni, quod proponit Lex, auertitur, atque ad ea, quæ caro vt suauia efficaciter suggerit, rapitur (id quod sine magno fit negotio) tunc nos à consensu Legis, rectáque voluntate in consensum malæ cupiditatis pertrahi: atque ita pertrahi, vt iam actu non iudicemus bonum, nec velimus, nec faciamus: nisi quòd deprauatus carnis sensus appetit. Ita igitur nos malum, quod facimus, nolle: non quòd, cùm illud facimus, actu & simpliciter nolimus: non enim faceremus, si actu & simpliciter nollemus: sed quia paulò antè, quàm scilicet mens nostra fuisset à violentis carnis appetitionibus atque furoribus quasi dementata, illud malum improbabamus, detestabamur, nolebamúsque: & nunc etiam cùm facimus malum, si nostri compotes essemus, illud detestaremur, ac reijceremus. id quod liquidò apparet, quia simulac deferbuerit ille carnis feruor, qui mentes nostras opprimit, ac dementat: mox iterum illud malum, quod facimus, improbabimus, detestabimúrque.

Eodem modo, nos bonum, quod volumus, non facere: non quòd, cùm bonum negligimus, actu illud velimus: sed tum, quòd cùm non essemus à carnis vi, ceu retenta quadã manu in suarum appetitionum consensionem pertracti, bonum, quod proponebat Lex, probabamus, & amabamus: tum quòd etiam nunc, si essemus liberati illo carnis furore, qui nos dementat: illud idem bonum actu probaremus, & faceremus: & vbi liberati fuerimus, omnino faciemus.

Quia igitur in mente Sanctorum, etiam cùm actu peccant, remanet, vt ita dicam, habebitualiter odium peccati, & amor boni: licet actu dementati à carne, negligunt bonum, & faciunt malum: iccircò Sancti dicuntur facere malum, quod nolunt: & non facere bonum, quod volunt: ac proinde non peccare tota voluntate, aut pleno consensu.

Hæc est summa sententiæ Buceri, in ea prolixa & obscura satis quæstione de illis renatis, qui imbecilliorem habent fidem, & non admodum magnam Spiritus Christi copiam. Si verò ij cùm peccant, non dicuntur peccare tota voluntate, & pleno consensu: multò minùs alij Sancti, qui fortiore fide prædíti sunt, & maiorem Spiritus copiam acceperunt: sicut cùm idem Petrus post acceptam maximam Spiritus Sancti copiam, Antiochiæ libertatem Euangelij dissimulando, peccauit, & quasi iterum Christum negauit.

Quoniam verò hæc quæstio ad philosophos quoque pertinet: ideo Aristoteles etiam eam doctissimè, sicut omnia, explicauit in Ethicis ad Nicomachum, lib. 7. exemplo continentis, & incontinentis. Simile etiã mercatoris in naui, qui propter tempestatẽ merces in mare, quò ipse seruetur, proiicit, perspicuũ est. Is certè diuersis respectibus, ἑκὼν, & ἄκων, h. e. voluntariè & inuoluntariè, seu sponte & non sponte merces perdit. Sed ego in rebus sacris simile adferam è sacris literis: & spiritualia spiritualibus iuxta præceptũ Apostoli cõparabo. Nauta, qui Ionam

Prophetam vehebant Tharſum, propter horrendam tempeſtatem, qua fiebat, vt omnium vita periclitaretur. Prophetam in mare dieciecerunt: idq; vt ipſi ſeruarentur cum naui: quemadmodum narrat hiſtoria Ionæ. Illud fecerunt & voluntariè, & inuoluntariè. voluntariè: quia ſi ſimpliciter noluiſſent: in mare Ionam non proiecciſſent. voluerunt ergo proïjcere. Inuoluntariè verò: primum quia ante ortam tempeſtatem, nunquam conſtituerant, aut etiam cogitauerant eum perdere: immò, vt viri boni cogitauerant & decreuerant, illum ſaluum atque incolumem, Tharſum aduehere. Deinde ipſa exorta tempeſtate, non ſtatim inceſit illos libido, aut cogitatio vlla, vel hunc, vel alium hominem in mare deijciendi & perdendi: immò pro ſuis viribus aliquandiu ſuis remis reluctati ſunt fluctibus maris: onera quoque, quæ erant in naui, proiecerunt in mare, vt nauis leuaretur: inuocarunt quoque Deum: denique, poſtquam etiam dixiſſet Ionas, Tollite me, & proïjcite me in mare, & ceſſabit à vobis tempeſtas iſta. noui enim, quòd propter me tempeſtas hæc grandis venit ſuper vos: nolebant tamen illum nautæ in mare proïjcere: ſed adhuc remigando conabantur nauem in terram ſubducere. ſed tandem victi à tempeſtatis magnitudine: maluerunt illum, quàm ſe cum ſua naui perire. poſtquam etiam in mare illum deiecciſſent, vehementer doluerunt factum: & veriti, ne Deus ſe vlciſceretur, ſacrificia illi obtulerunt. Poſtremò, non proiecerunt Ionam in mare, quatenus erant viri boni, & nautæ fideles: nam ea parte & ſalutem Ionæ amabant, & odio eius interitum habebant: ſed id fecerunt, quatenus amantiores ſui fuerunt, & ſuæ nauis, quàm vnius Ionæ: ac niſi tempeſtas illa fuiſſet fortior & vehementior, quàm vt ipſi poſſent illi reſiſtere: nunquam Ionam in mare deiecciſſent. Iis omnibus ſpectatis: nemo eſt, qui non agnoſcat, & dicat, illos nautas inuoluntariè Ionam in mare proiecciſſe: & ita quòd volebant bonum, nempe Ionæ ſalutem, non feciſſe: & quòd malum nolebant, nempe Ionæ perditionem, fuiſſe.

Idem contingit filiis Dei. Sancti in hoc mundo, & in carne mortali, atque corruptiſsima, ſunt ceu nautæ in pelago. Tentationes carnis, mundi, & Satanæ, ſunt maris tempeſtates. Ionas eſt ceu Chriſtus cum ſuo verbo & Lege. Proïjcere Ionam è naui in mare, eſt quaſi Chriſtum & eius Legem à nobis peccando reïjcere. Volentes certè nautæ Ionam in mare deiecerunt. ita ſancti non peccant, Legem Dei à ſe reïjciendo, hoc eſt, tranſgrediendo, niſi quia volunt. Ceterùm, ſicut illi multis ſignis declarant, ſed non libenter, hoc eſt, non ex animo, aut ſtudio Ionam in mare proiecciſſe: ita ſancti demonſtrant, ſe peccatum non velle, quod tamen faciunt. primò ante tempeſtatem tentationum, non eſt illis animus tranſgredi Legem Dei: immò & peccatum oderunt, & Legem Dei amant. deinde, poſtquam inuaſi ſunt à tentatione, non ſtatim ei dant manum: ſed remigando, quantum poſſunt, illi reſiſtunt, ac renituntur, inuocato etiam nomine Dei. renituntur autem tamdiu, donec fracti, tentationi ſuccumbant. quæ niſi eſſet talis ac tanta, vt ſancti ſæpe non queant reſiſtere, ſancti nunquam facerent, quod nolunt: & ſemper facerent, quod volunt. Tertiò, poſt admiſſum peccatum, ſeu poſtquam deferbuit noſtri maris, hoc eſt, concupiſcentiæ æſtus: dolent factum, gemunt, deprecantur culpam: offerúntque ſacrificia pœnitentiæ, vt ignoſcat. His certè omnibus, quæ tum ante tentationem, tum in ipſa tentatione, tum poſt tentationem, atque peccatum admiſſum contingunt Sanctis, ſatis luculenter apparet, quomodo Sancti, cùm peccant, & velint, & nolint peccatum, faciántque quod nolunt malum, & non faciant quod volunt bonum: ac proinde, eos dici nullo modo poſſe, plena, ſicut etiam impios, voluntate peccare.

Hoc quod modo explicaui illo nautarum ſimili: demonſtratur exemplo Petri & Iudæ. Ante peccatum Petro non eſt in animo abnegare Chriſtum: immò contrà, vſque adeo amat Chriſtum, & odit eius offenſiones atque hoſtes: vt verè paratus ſit mori potiùs, quàm Chriſtum abnegare, ac proinde dixerit, Etiamſi omnes te negauerint, ego nunquam te negabo. Talis etiam animus eſt omnibus piis, antequam peccent: cùm ſcilicet ſunt apud ſe, & vi tentationum non abripiuntur, quaſi extra ſe, in tranſuerſum ad abſurda. Iudæ verò certè talis animus non fuit, qualis Petro: immò diu iam & quieto animo officium furis fecerat, Chriſtum, & reliquos Apoſtolos ſuis pecuniis defraudando: ſicut Iohann. 12. teſtificatur eum fuiſſe furem: ideo diu etiam

etiam & quieto animo secum deliberauit, quomodo posset cum suo lucro & sine strepitu Christum in manus hostium tradere. Tales sunt animi impiorum: perpetuò malum meditantur, frigido etiam, vt est, in prouerbio, sanguine.

In ipso verò tentationis æstu, Petrus, etiamsi propter maximam vim metus mortis, quam sibi videbat imminere ex libera Christi Confessione, non legatur reluctatus & renisus fuisse tentationi: tamen ex qualitate trium illius negationum facilè colligere est, de principio non nihil in animo suo restitisse, dum non apertè initiò negauit, sed dissimulauit, ancillæ dicenti: Et tu cum Iesu Galilæo eras, frigidè respondendo: Nescio quid dicas. Nam postquam creuit tempestas, altera vice negauit cum iuramento, apertè Christum negando, & dicendo, Non noui hominem. tertia autem vice, cùm vehementissimus esset ventus tentationis, non tantùm dissimulauit, nec tantùm cum iuramento negauit, sed etiam sese diris deuouendo, exsecratus est, atque, vt inquit Marcus, anathematizauit. At verò Iudas, ab eo tempore, quo cœpit tentari de prodendo Christo, eodem semper fuit animo: neque incurrit in tentationem de improuiso, sicut Petrus: sed ipse diu secum deliberauit, consilia bene coxit, cum hostibus Christi communicauit, & occasiones tradendi eum in illorum manus quæsiuit. Sic agunt impij omnes: non incurrunt in tentationem de improuiso: sed ipsi eas venantur, & quærunt. pij contrà.

Post verò admissum scelus, mox Petrum ita pœnitet facti, vt amarè peccatum suum defleat. Sic agunt etiam pij. Iudas verò etiamsi redierit ad Sacerdotes; & reddita pecunia, dixerit: Peccaui, tradens sanguinem iustum: non legimus tamen eum fleuisse, & verè propter peccatum admissum doluisse. Quare quòd se suspenderit, non ex dolore de peccato fecit: sed ex eo, quòd videbat, se, si vixisset, perpetuò futurum infamem: quòd suum prodidisset Magistrum, præsertim pro tam parua pecuniæ summa. Ita impij dolent nonnunquam se peccasse, non propriè propter peccatum ipsum, sed vel propter infamiam, vel propter pœnam aut temporariam, aut æternam, in quam se incurrisse viderunt. Quare impij huiusmodi pœnitentiis nullo modo indicant, se odisse malum, quod egerunt, sed tantùm pœnam, in quam incurrerunt. Contrà verò Sancti reuera peccata admissa detestantur, & oderunt. Quis in iis duobus Apostolis non videat, quantum discriminis sit inter peccata piorum & impiorum, & inter horum & illorum in peccando voluntates?

Atque vt clariùs in exemplo Petri, id quod dico de omnibus Sanctis appareat, subijciam locum ex libro D. Bernhardi de libero arbitrio, col. 1592, vbi elegantissimè, atque piè, hanc quam tracto quæstionem, de voluntate, qua Sancti peccent, exemplo Petri in medium proposito, explicat. Sed videamus, inquit, de his, qui pœnarum, mortisve timore, fidem verbotenùs negare compulsi sunt: ne fortè iuxta hanc assertionem, aut culpa non fuerit, quòd vel voce negarunt: aut cogi in culpam & voluntas potuerit, vt vellet videlicet homo, quod eum & nolle constiterit; & sic pericrit liberum arbitrium. quod quia impossibile erat (velle quippe & nolle idem eodem tempore non poterat) quæritur vnde malum nequaquam volentibus, malum debeat imputari. Neque enim tale est hoc, quale originale peccatum: quo non solùm non consentiens, verùm plerunque & nesciens, alia ratione constringitur, necdum renatus in baptismate. Exempli caussa veniat in medium Petrus Apostolus. ipse quippe visus est negare veritatem contra propriam voluntatem: siquidem aut negare, aut mori necesse erat. mori timens, negautt: negare nolebat, sed magis nolebat mori. itaque inuitus quidem, sed negauit tamen, ne moreretur. quòd si lingua, & non voluntate loqui homo compulsus est, quod nolebat: non tamen velle aliud, quàm volebat. lingua mota est contra voluntatem: sed nunquid & mutata voluntas? quid enim volebat? prorsus quod erat, Christi esse discipulus. quid loquebatur? Non noui hominem. cur ita? mortem euadere volebat. Sed quid istud criminis fuit? Duas Apostoli tenemus voluntates: vnam, qua voluit non mori, penitus inculpabilem: alteram & multùm laudabilem, qua sibi cõplacebat, quòd esset Christianus. In quo ergo culpabitur? an in eo, quòd Matth 26.

mentiri, quàm mori maluit? Hæc planè voluntas, reprehensione digna fuit: quòd corporis
Sap.1. magis, quàm animæ voluit seruare vitam. Os, nempe quod mentitur, occidit animam. Et peccauit ergo: & non absque consensu propriæ voluntatis, infirmæ quidem & miseræ, sed planè liberæ. Peccauit autem non spernendo, aut odiendo Christum, sed se nimis amando. Nec in hunc peruersum amorem sui, voluntatem metus ille subitus compulit, sed esse conuicit. Iam tunc procul dubio talis erat: sed nesciebat, cùm ab illo, quem latère non poterat, audiuit, Priusquam
Matth.26. Gallus cantet, ter me negabis. Illa itaque voluntatis infirmitas, per incussum timorem nota, non orta, notum fecit quatenus se, & quatenus Christum amauerit: notum autem non Christo, sed Petro. nam Christus & antè sciebat, quid esset in homine. Quatenus ergo Christum diligebat, vim prorsus, quod negandum non est, passa est illa voluntas: vt contra se loqueretur. quatenus verò se; voluntariè procul dubio consensit, vt loqueretur pro se. Si Christum non amasset, non negasset inuitus: verùm si se amplius non amasset, non aliquatenus negasset. Fatendum igitur, hominem fuisse compulsum, voluntatem propriam etsi non mutare, occultare tamen: compulsum, inquam, non quidem recedere ab amore Dei, cedere tamen aliquantulum amori sui. Quid ergo? fortè dissoluta est tota superior assertio de libertate voluntatis: quia nimirum inuenta est cogi potuisse voluntas? Est planè: sed si cogi ab alio potuit, quàm à se ipsa. Quòd si sese ipsa coegit compulsa & compellens, vbi amittere, ibi & recipere visa est libertatem: vim quippe, quam sibi ipsi impulit, à se pertulit. Porrò quod à se voluntas pertulit, ex voluntate fuit: quòd ex voluntate fuit, iam non ex necessitate, sed voluntarium fuit. si autem voluntarium: & liberum. Quem sua denique ad negandum voluntas compulit, compulsus est, quia voluit: immò non compulsus est, sed consensit; & non alienæ potentiæ, sed propriæ voluntati: illi vtique, qua mortem omni modis euadere voluit.
Matth.26. alioqui quando vox mulierculæ linguam sacram in verba formare nefanda valuisset: si non linguæ domina voluntas annuisset? Denique cùm se à sui postmodum nimio temperauit amore, & Christum cœpit, vt debuit, toto corde, tota anima, tota virtute diligere: iam nullis valuit minis, vel pœnis extorqueri aliquatenus voluntas dare linguam arma iniquitati: sed
Act.5. potiùs audacter accommodans veritati: Obedire, inquit, oportet Deo magis, quàm hominibus.
Compulsio gemina. Est sanè gemina compulsio: secundum quod aut pati aliquid, aut agere aliquid cogimur contra propriam voluntatem. quarum passiua quidem (sic enim prior illa rectè nominatur) potest nonnunquam fieri absque consensu voluntario patientis, sed actiua nunquam. Proinde malum quod fit in nos, siue de nobis, non est imputandum nobis, si tamen inuitis. Ceterùm quod fit & à nobis, iam non sine culpa est voluntatis. velle planè conuincimur: quod non fieret, si nollemus. Est igitur compulsio quædam etiam actiua, sed non habet excusationem, cùm sit voluntaria. Cogebatur Christianus negare Christum, & quidem dolens, non tamen nisi volens. Hæc Bernhardus.

Fusiùs hæc explicaui, vt Domini mei meliùs videre queant, quibus rationibus fiat, vt sancti dicantur peccatum quod agunt, velle, & non velle: ac proinde nullo modo dici posse, Petrum & alios pios, cùm peccant, tota & plena voluntate peccasse, aut peccare: quòd alioqui non fieret discrimen inter peccata piorum & impiorum à voluntatibus sumtum: ac proinde tam pij quàm impij ex destinata semper malitia peccarent. Fateor igitur, Sanctos, cùm peccant ex consensu: voluntate quidem non suspensa, sed definita & certa peccare, quoniam absolutè volunt peccare: & nisi vellent, non peccarent. atque hoc modo illorum peccata grauia sunt, neque à me extenuantur. At verò plena & tota voluntate eos peccare, dici non posse contendo, propter duplicem in illis hominem, & alias rationes, atque Scripturarum & Patrum autoritates à nobis illatas.

QVÆSTIO III.

De qualitate peccatorum in Sanctis.

EX secunda quæstione sequitur tertia, quæ est: An in Sanctos cadat peccatum regnans, vt

vt Paulus loquitur, seu peccatum quod contra conscientiam appellatur. Vt autem de quo peccato sit controuersia, probè intelligatur, notandum est, tria esse peccatorum genera: quemadmodum innuit Apostolus Rom. 6. cùm ait: Non igitur regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis illi in concupiscentiis suis.

Primum est peccatum naturæ, radix & scaturigo omnium reliquorum peccatorum, quod originale vocant. hoc significatur κατ' ἐξοχὴν, nomine peccati.

Alterum, sunt huius peccati concupiscentiæ, nobis etiam inuitis obortæ, vt praua desideria, & vitiosi ad peccandum affectus, qui nunquam desinunt hic nobis esse infesti. Hoc genus significatur nomine concupiscentiarum.

Tertium, est peccatum planè actuale, cùm scilicet illi peccato naturæ, eius cupiditates persequendo, paremus: siue id fiat solo consensu, siue etiam dictis & factis. Hoc significatur illo verbo obediendi.

Illud primum est merè originale: alterum partim originale, partim actuale: tertium planè actuale. De primis duobus nulla est controuersia, an sint in Sanctis, nécne: de tertio tantùm est quæstio. Ceterum cùm huius quoque multæ sint species, vt meliùs intelligatur de quo sit controuersia, illud quoque diuidendum est.

Tertium igitur peccatum, quod tum sit, cum originali in suis concupiscentiis persequendis obedimus: ita est voluntarium, vt si voluntarium non sit, non etiam sit peccatum, vt Augustinus multis in locis docet. non enim peccato originali ad perficiendas suas concupiscentias obedire quis posset, nisi volens. Est igitur semper voluntarium.

Ceterùm illi peccato naturæ & inhabitanti, duplici, eáque diuersa ratione ab hominibus obeditur. Alij obediunt volentes quidem, sed tamen voluntate non plena, neque pleno consensu, seu toto corde: sed quemadmodum captiui alicui tyranno. Et hoc contingit illis, qui aut ex ignorantia, aut ex infirmitate peccato obediunt. Ex ignorantia quidem, quia aut simpliciter nesciunt se malè agere: & ij nullo modo dicuntur peccare contra conscientiam: aut si sciunt in thesi, non considerant tamen in hypothesi: vel si considerant, admodum frigidè id faciunt, vi cupiditatum illorum animos à consideratione Legis Dei auertente. Ex infirmitate verò, quia vi & impetu peccati, aut mox perculsi & fracti, sponte se dedunt: aut postquam aliquandiu contrà pugnarunt, tandem superati, ad tempus cedunt. Ita igitur ij primi peccato obediunt volentes, sed non plena voluntate, plenóque consensu. neque enim amant peccatum. Ii possunt dici peccare contra conscientiam, sed καπυχρησικῶς. obediunt enim peccato scientes & volentes: sed neque perfecta scientia, aut attenta cogitatione eius quod agunt, neque plena voluntate & pleno consensu, sicut paulò antè demonstratum est. Alij obediunt plena voluntate, pleno consensu, totóque pectore, & omnibus quibus possunt viribus. Et ij sunt illi, qui ex destinata malitia, seu ex studio, & ex animo peccare dicuntur. Ii propriè peccant contra conscientiam: ita enim sciunt, se facere contra Legem Dei, vt illam contemnant: & ita lubenti voluntate peccato obediunt, vt illud ament, & velint perpetuò, si impunè possint illi inseruire. Proinde hoc peccatum appellatur etiam regnans, quatenus dum peccati naturæ concupiscentias amamus, & ex animo perficimus, efficimus, vt illud in nostris cordibus regnet.

Sunt igitur duo peccati actualis genera, à duobus volendi modis longè diuersis desumta. Vnum, quod ita est voluntarium, vt sit etiam partim inuoluntarium: de quo actionum genere in Ethicis quoque Aristoteles disseruit: quod scilicet non pleno consensu, vt antè expositum est, admittitur. Hoc etiam concedo in Sanctos cadere: nonnunquam enim hoc modo peccant, sicut Dauid & Petrus. Proinde de hoc, vt initiò dixi, nulla est controuersia. Non est etiam controuersia, an hoc peccatum nouo reatu obstringat Sanctos, qui illud admittunt, & ita opus etiam habeant noua huius noui peccati remissione. nemo enim nostrûm id negat.

Alterum genus est ita voluntarium, vt non sit vllo modo inuoluntarium. qua de caussa propriè peccatum contra conscientiam nimirum plenam, & planè vastans conscientiam,

adeóque & regnans appellatur. De hoc igitur altero actualis peccati genere, controuersia est inter nos. aduersarij enim affirmant, Sanctos, vt Petrum, peccare tota voluntate, totóque pectore, atque adeo propriè contra conscientiam. & quoniam huiusmodi peccatum non potest consistere cum fide vllo modo, iccircò inde concludunt, Sanctos posse omnem amittere fidem. Ego cõtrà, nego hoc genus peccati in electos sanctificatos atque renatos cadere. ac proinde etiam consequenter nego, electos sanctificatos à fide prorsus excidere, & Spiritum sanctum penitus amittere posse.

Cur autem negẽ hoc peccati genus cadere in Sanctos: iis adducor rationibus ac testimoniis.

1. Quomodo enim potest regnare peccatum, & per peccatum Satan, vbi regnat iustitia, & Christus? & quomodo potest ibi regnare fides, & per fidem Christus vbi regnat peccatum & Satan? Parabola Christi nota est: Cùm Princeps fortis custodit arcem suam, illam non posse à hoste suo occupari, nisi fortior sit domino arcis, & eum ex arce pellat. Christus autem fortior est Satana, ideò Christus sæpe Satanam è suo pellit regno: & ibi ipse regnat. Satan verò etsi semper oppugnet oppida Christi, hoc est, electos: non tamen illa expugnare, & electo Christo rege, ibi ipse regnare, cùm non sit fortior Christo. Est igitur prorsus impossibile, vt peccatum in Sanctis propriè dominetur & regnet.

2. Peccatum regnans est illud, cuius concupiscentiis, tanquam mandatis regiis homines sine vlla repugnantia, ex animo, plenáque & lubenti voluntate obtemperant, & semper obtemperare parati sunt, iuxta illud Apostoli Rom. 6. Non igitur regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis eius. Sanctis autem, primùm antequam vllum in eos impetum faciat Diabolus & peccatum: nullum est propositum obtemperandi aut seruiendi peccato. illud enim odio perpetuo prosequuntur. Deinde in ipso impetu, atque in cursione peccati conantis illos in sui obsequium trahere: illi pro sua virili peccato repugnant ac reluctantur: licet nonnunquam grauiter vulnerati & cæsi concidant: sed id illis contingit contra animi propositum. Postremò, postquam propter imbecillitatem aliquomodo victi obtemperarunt peccato, iterum vi Spiritus confortati redintegrant pugnam contra peccatum, tanquam contra capitalem & perpetuum hostem: & hanc pugnam, vsque in finem vitæ continuant, Galat. 5. Quomodo igitur dici potest peccatum in Sanctis regnare, aut Sanctos peccato, tanquam regi suo obedire, ad perficiendas concupiscentias eius?

3. Iohan. in sua Canonica hoc in primis contendit: fieri non posse, vt qui verè Sancti, & ex Deo nati sunt, huiusmodi admittant peccata, quæ aliàs vastantia conscientiam, aliàs peccata ad mortem, aliàs regnantia appellantur. proinde illos mentiri, qui iactant se filios Dei esse, & agnoscere Deum, cùm tamen interim securè peccent, odio habeant fratres, & Legi Dei seruandæ non studeant. Illos igitur tantùm esse Sanctos & natos ex Deo, qui vitandis peccatis, & Legi Dei seruandæ incumbunt. Cap. 2. Qui dicit, se nouisse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & veritas in eo non est. Custodiuntur autem in primis præcepta Dei, cùm in corde fixa seruantur, atque amantur. Sic Dauid dicebat: In capite libri scriptum est de me, vt faciã voluntatem tuam, ô Domine. volui, & Legem tuam in medio cordis mei. sc. scriptam habeo, atque insculptam. Si Sancti ita habent fixam Legem in cordibus suis: quomodo igitur in illorum cordibus regnat hoc peccatum?

Cap. 3. Omnis, qui in eo manet, non peccat: & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. Item: Qui facit peccatum, ex Diabolo est: quoniam ab initio Diabolus peccat. Hic apparet, de quibus peccatis loquatur Apostolus, cùm ait: eum, qui peccant, non esse ex Deo natum, sed esse ex Diabolo, nempe de illis, quæ sunt similia peccato omnium impiorum parentis Diaboli. quale autem est peccatum Diaboli? peccatum ex destinata malitia admissum, peccatum regnans, peccatum perpetuum. ipse enim Diabolus ab initio peccat. q. d. ab initio, in hanc vsque horam, perpetuò peccat & hæret in peccato. Fieri igitur non potest, vt qui verè nati sunt ex Deo: talia, id est, Diabolica admittant peccata, & in eis hæreant. Ideo de filiis Dei subdit, d. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia natus est ex Deo.

4. *Hæc quoq; est doctrina non solùm piorum Patrum; nec solùm Lutheri & Buceri, sed etiam omnium Protestantium. Quæ enim in disputatione Ratisbonensi defensa fuerunt, nomine omnium Protestantium fuerunt defensa. Ibi autem paginis permultis inculcatur & defenditur hæc doctrina, illos non habere veram fidem, qui peccata vastantia conscientiam admittant: & contrà, qui sint verè fideles, hæc peccata non admittere, & multò minùs in eis hærere, quòd veræ fidei natura hæc peccata non ferat. Pag. 241. Peccatum, inquiunt, contra conscientiam, vel, vt Augustinus loquitur, vastans conscientiam, vera fides secum non fert, nec vnquã in tali peccato hæret, qui vera & iustificante fide viuit. Pag. verò 242. primùm ostendunt, fidem illorum qui hærent in peccatis contra conscientiam, non esse veram fidem, sed inanem opinionem. Deinde de iis, qui præditi sunt vera fide, sic aiunt: De fide tamen, qua iustus viuit, secùs est. hanc enim qui habent, filij Dei sunt, & hos agit Spiritus sanctus ad ea, quæ sancta & recta sunt, vt contraria scientes & prudentes non agant, multóque minùs in his perseuerent: tametsi ex carnis imbecillitate sæpenumerò & ipsi non ex fide agãt, & peccent: sed peccata non vastantia conscientiam, non illa quæ regno Dei statim excludunt. Quatuor hic dicunt de veris Sanctis, verisque filius Dei, de quibus est nostra quæstio. Vnum: eos agi à Spiritus sancto, ad ea agenda quæ sancta & recta sunt. Alterum, ita ab hoc Spiritu sancto agi ad ea quæ sunt sancta, vt contraria non agant scientes & prudentes. Tertium, si Sancti non admittant talia scelera vastantia conscientiam, multò minùs igitur in eis perseuerare. Quartum, eos tamen sæpenumerò propter carnis imbecillitatem, admittere quædam, quæ non sunt à fide, & ita peccare, & de peccatis actualibus loquuntur, id quod verbo Agendi significant. Etsi igitur Sancti sæpe peccent etiam actualiter, & ex aliquo consensu, propter carnis imbecillitatem: sicuti contigit Dauidi & Petro, quos peccasse ex imbecillitate, suprà testimonio etiam D. Lutheri probauimus: in illos tamen nunquam cadunt peccata regnantia, quæ propriè contra conscientiam & vastantia conscientiã à Protestantibus appellantur. Hanc autem doctrinam confirmant Scripturis, & speciatim hoc Syllogismo ex epistola D. Ioannis desumto: Qui credit verè, quòd Dominus Iesus est Christus, is ex Deo natus est. 1. Ioh. 5. Qui autem natus est ex Deo, is non peccat, nec potest peccare. 1. Iohan. 3. Ergo qui verè credit, is non potest peccare, nempe peccatum vastans conscientiam, & multò minùs in eo permanere. Hæc ibi ad verbum.*

Neq; ego vnquam aliter docui: & quidem cùm Epistolam Iohannis interpretarer, tum in argumento Epistolæ, tum in explicatione secundi capitis, eandem doctrinam multis confirmaui. Legantur meæ prælectiones, præsertim in ea verba capitis secundi: Qui dicit, se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Quare apparet, quàm indigna hominibus, qui Christum profitentur, fuerit illa vox, quam aduersarij mei falsò de me sparserunt, multis persuaserunt, & verò etiã scriptã reliquerũt: Me scilicet docere, Sanctos, etiam si peccent cõtra conscientiam, & viuant sceleratè, atq; in peccatis perseuerent: eos tamen non amittere fidem: cùm ego contrà semper docuerim, iuxta Scripturas, eos, qui hæc admittant, & in eis perseuerent, non esse Sanctos, neq; veram vnquam habuisse fidem, sed filios esse Diaboli. In Sanctos enim hæc peccata non cadere, quia etsi nonnunquam ipsi etiam peccent, idq; ex aliquo consensu, sed non pleno: nunquam tamen ex destinata malitia, neq; ex contemtu Legis Dei, ideóq; nec propriè contra conscientiam peccant, vt suprà abundè explicatum est.

QVAESTIO IV.

An Sancti perseuerent in peccatis.

HINC *facilè apparet, quid sentiam, & quid sentiendum sit de quarta quæstione, quæ cõtrouertitur inter nos: nempe, An aliqui Sancti iustificati ac regenerati perseuerent in peccatis vsque ad finem, & in illis pereant. Quidam enim Theologus hoc ait, & tueri conatur: Ego nego, & cum sacris literis pugnare, totúmque Euangelium illa doctrina euerti contendo. Quomodo enim cohærebit illud, Qui crèdit in me, habet vitam æternam? quomodo enim*

erit ei æterna, si ruat in æternum exitium? quomodo etiam integra manebit illa catena Apostoli Rom.8. Quos prædestinauit, hos & vocauit, scilicet secundum propositum: & quos vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, hos & glorificauit: si iustificati possunt in peccatis vsque ad extremum vitæ halitum furenter perseuerare, & in æternum exitium ruere? Deinde si in Sanctos non cadunt peccata regnantia, vt anteà ostensum est, quomodo in illis perseuerare poterunt? Rectiùs igitur in disputatione Ratisbonensi, Protestantes scriptum reliquerunt, vt in locis paulò antè adductis visum est: Sanctos, & qui vera fide prædi ti sunt, eáque viuunt: licet & ipsi peccent ex imbecillitate, non admittere tamen peccata vastantia conscientiam, & multò minùs in eis perseuerare. Rectiùs etiam Lutherus scripsit in cap. 5. ad Gal. fol. 422. Si autem non resipiscunt, sed porrò obstinati perficiunt desideria carnis, certum signum est, quòd dolus sit in cordibus eorum, hoc est, quòd non sint verè Sancti, sed hypocritæ. Item, Qui autem carni obsequitur, & pergit securus desideria eius perficere, ille sciat, se non pertinere ad Christum: & vt maximè se ornet nomine Christiano, tamen se ipsum fallit. Qui enim Christi sunt, carnem crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis suis. Docet iis verbis Lutherus, fieri non posse, vt qui verè sunt Christi & Sancti, perseuerent in peccatis, & pergant perficere desideria carnis: quia si qui reperiantur qui perseuerent, illi apertum dant testimonium, se hypocritas esse, & ad Christum minimè pertinere.

QVAESTIO V.

An Sancti in fide semel donata, in finem vsque perseuerent.

An electi, posteaquam semel donati vera fide, verè etiam iustificati, regenerati, & in Christum insiti fuerunt, possint amplius à fide, & à Christo prorsus excidere. ita se habet quæstio. Neq; enim in hac quæstione posui illam particulam, Etiamsi peccent contra conscientiam, & viuant scelerate, *quemadmodum falsò fui traductus. non enim me latebat, hanc particulam reddere quæstionem ἀόριστον, cùm impossibile sit, aliquem esse in Christo, & viuere scelerate, hoc est, ambulare secundum carnem.*

Ego itaq; ad quæstionem, in Schola respondi in hæc verba, vt videre est in meis de perseuerantia lectionibus: Sanctos, qui vinculo non solùm æternæ electionis, sed etiam Spiritus Christi, veræq; fidei Christo copulati, ideóq; in ipsum Christi corpus, quod est Ecclesia Sanctorum, insiti semel fuerunt, eos perpetuò in Christo & in fide perseueraturos, nec posse amplius à fide prorsus excidere: idq; non propter propriæ vires, aut merita, sed tum propter promissionem Dei, tum propter Christi precationem & intercessionem, Spiritu Christi fidem in illis conseruante.

Totam hanc doctrinam, vt nouam & hæreticam damnarunt & oppugnarunt, sed nondum expugnarunt mei accusatores. Etsi verò tam ego in meis prælectionibus, aliisq; scriptis eam satis copiosè probaui, quam multæ Academiæ atque Ecclesiæ, & viri magni per Germaniam confirmarunt: quia tamen, vos Domini mei iussistis, vt meam hac de re Confessionem, eamq; testimoniis aliquot confirmatam vobis exhibeam: iccircò eandem doctrinam iterum aliis etiam tum Scripturarum, tum Patrum, tum doctorum nostrorum, tum etiam vestrarum Confessionum testimoniis confirmare non grauabor, modò vos ne graucmini ea attentè legere, atq; diligenter examinare.

Testimonia è Scripturis.

Iesa. 59. Ego, ait Dominus, hoc fœdus meum cum eis pangam: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, nunquam excident de ore tuo, neque de ore seminis tui, neque de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, modò vsque in sempiternum.

Hæc

Hæc est promissio, non autem præceptum: quemadmodum suprà demonstraui. Et quidem hoc vaticinio donum perseuerantiæ promitti, aliàs etiam à me luculenter probatum fuit: ne igitur eadem repetam, remitto lectorem ad ea, quæ superiori libro pro explicatione huius loci diximus: de perseuerantia. cap. 4.

Non dissimilem locum habemus apud Ierem. cap. 31. Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam cum domo Israël & cum domo Iuda fœdus nouum: non iuxta fœdus quod pepigi cum patribus eorum, tempore quo apprehensa manu eorum, eduxi eos è terra Aegypti: quod fœdus meum ipsi irritum fecerunt, & ego ostendi, me esse Dominum eorum, dicit Dominus. Hoc verò fœdus est quod feriam cum domo Israëlis, post dies illos: dicit Dominus. INSERAM *legem meam in interiora eorum, & in cor eorum scribam eam: eróque Deus eorum, & ipsi erunt mihi populus. Et non docebit vltrà quis proximum suum; aut vir fratrem suum, dicens, cognoscite Dominum: sed omnes me cognoscent à minimo eorum vsque ad maximum eorum: dicit Dominus. Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccata eorum non recordabor amplius.*

Ex hoc etiam loco manifestissimè sententiam meam in confessione ad Dominos confirmaui: sed quia hoc quoque vaticinium copiosè à nobis explicatum fuit superiore libro, de Perseuerantia Sanctorum cap. 4. idcirco ne actum agam, eo lectorem remitto: His tantum additis, quæ ibi non ita explicata fuerunt.

1. Quia non ait, feriam aliud fœdus, sed simpliciter, feriam fœdus, idem scilicet quod patres vestri irritum fecerunt: Nec ait, Scribam aliam legem, sed simpliciter legem meam, eandem scilicet, quam Patres vestri transgressi sunt: ideo Vetus & Nouum fœdus, ad substantiam quod attinet, vnum & idem esse docet Propheta.

2. Diuersum tamen esse vnum ab altero, ad modum quod attinet, quo vnum & alterum tradita sunt: tum quia ait, Feriam fœdus, non iuxta, seu non secundum fœdus illud, hoc est, non eodem modo: Tum quia ait, scribam legem in cordibus, quasi dicat, cum eam in tabulis tantùm lapideis antea scripserim.

3. Quia Nouum opponit Veteri: & hoc ideo ait irritum fuisse factum à populo, quia legem non seruauit: ideo verò non seruasse, quia illam in cordibus scriptam non habebat: Nouum igitur futurum æternum, quia lex in cordibus scripta, à nouo populo amabitur, & ea re seruabitur: Studium itaque legis seruandæ, in renatis esse perpetuum, ideoque & Fidem in Christo, quæ caput est totius legis, esse perpetuam.

4. Quod enim ait, scribam in cordibus, perinde est, ac si dixisset, efficiam, vt Lex mea in illorum cordibus fixa permaneat, illa perpetuò delectentur, inque illa meditentur die ac nocte. Et sic iustus ac pius quisque dicit cum Dauide, Lex tua in medio cordis mei, nempe fixa & insculpta est: eóque perpetuo illius obseruandæ studio afficior. Quod enim in corde scribitur, perpetuum est, nec vnquam expungitur. Sic de lege naturali in cordibus gentium inscripta Apostolus loquitur, dicens: Gentes, quæ sunt sine lege (Mosis, in tabulis scripta) ostendere se habere opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Ea locutione significauit Apostolus, legem naturalem, quæ fuit omnibus, etiam gentibus, à Deo inscripta: ex cordibus & mentibus hominum nunquam potuisse, etiam post peccatum, penitus deleri: quin adhuc perpetuò homines sentiant, se ab illa in conscientia accusari. Significat ergo hæc locutio, quæ sunt à Deo in cordibus conscripta: ea esse perpetua, & penitus expungi non posse. Idem significare voluit idem Apostolus 2. Corinth. 3. cum eos appellauit suam & Christi Epistolam, Spiritu Dei, in tabulis cordis carnalibus scriptam. Erant Christi Epistola, quia ipse suo Spiritu propriè in cordibus eorum inscripserat legem hanc, de qua Ieremias loquitur. Erant etiam Epistoli Pauli: quia opera Pauli vsus fuerat Christus ad inscribendum in illis Euangelium. Appellat igitur eos epistolam suam scriptam in tabulis cordis: vt significet eos esse suam viuam & perpetuam gloriam.

5. Quia ex hac legis in cordibus inscriptione duo sequuntur: vnum, Eróque illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus: alterum, Omnes agnoscent me: ideò sicut illa legis inscriptio

perpetuò manet : Sic etiam significat , Et Deum perpetuò esse nostrum Deum , nosque perpetuo illius manere populum. Et , nos perpetuò agnituros Deum : Agnoscitur autem per fidem, verbum Dei retinentem. In quorum igitur cordibus inscripta est lex Dei : eos à gratia Dei non excidere , & fidem penitus non amittere , significauit Propheta.

6. Adde, quòd cum his coniungitur perpetua peccatorum remissio , qua fit vt propter quotidianos lapsus, renati non desinant, & cognoscere Dominum, & esse populus Dei, & legem in cordibus fixam retinere. Statim enim tanquam caussam præcedentium subdens ait: Quia propitius ero iniquitatibus ipsorum . Hoc itaq; vaticinio pulcrè Perseuerantia Sanctorum confirmatur.

Neque hîc est quod excipias , fœdus esse firmum & æternum ex parte Dei , quia per ipsum non stat quin maneamus in fœdere , & quin lex maneat scripta in corde in sempiternum: sed nostra fieri culpa , ne maneat firmum , nec lex in nobis fixa permaneat. Nam eadem etiam ratione fœdus cum Israëlitis initum ex parte Dei semper fuit æternum : sed vitio populi factum fuit irritum. Ipsi , inquit illud irritum fecerunt. Quod si idem de altero dicatur: quid igitur noui promittit Deus per Ieremiam ? Nisi igitur velimus negare nimis apertum verbum Dei , fatendum est , electos , quibuscum nouum fœdus est factum , postquam semel Lex Domini fidésque Euangelij per Spiritum sanctum inscripta est in illorum cordibus : à fœdere nunquam excidere ; neque legem ac fidem ex illorum cordibus penitus deleri. Peccata enim , in quæ per infirmitatem labuntur , Deus , vt hîc ait , nunquam imputat.

Hierem. 32. Ponam timorem meum in cor eorum , vt non recedant à me. Hoc etiam testimonium superiori libro , de Perseuerant. cap. 4. fusè explicatum est. Summa : promittit Deus se effecturum , ne populi , hoc est , electi , desciant à se : sed vt maneant in fœdere in perpetuum , quomodo id facturus est ? ait , Dabo , seu ponam timorem meum in cor eorum , hoc est, efficiam , vt timor mei perpetuò maneat in illorum cordibus. isto autem perpetuo timore , retinebuntur etiam perpetuò ne deficiant.

1. *Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aquæ & Spiritu sancto , non potest introire in regnum Dei. Electi autem vt ingrediantur in regnum & seruentur , oportet : cùm perire non possint. Iohannis 10. Rom. 8. Electi igitur , vt hinc ad aliam vitam non nisi regenerati migrent , necesse est. Regeneratio autem , semel tantùm fit : & in huius rei signum , semel etiam datur baptismus aquæ. Quod si regenerationem denuò velit quis secundò & tertiò repeti atque donari , ipsum quoque baptisma sæpiùs repetatur atque recipiatur , necessum fuerit : præsertim si in dicto Iohan. 3. nomine Aquæ , intelligere velimus baptismum aquæ. Sunt enim ibi ita coniuncta Spiritus & aqua : vt vnum ab altero non separetur : Regeneratio igitur semel facta per Spiritum sanctum, per eundem etiam conseruatur vsque in finem.*

Confess. Argentin. *Argumentum hoc vos quoque in vestra Confessione anni M. D. XXXIX. confirmatis. Sic enim habetis in articulo VII. Hanc regenerationem vna cum omnibus Christi meritis Spiritus sanctus cordibus fidelium inspirat : & ad extremum vsque in illis conseruat.*

2. *Iohan . 4. Omnis qui biberit ex aqua hac , sitiet iterùm. qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei , non sitiet in æternum : sed aqua quam ego dabo , fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Nomine Aquæ intelligendum esse Spiritum sanctum , omnes tam veteres quàm recentiores interpretes fatentur : iuxta interpretationem ipsius Iohannis cap. 7. in illud Christi : Qui credit in me, flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu , quem accepturi erant credentes in eum. Hæc Iohan. Bibere autem ex ista aqua , est credendo in Christum , participem fieri Spiritus sancti. Fieri verò seu nasci fontem in aliquo aquæ viuæ: est Spiritum sanctum in aliquo indesinenter instar fontis perpetuò scaturientis, inhabitare atque operari. Promittit autem Christus , hunc perpetuò scaturientem fontem ijs, qui viua in se fide credunt. Quotquot igitur viua in Christum fide credunt : ij fontem quoq; ipsum Spiritus sancti perpetuò scaturientis , hoc est , donum perseuerantiæ consecuti sunt.*

Bucerus

BVCERVS quoque sic locum hunc interpretatus est, pag. 644. Certum est, inquit, hanc « aquam Spiritum sanctum esse. Si iam ergo hoc Spiritu sancto potus, nunquam potest sitire: in « aperto est, eum, cui semel hic Spiritus contigerit, cui semel credere fuerit datum: eum nun- « quam posse gratia Dei excidere. Sicut namq; is sitire nunquam posset, qui fontem in visceribus « haberet, continuò scaturientem atque potantem: ita saturum esse oportet bonorum omnium, « & præsentem semper & in omnibus habere consolationem, cui adest Spiritus Domini San- « ctus, Spiritus filiorum. Hic fons est, qui in vitam salit, id est, qui vitam æternam suppeditat. « Nam cognoscere Deum, eiúsque iugiter, & in æternum frui bonitate, donat. Hinc gloriatur « Paulus, nihil apud superos vel inferos esse, quod à dilectione Dei posset dimouere. Rom. 8. « Hæc Bucerus. «

Ipse etiam Brentius hunc locum de perseuerantiæ dono interpretatus est. Hæc est, inquit, « duarum aquarum collatio, ex qua Christus manifestè significat mulieri, quòd promittat « ipse, non terrestrem, sed cælestem aquam, quæ adferat homini salutem, non caducam & « mutabilem, sed sempiternam & immortalem. Hæc ille. Ergo quicunque hanc aquam cæ- « lestem semel bibit: salutem assecutus est non mutabilem, sed æternam.

3. Ioh. 8. Si manseritis in sermone meo, veri discipuli mei eritis. Ergo qui veri discipuli sunt Christi, manent in sermone Christi, hoc est, perseuerant in eius fide & verbo. Sicut enim hæc duo sunt ἀντιστρέφοντα: Qui non manent in sermone Christi, ij non sunt veri discipuli Christi: &, Qui non sunt veri discipuli Christi, ij non manent in verbo Christi: ita hæc duo sunt ἀντιστρέφοντα: Qui manent in sermone Christi, sunt veri discipuli Christi: &, Qui sunt veri discipuli Christi, ij manent, id est, perseuerant in sermone Christi.

4. Hebr. 3. At Christus tanquam Filius domui suæ præest: cuius domus sumus nos: si fiduciam & spem illam, de qua gloriamur, ad finem vsque firmam retinuerimus. Non solùm Ecclesia tota in vniuersum domus Christi appellatur, sed etiam vnusquisque fidelis. inde sæpe in Scripturis Deus & Christus dicuntur inhabitare in nobis. Et Matth. 12. non solùm tota Synagoga significata fuit nomine domus scopis mundatæ, in quam ingressi sunt septem Spiritus peiores priore: sed etiam vnusquisque hypocrita & temporarius, eo nomine fuit significatus. Ex verbis igitur Apostoli hæ duæ συζυγίαι ἀντιστρέφουσαι colliguntur. Prima: Qui fiduciam & spem in Christum ad finem vsque firmam retinent, ij sunt domus Christi. &, Qui sunt domus Christi, ij fiduciam & spem in Christum, in finem vsque firmam retinent. Altera, Qui non retinent in finem vsque firmam fiduciam & spem, ij non sunt domus Christi. &, Qui non sunt domus Christi, ij non retinent fiduciam & spem in finem vsque. Atqui omnes electi & Sancti, de quibus est quæstio, sunt domus Christi. de iis enim loquor in quorum cordibus Christus per fidem inhabitat. Ergo omnes electi iam sanctificati, in quibus Christus verè inhabitat, ac proinde qui facti sunt domus Christi, retinent fiduciam & spem in finem vsque. Quare non possunt à Christo, & à fide prorsus excidere.

5. Ioh. 10. de ouibus suis ait Dominus: Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum: nec rapiet eas quisquam de manu mea. Pater enim, qui dedit mihi, maior est omnibus. His verbis declarat: primò voluntatem suam esse, ne oues sibi à Patre datæ, è manibus suis eripiantur. Declarat secundò, voluntatem suam impletum iri: quòd & Pater qui dedit, & ipse qui accepit, fortiores sint omnibus creaturis. Consequitur igitur necessariò, postquam electi semel traditi sunt in manus Christi per fidem, eos non posse amplius ex eius manibus eripi: idq; neq; in perpetuum, neq; ad tempus. sequeretur. n. Patrem & Christum infirmiores & imbecilliores esse saltem ad tempus, illo qui huiuscemodi oues è manibus Christi ad tempus eriperet. hoc autem est blasphemum. simpliciter enim ait. se, & Patrē, qui dedit, potentiorem esse, nempe semper & omni tempore, omnibus creaturis. Nullo igitur modo fieri potest, vt electi, postquam semel traditi sunt per fidem in manum Christi seruatricem, ex eius manu eripiantur, aut ab ipso prorsus deficiant. Sic etiã Bucerus hunc locum est interpretatus:

Iterum, inquit, obseruandum, à sola Dei electione esse, vt oues simus & Christum sequamur, tum tales excidere nunquam posse: quia vnum sunt pater & filius, eandémque manum habẽt, id est, potentiam: de qua nemo vnquam rapiet eos, quos illa semel apprehendit saluandos. Apprehensi autem sunt, quibuscunque datum fuerit Christi vocem audire & sequi. Id siquidem nulli possunt, nisi oues. Hæc Bucerus. Tam igitur ex verbis & ratiocinatione Christi, quam ex interpretatione Buceri; & illa particula semel, apparet, puerilem esse illam fugam, qua hæc omnia loca eludere per Quamdiu, & finaliter, conatur aduersarij.

Præter illa, quæ in lectionibus meis habetis Scripturarum tam veteris quam noui testamenti testimonia, hæc etiam quæ iam adtuli, satis apertè mihi confirmare videntur doctrinam hanc de Perseuerantia Sanctorum in fide. Plura cum volueritis, adferam.

Cæterùm vt intelligatis, me Scripturis ad hanc doctrinam probandam non abuti: adferam modò testimonia tum Patrum veteris Ecclesiæ: tum etiam recentiorum Theologorum, quibus eadem sententia ita confirmabitur: vt nisi quis velit de industria occludere oculos veritati: dubitare amplius non possit.

Ex Patribus.

Non recitabo autem omnia Patrum testimonia: tum quòd breuis confessio hoc non ferat, tum quòd multa in meis de Perseuerantia lectionibus & confirmationibus, inter ipsa Acta habetis. quædam tamen breuiter indicabo.

Augustinus totus meus est. multa ex eius libris testimonia in meis sunt lectionibus vnum referam. Tom. 7. de Corrept. & Gratia, cap. 12. confert gratiam, quæ data fuerat Adæ in creatione, cum ea quæ nunc datur sanctis electis: & nostram ostendit illa esse maiorem, quod ille habuerit gratiam qua posset, si vellet, perseuerare: sed non habuerit qua vellet perseuerare: nos verò per Christum accepimus gratiam qua velimus perseuerare, ac proinde qua perseueremus. Primo itaq; homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantia, non quo fieret vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis: non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint: verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Non
Iohan. 15. *solùm enim dixit, Sine me nihil potestis facere: verùm etiam dixit: Non vos me elegistis, sed ego vos, & posui vos vt eatis & fructum adferatis; & fructus vester maneat. quibus verbis eis non solum iustitiam; verùm etiam in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit. Christo enim sic eos ponente: vt eant & fructum adferant: & fructus eorum maneat: Quis audeat dicere, Forsitan non manebit? sine pœnitentia sunt enim dona & vocatio Dei: sed vocatio eorum qui secundum propositum vocati sunt. Pro his ergo interpellante Christo, ne deficiat fides eorum, sine dubio non deficiet vsque in finem: ac per hoc perseuerabit vsq; in finem, nec eam nisi manentem, vitæ huius inuenit finis.*

Ambrosius in Epist. ad Rom. cap. 8. Nam quos præsciuit. Hi, inquit, qui credere videntur & non permanent in fide cœpta: à Deo electi negantur, quia quos Deus elegit, apud se permanent. Et paulò pòst in illud: Quos autem prædestinauit: Hoc, inquit, dicit quod suprà: quia quos præsciuit Deus aptos sibi: hi credentes permanent, quia aliter fieri non potest.

Primasius Vticensis Episcopus, qui eodem tempore quo & Augustinus in Africa floruit, in 1. Corinth. 2. in ea verba, Vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei: Sapientia, inquit, humana, ad breue tempus placet, quia temporalis est, vt ipse homo: virtus autem Dei æterna est, quomodò Deus. Ideò illa fides permanet, & per Dei virtutem est collata in hominem.

Prosper Episcopus Rhegiensis Augustini discipulus de vita contemplatiua lib. 3. cap. 13. Charitas est, inquit, vt mihi videtur, recta voluntas, ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus

prorſus auerſa, iuncta Deo inſeparabiliter & vnita. Hæc ille. Dicit autem caritatem eſſe voluntatem rectam, quia caritas per Spiritum ſanctum diffuſa in corda noſtra, facit voluntatem rectam: & eam iungit Deo inſeparabiliter. Solent verò Patres attribuere caritati, quod proprium eſt fidei per caritatem operantis. Docet igitur D. Proſper, fidem quæ per caritatem operatur, coniungere fideles Deo inſeparabiliter.

Gregorius I. Tom. 2. in Ezech. cap. 1. Hom. 3. col. 87. in illud, Non reuertebantur cùm incederent: De reprobis, inquit, dicitur, quia reuerſi ſunt corde in Aegyptum. per ſemetipſam veritas dicit: Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. Manum quippe in aratrum mittere, eſt quaſi per quendam compunctionis vomerem, ad proferendos fructus, terram ſui cordis aperire. Sed retrò poſt aratrum reſpicit, qui poſt exordia boni operis, ad mala reuertitur quæ reliquit. Quod quia electis Dei minimè contingit, rectè nunc per Prophetam dicitur, Non reuertebantur cùm incederent.

Item Hom. 5. Non reuertebantur, inquit, cùm ambularent. quia electi quique ſic ad bona tendunt: vt ad mala perpetranda non redeant. Qui enim perſeuerarit in finem: hic ſaluus erit. Item in eadem homil. exponens illa verba, Hæc erat viſio diſcurrens; docet Spiritum ſanctum, iuxta virtutem fidei, ſpei, caritatis, à cordibus electorum nunquam recedere: iuxta verò Prophetiam, genera linguarum & huiuſmodi, recedere aliquando: aliquando redire. poſteà concludens: In ijs itaque virtutibus, inquit, ſine quibus ad vitam minimè peruenitur, Spiritus S. in electorum ſuorum cordibus permanet: in ijs verò per quas ſanctitatis virtus oſtenditur: aliquando miſericorditer præſtò eſt: & aliquando miſericorditer recedit. ſic ille. In ijs Gregorij dictis, non ſpectandum an dextrè interpretatus ſit Prophetam, nécne: ſed tantùm quid de perſeuerantia Sanctorum ſenſerit.

Tom. 1. Moralium, lib. 2. cap. 28. & 29. quæſtionẽ de Spiritu ſancto proponit: quí cohæreat illud Iohan. 14. Spiritus apud vos manebit & in vobis erit: cum illo Ioha. 1. Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum: hic eſt qui baptizat in Spiritu S. Si etiam in diſcipulis manet, quomodò igitur peculiare ſignũ eſt, quo agnoſcitur Chriſtus qui baptizat in Spiritu? Soluens autem quæſtionem & hæc loca concilians, diſcrimen facit inter dona Spiritus S. ſine quibus ad vitam æternam peruenire non poteſt, & inter illa ſine quibus peruenire ad eam poſſit. Poſteà concludit in hæc verba. In ijs igitur donis, ſine quibus ad vitam peruenire non poteſt: Spiritus S. ſiue in prædicatoribus ſuis, ſiui in electis omnibus, ſemper manet. in illis autem, quibus per oſtenſionem illius non noſtra vita ſeruatur, ſed aliorum quæritur: nequaquam ſemper in prædicatoribus permanet. quia ſemper quidem eorum cordi ad bene viuendũ præſidet, nec tamen per eos virtutum ſigna ſemper oſtendit: ſed aliquando ſe is à ſignorum oſtenſionibus ſubtrahit: vt eò humiliùs virtutes eius habeantur, quò habitæ teneri non poſſunt. Mediator autem Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, in cunctis eum & ſemper & continuè habet præſentem: quia ex illo idem Spiritus per ſubſtantiam profertur. Rectè ergo cùm in ſanctis prædicatoribus maneat, in mediatore ſingulariter manere perhibetur. quia in iſtis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per ſubſtantiam manet ad cuncta.

Beda presbyter, eadem planè docuit in Euangelium Iohan. cap. 1. exponens illum locum, Super quem videris Spiritum. eandẽ enim mouet quæſtionem, quam etiam ante ſe Gregorius: & eodem planè modo ſoluit: Spiritum ſanctum in electis partim manere in æternum, partim rediturum ſecedere. manere in æternum, quò ad virtutes, ſine quibus ſeruari non poſſumus: ſecedere ad tempus, quò ad alia dona.

Bernhardus de natura & dignitate amoris diuini cap. 5. & 6. de natura veræ caritatis loquens, quæ eſt, vt nunquam deficiat, citat illud Apoſtoli 1. Cor. 13. Charitas nunquam excidit, & inquit. Aliquando quidem titubat vel deuiat affectionis vel operis effectus: quandiu in hac vita non poteſt videre caritas, niſi ex parte, & per ſpeculum in ænigmate: ſed integer tamen ſemper & ſolidus in ſua virtute ſuus permanet affectus. capite autem 6. ita ſcribit.

Aliud quippe eſt affectus: aliud affectio. affectus eſt, qui generali quadam potẽtia & virtute firma & ſtabili mentem poſſidet, quam per gratiã obtinuit: affectiones verò ſunt, quas varias

varius

„ varius rerum & temporum affert euẽtus. infirmitas enim carnis ex vitio primæ originis sæpe
„ offendit, sæpe cadit, sæpe lædit grauiter, & læditur: mente interiùs dolente & patiente, potiùs
„ quàm agente, quod perperam foris geritur, nec caritatem perdente, sed ex caritate gemente, &
Rom 7. „ clamante ad Deum: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? vnde dicit
„ Apostolus: Ego, inquit, mente seruio Legi Dei, carne autem Legi peccati. Et rursum: Non
1. Iohan. 3. & 5. „ ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Itaq; quisquis ille est, sicut dicit Beatus
„ Iohannes, secundum hoc quòd natus est ex Deo, id est, secundum interioris hominis rationem,
„ in tantum non peccat, in quantum peccatum, quod corpus mortis foris operatur, odit potiùs,
„ quàm approbat: semine spiritualis natiuitatis, quo ex Deo natus est, eum interiùs cõseruante.
„ quod etsi interim aliquando incursu peccati læditur & atteritur, radice tamen caritatis in
„ altum defixa non perit, immò statim fœcundiùs & viuaciùs conualescit in spem boni fructus,
1. Iohan. 3. & surgit. Sic enim dicit Beatus Iohannes: Omnis enim, qui natus est ex Deo, peccatum non
„ facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, qui natus est ex Deo. Notanda
„ vis verborum: Non inquit, peccatum facit, quod patitur potiùs, quàm facit, qui natus est
„ ex Deo, & non potest peccare, perseuerando scilicet in peccato, dum Legi Dei, cui mente
„ seruit, etiã carnem festinat subigere, quæ tentatione & peccato incurrente, Legi peccati vide-
„ batur inseruire. Petrus cùm peccauit, caritatem non amisit, quia peccauit potiùs in veritatem
Matth. 26 quàm in caritatem: cùm sc̃ non esse mentitus est in ore, cuius totus erat in corde: deóq;
2. Reg. 11. „ negationem falsitatis continuò lacrymis lauit veritas caritatis. Sic & Dauid cùm peccauit,
„ caritatem non perdidit, sed obstupuit quodammodo in eo caritas ad vehementem tentatio-
„ nis ictum, & caritatis in eo nequaquam facta est abolitio, sed quasi quædam soporatio, quæ
„ mox vt ad vocem arguentis Prophetæ euigilauit, continuò in illam ardentissimæ caritatis
2. Reg. 12. Confessionem erupit: Peccaui Domino: & continuò audire meruit: Dominus transtulit à te
„ peccatum tuum: non morieris.

Ex Luthero, & aliis nostri sæculi Theologis.

Vera fides perpetua & immota est. LVTHERVS *in Postill. Maiorib. in Euangelium auroræ natiuitatis Domini, ingenium vtriusque, nempe veræ & non veræ: diuinæ, vt ipse loquitur, atque humanæ fidei, in ipsis pastoribus describens, docet naturam veræ fidei esse, vt sit constans, perpetua, atque immota: fidei verò non veræ esse, vt tandem prorsus deficiat. Verba eius hæc sunt: Atque hinc discrimen*
„ *accipias diuinæ & humanæ fidei. Humana fides hæret personæ hominis, credit, fidit verbo,*
„ *ipsúmque honorat propter dicentem. Diuina autem fides contrà, hæret verbo, quod ipse Deus*
„ *est: creditque, fidit, & ipsum veneratur, non propter dicentem, sed sentit verbum adeo certò,*
„ *vt nemo inde auellere ipsum queat. Tales erant Samaritæ illi, de quibus Iohann. 4. legimus:*
„ *quòd primùm quidem voce mulierculæ exciti, Christum audierant. at vbi ipsum audissent,*
„ *dicebant mulierculæ: Non iam propter sermonem tuum credimus: sed quia ipsi cognouimus,*
„ *hunc esse Seruatorem mundi. Contrà, quotquot Christo, moti ipsius personа & miraculis fi-*
„ *dem habuerant, vniuersi rursum exciderunt, ipso crucifixo. Ita semper se habuit, & hodie*
„ *esse oportet, nisi verbum per se cordi innotuerit, ipsúmq; velut captiuauerit, vt sentiant tam*
„ *certò ita se habere, vt inde nulla ratione diuelli possint, si etiam vniuersus orbis, omnes ange-*
„ *li, omnes principes inferorum aliud dicerent: immò si Deus ipse aliud diceret, vti subinde e-*
„ *lectos suos tentare solet, ac ita eis apparere, quasi contraria prioribus suis promissis velit dicere.*
„ *Id vsu venit Abrahamo, quãdo iubebatur filium suum Isaac immolare: Iacobo in luctа cum*
„ *Angelo: & Dauidi, quando ab Absalone fugabatur, &c. Huiusmodi fides constitit immota,*
„ *tam in morte, quàm in vita; tam in inferno, quàm in cælo: neq; poterit vlla re deiici, quòd*
„ *solo nudóq; verbo Dei citra omnem personarum respectum nititur. Tali fide hi pastores fuêre*
„ *præditi. Hæc Lutherus.*

Legatur etiam tota eiusdem homilia in Euang. Iohan. cap. 14. in die Pentecostes, quæ est de Spiritu Sancto.

Item

Item in festo S.Catharinæ, explicans Euangelium de decem virginibus, quæ acceperant lampadas suas, ait: prudentes virgines esse veros Christianos, vera fide præditos. hos habere perpetuò oleum in vasis suis. Imprudentes autem, esse hypocritas, qui simulatam fidem habent. sine oleo esse istorum lampades. De veris igitur fidelibus: Porrò, inquit, qui Euangelij doctrina veritè imbutus est, susq; deq; hos turbines & procellas facit, sed immobilis persistit, & in finem vsque perseverat: atque ob id verè beatus exsistit, vti Christus ait: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Veri fideles in finem vsque perseuerant.

Item ibid. Ceteræ virgines, illæ nimirum prudentes, non tantùm lampadas in manibus gestant, sed cum lampadibus etiam oleum in promtu habent: h.e. veram fidē, quam Deus in cordibus ipsorum condidit. iis paratum est, quo se, si qua iniuria incidat, defendāt. si quidem opus Dei in præsidio habent, non fictam quādam opinionem, quæ mortis insultus excipere nequeat. hæ in spe diuinarum promissionum perdurarunt. Hæc ille. In spe ergo perdurant veri fideles.

Item in altera facie: Hinc est, inquit, quòd lampades nostræ nunquam extinguantur. Hæc ille. Ergo lampades veræ fidei nunquam exstinguuntur in Sanctis.

Idem Tom.5.in Epist.1.Petr.1.in illud, Nati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili. Illicò quidem verbum prædicatum est, atque auditum: verùm vbi cor occupauerit, non potest ampliùs intermori, aut aboleri. neque te quidem sinit mori. sed seruat te quandiu illi adhæseris. veluti cùm audio, quòd Iesus Christus mortuus sit, meáque peccata tulerit, & cælum mihi emeruerit, simul donarit, quæcunque ipse habet: iam Euangelium audio. id verò verbis quando prædicatur, illicò quidem transit: sed si suscipitur corde, & fueris ipsum fide complexus, iam non potest ampliùs excidere. Hanc veritatem nulla valet creatura deijcere: abyssus inferni nihil potest contrà.

Argumentum ex Luthero.

Quæcunque Christus suis electis precatus est à Patre, ea etiam illis impetrauit. fuit enim exauditus Christus. Lutherus in Iohan.17.in illa verba: Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo. Non est verò, inquit, mihi dubium, hanc orationem exauditam esse. Christus autem in illa oratione Ioh.17.rogauit Patrem pro omnibus electis, qui crediturí erant in se, vt eos custodiret in fide, neque sineret eos à fide vnquam excidere. Hoc apertè tradit Lutherus in eadem verba, Ego pro eis rogo, pro mundo non rogo. Pro Christianis, inquit, & omnibus, qui conuertendi sunt, ita rogat, vt penes rectam fidem maneant, inq; ea proficiant, ac pergant, neque ab ea desciscant. Hæc Lutherus. Ergo electis omnibus impetrauit Christus, vt in fide persistant, & ab ea nunquam excidant. Quare fieri non potest, propter hanc Christi precationem, vt electus vera fide præditus à fide prorsus excidat.

Electi non possunt excidere prorsus à fide.

Qui dubitat, an Lutherus huius fuerit, quam defendo, sententiæ, is certè declarat, se aut nō multum in Lutheri libris versatum esse, aut Lutherum non intelligere.

Buceri testimonia tot & talia in meis habetis lectionibus, vt de eius sententia dubitari minimè possit. Sed præter illa, hæc etiam noua subijcio.

In Matth.cap.6.Et ne nos inducas in tentationem, pag.170.initiò. Cùm itaque è manu Domini rapere nemo queat. Ioh.10. & ipse venientes ad se nequaquam proijciat: Ioh.6. necesse est, vt qui semel Christi fuerint, nunquam ab ipso alienentur.

In Iohan.cap.4.in ea verba: Si scires donum Dei. Vt enim viua, inquit, & fontalis, aqua ad sedandam hominum sitim semper scaturit: ita Spiritus sanctus nostro spiritui testimonium perhibens, quòd simus filij Dei, in æternum arcet sitim bonorum, dum planè beatos tandem reddit, & hic fide certa perpetuò recreat, is est fons nunquam deficiens, quia nunquam, quos adspirarit, deserit. Hæc Bucerus.

Rom.8.in quæst.de Prædestinatione, fol.361. non multò ante finem quæstionis tertiæ, concludit, prædestinationem esse diuinam designationem Sanctorum, in id, vt sempiternæ salutis per Christum Dominum compotes fiant. Salus verò, inquit, hæc est, vt afflatus Dei Spiritu, plenissimè videas, & solidè iudices, quod verè bonum est, & persequare idem studio

pertinacißimo & perpetuo. Conſequitur hinc, electos igitur ad vitam æternam, electos etiam eſſe ad hoc, vt perpetuo ſtudio bonum perſequantur, ſeu ad perſeuerantiam. Quod autem à Deo decretum eſt, illud irritum fieri nequit. Non poſſunt igitur electi & Sancti non perſeuerare in fide.

„ *Item in Epiſtol. ad Epheſ. cap. 1. in ea verba, Elegit nos, vt eſſemus Sancti. Paulus, in-*
„ *quit, ad Rom. 8. electionem, vt decet, tractat: & cùm verſantur Sancti in maximis afflictio-*
„ *nibus, plerunque inter ipſa mala, in quæ coniecti ſunt, diffiderent de gloria filiorum Dei pro-*
„ *miſſa, niſi hoc ſcipione niterentur. Futurum enim eſt, vt quidquid patiantur, glorificentur*
„ *tandem: neque vlla re poſſunt à ſua hæreditate, quæ eſt in Chriſto Ieſu, depelli: æternus eſt no-*
„ *ſtri mediator, & nos ei ſumus æternùm coniuncti. inſeparabilis eſt noſtri cum Chriſto vnio,*
„ *nec poteſt non eſſe æterna.*

Fides vera non ſinit Sãctos prorſus ſuccũbere.

Item in idem caput primum in tractatiuncula de fide, pag. 34. Fides verò, etſi infirma quidem ſit etiam in Sanctis, ac propterea etiam multa, proh dolor, committant peccata, vt paſſim vetus & noua Scriptura teſtatur, & vbique exempla nimis euidentia docent, vt in Petro, Dauide & ceteris: tamen eum, qui præditus ea eſt, non ſinit prorſus ſuccumbere. explorat quidem
„ *noſtram fidem: ſed nobis, vt ſcilicet ipſi cognoſcamus, quantum ſemper imperfectionis admi-*
„ *ſtum ſit. Hinc afflictiones. vnde illæ voces in Pſalmis, Deus es mei oblitus? me deſeruiſti? &c.*
„ *Hinc eſt factum, vt Petrus ab oſtiaria tentationum arietibus peteretur & affligeretur, ſed ta-*
„ *men non corruit in perpetuum, quia Deus ſuppoſuit manum. Deus enim ſemper ſuum ſuſten-*
„ *tet electum, vt tandem emergat, & eluctetur. dona enim, vocatioq; Dei ſunt ſine pœnitentia.*
„ *Et quid ad hæc dicemus, Si Deus pro nobis, quis contra nos? quæ Pauli verba, ſunt non de qui-*
„ *buſdam, ſed de omnibus electis Dei intelligenda. Ac nos conſolatur Deus contra hanc fidei*
„ *noſtræ mollitiem, omnipotenti virtute Chriſti, qua in omnia imperium habet, dominatur &*
„ *morti, & peccatis. Nam mortuus quidem eſt, ſed reſurrexit deuicta morte, aſcendit ad Pa-*
„ *trem, ſedet ad eius dexteram, intercedit pro nobis. Et quiſque electus hæc ad ſe referat, & di-*
„ *cat: Pro me reſurrexit, &c. Et cùm ſit caput noſtrum, nos certè vtuificabit, & corroborabit:*
„ *neque veri capitis officium deſerere poteſt. viuimus enim propter eum, qui dilexit nos. Quare*
„ *non viuimus propter noſtram dilectionem. haud dubiè noſtra requiritur, ſed ea eſt imperfe-*
„ *cta: & non poteſt ſuſtinere ſpem vitæ æternæ. vt ergo certa ſit ſpes eius, cauſa vitæ noſtræ in eo,*
„ *non in nobis ponitur. Atque ideo quidquid de incertitudine fidei excuſatur, præcipitur, tra-*
„ *ditur, impium eſt planè & blaſphemum, contra potentiam, amplitudinem, & maieſtatem, at-*
„ *que caritatem, ac diſpenſationem Chriſti, & euertit omnem fidem & autoritatem verbi eius:*
„ *quod vrget Paulus Rom. 8. & paſſim.*

„ *Item pag. 38. in tractatione de Eccleſia, quinto ſigno: De perſeuerantia, inquit, locum ha-*
„ *bemus in Epiſtola prima Iohannis, capite ſecundo: Si ex nobis fuiſſent, manſiſſent vtique no-*
„ *biſcum. & illud: Qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſic eſt intelligendum, non peccat prudens,*
„ *& ſciens, non peccat impœnitenter, quia vis quædam Spiritus Chriſti erigit illum. licet enim*
„ *multa peccata circumdent adhuc pios, non tamen in iis perſeuerant, aut iis conſentiunt cùm*
„ *oppreßione conſcientiæ & Legis Dei. vide Auguſtinum de pœnitentia contra Donatiſtas. Hæc*
omnia Bucerus. Hîc videtis, Domini mei: primùm, me non intempeſtiuè de perſeuerantia Sanctorum egiſſe, cùm illum Iohannis locum interpretarer: Si fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Deinde neque illum Iohannis locum, Qui natus eſt ex Deo, non peccat: malè me interpretatum fuiſſe in tractatione de perſeuerantia, cùm ita ſum interpretatus, Sanctos ex Deo natos non peccare ex animo, ſeu tota & plena voluntate, ac proinde neque contra plenam conſcientiam. Tertiò, videtis impium eſſe, quod tradidit in Schola mens accuſator, eſſe homines regeneratos & ſanctificatos, qui peccent contra conſcientiam, & in illis etiam peccatis furenter perſeuerent.

Sancti, neq; ex ſtudio, neque perſeueranter peccant.

Item pag. 39. De iis, inquit, cùm dicitur, quòd non poßint peccare. de perſeuerantia tantùm eſt intelligendum, & de ſtudio peccandi. Hæc Bucerus. Sancti ergo non peccant neque ex ſtudio, neque perſeueranter.

Item

Item mox: Peccant, inquit, ſed non iacent in peccatis: nec regnat in eis peccatum, ſed tandē eriguntur, audiúntque, & ſequuntur paſtorem ſuum.

Rom. 8. ſect. 4. in illud, Quippe quod precamur. pag. 348. Viuunt quidem Sancti, & agun-tur Spiritu Chriſti, vt Paulus paulò antè docuit. at dum optimus Pater nos humiliat aduerſis, & facit videre, quàm nihil ſimus ex nobis: ibi hic Spiritus, per quem clamamus Abba Pater, qui bonam Dei erga nos voluntatem in omnibus rebus atteſtatur, indéque etiam gloriari in aduerſis facit, quaſi opprimitur: caro, quæ ad o. nia honeſta infirma eſt, obtinet: tenet nos totos terror iudicij diuini. Hinc nihil quàm deteſtationem iudiciorum Dei, quàm deplorationem ſortis noſtræ, & accuſationem Dei ebullire, volvíque in animis noſtris ſentimus. Inde grauiſſimæ illæ querelæ Iob, Iirmiæ, & aliquot Pſalmorum. Accuſatur iam Deus nimiæ & iniquæ ſeueritatis, maledicitur ſanctis, iuſtiſque operibus eius: exſecramur omnem vitam, & quæ vitæ vel adducendæ, vel ſeruandæ ſeruierint. Ita Iob & Iirmias maledicebant etiam nocti & diei, in qua concepti & editi eſſent in hanc lucem. At quia in omni iſta, quanuis grauiſſima præcipitatione & intolerabili concuſſione animi, Sancti adhuc viuunt Spiritu Dei: is enim nunquam illos deſerit: nunquam igitur non etiam opus ſuum in Sanctis habet, nunquam non ſuum motum. is verò nihil aliud eſt, quàm clamare Abba Pater, hoc eſt, orare opem Dei.

Spiritus Dei Sanctos nũquam deſerit.

In libro de vera Eccleſiarum reform. fol. 135. A. ex illis verbis Iohannis 6. Ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habet, infert, dicens: Quo clarè expreſsit, eos qui verè crediderint, & credendo ſolidè cognouerint, Dominũ Ieſum Chriſtum Seruatorẽ hominum eſſe, haberéq; verba vitæ æternæ, diſcedere ab eo non poſſe. vnde Dominus toties illud repetit, habere vitam æternam, qui in ſe credunt. Hæc Bucerus.

Item in Pſal. 80. tres verſus poſteriores: Ex eodem Spiritu, inquit, & illud erat: Non deflectemus à te. Obſignati ſiquidem ſunt huiuſmodi Spiritu filiorum Dei, vnde deficere ab ipſo nunquam poſſunt.

Quòd verò his omnibus & aliis propè infinitis Buceri locis de perſeuerantia apertiſſimis, quidam obijciunt tres locos ex reformatione Colonienſi, quaſi quæ cum iis pugnent, nihil efficiunt. Demonſtrauimus enim in noſtris ad Accuſatoris argumenta, reſponſionibus: tantum abeſſe, vt illi cum his pugnent, vt maximè hos confirment. Primùm ibi docetur, fidem veram non poſſe conſiſtere cum peccato contra conſcientiam: idem quoque nos ex Bucero concluſimus: ſed addidimus iuxta Scripturas & Buceri doctrinam, Sanctos non peccare contra plenam conſcientiam: immò, ideo Sanctos hæc peccata non admittere, quia præditi ſunt vera fide, quæ huiuſcemodi peccata ſecum non poteſt ferre. Deinde docetur, multos excidiſſe & excidere à gratia & à fide. Exempla autem, quæ ſubiiciuntur, partim de reprobis ſunt, vt de Saule: partim de electis, vt de Dauide. Nos quoque docemus, iuxta doctrinam Buceri, tam electos, quàm reprobos, cùm peccant ex conſenſu, dici poſſe excidere à gratia & à fide, ſed non eadem planè ratione. Reprobi enim, quia peccant contra plenam conſcientiam, prorſus etiam & plenè excidunt à gratia, & eam planè fidem temporariam, quam habebãt, totam omnino amittunt. Electi verò, quia nunquam peccant plena voluntate & pleno conſenſu, ideo neque plenè, ſeu prorſus excidunt à gratia, neque penitùs fidem amittunt, ſed partim, hoc eſt, ita excidere dicuntur à gratia Patris cæleſtis, ſicut filij à gratia ſuorum parentum, cùm illos ſuis malis moribus aut peccatis ad iracundiam prouocant: ita tamen, vt nec illi deſinant eſſe parentes, nec iſti deſinant eſſe filij. Et ita amittere fidem dicuntur, ſicut extingui dicitur ignis, cùm aut materia humida ſuperiecta ſuffocatur, aut cùm defectu lignorum calor remittit: ſed ita tamen, vt totus ignis non penitus exſtinguatur. Quare locis illis nihil contra hos & alios à me pro perſeuerantia adductos, concluditur,

OECOLAMPADIVS *in Epiſtolam Iohan. primam, demegoria octaua: in illa verba, Si fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtiq; nobiſcum. Colligunt hinc nonnulli, inquit, ſemel verè illuminatos non poſſe totos excidere à fide, & exire prorſus ab Eccleſia. Nam tametſi*

„ *Petrus Christum negarit: non tamen omnino exiuit. illi reuelationem à Patre, & non à car-*
„ *ne & sanguine factam scimus: eumq; peccasse non ignoramus: nec tamen defecit penitùs eius*
„ *fides, sicut nec Dauidis adulteri. vnde & per pœnitentiam, ac lacrymas vterq; redierunt. At*
„ *si qui ita exeant, vt non redeant: verè illuminatos neutiquam credendum. Qui enim*
„ *redeunt, salua adhuc habent seminaria quædam fidei, nec omnino deplorati fuêre, neq; vllus*
„ *talium ita exit, sicut Antichristi, qui non verè illuminati exierunt: vt aut veritatem agni-*
„ *tam, aut fratres propter veritatem impugnent. nullos enim ex talibus rediisse legimus: incõ-*
„ *donabili enim peccato peccarant, nempe in Spiritum sanctum: quod neq; in hoc, neque in fu-*
„ *turo seculo remittitur. Viderit vnusquisque qualem hactenus habuerit fidem, & continuò*
„ *Deum oret: Domine, adauge fidem, adiuua incredulitatem: ne vel cum tanto numero Anti-*
„ *christianorum abripiatur: vel imparatus sit veniente & vocante Domino Iesu Christo,*
„ *fiat. Amen.*

Non potest autem vel meus Antagonista, vel aliquis alius, hoc Iohannis Oecolampadij testimonium, aut tanquam pugnans cum Confessione Augustana repudiare, aut tanquam hæreticam doctrinam damnare: quin etiam D. Hedionem repudiet atq; damnet, tanquam eum, qui doctrinam & hæreticam, & cum Confessione Augustana pugnantem probauit, atque populo Argentinensi legendam & recipiendam proposuit. Is enim hasce Oecolampadij demegorias, è Latina in linguam Germanicam, vt etiam à plebe legi possent, conuertit.

MVSCVLVS *in Locis communibus de remissione peccatorum, cap. 6. concludit, remissionem peccatorum semel impetratam, non posse in electis fieri irritam: idq; propterea, quòd*
„ *nunquam ita peccent, vt à gratia Dei prorsus excidant. Non quoduis peccatum, inquit,*
„ *præcedentem gratiam exstinguit. exstinguit verò reditus ad pristinam impietatem, tan-*
„ *quam ad vomitum. aliud est pedes post lauacrum sordidare: & aliud toto corpore in volu-*
„ *tabro luti, instar suum, denuò volutari. aliud est, si vxor subinde contra maritum suum*
„ *delinquat: & aliud si perfida matrimonij fidem ac vinculum adulterando rumpat, seq;*
„ *ipsa omnis coniugalis societatis exsortem reddat. Sic aliud est simpliciter peccare, quod acci-*
„ *dit etiam filiis Dei, & aliud, prorsus è gratia Dei excidere, prolabi, Christum ab integro cru-*
„ *cifigere, & ludibrio exponere, quod reproborum est, non electorum. De posteriori hoc gene-*
„ *re peccandi, loquitur Epistola ad Hebræos, non de priori. vnde capite decimo notanter di-*
„ *cit: Quantò putatis peioribus afficietur supplicijs, qui Filium Dei conculcarit, & sanguinẽ*
„ *Testamenti ceu rem profanam habuerit, per quam fuerat sanctificatus: & Spiritum gratiæ*
„ *contumelia affecerit. Loquitur autem de eodem relapsu, de quo cap. 6. locutus est. De priori*
„ *verò loquitur Apostolus 1. Iohan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem.*
„ *Hæc ille.*

„ PHILIPPVS MELANTHON, *vt loca hac de re apertissima in prioribus Tomis*
„ *omittam, & ea tantùm commemorem, quæ in postremo commentariolo in epistolam priorem*
„ *ad Corinthios scripsit, in ea verba, capite decimo: Fidelis autem Deus, quæstionem hanc pro-*
„ *ponit, idque in hæc verba: Sed cùm tam multi superati à Diabolo & sua infirmitate,*
„ *ruant in exitium, vt maxima pars populi in deserto, & parabola de semine, Matth. decimo-*
„ *tertio significat, plurimos deficere à Deo: quomodo congruit ad hæc dicta, quòd tanta mul-*
„ *titudo non protegitur? Ad hanc quæstionem respondet in hæc verba: Respondeo. Sem-*
„ *per in Ecclesia duæ sunt partes: vna habens initia timoris & fidei: quæ quanquam infirma*
„ *est, tamen habet exercitia pœnitentiæ & inuocationis, & retinet timorem Dei & fidem: de*
„ *qua parte dicitur, Habenti dabitur. Item Psal. 144. Propè est Dominus omnib. inuocanti-*
„ *bus eum: omnibus inuocãtibus eum in veritate. Item: Quantò magis Pater vester cælestis da-*
„ *bit Spiritum sanctum petentibus? Item Esaiæ 66. Ad quem respiciam, nisi ad contritum*
„ *Spiritu, & trementem sermones meos?*
„
„ *Altera pars est secura, sine exercitiis pœnitentiæ & inuocationis, ebria volu-*
ptatibus

ptatibus, aut admiratione & fiducia suæ sapientiæ & iustitiæ: vt Saul, Achitophel, Absalon, & alij innumerabiles. Hi superantur à Diabolo, quia sunt sine timore Dei, sine agnitione infirmitatis suæ, sine dolore, nec expetunt auxilium Dei.

1. Hoc in loco Philippus principiò quæstionem proponit de iis, qui in Ecclesia ita tentantur, vt in peccata labantur, sicut Corinthi multi lapsi fuerant. non est igitur hic sermo, nisi de iis, qui in peccata labuntur.

2. Hos in duas secat partes, & in secunda quidem parte ait esse eos, qui securè peccant, sine exercitiis pœnitentiæ: atque hic eos tantùm commemorat & ponit, quos scimus reprobos fuisse, Saulem, Achitophelem, Absalonem, quos etiam ait superari à Diabolo. Est igitur manifestum, in hac secunda parte electos non contineri. Quare in prima parte contineantur, necesse est. neque enim dubium est, quin nomine harum duarum partium intelligere voluerit electos, & reprobos: sed in hac sua senecta abstinebat libenter à nominibus Electorum & Reproborum.

3. Prioris partis, hoc est, electorum, hoc esse proprium, illúdque perpetuum docet, vt licet infirma sit, & ex infirmitate labatur in peccata, semper tamen retineat exercitia pœnitentiæ, & inuocationis, timorem Dei & fidem, iuxta dictum, Habenti dabitur. Quis hîc non videat, D. Philippi sententiam hanc fuisse: Electos, etsi per infirmitatem labantur in aliquot peccata, semper tamen eos retinere fidem & timorem Dei? quare? quia, vt anteà docuerat, electi, inter quos fuit Dauid, non tentantur, nisi tentatione humana: tentatio autem humana, cùm sit sine contemtu verbi, retinet verbum, ac proinde fidem. Est enim tentatio humana, vt Philippus definit, dubitatio, vel error, vel lapsus, ab humana infirmitate ortus: nondum ita confirmato furore, vt mens sit Epicurea, aut accedat persecutio agnita veritatis, aut odium Dei (qualis fuit lapsus Dauidis, de quo apertè sic ait:) Valde tristis fuit lapsus Dauidis, & Diabolus ei non leuiter insidiatus est, sed tamen non potuit eum impellere ad Epicureum contemtum, vel odium Dei, vt Saulem impulit. Si non contemsit, neque odio habuit Deum: ergo aliquem Dei timorem & amorem, ideóque & fidem in eum retinuit. Cùm autem omnes electi hac tantùm tentatione humana tententur, de sententia etiam D. Philippi consequitur, omnes electos nunquam adduci ad contemtum vel odium Dei. eos igitur retinere timorem Dei, & fidem.

BRENTIVS *in 17. Iohan. homil. 34. Exposuimus, inquit, quos fructus ferant hi, qui manent in Iesu Christo, vero & vnico nostro Seruatore. Exponamus nunc, quæ sint incommoda eorum, qui in Christo non manent, vt qui ad quærendum & retinendum Christum non excitatur vtilitate, excitetur damnis & incommodis contemtorum, & desertorum eius. Si quis, inquit, in me non manserit, eiectus est foras, sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conijciunt, & ardent. Hæc vt rectè intelligamus, cognoscendum est, quis non maneat in Christo. Ac primò non manet in Christo, quisquis abnegato Christo, deficit ad Iudaismum, aut Turcismum. Hoc est crassum genus defectionis à Christo: quod non pij tantùm verùm etiam prudentes huius sæculi detestantur. Deinde in Christo non manet is, qui etsi gloriatur de Christo, & videtur eum agnoscere: tamen confidit meritis suorum operum. quales sunt Pontificij sacrificuli, monachi, & hypocritæ in Christianismo. Nam in baptismo despondemur Christo hac conditione, vt ipsum solum & vnicum agnoscamus Seruatorem, & peccatorum nostrorum expiatorem. Quare si quis non contentus hoc vnico expiatore, sentit etiam se sua ipsius iustitia expiare peccata, & placare Deum: violat fidem datam Christo, & excidit à Christo. Sic Paulus accusat Galatas defectionis à Christo: Quicunque, inquiens, per Legem iustificamini, à gratia excidistis. Postremò, non manet in Christo iis, qui cùm agnoscat nomen Christi, ducit vitam sceleratam, ambulat secundum carnem, & seruit peccato. Fieri enim non potest, vt Christus maneat in eo, qui peccat contra conscientiam, & tradit se captiuum cupiditati carnis. Si autem Christus non manet in ipso: quomodo ipse maneret in Christo? Iohannes ait, Qui dicit, Noui eum, & præcepta eius non seruat, mendax* 1. Ioh. 2. *est; & veritas eius in eo non est. Item: Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum oderit,*

„ *mendax est. Ac Paulus: Si qua suis, & maximè familiaribus non prouidet, fidem abnega-*
„ *uit, & infideli deterior est. Manifestum igitur est, quòd qui sceleratam ducunt vitam, etiãsi*
„ *iactent nomen Christiani, non tamen maneant in Christo. Quid ergo fiet de his, qui non*
„ *manent in Christo? idem nimirum quod fieri solet de palmitibus non manentibus in vite.*
„ *hi enim exciſi à vite, eiiciuntur foràs: eiecti, exarescunt: arefacti colliguntur, & coniiciun-*
„ *tur in ignem, vt ardeant: nec vlli alteri vsui accommodi sunt, nisi vt ignem pascant. Hæc*
ille. Hic video tria hominum genera, perfidos, hypocritas, & licentiosos, seu apertè scele-
ratos.

Quartum verò genus, quod est Sanctorum, hoc est, eorum, qui neque perfidi à fide Christi ad Iudaismum vel Turcismum deficiunt, neque fiduciam suam, vel totam, vel partim in suis meritis, sed totam planè in vno solo Iesu Christo collocant: neque etiam aut sceleratam vitam ducunt, aut sese captiuos exhibent peccato. sed potiùs vitæ sanctitati studeut, & peccato repugnant: & licet nonnunquam inter rectè ambulandum labantur, & peccent, nunquam tamen aut peccatum ament, aut plena voluntate peccent, aut in peccato perseuerant. Hoc, inquam, quartum hominum genus, inter eos, qui non manent in Christo, hoc in loco à Iohanne Brentio non commemoratur. Aut igitur sentit, homines verè Sanctos, & verè in Christum credentes, manere semper in Christo: ideóque à fide, & à Christo nunquam penitùs excidere: aut si sentit etiam verè Sanctos à Christo excidere posse, non tum enumerauit omnia eorum, qui non manent in Christo hominum genera: aut postremò, si vult etiam hoc quartum genus, quod est Sanctorum, in aliquo illorum trium contineri, magnam admodum iniuriam fecerit Sanctis, quòd eos non discriminarit, atque discreuerit ab illis tribus pessimorum hominum generibus. Non est autem verisimile, talem virum aut nullum discrimen facere inter Sanctos, & inter illa tria hominum genera, perfidos, hypocritas, sceleratos: aut in sua partitione non omnia eorum, qui non manent in Christo, hominum genera complexum esse. Consequitur igitur iuxta hanc D. Brentij partitionem, quartum hominum genus, quod est Sanctorum, cùm ab illis tribus qualitate fidei & vitæ differat, in hoc etiam differre: quòd cùm illi non maneant in Christo, ipsi nunquam excidant à Christo.

„ *Idem in Iohan. cap. 6. homil. 56. in ea verba: Nemo potest venire ad me, nisi Pater trax-*
„ *rit eum. Iesus Christus, inquit, liber cælestis vitæ est, in quem, qui per fidem inscriptus fuerit,*
„ *dubium non est, quin sit in corde ipso Dei inscriptus, & ad congregationem cælestium ci-*
„ *uium pertineat. Sed metuo, inquis, ne fides mea vel non sit sincera, vel tandem labefiat.*
„ *Quid? num existimas Deum confringere calamum quassatum, & extinguere linum fumi-*
„ *gans? Mater non reiicit infantum suum, aut adhuc ætate tenerum, aut ex morbis imbe-*
„ *cillem, sed tantò maiori cura eum complectitur, quantò grauiores sunt morbi. Et Deus*
„ *Pater humana matre durior esset adue sus eum, quantumuis in fide infirmum, cui in Fi-*
„ *lio suo Christo omnem clementiam promisit? Nescis, quò te illud dictum vocet, Credo,*
„ *Domine, adiuua incredulitatem meam? Non est igitur metuendum, ne Deus abiiciat*
„ *te propter imbecillem fidem, sed potiùs danda est opera, continenti tractatione ver-*
„ *bi Dei, precatione & obedientia, vt fides autore Spiritu sancto subinde magis ac*
„ *magis augeatur. Quid autem illud est, quòd solicitus sis de tua in fide perseueran-*
„ *tia? Tu tuum in perseuerantia facito officium: reliqua curæ Deo erunt. An nescis fi-*
„ *delem esse, qui non sinit nos tentari supra id quod possumus: sed facit vnà cum tenta-*
„ *tione euentum, quo possimus sufferre?* Oues meæ, *inquit Christus*, vocem meam
„ audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do
„ eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea.
„ *Tu verò nunc factus es ouis Christi, qui cognoscis Christum per fidem. Quid igi-*
„ *tur metuis, ne quis raptat te de manu Christi? de voluntate quidem Christi, toto Euan-*
„ *gelio testificata, dubitare non potes.*
„ *An fortassis dubitas de eius potestate? Sed addit: Pater qui dedit mihi, fortior omnib. est: & ne-*

mo

mo potest rapere de manu patris mei. Quid? putas ne precationem Christi fuisse vanam & inefficacem? Non pro eis, inquit, rogo tantùm: sed & pro iis qui credituri sunt per sermonem eorum in me: vt omnes vnum sint: sicut tu pater in me, & ego in te. Sed & Paulus ait: Persuasum habeo, quòd neque mors neque vita; neque angeli, neque principatus, neque potestates: neque instantia, neque futura: neque altitudo, neque profunditas: neque vlla alia creatura, poterit nos separare ab ea dilectione, qua Deus nos complectitur propter Christum Iesum Dominum nostrum. Audi & Propheticum illud: Montes commouebuntur & colles contremiscent: Misericordia autem mea non recedet à te: & fœdus pacis meæ non mouebitur: Dixit miserator tuus Dominus. Quare pro certo habendum est: Deum qui tibi donauit filium suum, & per quem fidem iam accepisti, curaturum quoque, vt hunc filium in media etiamnum morte retineas: aut, vt rectiùs loquar, ab ipso retinearis & conserueris. Hæc ille.

Quis hic non videat: scopum Brentij in hac concione fuisse, vt quicunque sentit se vera in Christum fide præditum esse, ne amplius dubitet de æterna sui salute? & vt hoc obtineat, duplicem metum, qui hanc certitudinem infirmat, tollit. Primus est metus, ne eiiciamur à Domino, quòd sit fides nostra pusilla atque infirma. tollit hunc, illa promissione apud Esaiam, quòd Dominus linum fumigans non exstinguat. Alter metus est, ne tandem fides nostra labefiat; & non perseueremus in fide. Tollit hunc metum multis rationibus. Primò, quòd Deus sit fidelis, qui non sinat nos tentari suprà quàm possimus ferre, 1. Corinth. 10. Secundò, quòd Christus non sinat vllam ex suis ouibus sibi è manu eripi. Iohan. 10. Tertiò quod Christi precatio sit efficax, qua rogauit pro omnibus qui in se erant credituri: ac proinde etiam omnibus illis impetrauit, vt sicut ipse & pater perpetuò vnum sunt: ita ipsi perpetuò vnum maneant in Christo Iesu. Hæc est autem perseuerantia. Quartò confirmat nos hac certitudine de perseuerantia in fide: primùm, exemplo Apostoli Rom. 8. quod nihil possit electos separare à Christo: deinde promissione illa apud Esaiam 54. quòd misericordia Domini nunquam recedit ab electis. Postremò concludit, certissimos nos esse debere de nostra perseuerantia: quòd Deus pater qui dedit nobis filium, & effecit vt illum receperimus per fidem, curaturus etiam omninò sit, vt illum perpetuò retineamus: imò vt nos ab illo retineamur, nempe in fide & in se, & conseruemur. Si igitur dubitandum non est fidelibus seu sanctis, iuxta sententiam D. Brentij, de sua in Christo & in fide perseuerantia, ac proinde de æterna sui salute, idque propter promissiones Dei quas de hac re citauit; & propter precationem Christi, quam dicit fuisse efficacem: Manifestum est, verè Sanctos veréque fideles perseueraturos in fide & in Christo: ac proinde à fide & à Christo excidere penitùs non posse: idque propter promissionem Dei, & precationem Christi: sicut habet mea Thesis.

Propè infinita sunt in huius docti viri libris testimonia pro perseuerantia Sanctorum & certitudine salutis: quæ si opus fuerit, proferam in medium. Vnum adhuc tantùm subijciam.

In Iohan. 10. Homil. 81. in illa verba, Non rapiet illas quisquam de manu mea: Quid autem, inquit, dicam de morte? num hæc tantæ est potentiæ, vt à Christo abripiat suas oues? sed vt mors Christum ipsum non potuit in sua potestate detinere: ita nec potest credentes in Christum detinere. Dicam quod plus est: nullum est peccatum adeo potens, quod queat ouem Christi à pastore suo separare. Hic enim pastor expiauit omnia peccata: & maior est gratia Dei quam Christus impetrauit, quàm peccatum quod quondam Deum ab hominibus ab alienauit. Vbi enim exuberauit, inquit Paulus, peccatum: ibi magis exuberauit gratia: vt quemadmodum regnauit peccatum in morte: sic & gratia regnaret per iustitiam ad vitam æternam per Iesum Christum. Quid ergo? Peccabimus, quia peccatum non potest ouibus Christi adimere Christum? Nihil verò minùs faciendum est quàm peccandum. Nam qui verè sunt oues Christi: tantò magis cauent à designandis peccatis, quantò plus agnoscunt peccata sua per Christum esse expiata. Gestiunt enim quoquomodo possunt, gratitudinem animi suam erga Christum declarare, & beneuolentiam eius conseruare. Declaratur ergo gratitudo erga Christum obedientia iustitiæ, &c. Hæc Brentius.

Præcipuos tantùm inter Germanos Doctores nominaui: quòd putem horum testimonia satis supérque vobis esse debere ad confirmandam meam, de Sanctorum perseuerantia in fide, confessionem. Sed si plurium testimonia desideretis: adferam quàm lubentissimè, sunt enim multa in promtu.

De exteris nihil dico in præsentia, quoniam illorum suffragiis opus non habeo apud Germanos, in re tam certa atque perspicua.

Nuper etiam in celeberrima Academia MARPVRGENSI: *præter alias theses, hæc quoque disputata, defensa atque approbata, & in testimonium approbationis, typis cum aliis excusa atque inuulgata fuit: quæ numero est 14. & sic habet ad verbum. Cui (Christo) si quis semel verè insertus fuerit: eum quia neque sponsus foràs eijcit, neque quisquam de manu pastoris rapere potest: necesse est & de salute sua certissimum esse, neque vnquam vel à coniunctione sponsi sui penitùs distrahi, vel à pastore suo prorsus deficere posse. Iohan. 6. & 10.*

Nunc omissis aliorum multorum testimoniis, subijcere volo ipsius Doctoris Heshusij hac de re sententiam. Id facio iustis de caussis. quarum non postrema hæc est: vt intelligatis, iniustissimè à meo collega, me tum voce tum scriptis, apud vos & vniuersos ciues, admissi in Confessionem Augustanam criminis, accusatum fuisse: quòd docuerim, Electos vbi semel donati fuissent vera in Christum fide, eos non posse amplius à fide & à Christo prorsus excidere. Certè D. Heshusius non cedit D. M. in defensione Confessionis Augustanæ. Cùm autem Heshusius eadem de Perseuerantia Sanctorum docuerit, scripserit, & in lucem miserit, quæ ego quoque in vestra Schola docui: consequitur, aut ipsum quoque Heshusium contra Confessionem Augustanam scripsisse: aut D. M. Confessionem Augustanam non intelligere: ac proinde sua imperitia, & me iniustè damnasse, & totam hanc ciuitatem perturbasse.

Heshusij verba hæc sunt in libro de Seruo arbitrio hoc anno 1562. in lucem dato, duer-
»»*nione F. Quartus gradus, inquit, operationis Spiritus est salutis perfectio, seu donum*
»»*perseuerantiæ: quo ita persistitur constanter in fide: vt certa inpetretur salus. Non enim om-*
»»*nes qui verbo illuminantur, & primitias fidei degustant, retinent hanc datam salutem: sed*
»»*multi rursus abijciunt fidem, excutiunt Spiritum sanctum, & excidunt gratia: quem-*
»»*admodum Christus inquit, fiunt eis posteriora deteriora prioribus, Luc. 11. Est ergo hoc*
»»*peculiare beneficium Spiritus sancti, quod solis electis contingit: quòd in fide ita stabi-*
»»*liuntur, vt inde excidere nequeant. Atque in hac Spiritus sancti operatione, vt nul-*
lum est meritum nostrum, ita nec cooperatio. A solius enim Dei misericordia, & Exod 33. Rom. 9.
inscrutabili electione dependet: Miserebor, inquit, cuius miserebor: & clemens ero, cui
»»*clemens fuero. Non igitur est volentis neque currentis: sed miserentis Dei. Et Philip. 2. Deus*
»»*est, qui efficit in vobis, vt velitis & perficiatis, id est, vt in fide persistatis. Et Philip. 1.*
»»*Confido, quòd qui incepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Iesu Christi. Ierem.*
»»*32. Timorem meum dabo in cor ipsorum: vt à me non recedant. Quæ testimonia, clarè*
»»*euincunt, perseuerantiam, de qua Christus inquit, Qui perseuerauerit vsque in finem,*
»»*hic saluus erit: merum esse, & gratuitum Dei donum: & opus solius Spiritus sancti in ele-*
»»*ctis eam perficientis. Hæc ille: quibus nihil sanctiùs & clariùs dici potuit. Vtinam hanc do-*
»»*ctrinam intelligerent nostri.*

Confess. August.
Nunc ad extremum audite vosmet ipsos in Confessione vestra anni M. D. XXXIX.
»»*articul. VII. Hic solus & vnicus mediator, peccata nostra sustulit, nos patri suo reconcilia-*
»»*uit: Spiritum sanctum & regenerationem omnibus illis impetrauit, quos pater illi dat, qui-*
que verbum ipsius audiunt. Hanc regenerationem, vnà cum omnibus Christi meritis, Spi-
ritus sanctus cordibus fidelium inspirat: & ad extremum vsque conseruat. notetur ver-
bum conseruat. Si regenerationem in electis ad extremum vsque Spiritus sanctus conser-
uat, idque propter merita Christi, qui hanc & illum nobis impetrauit: regeneratio autem
conseruari non potest, quin conseruetur & fides: Non possunt igitur electi iam regenerati &

in

in Christum per fidem insiti, à fide & à Christo prorsus excidere : idque propter precationem & merita Christi. Conclusio autem istius vestræ Confessionis ita habet ad verbum: Quidquid iam dictis repugnat, agnoscimus erroneum atque falsum esse, ideóque meritò repudiandum. Repugnat autem dogma illud ex diametro, quo negatur, in electis renatis non conseruari in finem vsque à Spiritu sancto ipsam semel inchoatam regenerationem: ac proinde quo asseritur, renatos posse amittere, & quidem multos ex illis reipsa amisisse & amittere Spiritum regenerationis. Ergo quid de hoc dogmate sentiendum, & vobis definiendum sit, videtis.

De fide porrò speciatim Dauidis & Petri, qui duo cumprimis nominatim à meis amicis crudelissimè fuerunt flagellati, quid sentiam, illud inter Acta, nempe in responsionibus ad omnia argumenta mei aduersarij, explicatum habetis. Summa hæc est: Quantum & è sacris literis, & ex Patribus, & ex præstantissimis nostri seculi doctoribus colligi potest, neutrum, cùm peccarunt, fidem prorsus amisisse, & à gratia Dei penitus excidisse: idq; propterea quòd neuter ex destinata malitia peccauit, Deo vtrumque à tali peccato præseruante, & timorem sui ac fidem in vtroque conseruante: id quod vel inde maximè apparet, quia ita vterque resipuit, vt ad eiusdem generis peccata neuter ampliùs redierit. Sed præter generalia, quæ modò attulimus, testimonia & argumenta, non pauca etiam de vtriusque constanti fide proferre in medium possemus, nisi priùs allata fuissent plura etiam quàm fuerit necesse.

De Petro locus est præcipuus Luc. 22. Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.

Tertull. de fuga, pag. 540. aliter de fide Petri docet, concussam quidem fuisse à Satana, sed protectam à Deo, ad Filij intercessionem. Aliter & Augustinus Tomo 7. de corr. & gratia. cap. 6. Christum rogasse Petro perseuerantiam vsque in finem: & cap. 7. Petri fidem non defecisse, quia Christus ei impetrauit fortissimam & inuictissimam perseuerandi voluntatem. Aliter Chrysostomus, qui Tomo 2. in Matth. cap. 26. homilia 3. ait, Christum rogasse pro Petro, non vt se non negaret, sed vt ne negando, eius fides euanesceret. Aliter Theophyl. in Luc. 22. qui ait, concussum quidem fuisse Petrum ad modicum tempus, semina tamen fidei retinuisse: ac licet vento tentatoris deiecta fuerint folia, radicem tamen vixisse. Aliter Gregorius Primus in Iobum, cap. 34. vbi ait, Petrum ex infirmitate peccasse: ideo robur quidem fidei fuisse concussum, quasi dicat, sed non excussum: & Deum, quem voce denegauit, corde retinuisse. Aliter Bernhardus libro de natura & dignitate amoris diuini, cap. 6. qui ait, Petrum, cùm peccauit, caritatem non amisisse: cùm se non esse mentitus est in ore, cuius totus erat in corde. Aliter & Lutherus Tom. 5. in Euang. Iohan. cap. 17. Aliter Bucerus in Iohannem, cap. 6. sectione 5. in Epistolam ad Rom. cap. 7. vbi contrarium planè docet, & de Petro, & de Dauide, quàm mei aduersarij debacchati sunt: quemadmodum etiam ante Bucerum, de vtroque docuerat Bernhardus, lib. de dignitate amoris, cap. 6. Idem planè docet Bucerus de vtroque, imò de omnibus electis, Spiritu Dei renatis in Psal. 1. & Psal. 51. Item in lib. de reconciliatione Ecclesiarum, in articulo, De iustificatione: imò aliter & Philippus ipse in 1. ad Cor. cap. 10. vbi maximum discrimen facit inter peccata Saulis & Dauidis: & negat in cor Dauidis ingressum fuisse Satanam, sicut in Saulis cor: aut verbum de illius corde ereptum fuisse, sicut ex istius: ait item Diabolum grauiter quidem insidiatum fuisse Dauidi, sed nunquam eum potuisse vsque ad Epicureum cõtemtum, aut in odium Dei adducere, sicut adduxit Saulẽ. Quomodo igitur non puduit quosdam, peccatum Petri, peccato Iudæ: & scelus Dauidis, sceleribus Saulis exæquare: & tam illos, quàm istos, omnem penitùs amisisse fidem vociferari?

Nunc etiam, amplissimi viri, quæ mea sit de perseuerantia Sanctorum in fide, fides atque Confessio, abundè, & vt confido, perspicuè à me explicatum habetis.

HIER. ZANCHII,

DE COENA DOMINI CONFESSIO.

Epistola ad Magistratum.

HANC *vobis meam exhibeo, clementissimi Domini, de sacra Cœna Confessionem, cum hac protestatione, insignem iniuriam mihi fuisse factam ab illis, qui me de Cœna Domini accusarunt: quasi aliquid de ea docuerim, quod vel cũ verbo Dei, vel etiam cum Augustana Confessione pugnet: quo factum est, vt Domini Confessionem meæ fidei de hoc etiam articulo à me postularint. Protestor enim primùm, ab eo tempore, quo in vestra Schola docui, nunquam de Cœna Domini ex professo, vllam à me habitam fuisse lectionem, aut disputationem: tum quòd mihi Prophetas interpretanti, nullus de Cœna differendi locus occurrit, tum quòd de industria tacere volui, ne vllam meis collegis occasionem litigandi & rixandi præberem. Deinde protestor, cùm aliquando contigit, vt vel in lectionibus, vel in disputationibus, argumentis disputantium prouocatus, de hoc articulo aliquid dicerẽ, memet semper continuisse intra illa tria capita, iuxta quæ me de re Sacramentaria, si occurreret, docturum semper promiseram. Quorum primum est, in Cœna non solùm panem & vinum, sed ipsum etiam verum corpus & verum sanguinem Christi verè à Christo oblata, verè etiam percipi, verè manducari, & verè bibi. Alterum, id verò non ore & dentibus corporis: sed vera & actuali fide fieri. Ac proinde tertium; à fidelibus, non autem ab iis, qui fide destituti sunt, verè manducari corpus, & verè bibi sanguinem Domini. Hæc autem tria capita ex verbo Dei sunt, neque pugnant cum Augustana Confessione. Tertiò protestor, neque ex professo, neque per occasionem de hoc Sacramento vllum à me factum fuisse verbum, quatuor saltem ante istud dissidium annis, ac proinde & immeritò accusatum me fuisse de re Sacramentaria, & sine vlla caussa, atque admodum intempestiuè dissidium de hoc articulo excitatum à meo collega fuisse.*

Quare, quòd vobis exhibeo hanc meam prolixam de Cœna Domini Confessionem, scitote, me hoc non facere, vt vobis explicem, quid in vestra Schola ea de re docuerim (nihil enim docui de Cœna, præter illa tria superiora capita, & eo modo & tempore, quo antè, me docuisse dixi) sed his tantùm duabus de caussis id ipsum à me fieri: quarum prima est, vt quid de hoc mysterio sentiam, atque credam, clarè & perspicuè, sicut iussistis, & vobis clementissimis Dominis meis, & posteris omnibus explicem: atque ita non tam vestro, quàm Domini Iesu mandato, obtemperem. Dominus enim iubet, vt vnicuique fidei nostræ rationem petenti respõdeamus: quantò igitur magis Magistratui suo, hoc ipsum iubenti? Altera est, vt hinc consequenter intelligatis, me tanti vestram, non autoritatem solùm, sed etiam salutem facere, quanti & debeo, & mihi animus est semper facere: noui enim quantam semper reuerentiam D. Iesus & Apostoli suis detulerint Magistratibus. Valete.

DE

De communione cum Deo, & Christo.

THESIS PRIMA.

PERFECTA nostra felicitas, ideóque vltimus vitæ nostræ finis, in quem, ceu in scopum perpetuò collimare debemus: est, vt simus perpetuo nexu ita vniti Deo, summo bono: vt toti, quanti quanti sumus, omnibus tandem, quibus fieri possit modis, vnum cum ipso fiamus: id quod Christus omnibus electis à Patre, tum sua oratione, tum sua passione impetrauit & impetrat.

II.

Hæc vnio incipit in hoc sæculo: sed tum demum perfecta continget omnibus electis, cùm nostra etiam corpora facta fuerint, vt Paulus loquitur, spiritualia, & cum Deus erit omnia in omnibus nobis.

III.

Primum autem in nobis, quod vniri debet Deo, & reipsa vnitur, est mens: per veram Dei cognitionem. Alteram est cor, per sincerum erga Deum amorem. Mentem autem & cor sequuntur deinde reliqui omnes tam animæ affectus, quàm corporis sensus, desiderio studio obsequendi Deo.

IV.

Sicut enim primum, quod auertit & alienat nos à Deo, est ignoratio Dei: cum falsa de illo opinione, nempe quòd etsi sit bonus in se, immò etiam aliis, nobis tamen sit inimicus & hostis, ideóq; quòd velit nos perdere (hac enim opinione fit, vt mox quoque cor à tali Deo alienetur, & odio illum habeat) Ita primum quo mens nostra vnitur Deo, est vera, solidáque Dei cognitio: quòd is sit summũ bonum, non solùm in se & aliis, sed etiam nobis, sitq; non solum Deus, sed etiam noster Deus, amicus, & Pater. Hac de caussa Scripturæ primum quod de impiis tradunt, est, quòd ignorent Deum: & cõtrà, primum quod proponunt de iustis, est. quòd cognoscant Dominũ: & ad huius cognitionem omnes in primis hortãtur.

V.

Ceterùm cùm omnes nati simus in peccatis, & in Deum peccauerimus & peccemus, idque grauiter: fieri non potest, vt persuadeamur, Deum nobis esse amicum, velle benefacere, ac multò minùs eum esse Patrem nostrum & daturum vitam æternam, nisi priùs persuadeamur, ac certò sciamus, illum omnia nobis peccata condonasse, atque ita esse reconciliatum.

VI.

Non possumus autem persuaderi, peccata nobis aut esse condonata, aut condonari posse, nisi certò sciamus, pro illis esse aut plenissimè satisfactum, aut posse satisfieri.

VII.

Nam etiamsi cogitemus, Deum esse Deum liberum & omnipotentẽ, qui possit parcere etiam sine satisfactione, & eundem esse bonum, atque misericordem, qui cupiat & velit parcere: tamen hæc cogitatio semper obuersabitur mentibus nostris, Deus iustus est, & peccata non fert, neque sinit impunita, odítque impiũ, & impietatem eius. Iustitia autẽ hæc postulat, vt nemini parcatur, nisi pro offensis, aut is qui offendit, aut alius ipsius nomine satisfaciat. Tunc assumimus: Atqui ego non sum soluẽdo, nec possum satisfacere, neq; vlla alia creatura pro me satisfacere potest. Hinc concludimus: Ergo fieri nõ potest, vt peccata mihi cõdonata sint, ac condonari possint. Ac proinde fieri etiam nequit, vt Deus, quem ego gra-

uiſſimè & ſæpiùs offendi, mihi ſit amicus. Quare, etiamſi ſciamus, Deum eſſe bonum & miſericordiam in ſeſe, ſuáque natura: tamen quia ſcimus etiam eundem eſſe iuſtũ, iccircò fieri non poteſt, vt certò credamus, peccata nobis eſſe condonata, aut condonari à Deo poſſe, niſi certò ſciamus, iuſtitię diuinæ pro illis aut eſſe ſatisfactum, aut ſatisfieri poſſe, vel à nobis, vel ab aliquo alio pro nobis.

VIII.

Ac proinde dum in iſta de peccatorũ remiſſione ignorãtia permanemus: quia ſemper peccata noſtra perſuadent, Deum eſſe nobis inimicum & hoſtem, idcircò tantum abeſt, vt eum tãquam Patrem amare, & ad eum accedere, eiq; inſeruire poſſimus, vt potiùs eum tanquam hoſtem odio habeamus, atque ab eius conſpectu, exemplo etiam Adami & Euæ, procul fugiamus. Ergo perſuaſi ſimus, peccata nobis aut eſſe remiſſa, aut remitti poſſe, neceſſe eſt. Vt autem hoc ſciamus, illud quoque non ignoremus oportet, pro noſtris peccatis, aut eſſe ſatisfactum, aut ſatisfieri poſſe, vel à nobis, vt antè dictum eſt, vel ab alio pro nobis.

IX.

Nos non poſſe ſatisfacere nouimus: nullam etiam aliam creaturam poſſe, non ignoramus: nullum quoque eſſe, inter omnia illa, quæ à Deo ſunt condita, vel pretium, vel ſacrificium, quo pro peccato ſatisfieri Deo poſſit, extra controuerſiam eſt, ſi Scripturis creditur.

X.

Cùm igitur inter creaturas reperiri non poſſit, aut aliquis, qui valeat pro peccatis noſtris diuinæ iuſtitiæ ſatisfacere: aut aliquid, quo poſſit ſatisfieri: conſequitur, aut de ſalute noſtra actum eſſe, aut in Deo quærendum eſſe mediatorem: qui & velit, & poſſit pro nobis iuſtitiæ diuinæ ſatisfacere.

XI.

Fieri autem non poſſe videtur, vt in Deo inueniatur mediator, qui pro nobis ſatisfaciat, & Deo ipſi nos reconciliet. cùm enim Deus vnus tantùm ſit, íſque ſit pars à nobis offenſa: quomodo idem poterit & pars eſſe, cui nos reconciliemur, & mediator, qui nos reconciliet, & Deo pro peccatis noſtris ſatisfaciat?

XII.

At bene res habet. Etſi enim Deus eſſentia vnus tantùm eſt, in tres tamen diſtinctus eſt, licet non diuiſus, perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Deinde etſi abſurdum videri poſſit, vt omnes tres ſimul, quatenus omnes ſimul eſſentia vnus ſunt Deus, ſint & pars, & mediator: nihil tamen impedit quo minùs aliquis iſtorum trium, quatenus talis eſt perſona, ſeſe tanquam mediatorem interponat: præſertim ſi aliam quoque naturam, præter diuinam quam habet, ſibi in vnam eandémque perſonam aſſumat. Si præterea videtur etiam abſurdum, vt Pater id faciat, quia ſicut fons eſt totius diuinitatis, cui nos ſumus reconciliandi, ſic fons eſt totius iuſtitiæ, cui pro peccatis ſatisfieri oportet: Non eſt tamen abſurdum, vt tale officium faciat ſaltem Filius: quippe cùm Filius ſit, ſuam quoquo filiationem communicare nobis poterit, & eiuſdem Patris filios efficere.

XIII.

Res autem ita ſe habet. Hic Filius ante mundi conſtitutionem, cõſtitutus fuit in cæleſti conſilio mediator inter Deum Patrem, & nos: qui ſuo tempore caro factus, ſe ipſum daret ἀντίλυτρον pro omnibus Eccleſiis: proinde in ipſo etiam, quotquot ſunt electi, electi fuerunt. nam etiam Patres hunc nouerunt, & fide amplexi ſunt. occurrit. n. etiã illis, & ſeſe illis patefecit, non quidem tanquam ille, qui iam pro ipſis λύτρον reipſa dederit: ſed tanquã ille, qui erat λύτρον daturus, atq; ita certò ſatisfacturus, vt illius voluntas pro facto acceptata fuerit à Patre. Nobis autem nunc

nunc occurrit idem mediator, sed vt ille, qui iam plenè satisfecerit. Nunc tenemus mediatorem,& mediatoris necessitatem.

XIV.

Postquam inuentus est mediator,in eo inhærendum est.Nam extra eũ vagari, præcipitium est in abyssum infernalem: cùm ipse solus sit via ad cælum. Et quidquid extra eum pro remissione peccatorũ fingitur,mẽdacium est, cùm ipse solus sit veritas. Et quidquid extra eum propter vitã æternã consequendam quæritur, mors est,cùm ipse solus sit vita. In solo igitur mediatore inhærẽdum, & quæcunque pro nostra salute cupimus,in eo quærenda sunt:quia etiam in eo solo omnia inueniuntur.

XV.

Vt autem iste mediator nobis ad faciendam illã,de qua loquimur,vnionem cũ Deo,prosit:principiò necesse est,vt eum attenta mente contẽplemur, ac verè & solidè agnoscamus,tum in sua persona, quis & qualis sit, tum in suo officio, quid pro nobis semel fecerit,& quid nũc pro nobis & erga nos perpetuò faciat.Nisi.n. verè agnoscamus,non poterimus etiã amare, aut amplecti:ideóq; nec cælestium thesaurorũ,qui in ipso sunt,participes fieri. Deinde necesse est,vt eũ verè agnitũ verè etiã amplectamur,atq; ita amplectamur, vt ei incorporemur: atq; ita incorporemur,vt fiamus vnũ cum illo,os ex ossibus eius, & caro ex carne eius. Neque enim possumus vniri Deo Patri summo bono, & esse perfectè beati, nisi priùs vniamur huic mediatori,cùm nemo veniat ad Patrẽ,nisi per eum, & nemo ascẽdat in cælum,nisi qui descendit de cælo,mediator Dei & hominum,homo Christus Iesus. Qui autem ei incorporantur, fiunt vnum cum illo, vt tandem sint & ipsi,vbi & ille.

XVI.

Quantũ igitur ad personã mediatoris attinet, ipse est Filius Dei,Patri ὁμοούσιος secundũ diuinitatem:& filius Marię,matri ὁμοούσιος secundũ humanitatem,verus Deus,& verus homo,nobis per omnia vsq; ad suam resurrectionem similis,excepto peccato:nũc autem per omnia quoque similis,excepto peccato & morte, & illis mortalis corporis conditionibus, quibus nostra quoque corpora exuentur in resurrectione.

XVII.

Quantũ ad officia, quoniã in nouo fœdere. h.e. quod renouauit cum populo Israelitico,& suo sanguine confirmauit,nos quoque Gẽtes cõplexus est: Iccircò in explicandis istis officiis, quæ Christus in primis pro Israele, deinde pro nobis fecit:coniũgam nos,breuitatis & perspicuitatis gratia,cũ populo Israelitico,perinde acsi essemus omnes,sicut reuera per Christũ facti sumus,vnus populus Israeliticus.sumus.n.omnes Israelitæ secundũ Spiritũ,quicunque ad Christũ pertinemus.Quod igitur ad officia,quæ Christus fecit,attinet,is primùm, tãquam Apostolus Patris,significauit nobis, se missum à Deo Patre fuisse, tãquam eius legatũ & mediatorem inter illum &nos,vt fœdus amicitiæ,quod pepigerat cum patribus nostris, & quod alioqui propter nostra scelera factum fuerat irritũ, per se & in se renouetur & firmetur,ita vt nouũ semper sit & perpetuũ maneat. Fœdus autem hoc esse:Deũ ex sua parte primùm pro eo amore, quo nos ab æterno in ipso mediatore Christo Filio suo cõplexus est,velle ex sua misericordia, & propter hunc Iesum Filiũ suũ, condonare omnia nostra peccata, tam ea, in quibus nati sumus, quàm ea,quę vnquã admisimus.Deinde in posterũ se omnẽ promittere beneuolentiam,& omnia beneuolẽtiæ officia. velle enim se nobis esse Patrem in hoc suo Filio, & nos agnoscere pro filiis. Ac proinde postremò,se velle nos cum Christo hæredes totius regni sui æternæ vitæ cõstituere: hæc enim omnia illo continẽtur dicto: Ero Deus tuus: & seminis tui, &c. Ex parte verò nostra,Deum nolle ampliùs stipulari à nobis tot & tanta præcepta, quot & quanta stipulatus fuerat à patribus nostris, immò abrogare, quòd videat, non posse à nobis ferri, ac proinde quòd sint nobis non solùm inutilia,sed etiam detrimentosa.

Stipulari igitur à nobis primùm veram tantùm,& viuam fidem:fidem inquam in hunc mediatorem,& in Deum. Hanc enim esse vltimam,eámq; certissimam Patris voluntatem, vt omnis, qui videt Filium, & credit in eũ, vera sc. & per caritatem efficaci fide,non veniat in iudicium,sed habeat vitam æternam, & resuscitetur ad gloriam in nouissimo die. Deinde stipulari dilectionem inter nos mutuã: hoc enim vnicum loco tot aliorum in veteri Testamento præceptorum suum esse,hoc est noui Testamenti mandatum, vt diligamus nos inuicem. Tertiò studiũ sanctitatis in nobis ipsis, vt studeamus esse Sancti,sicut & Deus noster sanctus est: ac proinde,quę Deo grata esse nouerimus,ea efficere studeamus. Hęc est summa noui fœderis, quam Christus, vt legatus & Apostolus Patris nobis significauit.

XVIII.

Deinde,vt verus & æternus Pontifex, secundũ ordinem Melchisedech, duo alia fecit officia. Primum,quo renouatum fœdus, ex parte etiam nostra firmum ac ratum, ideóque & perpetuum maneret,orauit Patrem,vt quod etiam à nobis stipulatus est,fidem sc. veram per dilectionem operantem, qua sanctificamur & Christo vnimur,& per Christum Deo Patri, atq; ita in fœdere retinemur perpetuò:orauit,inquam,Patrem suum,vt hanc fidem ipse nobis largiretur,& per eam nos sibi sanctificaret:neq; solùm largiretur,sed etiam eam in nobis cõseruaret,ne penitùs vnquam deficeret, atque ita vniret nos sibi, vt perpetuò vnum essemus cũ illo, & inter nos,sicut & ipsi vnum sunt. Hãc fidem & fidei conseruationem, ideóque perpetuam vnionem cum Patre & cum Christo,& cum toto electorum cœtu impetrauit nobis à Patre suo Christus mediator noster.

XIX.

Alterum Pontificis officiũ fecit,quod fuit huiusmodi. Is vt vltimus & perpetuus Pontifex,abolitis omnibus veteribus sacrificiis,quòd nullam in se haberent vim expiandi peccata, suum corpus, hoc est,se ipsum,tanquam perfectissimum sacrificium, super aram crucis, Patri pro nobis obtulit: & sanguinẽ suum,pro remissione peccatorum nostrorum fudit : atque hoc, ceu λύτρῳ, pro peccatis omnium electorum, ita plenè iustitiæ diuinæ satisfecit : vt nihil ampliùs pro illorum satisfactione,aut à mediatore, nostro nomine,aut à nobis,qui in Christo electi,& cum illo vnum per fidem facti sumus,iure exigi possit.

XX.

Tribus autem præcipuè de caussis Christus mediator, iuxta volũtatem Patris hoc obtulit sacrificium corporis sui. Prima est, quoniam necesse erat reuera, vt pro peccatis nostris satisfieret diuinæ iustitiæ. neq; enim remitti poterant sine satisfactione, iuxta Dei decretum: nullo autem λυτρῳ, seu sacrificio satisfieri poterat,quàm sacrificio corporis & sanguinis Dei, id est, Christi: in cuius rei figuram, nunquã fiebat peccatorum remissio in veteri Testamẽto sine sanguine.

Altera,vt consequenter dubitationẽ de remissione peccatorũ, quã nobis dubitationẽ adferebat iustitia Dei,quæ peccatorum satisfactionem postulabat, ex animis nostris eximeret: cùm videamus iam esse satisfactum: atque ita magis ac magis nos cõfirmaret in fide, Deum nimirum cõdonatis per Christum peccatis, nobis esse recõciliatum,imò amicum summum, Patrémque æternum effectum: ita voluit,vt purgata mente,ab illa opinione,qua putabamus Deum esse hostem, eóque illum oderamus,ac ab illo fugiebamus, voluit inquam, vt mente per hanc veram Dei cognitionem, quòd in Christo nos amet, & condonatis peccatis, sit totus noster,purgata,ipsum quoque cor nostrum in Deum amore ferretur,& reliquæ omnes nostri partes in obsequium tanti Patris redirent.

Tertia itaq; caussa fuit, vt hac ratione fœdus inter Deum & nos per Christum renoua-

renouatum, sacrificio corporis & sanguinis eiusdem abolitis peccatis electorum, quæ illud facere irritum potuissent, in perpetuum confirmaretur: confirmaretur, inquã, non solùm in se, & ex parte Dei, sed etiã in nobis, & ex parte nostra: impetrata iam nobis remissione peccatorum per hoc Christi sacrificium: & per idẽ impetrata etiam & confirmata fide, qua remissionem peccatorum sentiamus & percipiamus, & ea percepta, in fœdere retineamur ac conseruemur.

Hæc sunt præcipua Christi officia, quæ, in terris cùm esset, pro nobis fecit: tũ vt legatus ac Apostolus Patris, tum vt verus & æternus Pontifex.

XXI.

Postea verò quàm hæc egisset, ipse vt verus mundi, & præsertim electorũ Rex, expugnatis hostibus suis omnibus, peccato, morte, Satana, inferno, & toto mundo, déque omnibus triumphans, conscendit in cælum, & data sibi omni potestate in terra & in cælo, ibi in summa maiestate cum Patre regnat, corpore quidẽ inde ad nos, nisi in fine sæculi ad iudicãdum mundum, non rediturus: diuinitate tamẽ vbique exsistens, & Spiritu suo in omnibus electis atque renatis inhabitãs, suámque Ecclesiam regens ac protegens, officiúmque Mediatoris perficiens.

XXII.

Etsi enim peractis omnibus officiis, quæ pro nobis in terra erãt in corpore Domini Iesu perficienda, Dominus ascẽdit supra omnes cælos, corpore suo inde ad nos non ampliùs, nisi semel rediturus: Ecclesiam tamẽ suam non deseruit, sed illã regit perpetuò: neque otiatur, sed alia adhuc pro nobis & erga nos facit officia, cùm in cælo, tum in terra.

XXIII.

In cęlo. n. perpetuò interpellat pro nobis, & apparet in cõspectu Dei pro nobis, & agit aduocatũ nostrũ apud Patrẽ, & regnũ cęleste nomine etiã nostro possidet, donec in illud nos introducat, vt cũ eo pleniùs atq; perfectiùs in ęternũ viuamus.

XXIV.

In terra verò, h. e. in Ecclesia militante, spirituales thesauros, quos hîc dũ esset, omnib. electis cõparauerat, quotidie distribuit, salutẽ partã cõmunicat: & deniq; semper ex electis alios in fœdus illud nouum atq; æternũ recipit: alios iam receptos, in eo magis ac magis indies confirmat, atque conseruat; ita vt neminem illorum, qui verè in hoc fœdere semel fuerunt comprehensi, ab eo excidere sinat.

XXV.

Est. n. vtrumq; vnius solius mediatoris officium; nempe & recipere aliquem in istud æternæ amicitiæ, atq; salutis fœdus: & in eo illum confirmare atque conseruare: quanquam ad hãc rem ministerio hominũ ad istud officiũ vocatorũ vtatur.

XXVI.

Nõ potest autẽ quispiã ad istud fœdus admitti, & huius fieri particeps, nisi & in ipso mediatore Christo fuerit ante mundi cõstitutionem à Patre ad communionẽ huius fœderis electus: atq; ita à Patre Christo datus, & vinculo electionis connexus, & nexu etiam fidei & Spiritus reapsè illi copuletur, & corpori eius incorporetur, vt fiat vnum cum ipsa Mediatoris Christi persona, os ex ossibus eius; & caro de carne eius.

XXVII.

Est enim ipsum fœdus in persona ac corpore Christi renouatum, & sanguine eius obsignatũ, atq; sancitũ: totáq; peccatorũ remissio, tota salus, tota iustitia, tota deniq; vita æterna in hoc vno Christo Deo & homine posita, atque firmata est in perpetuum, vt extra eum nihil nisi peccatum & mors reperiri possit. Proinde quicunque particeps huius fœderis fieri cupit, aut magis ac magis in eo confirmari, ad Christum hunc accedat, & ei vniatur, atque incorporetur necesse est.

XXVIII.

Est autẽ Christus caput totius corporis Ecclesię, quę est electorũ, & verè sãctorũ

cœtus,in ſpiritu & veritate Deum in eodē Chriſto colens,atque inuocās, & eodē verbo iiſdémq;,cùm poteſt,vtens Sacramentis,per totū orbē diffuſus.In ſola igitur vera & Catholica Chriſti Eccleſia fœdus hoc manet ac cōmunicatur: & quicunq; extra Eccleſiā ſunt,atque manēt, extra fœdus Chriſti ſunt,atque manent.

XXIX.

Etſi verò,qui vult fœderis huius particeps fieri,veniat ad Chriſtum,& Chriſto vniatur,atque incorporetur,neceſſe eſt: nemo tamē vnquā,niſi à mediatore ipſo trahatur,venire,aut ſe ipſi ei incorporare poterit.Quare neceſſe eſt, vt Chriſtus ipſe nos ad ſe trahat,& ſibi incorporet,& incorporatos, atque fœderis participes effectos, in eodem etiam magis ac magis confirmet, atque conſeruet; vt totum ſit opus Dei & Chriſti,vt qui gloriatur,non in ſe,ſed in Domino glorietur.

XXX.

Ad hoc autē faciendum, duabus rebus externis ordinariè, & duabus internis ſemper vtitur.internæ ſunt, illapſus ſui Spiritus, & donum fidei, quam in noſtra infundit corda. Is enim prior in noſtra illabitur corda, & ita prior ſe nobis communicat:deinde ſimul vim fidei infundit, eamq; in actum excitat: atque ita efficit,vt nos (non enim de pueris loquor) actu viuæ fidei, Chriſtum ipſum amplectamur,atque ita amplectamur, vt etiam corpori eius, non quidem craſſa & carnali,ſed ſpirituali,vera tamen & reali vnione incorporemur.

XXXI.

Etſi.n. interuallo locorū corpus ipſum Chriſti procul à noſtris diſtet:hoc tamē nihil impedit, quin vera atq; realis ſit vnio, qua fideles vniti ſunt Chriſto, & corpori eius incorporati,propter hoc Spiritus vinculū,ſeu nexum, quo ille nobis, & nos illi vniti ſumus.Certè Solis corpus tā procul abeſt à terra,quàm etiā cęlū,ſuis tamen radiis continuatis à ſuo corpore,vſq; ad corpus terræ,ita terræ vnitū eſt,vt à nulla re maiorē in ſe ſentiat efficacitatē terra,quàm à Sole:atq; ita ſentiat,vt mirabiles propter Solis præſentiam,pariat flores & fructus. maior tamen eſt Chriſti nobiſcum vnio.

XXXII.

Etſi verò vnio Chriſti nobiſcū,& noſtri cū Chriſto,iis duob.internis nexib.propriè fiat:nō ſolet tamen Deus iis per ſe ſolis,niſi adhibitis etiā externis,nos ſibi in fœderis cōmunionē receptos vnire. externi autē nexus ſunt verba & ſacramēta.

XXXIII.

Hæc aliquando ſunt coniuncta, aliquando ſeparata: coniuncta quidem, cùm ſacramenta adminiſtrantur. non enim hæc ſine verbo vel Sacramenta ſunt, vel adminiſtrantur ſeparata verò,cùm ſine ſacramentis verbum prædicatur.

XXXIV.

Vtrumq; autē officiū Dominus Ieſus etiam nunc in Eccleſia facit:licet corpore ſupra cælos ſit.nā ipſe eſt,qui in miniſtris,qualesquales ſint, cùm prædicāt purum ipſius verbū,prædicat atq; loquitur.Ipſe eſt, qui per miniſtros qualesquales ſint,cùm legitimè adminiſtrant ſacramēta, præbet ea, quæ per ſacramēta ſignificātur,h.e.ſeipſum,cū fœderis ſui in ſe per ſuum ſanguinem ſanciti, cōmunione.

XXXV.

Proinde cùm miniſter baptizat,oculis mētis in cælū ſublatis, cogito & credo, Chriſtum,quaſi manu ſua è cælo demiſſa, filiū meum ſanguine ſuo in remiſſionē peccatorū aſpergere, per manū illius hominis, quē video aqua caput infantis aſpergētem. Et cùm in Cœna miniſter nomine Chriſti mihi porrigit panē cum illis verbis, Accipe & comede:hoc eſt corpus meū,quod pro vobis traditur:cogito & credo, Dominū Ieſū, dū panē & vinū per manū miniſtri exhibet, ſimul etiā corpus ſuum, & ſanguinē ſuū mihi māducandū & bibendū, vt ego ei magis ac magis incorporer, præbere.Scio.n.verba eſſe Chriſti, non miniſtri:& Chriſtū Eccleſiæ dicere,nō miniſtrū, Accipite,manducate:hoc eſt corpus męum,quod pro vobis traditur

Ac

XXXVI.

Ac baptiſmi quidem Sacramento, ceu nexu ordinario vtitur ad recipiendum nos in fœderis communionem: Cœna verò, ad nos in ea magis ac magis confirmandos.

XXXVII.

Non alia autem ratione communicat ſeſe nobis Dominus, & nos ſibi vnit per Sacramẽta, ſeu nexibus Sacramentorũ, quàm qua etiã per verbũ, ſeu nexu verbi.

XXXVIII.

Interim tamen efficaciùs & ipſe ſeſe nobis cõmunicat, & nos ſibi vnit, per Sacramenta ſimul & verbum, quàm per verbum ſolum: quatenus verbo ſolo nullũ corporis ſenſum percellit, quàm auditum: verbo autem ſimul cum Sacramentis, ſeu ſignis, præter auditum, reliquos quoque permouet ſenſus.

XXXIX.

Senſus autem ſunt ceu ianuæ externæ, per quas aditus & introitus patefit in atrium animæ, & in ſecretum cordis cubiculum, tam Diabolo, quàm etiam Chriſto.

XL.

Cùm igitur Dominus ad nos venit, & ſe nobis vnit cum ſuis theſauris per verbum ſolum, quaſi vnam tantùm ianuam noſtri palatij pulſat, & per eam ſolam ingreditur. Cùm verò præter verbũ adhibet etiam Sacramẽta, omnes noſtras pulſat fores: & ſi nos audiamus, & tum verbo fidem adhibeamus, tũ Sacramenta fide percipiamus: tunc quaſi omnes fores aperimus Chriſto, & ipſe per omnes ingreditur. Efficaciùs igitur quodã modo per Sacramenta ſimul cum verbo in noſtra ingreditur corda, & ſeſe nobis, & nos ſibi vnit, quàm per verbum ſolum.

XLI.

Præſtantius tamen eſt verbum quàm ſymbola in ſeſe, quoniam per verbũ ſolũ ſine ſignis Dominus in nos ingreditur, & ſe nobis communicat: per ſigna autem ſola, ſine verbo minimè: quoniam ſine verbo, neque Sacramenta ſeu elementa illa ſunt Sacramenta: accedit enim verbum ad elementum, & fit ſacramentum: neque per illa quidpiam in nobis operatur Chriſtus.

XLII.

Ergo exiſtimandum non eſt, diuerſa aliqua alia & præſtantiori ratione Chriſtũ ſe nobis communicare per ſacramenta, quàm per verbum: quaſi magis vnitus ſit elementis & ſymbolis, quàm verbo: cùm elemẽta id etiam quod ſunt, nempe ſacramenta, per quæ ſe Chriſtus nobis communicat, habeant à verbo: neque enim maiorem vim à verbo accipere poſſunt, quàm ipſum verbum habeat. Non igitur magis vnitus eſt Chriſtus ſymbolis, quàm verbo: vtroque tamen ſimul erga electos vtens, efficaciùs etiam nos permouet, & ſalutem in nobis operatur.

XLIII.

Idem tamen finis eſt Chriſto, tam cùm vtitur ſolo verbo, quàm cùm etiam ſimul vtitur ſacramẽtis, nempe vt ſe nobis, & nos ſibi vniat. vnit autem ſeſe nobis, vt per hãc ſuæ perſonæ, qua Deus eſt & homo, nobiſcum communionem, in fœderis quoque communionem, quod in ipſius perſona poſitum, renouatum, confirmatum & fixum eſt, admittat: & ſi admiſſi iã anteà fueramus, vt in baptiſmate, in ea nos magis ac magis confirmet, vt in Cœna. Admittit verò nos in communionem fœderis, & in ea nos magis confirmat, vt hoc fœderis nexu, iam vnum facti cum Chriſto mediatore, cum Deo etiam Patre vnum fiamus: & vnum facti, magis ac magis cũ eo coaleſcamus, donec tandẽ ipſe fiat omnia in omnib. nobis.

XLIV.

Hæc enim vnio cũ Deo Patre, in quo & Filius, & S.S. eſt vltimus, vt dixi, finis, ad quem & nos perpetuò debemus collimare: & Chriſtus tam per verbũ, quàm per

sacramenta, tam per aduersa, quàm per secunda, tam per internas, quàm per externas suas in nobis actiones: denique tam per vitam, quàm per mortem, nos electos suos continenter ducit.

DE COENA DOMINI IESV.

NVNC vt ad Cœnam Domini Iesu tandem aliquando veniamus, quæ sine iis, quæ antea à nobis explicata sunt, neque rectè intelligi, neque salutariter percipi potest, hæc est mea simplex Confessio, his capitibus constans.

CAPVT I.

De iis, quæ in Cœna exhibentur.

1. CREDO *tria in Cœna omnibus offerri, & à fidelibus percipi. Symbola, panem & vinum, cum verbis Domini coniuncta. Verbum enim à Symbolis, & symboli à verbo non sunt in Cœna Domini separanda, alioqui Sacramẽta non essent. accedit enim verbum ad elementum & fit Sacramentum.*

2. *Corpus & sanguinem Domini, hoc est, Dominum ipsum Iesum Christum. Sicut enim reipsa diuinitas non est separata ab humanitate, neque humanitas à diuinitate: ita etiam nobis non offertur vna sine altera. Proinde neque à nobis sunt cogitatione separandæ & distrahendæ: sed sicut totus Christus offertur, sic totus etiam est recipiendus.*

3. *Fœdus nouum, quod nimirum in Christo renouatum & sancitum est. Hoc est enim illud, cuius præcipuè caussa instituta est, & administratur Cœna, vt scilicet personæ Christi magis ac magis incorporati, in fœdere etiam magis ac magis confirmemur. Sunt autem corpus & sanguis Domini fœdus q̃, nouum in Christo, res illa spiritualis: elementa verò, panis & vinum, res illa terrena, de quibus B. Irenæus.*

CAPVT II.

De vsu horum trium: ac primùm de vsu verbi, panis & vini.

THESIS PRIMA.

Credo autem hæc tria in certos & proprios vsus inter se ordinatos offerri, & exhiberi.

ET primùm quidem elementa panis & vini, vnà cum verbo offerri & exhiberi: vt per hoc, & per illa, tanquam per instrumenta Spiritus S. in cordibus electorum operantis, fides in nobis magis ac magis excitetur & confirmetur, qua credamus, rem ita se habere, sicut & verba Christi in auribus sonant, & elementa oculis & alijs sensibus repræsentant: nempe panem cælestem, corpus Christi fractum, id est, occisum & mortuum fuisse pro nobis: & vinum cæleste, nempe sanguinem Christi fuisse effusum pro nobis & pro alijs multis, nempe omnibus electis in remissionem peccatorum: atque ita in corpore Christi sancitum, & eius sanguine confirmatum fuisse nouum fœdus, & hunc cælestem panem Christum cum nouo fœdere, & cæleste vinum cum remissione peccatorum, per panem terrenum, & per vinum terrenum nobis offerri: immò, vt accipiamus iuberi illis verbis, Accipite, comedite. In hunc finem dari panem & vinum credo. Proprius enim & immediatus omnis orationis, & omnium signorum, præsertim quæ ad orationis confirmationem adhibentur, vsus atque finis est, non tantùm vt simpliciter significent, sed etiã vt significando fidem faciãt: hoc est, vt fidem in auditoribus & spectatoribus excitent, qua persuadeantur rem ita se habere, sicut verba loquentis auribus significãt, & signa oculis repræsentant. Apostolus quoque Rom. 10. de verbo Dei & prædicatione Euangelij, ait fidem esse ex auditu, auditum autem per verbum Christi. Vsus igitur verbi, immediatus & proprius est, vt fidem in auditore excitet: signa autem & sacramenta, verba sunt visibilia. In hunc igitur vsum & finem immediatum dari omnino credo panem & vinum, vnà cum verbo, vt per ea magis ac magis excitetur in nobis fides, qua credamus rem ita esse, sicut & illud significat, & hæc repræsentant, & hoc pacto significando exhibent, seu offerunt.

II. De vsu fidei, per verbum & Sacramenta in nobis excitatæ.

Credo verò fidem hanc per verbum & Sacramenta in nobis à Spiritu sancto excitari: vt per hanc immediatè accipiamus & comedamus corpus Christi pro nobis traditum: accipiamus & bibamus sanguinem Christi, pro nobis in remissionem peccatorum effusum: Atque ita Christo ipsi tanquam mediatori, pro nobis mortuo, immediatè vniamur & magis ac magis incorporemur.

Sicut enim panis & vinum, corpora terrena & materialia, non possunt nostro corpori terreno incorporari, nisi ore ea capiamus, comedamus & bibamus: ita Christi corpori & sanguini, quæ cælestis res ab Irenæo appellatur, vniri & incorporari non possumus: nisi fide Christum ipsum apprehendamus, comedamus, & bibamus, hoc est, nobis applicemus.

III. De vsu, in quem comedimus corpus Christi, & bibimus sanguinem eius.

Credo autem corpus Christi manducandum, & sanguinem eius bibendum nobis in cœna exhiberi, & fide per verbum & Sacramenta, opera Spiritus sancti in cordibus nostris excitata, à nobis re ipsa manducari: vt Christo efficaciùs incorporati, in ipso quoque nouo fœdere, quod in Christo communicatur, tenaciùs confirmemur.

Sicut enim Christus suum corpus ideò tradidit in mortem, & sanguinem fudit suum, vt sua morte & sanguine, peccatis nostris expiatis, fœdus inter Deum patrem & nos renouatum, in se ipso confirmaret, & in sempiternum constabiliret, quemadmodum verba cœnæ de calice docent, & reliqui Scripturarum libri, præsertim epistola ad Hebræos, confirmant: ita in hunc etiam finem, vtrunque, hoc est, corpus & sanguis Christi, nobis communicatur, vt illorũ communicatione & participatione, nos vicissim Christo ipsi, magis ac magis incorporati, magis etiam & magis in ipso nouo fœdere confirmemur. Proinde cum porrexit calicem, disertis verbis nominauit nouum testamentum seu fœdus: nempe vt Apostoli intelligerent, quorsum iste sanguis filij Dei non solum funderetur, verumetiam ipsis bibendus exhiberetur: nimirum eò, vt sicut per huius effusionem peccata ipsorum, omniumq; electorum expiabantur, & ijs expiatis, fœdus inter ipsos & Deum in omnem æternitatem confirmabatur: Sic etiam per eiusdem potationem, tum ipsi, tum reliqui electi omnes, Christo magis ac magis incorporati, in ipso quoque sempiterno fœdere, sese confirmatos ac constabilitos esse intelligerent. Scio vtrumque simul fieri, & vnum sine altero percipi non posse: quia tamen diuersa sunt obiecta, fœdus, & caro ac sanguis Christi, & vnum ordinatur ad alterum: idcircò docendi caussa: vnum ab altero distinguo, & proprium cuiusque vsum indico.

IV. De vsu communicati fœderis.

Credo denique fœdus ipsum in corpore Christi, & per sanguinem Christi confirmatum, nobis in eodem corpore & sanguine Christi, magis ac magis communicari: vt illius nexu magis etiam ac magis Deo Patri, fonti, sicut totius diuinitatis, sic & omnis bonitatis & beatitatis, per Christum mediatorem, operante & habitante in nobis Spiritu sancto, toti, quanti quanti sumus, vniamur; atque ita vniamur, vt mente quidem eum vt verum & optimum nostrum patrem in Christo, per Spiritum sanctum quotidiè clariùs agnoscamus: corde autem eum in Christo per Spiritum sanctum quotidiè ardentiùs amemus: omnibus verò nostris & animæ & corporis viribus, eum quotidiè sinceriùs colamus, & ei similes in sanctitate & iustitia fiamus: donec tandem destructo prorsus peccato, & abolita morte, recuperataque perfecta Dei imagine, ita perfectè illi per Christum, in Spiritu sancto post hanc vitam copulemur, vt sit ipse omnia in omnibus nobis, Amen.

Hic est enim finis vltimus: ad quem non tantùm Cœna Domini: sed etiam baptismus, imò totum Dei verbum, omnia Dei beneficia, omnia flagella, omnia denique Dei & verba & facta nos ducunt.

CAPVT III.

De officio hominis Christiani in Cœna Domini.

PROINDE *sentio & credo, hæc esse officia hominis Christiani in Cœna Domini.*

1. *Vt perfectam cum Deo communionem, quæ extra Christum nulla est, & in eo solo haberi potest: sibi ob oculos proponat, & ad eam, tanquam ad vltimum finem, omnia dirigat.*

2. *Deinde, quò ad hunc finem perueniri possit: initio à mediis, quæ in sensus incurrunt, tanquam à prioribus quò ad nos, & notioribus, facto: tum verbum attente audiatur, tum ad Symbola reuerenter accedatur, & quid tam illud significet, quàm ista repræsentent, quídve in vtriusque nobis offeratur, diligenter considereretur, oportet. Tam verbum autem, quàm Symbola nobis significant, Christum corpus suum pro nobis in mortem dedisse, & sanguinem in remissionem peccatorum fudisse: ac proinde nouum æternæ cum Deo reconciliationis & amicitiæ fœdus, in Mediatore, per eius sanguinem sancitum & confirmatum esse: Atque ita hæc per illa significantur, vt etiam offerantur, & accipienda exhibeantur. Quò fit vt verè appellentur signa, non solum significantia, sed etiam rem per ipsa significatam exhibentia.*

3. *Quia verò res per Symbola significatæ & oblatæ, per fidem sunt accipiendæ: Fides autem Dei donum est: Ideo rogandus est Dominus, vt qui per signa res offert, atque vt eas fide percipiamus, mandat: ipse etiam fidem, qua illas accipere valeamus, donet & augeat.*

4. *Fide autem in nobis, ex auditu verbi, & ex diligenti Symbolorum consideratione, per Spiritum sanctum excitata: officium Christiani hominis est, dum externa & visibilia Symbola, externa etiam & visibili corporis manu accipit, oréque corporis edit, & bibit in terris: Simul etiam res ipsas cœlestes & inuisibiles, carnem scilicet & sanguinem Domini, fideli mente in cœlestem mensam subuecta, manu & ore fidei percipere, edere, bibere: vt Christo magis ac magis spiritualiter adglutinatus, & caro de carne eius, atque os ex ossibus eius effectus, in eo viuat, & ille in ipso. Credo enim fideles in cœna, verè recipere & comedere, sed Spiritu & fide, ipsum verum corpus Christi, quod & quatenus pro nobis traditum est: & bibere eius sanguinem, qui & quatenus pro nobis effusus est in remissionem peccatorum: quemadmodum verba ipsa Christi apertè testificantur: Et quidem corpus præsens, & sanguinem præsentem, sed Spiritui & homini interiori. Huic enim omnes res, quas fide percipit, reuera præsentes sunt, iuxta illud, Christum habitare per fidem in cordibus nostris: Et nulla loci distantia efficere potest, vt res quas fide percipimus, absentes à nobis sint: quemadmodum neque Sol oculis, à quibus percipitur, absens esse vllo modo dici potest.*

5. *Quia verò nouum fœdus in Christo per ipsius sanguinem sancitum, & testamentum morte testatoris confirmatum est: nexu autem perpetui fœderis, cum Deo in sempiternum coniungimur: idcirco Christianus homo, qui iam per fidem se Christo incorporatum esse sentit, debet etiam credere, se in fœdere cum Deo patre, propter Christum, nexu indissolubili confirmatum esse: ac proinde sibi à Deo omnia peccata esse remissa, filiumque eius, & æternæ vitæ hæredem, sine vllo exhæredationis metu constitutum & confirmatam fuisse. Quæ enim & nos vicissim, iuxta fœderis pacta debemus Deo, Fidem nimirum, charitatem, obedientiam: ea pro nobis à Christo primogenito plenissimè fuisse præstita, nobisque imputari, firmè credere: & deinde etiam eiusdem Christi auxilio, quò hæc ex parte saltem præstare possimus, nequaquam destitutum iri, persuasissimum habere debemus: idque propterea quòd Christus ipse, & illa pro nobis præstitit, & hoc auxilium nobis promisit, vt fœdus nouum, sicut ex parte Dei, sic etiam ex parte nostra, firmum ac perpetuum permaneat: donec tandem in plenam cœlestis hæreditatis possessionem recepti, cum Patre, Filio, & Spiritu sancto, Deo nostro, in summa felicitate viuamus.*

Tria enim sunt ad summam, ex parte Dei, fœderis capita: condonatio peccatorum: ὑιοθεσία, cum perpetuæ beneuolentiæ, gratiæ, protectionis promissione coniuncta: & cœlestis tandem hæreditatis plena possessio. Tria itidem, quæ à nobis stipulatus est: fides in Deum, charitas erga proximum, & totius vitæ nostræ sanctitas, veráq; obedientia: Christus sua perfecta obedientia vsq; ad mortem, eóq; suo sanguine & morte, tum quæ Deus promiserat, nobis impetrauit, tum quæ à nobis stipulatus fuerat, pro nobis præstitit: in cuius rei testimonium, fidem, qua in Deum credamus, & dilectionem, qua proximum diligamus, & Spiritum regenerationis, quo sanctitati studeamus, & sincera in nobis inchoetur obedientia, donat. Ita Christus efficit, vt fœdus non solùm ex parte Dei, verùm etiam ex parte nostra firmum ac perpetuum maneat. Nostri igitur est officij, vt primùm fide, qua à Christo donamur, sicut manducamus eius carnem, & bibimus sanguinem: sic etiam in fœdere cum Deo nos confirmatos esse credamus: ac proinde & peccata esse remissa, & Deum nostrum esse Patrem, eumq; nos æterno fauore & protectione prosecuturum: & denique nos hæredes esse vitæ æternæ, eóq; ad gloriam & vitam sempiternam resurrecturos: idq; propter Christum, cuius carne in Cœna vescimur, & nostra etiam corpora ad beatam resurrectionem nutriuntur, persuasum habeamus: eóq; pro tot tantísq; beneficiis, debitas illis agamus gratias: charitate autem, quæ itidem à Christo in cordibus nostris accenditur, proximum, & inprimis fratres, complecti debemus: vt sicut vnum sumus cum Christo, sic etiam cum tota Ecclesia in vnum magis ac magis coalescamus: quemadmodum hortatur Apostolus argumento inde etiam ducto, quòd omnes sumus vnum corpus, & vnus panis, omnes, qui de vno pane participamus.

Studio verò sanctitatis, veræq; obedientiæ, quo itidem donamur à Christo, debemus Deū semper glorificare, & nos vera ac viua membra esse Christi, eóq; ad illam veram felicitatem pertinere, quæ in perfectissima cum Deo vnione, qua ipse erit omnia in omnibus, re ipsa declarare. Sic de officius Christiani hominis in Cœna, quò dignè, eóq; ad salutem manducet panem Domini, & de poculo bibat, sentio & credo.

CAPVT IV.

De verbis Cœnæ.

CVM *hæc ita se habeant, sentio verba Cœnæ Dominicæ, sine aliquo tropo, rectè intelligi & explicari non posse. Primum enim id de calice constat, tam apud Euangelistas, quàm apud Apostolum: deinde de pane etiam liquet, quia, quod Christus dixit, Hoc, id est, panis, quem fregi, est corpus meum: Apostolus explicans, ait: Panis, quem frangimus, communio corporis Domini est. Tertiò, per regulam Augustini de doctrina Christiana, lib. 3. cap. 16. Quia cùm iubemur edere carnem Christi, si propriè accipias verbum edendi, facinus iuberi videtur: ideo sermonem Christi de manducanda carne sua, figuratè esse intelligendum. Adde, quia si sine tropo intelliges, consequetur, panem verè pro nobis traditum esse, & vinum in remissionem peccatorum nostrorum effusum: denique, quia Lutherus ipse in Ies. cap. 6. in verbis Cœnæ Synecdochen esse dicit, quocum hac in parte vbiq; consentit Bucerus. Ergo licet singula verba in illa oratione,* HOC EST CORPVS MEVM, *in sua propria significatione accipiantur, ita vt de pane verum & essentiale Christi corpus prædicetur, vt reuera prædicatur: in ipsa tamen tota oratione aliquis tropus insit, necesse est: Quando panis, qui pro nobis traditus & crucifixus non fuit, corpus ipsum esse Christi, quod pro nobis traditum est, propriè dici non potest. Ita de sola specie tropi, qua panis vocetur corpus Christi, corpus inquam illud verum: quod pro nobis verè traditum est, relinquitur disputatio. Hanc autem ego tanti non esse iudico, vt propterea turbandæ sint Ecclesiæ: & qui dicit esse synecdochen, damnet eum, qui aut esse metonymiam: & contrà, qui metonymiam, eum, qui synecdochen: modò in eo vtraque pars consentiat, verum & naturale Christi corpus, vt Euangelistæ & Apostolus apertè docent, de vero pane prædicari, & modò articuli fidei, in sua simplicitate, integri & incorrupti vtrinq;*

retineantur: vti, corpus Christi naturale vnum esse, finitum esse, humanum esse, in cælo esse, non amplius mori, non teri, non frangi: reuera tamen, vt Scripturæ docent, omnibus offerri, fidelibus re ipsa communicari, sed in mysterio & spirituali modo: quemadmodum ipsi fideles, non carnali, sed spirituali ratione, cum capite Christo, & cum tota Ecclesia catholica concorporati sunt, & in vnum semper coalescũt. Ac proinde sicut in hac spirituali & arcana κοινωνία cum Christo, & cum Ecclesia, impij hypocritæ nullam habent partem, cùm destituantur fide, sed tantùm in externa & visibili societate: sic neque vera & naturali, veréque cælesti Christi carne & sanguine, sed tantùm externis & visibilibus signis, quæ & ipsa nomen carnis & sanguinis Christi à Christo ipso acceperunt, eosdem hypocritas participare, sentio ac credo. Proinde quod Apostolus ait, Qui manducant indignè, reos fieri corporis Domini, si de impiis (quod certè, & non sine caussa negat Bucerus) intelligatur: illud eo sensu interpretor, quo idem Apostolus ait ad Hebræos, quosdam Filium Dei conculcare, & sanguinem Testamenti communem ducere: nempe, non quia verè carnem Christi edunt, & sanguinem bibunt, sed indignè: verùm potiùs, quia corpus & sanguinem, pane & vino oblata, sua impietate reijcientes, panem & vinum indignè edunt & bibunt.

Hoc vos velim habere persuasum, Domini mei, me non esse tam impium, vt de veritate verborum Christi in Cœna, sicut nonnulli nimis impudenter per calumniam nobis affingunt, dubitare vllo modo queam: neque etiam me de simplici singularum dictionum in propositione, HOC EST CORPVS MEVM, *intelligentia disputare. Nam articulo,* HOC, *panem monstrari, præterquam quòd contextus ipse docet, Paulum etiam habeo interpretem 1. Cor. 10. & 11. Neque verbum,* EST, *aliud mihi significat, quàm esse: &,* CORPVS, *pro vero Christi corpore accipio, Christo interprete, qui subdit, Quod pro vobis traditur: ac proinde nullã esse inter nos controuersiã, an panis in legitimo vsu Cœnæ, sit verè corpus Christi, sed de modo dũtaxat disputari, quo panis est corpus Christi. Quin etiam neutra pars dubitat, panem eo modo esse corpus Christi, quo modo eum esse voluit, ac vult Christus: ex eius enim pendet voluntate.*

Cùm autem in verbis de Cœna, voluntas eius de hoc modo non sit expressa: aliunde, hoc est, ex aliis similibus, Sacramentalibus nimirum locutionibus, colligendam esse sentio: iacto etiam hoc fundamento, Christum noluisse & nolle, panem esse suum corpus, aliquo eorum modorum, qui sui verè humani corporis veritatem tollant, aut cum analogia fidei pugnent, & aliquem symboli articulum à sua simplici intelligentia peruertant. ita excluditur modus per transsubstantiationem: tum quòd neque in Sacramento Baptismi substantia aquæ mutetur: tum quòd Christi verba, hoc nullo modo sonant: tum quòd statim plura corpora in terris Christo affingerentur, præter illud, quod habet in cælo: tum denique quòd substantia panis, neque ante, neque post conuersionem tradita vnquam pro nobis fuit in mortem: adde quòd iuxta Marcum, substantia vini iam in ventriculo erat Apostolorum, cùm dixit, Hic est sanguis. Excluditur etiam consubstantiationis modus per localem inclusionem: tum quòd neque in aqua baptismi localiter includitur sanguis Christi, quo lauamur à peccatis: tum quòd hic modus, veri humani corporis naturam tollit, & cum articulo de ascensione in cælum, & sessione ad dexteram ex diametro pugnat. Iisdem de caussis tollendus est etiam modus, huic non admodum dissimilis, qui fingitur per realem & localem adhæsionem, seu coniunctionem: vt taceamus, quòd nullum verbum legimus, vnde colligi queat, Christum aliquo horum trium modorum, panem suum esse corpus voluisse.

Quónam igitur modo probabile est, esse voluisse? Eo nimirum modo, quo & alia Sacramenta id esse dicuntur, cuius sunt Sacramenta: per Sacramentalem nimirum, eoq; mysticam vnionem: quod enim nobis est Sacramentum Græcis est mysterium: vnde frequens est locutio apud Patres, panem esse corpus Christi, illudq; præsens, & edi in mysterio: mysterium autem est, cùm res visibiles nos ad inuisibiles, terrenæ ad cælestes, corporales ad spirituales verè intelligendas & percipiendas deducunt: quo sensu, Apostolus ad Ephesios, connubium carnale Adami & Euæ, mysterium magnum appellauit, propter connubium spirituale, quod inter Christum & Ecclesiam contractum est, & ad quod nos illud adducit. Per terrenas autem res,

ad

ad cælestes, aut per illarum participationem ad harum communionem adduci non possunt homines animales, & fide ac Spiritu Dei destituti: cùm ne intelligere quidem ipsas possint, vt docet Apostolus. Quæ caussa est, cur carnem & sanguinem Christi res cælestes, ac spirituales, neq; ab impiis, neq; ore corporis, reipsa & verè percipi posse sentiam, & credam: quæ & Buceri fuit sententia. proinde etiã dixit, nulla ratione huius sæculi, sed modo tantùm spirituali & cælesti, corpus Christi & præsens esse, & edi à nobis in Cœna. Quod quid aliud est, quàm dicere per Spiritum Christi? Res enim cælestes cum terrenis per hunc coniunguntur, & per eundem illæ ab iis percipiuntur. Atque hæc de explicatione verborum Cœnæ, mea est fides atque sententia, quam constanter retinebo, donec melior & purior, ac cum S. Scripturis congruentior ab aliis mihi proponatur & demonstretur.

HÆC est mea, mei Domini, tum generatim de communione cum Christo & Deo; tum speciatim de Cœna Domini, fides atq; Confessio. Quam iccirco retineo, & in perpetuum, donec melius docear, Deo fauente retinebo: quoniã & confido eam desumtam esse ex S. literis, consentaneã doctrinæ veteris Ecclesiæ, non dissentaneã à vestris Confessionibus: & deinde vtilem ac salutarem, facilem etiam, & minimè intricatam esse scio. Ac proinde censeo his capitibus debere quemuis pium esse cõtemtum: neglectis, & de industria, hoc præsertim tempore omissis quæstionibus inutilibus ac stultis: h. e. quæ & sine vlla necessitate, & sine vllo fructu Ecclesiis ad populos proponuntur & agitantur, & nullo Scripturarum testimonio, aut etiam veterum Patrum, probari possunt. Quæcunque enim proponuntur in Ecclesia, tanquam necessaria ad salutem, & nullum habent certum & apertum testimonium in S. literis; nihilq; cõducunt ad illam perfectam, de qua priore loco non pauca dixi, cum Deo Patre per Christũ, vinculo noui fœderis, communionem: ea tanquam inutilia & prorsus impia reijcienda sunt. Ac proinde vestræ Confessiones, sicut in aliis articulis Christianæ fidei, sic etiam in hoc de Cœna Domini, semper mihi probatæ fuerunt: quòd neglectis infructuosis & vanis quæstionibus, nihil nisi quod & certis Scripturarum testimoniis probari possit, & ad illum totius doctrinæ Christianæ scopum, ad communionem nimirum cum Deo per Christum conducat, continet. Subijciam igitur nunc vestras Confessiones, quas ego quoque probo, & amplector.

CAPVT V.

Confessio Ecclesiæ Argentinensis, Constantiensis, Memmingensis, Lindauiensis, de S. Eucharistia, Carolo V. Imp. Anno 1530. Augustæ exhibita.

De Eucharistia. cap. 18.

DE hoc venerando corporis & sanguinis Christi Sacramento, omnia quæ de illo Euangelistæ, Paulus & Sancti Patres scripta reliquerunt: nostri fide optima docent, commendant, inculcant, indeq; singulari studio, hanc Christi in suos bonitatem semper deprædicant; qua is non minùs hodie, quàm in nouissima a.b.
illa Cœna omnibus, qui inter illius discipulos ex animo nomen dederunt, cùm hanc Cœnam, vt ipse instituit, repetunt, verum suum corpus, verúmque suum sanguinem, verè edendum & c.d.
bibendum, in cibum, potúmque animarum, quo illæ in æternam vitam alantur, dare per Sacramenta dignatur, vt iam ipse in illis, & illi in ipso viuant, & permaneant, in die nouissimo e.f.
in nouam & immortalem vitam per ipsum resuscitandi, iuxta sua illa æternæ veritatis verba, Accipite, & manducate: hoc est corpus meum &c. Bibite ex eo omnes; hic calix est sanguis meus &c. Præcipua verò diligentia, populi animos nostri Ecclesiastæ ab omni tum contentione, tum superuacanea & curiosa disquisitione, ad illud reuocant, quod solum prodest, solúmque à Christo Seruatore nostro spectatum est: nempe vt ipso pasti, in ipso & per ipsum viuamus vitam Deo placitam, sanctam, & ideo perennem quoque & beatam, simúsque inter nos omnes vnus panis, vnum corpus, qui de vno pane in sacra Cœna participamus. Quo sanè factum est, vt diuina Sacramenta in sacrosancta Christi Cœna, quàm religiosissimè, reuerentiáque singulari apud nos & administrentur, & sumantur.

Capita huius Confessionis hæc sunt.

e. 1. *Quid in Cœna Domini detur: corpus scilicet Christi verum, & verus eius sanguis: illud verè edendum, iste verè bibendus.*

a. 2. *Quis vtrumque det, corpus scilicet & sanguinem, nempe Christus ipse.*

e. 3. *Per quid dentur: per Sacramenta. Ex quo apparet, illam particulam* IN, *qua nonnulli vsi sunt, dicentes corpus dari In pane, & sanguinem In vino, maiores vestros non intellexisse, nisi more Scripturarum, pro* PER.

b. 4. *Quibus dentur: illis qui ex animo inter discipulos Christi nomen dederunt, hoc est, veris discipulis Christi.*

d. 5. *Ad quid dentur. in cibum potúmq; animarum, & quo animæ alantur in vitã æternam.*

f. 6. *Quis vltimus finis Cœnæ. Illa quam initiò explicaui, vnio cum Deo & Christo, & cum*
„ *Ecclesia, seu inter nos; vitaq; sancta. Sic enim habet Confessio: Christum dare suis veris disci-*
„ *pulis, corpus suum in cibum animarum: quo ipse in illis, & illi in ipso viuant, & permaneant,*
„ *in die nouissimo in nouam & immortalem vitam per ipsum resuscitandi. Et paulò pòst: Præci-*
„ *pua verò diligentia, populi animos nostri Ecclesiastæ ab omni tum contentione, tum superua-*
„ *canea & curiosa disquisitione, ad illud reuocant, quod solum prodest, solumq; à Christo Serua-*
„ *tore nostro spectatum est: nempe vt ipso pasti, in ipso & per ipsum viuamus vitam Deo placi-*
„ *tam, sanctam, & ideo perennem quoque & beatam: simusque inter nos vnus panis, vnum cor-*
„ *pus, qui de vno pane in sacra Cœna participamus.*

Hæc sunt capita vestræ Confessionis de Eucharistia. Hîc verò nulla mentio de manducatione orali, & impiorum. Eadem capita repetita, explicata & confirmata fuerunt à vobis in Apologia anni 30.

EX APOLOGIA.

Primùm docemus de hoc negotio, iuxta institutionem Domini, quam Euangelistæ & D. Paulus tradiderunt. Quoniam autem apud veteres, & his quoque temporibus, pluribus disputatum est, quo pacto panis sit corpus Christi, & vinum sanguis Christi: docemus & fatemur,

A. *iuxta veterum sententiam, duo esse in hoc Sacramento: terrenum & cæleste, vt Irenæus loquitur: Sacramentum & rem Sacramenti, hoc est, signum & signatum, vt Augustinus lo-*

B. *quitur. Panem verò & vinum in sua natura non mutari, sicut idipsum Romæ in quodam*

C. *Concilio decretum fuit, & à Papa Gelasio literis proditum. Nullam quoque aliam vnionem præter sacramentalem fieri, inter panem & corpus; vinum & sanguinem Domini. Maiorem etiam fidem habemus verbis Christi, qui etiam post hæc verba, Hic est sanguis meus, potum iã porrectum vocat fructum vitis, Marc. 14: & Paulo, qui hoc sacramentum, semper panem & vinum nominat; quàm Scholasticis doctoribus, qui hic Transsubstantiationem finxerunt. Neque autem hinc sequitur, quòd propterea in Cœna nihil præter communem panem affirmemus: quò sanè omnia ferè aduersariorum argumenta diriguntur: sed iuxta verba Christi,*

D. *Accipite, comedite, bibite: hoc est corpus meum: hic est sanguis meus: docemus, nequaquã debere nos dubitare, quin Dominus nobis quoque donet ac det verum suum, vnicum & naturale corpus, verumq;, vnicum & naturalem sanguinem suum: in verum, solidum & realem*

E. *cibum, sed animæ, non ventris: sicut verba Confessionis nostræ sonant. Nam quod Irenæus scribit, carnem nostram nutriri corpore & sanguine Domini, ipsemet interpretatur in insequentibus, cùm ait: Nostra corpora, cùm Eucharistiam sumunt, iam non amplius esse corruptioni obnoxia. quod profectò nemo ei attribuet, quod in ventrem descendit, & sicut reliqui*

F. *cibi concoquitur. Præterea potest etiam hoc Sacramentum sumi ad iudicium, & per consequens ad corruptionem. Quapropter, vt Chrysostomus inquit, omnia hîc sunt νοητὰ, seu spiritualia, alterius cuiusdam & cælestis naturæ, quemadmodum ipse Christus iam in cælis est: vnde & Paulus eum cælestem hominem, seu Adamum nominat. Hinc est, quòd in canone*

G. *Concilij Niceni sic scribitur: Iterum etiam hîc in diuina mensa, ne humiliter propensi simus ad propositum panem & poculum, sed exaltata mente, fide consideremus, situm esse in sancta*

illa

illa mensa agnum illum Dei, tollentem peccatum mundi, qui non victimarum more à Sacerdotibus sacrificatur &c. Cùm sic eloquimur: neminem cupimus verbis decipere, aut fallere: I.
sed cùm fatemur, nos verum corpus Christi accipere, intelligimus verum, naturale Christi
corpus. Ita cùm dicimus, nos eodem frui aut vesci, intelligimus veram & realem manducationem & fruitionem, sed propriè loquendo, quæ est animæ, non ventris. animæ verò, nonnisi K.
per translationem potest attribui actio manducandi. Quoniam autem hæc manducatio, si ve- L.
rè fiat, tam efficax est, vt non solùm animam ad vitam æternam pascat, sed etiam corpus immortale faciat, sicut Irenæus Hilarius, Cyrillus, aliiq; Patres loquuntur: idco ipse Dominus,
qui propriissimè hac de re loqui potuit, rectè dixit, Caro mea verè cibus est. Hanc veritatem M.
omnes veri fideles, qui vera fide, & sincera deuotione Eucharistiam sumunt, experiuntur.
Nam in fide, caritate, & diuino Spiritu mirificè inflammantur, confirmantur, & promouen- N.
tur: sicut ipse Dominus in iis agit, & re ipsa ad implet, quod in verbis proponitur, & in sacramento præfiguratur. Cùm ergo animæ mentionem facimus, hoc præcauere volumus, ne quis O.
ex nostris verbis concludat, quasi dicamus corpus Christi naturali ratione à nobis ita edi, sicut
carnem, aut alium aliquem cibum manducamus. quanquam propter sacramentalem vnionẽ, P.
quæ est inter panem & corpus Christi, etiam à S. Patribus, corpori Christi adscribitur, quod
reuera tantùm pani, & non corpori competit: propterea quòd iam passionis & corporalis operationis expers est. In hanc sententiam D. Chrysost. scribit in Matth. Quot sunt, qui dicant,
vellem eius formam & figuram videre, vestes & calceamenta? Ecce ipsum vides, contrectas,
comedis: cupis eius vestimenta videre? ipse verò se præbet tibi non solùm videndum, sed etiam
comedendũ, contrectandũ, ac intra te ipsum sumendum. Sed quomodo eũ videmus? nã oculis
corporeis tantùm panem videmus. Ob hanc caussam ipse Chrysost. paulò antè hæc verba sic
scribit: Cùm itaq; Verbum dicat, Hoc est corpus meum, amplectamur illud, & credamus, atq;
oculis intellectus, h.e. animi nostri, intueamur. Christus n. nihil sensibile dedit: sed id quod
extrinsecùs agitur, sensibile est: omnia verò intelligibilia & spiritualia. Ita in baptismo donũ aquæ per id quod sensibile est, impetratur: id verò quod hìc efficitur, regeneratio sc. & renouatio, νοητὸν est & spirituale. etenim si corpore non esses præditus, dona tibi incorporea nuda
dedisset: quoniam verò anima cum corpore est coniuncta, ideò νοητὰ dedit tibi per sensibilia.
Hæc sunt verba Chrysostomi, quibus etiam consentiunt ea quæ Dionysius & Cyrillus de hoc
negotio scribunt. in quibus verbis eadem, quæ suprà commemorauimus, conspiciuntur: nem- Q.
pe in hoc sacramento duas esse res, sicut etiam in nobis; cælestem & terrenam, sensibilem & spiritualem, seu intelligibilem, signum & signatum. Animo, propriè loquendo, percipimus cæ- R.
lestem, corpore terrenam. & quemadmodum propter vnionem, quæ est inter corpus & animã, S.
sæpe corpori attribuuntur, ea quæ propriè sunt animæ, & vicissim: ita in hoc Sacramento
sæpe corpori Christi attribuuntur ea, quæ propriè ad panem pertinent, & contra. nequaquam T.
enim corpus Christi frangitur, sed panis: neque dentes corpori Christi infiguntur, sed pani:
nihilominus tamen hæc etiam omnia corpori Christi attribuuntur. Et quoniam Scripturæ
ita loquitur, vt veritas Sacramentorum requirit: ideo baptismum vocat lauacrum regenerationis & renouationis spiritus, ablutionem peccatorum &c. & fractionem panis nomi- V.X.
nat communicationem corporis Christi; & calicẽ, cõmunicationem sanguinis Christi. Nam
in solis impiis, sacramenta & res seu mysterium sacramentorum separantur, cùm neque ipsa Y.
aqua per se animum regeneret, neq; panis & calix per se veram communicationem Christi
exhibeant. Ex his iam dictis, speramus facile esse cuilibet Christiano diuinarum rerum perito Z.
iudicare, quid de hoc sacramento doceamus, ac meram esse calumniam aduersariorum, qua dicunt, nos nihil quàm communem panem hìc statuere. Nihilominùs tamen ingenuè fatemur, a.
ipsum corpus Christi non esse panem: neq; panem ipsum corpus Christi sua natura; quod etiam
Papistæ & omnes alij fatentur: item, panẽ non mutari in corpus Christi: & corpus Christi non
localiter in pane includi: ita vt non necesse sit multùm disputare de transmutatione loci, in quẽ b.
Christus succedat. In summa, fatemur, inter panem & corpus Christi, tantùm sacramentalẽ
esse vnionem. Quoniam verò hæc vnio, tantùm verbo, & virtute, seu cooperatione Dei

nititur: ideò omnibus ijs, quibus Christus hoc Sacramentum instituit, hoc est, discipulis Chri-
c. sti, exhibetur vera communicatio corporis & sanguinis Christi, tam certò quàm panis exhibitio: etsi dentes corpori Christi non infigantur, & concoctio quæ in ventriculo fit, eò non pertingat, siue visibiliter, siue inuisibiliter, ipseq; nunquam in cibum ventris corruptibilem euad. Cùm autem ea, quam animus apprehendit, communicatio Christi, talis sit, vt per illam
d. reuera, de ossibus & carne ipsius simus: nimirum quòd immortalitatis participes efficimur, ipseq;, vt Hilarius & Cyrillus scribunt, iam etiam corporaliter & naturaliter in nobis habitat; efficitq;, vt hæc nostra corruptibilis natura, incorruptibilitatem & diuinam vitam consequi possit, iamq; quodammodò diuinæ naturæ conformes efficimur, & cœlestis Adami veram gestamus imaginem 1. Cor. 15. propter has causas libenter cum D. Irenæo & Hilario fa-
e. temur, etiam corpora nostra hîc pasci; corpusq; Christi, pani & nostris corporibus suo modo
f. præsens esse. Quodsi quis obijciat, nos perpetuò ad istum prædictum modum debere Christum præsentem habere, eoq; frui; vnde sequeretur, nihil peculiare in hoc Sacramento nobis dari: Respondemus, verum quidem esse, Christum perpetuò omnibus fidelibus præsentem, & cibum ipsorum esse: Nihilominùs tamen aliam esse Sacramentorum rationem, in quibus Euangelium efficaciter prædicatur, mors Christi celebratur; & cum ipsis Sacramentis, tanquam sigillis diuinarum promissionum, corpus & sanguis Domini quasi visibiliter exhibetur; fides excitatur; cœlestis huius cibi vtilitas, de qua Christus Ioan. 6. loquitur, reuera percipitur atq; sentitur: tota vita nostra renouatur, in dilectione erga Deum inflammatur atq; confirmatur. Hinc est quod omnes S. Patres, quoties de huius Sacramenti vsu & efficacia scribunt; adducere solebant ea quæ Christus Ioan. 6. dixit. etiamsi ibidem Christus externum hoc Sacramentum nondum instituerit.

Ex his apparet, nos in hoc negotio omnia quæ ad salutem animæ nostræ pertinere possunt, soli Christo attribuere: nos ipsos verò tantùm ministros esse, qui hæc dona dispensamus. vnde
g. etiam solis discipulis Christi, in quorum medio se futurum affirmat, etiam ipsum Christum exhiberi dicimus. nam Christus his solùm hanc rem instituit, bonaq; hæc promisit, ac nullis aliis, sicuti & ipsius & Apostoli verba de hoc Sacramento apertè testantur: iuxta quæ solùm & non secundum hominum iudicium, de hoc & de alijs diuinis mysterijs iudicandum est. Ni-
h. hilominus possunt ij, qui discipuli Christi sunt, & fidem habent, ita indignè ad hanc sanctam mensam accedere, vt rei quoq; fiant corporis & sanguinis Christi, quemadmodum Corinthijs acciderat: quos Paulus non minùs adhuc Christianos agnouit. Itaq; non consentimus hac in re cum Papistis, qui totum hoc negotium ponunt in sacrificuli consecratione, intentione, deuotione, verborumq; recitatione: ac solent sine omni annuntiatione mortis Christi, eiusq; memoria, panem ostendere, circumgestare, includere, & externis his cæremonijs vti. Hæc & similia, quoniam non ante omnia fides in Christum docetur & promouetur, sed omnia solùm in externis his ritibus collocantur, nostri concionatores, tanquam indubitatam idololatriam, contumeliam aduersus Christum eiusq; meritum, reijcerunt.

i. Credimus etiam nos & confitemur, Dominum vtrumque, panem scilicet & corpus suũ nobis dare, & hunc panem etiam esse corpus Christi; sed suo modo ac ratione: non identicè, non naturaliter, non personaliter, sicut ipsi etiam aduersarij nostri fatentur. aliam enim naturam habet & retinet corpus Christi, aliã etiã panis: sed hîc consequuntur vnionẽ Sacramentalem.

k. Credimus, in hoc Sacramento non simplicem & nudum panem, etiamsi dicamus, panem in se & sua natura, nihil aliud præter panem esse & manere: sicut & in baptismo, aqua in se suaq; natura, semper est & manet aqua.

l. Credimus; Deum, quæcunque se facturum dixit, ea etiam facere. quoniam autem nullibi dixit, se velle mutare panem in suum corpus, ideo iudicamus, hoc merum esse figmentum hominum.

Quòd aduersarij multis exaggerant interpretationem vocabuli EST per significat: breuiter respondemus: eandem quoque apud Augustinum reperiri explicationem, nam contra
» Adimantum ita scribit: Dominus cùm daret signum corporis sui, non dubitauit dicere, Hoc

est

est corpus meum. etenim panis in se suaq; natura, non est ipsum corpus Christi, sed corporis signum, sicuti omnes fatentur. Neque tamen in sacra Cœna nihil præter panem esse dicimus: sed ibidem etiam est corpus Christi cum pane sacramentaliter vnitum, sicut suprà dictum est; & pronomen Hoc *non solùm oculis corporeis monstrat panem, sed etiam, & quidem præcipuè, oculis animæ* n. *corpus Christi. Præterea nos quoq; libenter iuxta Patrum sententiam, non solùm cap. 6. Iohannis,* o. *sed etiam quidquid de vera manducatione & fruitione corporis & sanguinis Christi in Scriptura habetur, ad explicationem huius sacrosanctæ Cœnæ, quam tamen Iohan. 6. nondum instituerat, accommodamus, immò de hac Cœna intelligimus & interpretamur. Neq; vnquam fuit nostra* p. *sententia, veram Christi sententiam cuiquam, multò minùs Ecclesiæ in hoc negotio eripere: sed vt fideles hunc thesaurum rectè & verè in seipsis præsentem haberent, in primis eos ad Christum reuocamus per veram fidem, sine qua neque verba, neque sacramenta iuuare possunt, immò omnis plantatio & irrigatio ministrorum irrita est.*

Theses ex Apologia præcipuè de Cœna Domini.

1.

Duo esse in Sacramento Cœnæ; terrenum & cœleste, vt loquitur Irenæus: seu, sacramentum & A. Q. *rem sacramenti: hoc est, signum & signatum, vt loquitur D. Augustinus.*

2.

Panem & vinum, in sua natura non immutari. B. z. i. k.

3. l. m.

Inter panem & corpus Christi, vinum & sanguinem Christi, nullam aliam fieri vnionem, c. *quàm sacramentalem.*

4.

Dominum dare nobis verum suum, vnicum & naturale corpus; verum, vnicum & natura- D. I. *lem sanguinem, in verum, solidum & realem cibum; sed animæ, non ventris.*

5.

Nostram tamen etiam carnem, vt ait Irenæus, nutriri corpore & sanguine Domini, nempe E. L. *ad resurrectionem gloriosam.*

6.

Hoc sacramentum, non rem sacramenti, posse sumi ad iudicium, ideoq; ad corruptionem. F.

7.

Omnia in Cœna, iuxta sententiam Chrysostomi, esse νοητὰ, seu spiritualia, & alterius cuiusdam G. *& cœlestis naturæ, quemadmodum & Christus iam in cœlis est.*

8.

Christum, dum celebratur Cœna, esse manereq; in cœlo: vnde & Paulus eum vocat hominem H. *cœlestem, & iuxta Concilij Niceni canonem, hîc in diuina mensa non debere nos humiliter esse intentos ad propositum panem & poculum: sed exaltata mente, fide considerandum esse agnum Dei, tollentem peccata mundi, situm in illa sacra mensa.*

9.

Fide igitur, iuxta canonem concilij Niceni, cùm sumimus panem & vinum, exaltata mente H. *in cœlum, vbi est Christus, considerandum, illum esse situm in sacra illa, scilicet cœlesti mensa: q. d.* Christũ in cœlo manentẽ, fide à nobis edi *proinde illum ibi sumendum esse, fide & mente exaltata.*

10.

Manducationem, qua manducamus corpus Christi, esse veram & realem manducationem, I. *& fruitionem; sed propriè loquendo, hanc esse animæ, non ventris.*

11.

Manducationem, qua dicimur manducare corpus Christi, non nisi per translationem posse K. *accipi, cùm sit propria animæ, non ventris.*

12.

L. Impios veram Christi carnem non verè edere. *Manducationem corporis Christi, si verè fiat, esse ita efficacem, vt non solùm animam ad vitam æternam pascat, sed etiam corpus immortale faciat, & hac de caussa eam appellari, & esse verum cibum.*

[Hinc facilè intelligitur, maiores vestros sensisse, cùm ipsi hypocritæ impij, licet sumant panem, non pascantur tamen illorum animæ ad vitam æternam, neq; illorum corpora reddantur immortalia, scilicet ad gloriosam resurrectionem: illos igitur non verè manducare carnem Domini. proinde secundo loco, carnem Christi non esse illis verum cibum.

13.

M. *Veros fideles, qui vera fide, & sincera deuotione Eucharistiam sumunt, experiri carnem Christi esse verè cibum.*

14.

N. Solos pios veram carnem Christi edere. *In pijs vera fide & charitate & diuino Spiritu præditis, Dominum agere, & reipsa adimplere, quod in verbis proponitur, & in Sacramentis præfiguratur.*

Hinc facilè colligere est, Patres vestros sensisse, impios non percipere rem, quam & verba proponunt, & Sacramenta præfigurant, hoc est, carnem & sanguinem Domini. hoc infrà apertè

g. *ponunt.*

15.

O. *Non esse sentiendum, Argentinenses dicere, corpus Christi naturali à nobis edi ratione, sicut & carnem, aut aliquem alium cibum manducamus.*

16.

P. Q. *Propter vnionem sacramentalem inter panem & corpus Christi; vinum & sanguinem Christi, sæpe attribui corpori Christi, quod tantùm pani conuenit; vt verbi gratia, quòd manibus contrectetur, quòd oculis videatur, quòd ore corporis comedatur, quòd frangatur, &c. & contrà, multa pani attribui, quæ tantùm corpori Christi conueniunt.*

17.

R. S. C. d. *Animo, propriè loquendo, percipi à nobis rem cœlestem, corpore terrenam, & nequaquam corpori Christi dentes infigi, sed pani.*

18.

T. *Scripturam, cùm loquitur de Sacramentis, loqui sicut veritas Sacramentorum requirit: hoc est, quemadmodum ipsa, iuxta institutionem Christi, verè offerunt; non quemadmodum illis abutuntur mali. Hinc fieri, vt Baptismum vocet lauacrum regenerationis, renouationis spiritus, ablutionémque peccatorum, & fractionem panis, nominet communicationem corporis Christi.*

19.

V. *In impijs, Sacramenta & res seu mysterium Sacramentorum separari. [Hoc est, impios non percipere nisi signa; non rem signatam; rem terrenam, non cœlestem; panem, non corpus Christi.*

20.

X. *Sicut ipsa aqua per se, animam non regenerat: sic neq; panem aut calicem per se, veram exhibere Christi communicationem. [Ergo non quicunque accipit panem, is etiam verè accipit ipsum verum Christi corpus.*

21.

Y. *Meram esse calumniam: Argentinenses, quia docent, sicut habent in Confessione, nihil aliud, quàm communem panem in Cœna statuere.*

22.

Z. *Neq; ipsum corpus Christi esse panem, neq; ipsum panem esse corpus Christi sua natura.*

23.

a. *Corpus Christi non includi localiter in pane. esse enim inter ea, vnionem tantùm sacramentalem.*

24. Omnibus

XXIV.

Omnibus ijs, quibus hoc Sacramentum Christus instituit, hoc est, Christi discipulis, exhiberi veram communicationem corporis & sanguinis Christi: tam certò atq; panis exhibetur. c. Solis fidelibus verâ Christi carnem exhiberi.

XXV.

Nostra etiam corpora hic corpore & sanguine Domini pasci: quia scilicet illorum communione fit, vt immortalitatis participes fiamus: sicut & caro Christi immortalis est.

XXVI.

Christum perpetuò quidem suis fidelibus esse præsentem, & cibum ipsorum esse, nihilominùs tamen alia, hoc est, efficaciore ratione præsentem nobis esse, cùm Sacramenta administrantur, quàm cùm extra hæc præsens est: quòd ibi Euangelium efficaciter prædicetur, mors Christi celebretur; & cum ipsis Sacramentis, tanquam sigillis diuinarum promissionum, corpus & sanguis Domini quasi visibiliter exhibeatur; fides excitetur, cœlestis huius cibi vtilitas, de qua Ioan. 6. reuera percipiatur atque sentiatur; tota vita nostra renouetur; in dilectione erga Deum inflammetur atque confirmetur. f.

XXVII.

Solis Christi discipulis, in quorum medio Christus se futurum affirmat, etiam Christum ipsum exhiberi: quòd ijs etiam solis hoc bona fide promiserit. g. Solis fidelibus Christum exhiberi.

XXVIII.

Illos indignos, de quibus 1. Cor. 10. esse illos Christi discipulos, qui fidem quidem habent: indignè tamen ad hanc mensam accedunt. h.

XXIX.

Concedi posse: panem esse corpus Christi, sed suo modo ac ratione: non identicè, non naturaliter, non personaliter: sed hoc dici propter Sacramentalem vnionem. i.

XXX.

Etsi panis Cœnæ in se & sua natura, nihil aliud sit & maneat præter panem: sicut & aqua in Baptismo, nihil est in sua natura, nisi aqua & manet aqua: non esse tamen nudum & simplicem panem, nempe propter Sacramentalem vnionem, seu propter vsum: quòd in hunc vsum deputatus sit & consecratus, vt per illum communicetur corpus Christi verum. k.

XXXI.

Verbum EST *interpretari pro significat, [quatenùs scilicet refertur ad panem:] absurdum non esse: cùm etiam Patres appellarint panem signum corporis Christi.* m.

XXXII.

Pronomen HOC, *monstrare non solùm oculis corporis panem: sed etiam, & quidem præcipuè, oculis animæ corpus Christi.* n.

XXXIII.

Caput sextum Ioannis, & quidquid de vera manducatione & fruitione corporis Christi, in Scriptura habetur: se libenter accommodare ad explicationem Cœnæ, immò & intelligendum esse & interpretandum de illa. o.

XXXV.

Veram Christi præsentiam se nemini, multò minùs Ecclesiæ, in hoc negotio eripere. p.

Ex Articulis disputatis in Synodo Argentinensi,
Anno M. D. XXXIII.

ARTICVLVS VII.

Sacramenta, Baptismus & Cœna Domini, sunt visibilia Euangelia: quia præfigurant nobis meritum & redemtionem factam per Christum.

VIII.

In Baptismo offertur nobis ablutio peccatorum, quam solus Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus efficere potest, cooperante ad id ministro per prædicationem verbi, & porrectionem

ſignorum. Non igitur Baptiſmus nudum tantùm ſignum eſt, quo nos mutuò agnoſcimus: ſed ſignum eſt illius, quod nobis Deus per Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſſe, & iuxta inſtitutionem ſuam dare vult. Errant ergo illi qui dicunt: Baptiſmum nihil aliud eſſe, quàm ſignum & teſtimonium eorum qui baptizantur, quòd velint ſibi ipſis mori.

IX.

Vera Chriſti caro, à ſolis fidelibus percipitur.

Simili ratione in Cœna Domini præcipuè, ipſe Chriſtus cibus æternæ vitæ, verum eius corpus, verusq; ſanguis nobis exhibetur & datur; & à diſcipulis Domini verè percipitur: ea tamen ratione, vt propterea panis non ſit ipſum corpus Chriſti, aut vinum ipſe ſanguis Domini: vel quòd propterea panis & vinum, in corpus & ſanguinem tranſmutentur, aut localiter includantur; aut vllam naturalem vnionẽ cum pane & vino conſequantur, per quam corpus & ſanguis Chriſti, quæ nulli corruptioni ampliùs ſunt obnoxia, efficiantur eiuſmodi corruptibilis ventris cibus & potus, cuiuſmodi ſunt panis & vinum, quæ in ſua ſubſtantia à Chriſti corpore & ſanguine in æternum ſeparata manent; ſed cum pane & vino, vnà cum verbis, nobis verum corpus & verus ſanguis, h.e. communicatio Chriſti, offeruntur, porriguntur, & verè à fidelibus percipiuntur, & ad vitam æternam manducantur. quemadmodum etiam in Baptiſmo per immerſionem in aquam, aut aſperſionem aquæ, vnà cum verbis offertur & datur regeneratio & ablutio peccatorum. Figmentum ergo hominum eſt & contra Scripturam: dicere, panem ſecundum ſuam ſubſtantiam mutari in corpus Chriſti; & vinum in ſanguinem Domini: vel dicere, vi verborum, cùm à ſacerdote recitantur, corpus & ſanguinem Chriſti localiter in hæc includi: vel dicere, iſta cum pane & vino, ratione aliqua huius ſeculi, & non ſacramentaliter tantùm vniri. Præterea horribilis eſt blaſphemia aduerſus meritum Chriſti: dicere, Corpus & ſanguinem Chriſti, in hac Cœna à ſacerdote Patri offerri pro viuis & mortuis. ſicut etiam horribilis eſt Cœnæ Domini abuſus: quando vel non omnibus fidelibus communiter in Cœna exhibetur vtraque ſpecies panis & calicis, vel cùm non in lingua communi, quam omnes intelligunt, & per quam omnes ædificari poſſunt, hæc ceremonia peragitur.

X.

Ad ſolos verè fideles, Cœnã Domini pertinere, licet imperfectos.

Pertinet autem hæc S. Cœna ad omnes eos, qui Chriſtum pro Seruatore ſuo agnoſcunt, & ex animo verè eo tanquam pane cæleſti frui, in eoq; vnico Seruatore & Mediatore æternùm viuere cupiunt: neq; in vita ſua manifeſtis ſceleribus atq; flagitijs ſine pœnitentia, contrarium de ſeipſis teſtantur. Errant itaq; illi & Eccleſiam turbant: qui tales homines à Cœna iſta abſterrent, docentq; ſenſibilem quandam mortificationem carnis, & deificationem quaſi expectandam eſſe: aut qui non ad Cœnam Domini mittunt, niſi antea rebaptizatos.

In ijs etiam articulis habemus præter alia, in Cœna quidem verum corpus, verumq; ſanguinem Chriſti exhiberi & dari: ſed ea à veris diſcipulis Domini, & fidelibus recipi: articulo 9. bis, & 10. Non igitur ab impijs.

Ex Confeſſione Anni M. D. XXXIX.

Articvlvs XIII.

Quoniam verò præcipuum eſt, vt ſciamus omnem noſtram ſalutem in eo ſitam eſſe, vt credamus, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſua morte redemiſſe nos: Placuit Deo, illud ipſum non ſolùm per verbum; ſed etiam per ſigna viſibilia, & externos ritus nobis proponere, porrigere atque exhibere.

XIV.

Hac ergo ratione, in Baptiſmo ablutio peccatorum, atque adeo ipſa regeneratio, nobis proponitur, porrigitur atq; exhibetur.

XV.

In ſacra verò Cœna, verum corpus, verusq; ſanguis Chriſti: ita vt iam de carne, ſanguine, atque oſſibus Chriſti facti, vera eius membra ſimus.

XVI. *Quem-*

XVI.

Quemadmodum autem in Baptismo externum elementum aquæ & verbum, nobis ablutionem peccatorum & regenerationem proponunt, indicant, signaq; sunt, per quæ ista nobis exhibentur; non autem ipsa sunt ablutio peccatorum aut regeneratio: ita quoq; in Sacra Cœna, cùm verbis panis & vini proponitur nobis, præfiguratur, atque per hæc Symbola porrigitur & exhibetur verum corpus, verusq; sanguis Christi; imò ipse totus Dominus noster verus Deus & homo. Non autem panis aut vinum sua natura sunt ipsum corpus & sanguis Christi, neque in illis localiter includuntur; aut cum illis aliqua naturali vnione, sed tantummodò Sacramentaliter vniuntur. Quapropter etiam ipse Dominus Iesus non est cibus ventris, in quem panis & vinum descendunt, sed cibus animæ ad vitam æternam.

Ex compendio Religionis & doctrinæ pastorum Argentinensium, edito, Anno M. D. XLVIII.

THESIS XIX.

Decimonono loco credimus & confitemur, de Sancto Sacramento corporis & sanguinis Domini, per se & in se; esse de eo simpliciter statuendum & credendum, quòd Dominus ipse & Sanctus eius Apostolus de eo testantur: quòd scilicet panis, quem ibi frangimus, hoc est, consecramus, distribuimus & accipimus, quemadmodum Dominus ipse præscripsit, communio sit corporis Christi; quod pro nobis fuit immolatum: & calix communio sit sanguinis ipsius, qui pro nobis fuit fusus, ac talis communio, per quam magis ac magis fiamus caro ex carne eius, sanguis ex sanguine eius, & ossa ex ossibus eius: nos in ipso, & ipse in nobis maneat & viuat: nosq; in eo simus vnum corpus & vnus panis. ita vt ibi cum sancto Episcopo & Martyre Irenæo, omnibusq; priscis Apostolicis Ecclesiis & Patribus, duas res in S. Sacramento confiteamur: terrenam vnam, panem nimirum & vinum, quæ in sua natura & substantia, quemadmodum pius ille Papa Gelasius primus rectè confitetur, permanent immutata: cœlestem alteram, nempe verum corpus & verum sanguinem Christi, hoc est, Dominum nostrum, Christum ipsum totum, verum Deum & hominem, qui cœlum propterea non deserit; nec cum pane, naturali modo commiscetur, nec localiter includitur: sed ibi seipsum cœlesti quodam modo nobis dat in cibum vitæ æternæ, & in certam fiduciam ac spem beatæ resurrectionis. In hac simplici, atque è Sacris Literis petita confessione, docemus esse persistendum: & alias præterea quæstiones, quæ nulla necessitate cogente eruuntur, Domino committendas: & omnes intempestiuas contentiones, quæ animorum tantùm abalienationem pariunt, & crebras etiam animorum exacerbationes, quas vera Christi fides, quæ per charitatem operatur, ferre nequit; esse deuitandas.

Ex ijs vestris Confessionibus, præter alia, hæc tria præcipuè capita liquidò colliguntur, quæ ego de principio professus sum, Dominis Scholarchis & Consilio nostro Thomano, neque illa vnquam sum egressus. Quorum primum est: In Cœna non solum panem percipi & vinum, sed etiam verum Christi corpus, & verum eius sanguinem. Alterum: sed id fide tantùm, non autem ore corporis & dentibus. Tertium: ac proinde à fidelibus tantùm, non autem ab ijs, qui vera fide præditi non sunt. Hæc etiam tria capita præcipua habetis in illa Epistola, quam communicaui cum D. Marbachio: Heydelbergam missurus de illius etiam consensu, quanquam nunquam fuerit missa. Hanc eandem doctrinam confessus vobis sum in Supplicatione, quam ego Nobilibus & Clarissimis Dominis XIII. viris exhibui, in depulsione calumniæ LXI. Neque hæc doctrina pugnat cum Confessione Principum Augustana, neque cum eius Apologia, vt perspicuum est. Neque enim ibi vlla mentio manducationis vel oralis, vt huius autores vocant, vel impiorum. Quòd verò quidam volunt, ex Confessione Augustana hæc etiam duo consequi, manducari scilicet verum Christi corpus ab Impijs; & Ore corporis: huiusmodi sequelæ non bene sequuntur. Neque sunt articuli fidei: vt quisquam teneatur ita credere & confiteri, quod ni faciat, excommunicandus aut pro hæretico habendus sit. Certè Lutherus, quicunque fatebantur in Cœna non panem solum, sed etiam corpus ipsum Domini verè manducari, eos vt fratres admittebat. inde in libro cui titulus est, Defensio τ῀ ῥητ῀, latino facto, quaterni-

one E: postquam multas dicendi formas recensuisset de corpore Christi in Cœna, & omnes indicasset tolerari posse: posteà subdit; De verbis enim disceptare non volumus: saltem maneat sententia, quòd non solum in Cœna panem comedamus: sed etiam corpus Christi. Iis verbis indicat Lutherus; à se illos neq; reijci, neq; damnari, qui fatentur corpus Domini in Cœna manducari.

Ipse quoque Brentius in sua exegesi in Ioan. cap. 6. in tractatiuncula de Cœna Domini, hoc vnum contendit: in Cœna non solùm panem edi, sed etiam ipsum verum corpus Christi. Sed hoc ibi perpetuò inculcat: manducari fide; & à credentibus; offerri fidei, interno homini; nobis credentibus: & internum hominem habere suum bonum, scilicet corpus Christi: externum, etiam suum, nempe panem. Quibus verbis apertißimè reijcit hæc duo dogmata; Corpus Christi verum manducari ore corporis: & ab ijs, qui vera fide præditi non sunt, hoc est, ab impijs. Itaq; inquit, » hoc solum quærimus: an pane & vino Cœnæ Dominicæ, distribuantur & donentur fidei nostræ » corpus & sanguis Christi. Ecce quæ sit quæstio: non, an sumatur ore corporis: sed an fidei nostræ donentur; & proinde fide percipiantur. Posteà probat donari hæc fidei nostræ, hoc primo argumento. Corpus & sanguis Christi nostra sunt dona. pro ratione igitur donorum, distribuuntur » fidei nostræ. At dona Dei, dantur nobis credentibus, per verbum & verbi Sacramenta, vt ex » prioribus patet. Proinde vt corpus Christi per verbum nobis communicatur, ita & communi» catur nobis pane Cœnæ per verbum. Hæc ille. Secundum argumentum in Brentio: Christus to» tus cum omnibus suis bonis, communicatur credenti per verbum. Ergo per sermonem Cœnæ » Dominicæ, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, communica» tur corpus & sanguis Domini. Quod si fidei nostræ per hunc Christi sermonem, inquit, donan» tur corpus & sanguis: cur non donentur etiam per panem & vinum, cùm hæc duo sermonis ap» pendices sint? Inde etiam colligere est: D. Brentium sensisse tùm; non aliter corpus Christi esse in pane, quàm sit in verbo, cùm eodem modo illud distribui doceat per panem, quàm etiam per verbum: immò pane, inquit, per verbum. Tertium argumentum, ductum à ratione Sacramentorum. Duplex in nobis est homo: internus & externus. In Sacramentis etiam duo sunt: vnum externum, nempe Symbolum: & alterum internum, nempe res per Symbolum significata & exhibita. Est autem inter Sacramenta quæ distribuuntur, & nos, quibus distribuuntur, pulchra dispensatio; nempe vt illa duo, quæ sunt in Sacramentis, respondeant illis duobus hominibus, qui sunt in fidelibus sacramenta sumentibus. Atqui externum in Sacramentis Symbolum, datur & sumitur ab externo in nobis homine: vt aqua in Baptismo, & panis ac vinum in Cœna. Ergo etiam internum in Sacramentis: vt regeneratio in Baptismo, ac corpus & sanguis Christi in Cœna, dantur & sumuntur ab interno in nobis homine. Verba eius quædam recitabo. » Hæc est vera, inquit, Sacramentorum ratio, quòd non sint pura, vacua & vana signa: sed quod » veritas signata, per ipsa signa distribuatur. Est enim duplex homo: internus & externus; spi» ritualis & carnalis. Proinde in Sacramento offertur per verbum, interno & spirituali homini » suum bonum, hoc est, spirituale: externo autem suum, hoc est, externum. Iam spiritualis non ex» satiatur signis, sed rebus: non impletur vmbris, sed veritate. Itaque in Sacramento ex» hibetur, non solùm externo homini externum signum: sed etiam interno homini res & veritas » ipsa; pulcra scilicet dispensatione, vt externus homo habeat externa sua cognata: & spiritualis interna sibi conuenientia. Rem ipsam declarat in Baptismo: scilicet vbi corpus foris abluitur aqua, sed anima intus regeneratur gratia. Posteà idem concludit de Cœna, in hæc verba. Proinde vt per » verbum: ita etiam per Sacramenta, fidei offeruntur & dantur corpus & sanguis: vt habeat ex» ternus homo sua externa, panem & vinum: internus verò sua interna & spiritualia, corpus & » sanguinem in mysterio donata. Nam vt Baptismus duo habet, aquam & verbum: corpus in » Baptismo aquam sensibiliter accipit, qua lauatur: fides verbum, quo lauatur internus homo: Ita » & Cœna Dominica duo habet: panem, vinum & verbum. corporis os, accipit panem & vinum » sensu. præter panẽ enim & vinũ, aliud non sentit. Os fidei, accipit suo etiã sensu corpus et sanguinẽ, » vt corpus in Sacramẽto habeat corporalia signa, et fides spiritualia, h. e. rẽ ipsam & veritatẽ. Pro» inde ne fidei, propter quã Dominus Sacramẽta dedit, voto non fiat satis: omninò necessariũ est, vt » per Sacramẽta non solùm vacua signa dentur: sed etiam rerum veritas, qua sola fides contenta sit.

Hæc

Hæc olim Brentius scripsit: ex quibus satis perspicuè apparet, illum in hac fuisse sententia; corpus & sanguinem Christi verum, non ore corporis, sed tantùm ore fidei percipi: neq; percipi ab impijs qui carent fide, sed tantùm à fidelibus, qui verbis Domini, dicentis: Accipite, comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: &, Accipite, bibite, hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, vera fide credunt.

At dicet meus aduersarius: Sunt etiam multi in Ecclesia, qui non habent veram & iustificantem fidem in Christum: interim tamen credunt; cùm edunt panem, se edere corpus Christi: proinde edunt. Respondeo: Fides quæ requiritur in Cœna, ad hoc vt quis dicatur verè accipere & edere corpus Christi, non est, vt simpliciter credat, se edere corpus Christi; sed vt verè credat, primùm quidem, corpus Christi pro suis peccatis traditum fuisse in mortem, & sanguinem fusum in peccatorum suorum remissionem. hoc enim habent verba Cœnæ: Qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. quæ verba non sunt separanda ab illis: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Deinde fides est, vt credat verè; hoc corpus & hunc sanguinem sibi sumendum, & per consequens, ad remissionem peccatorum recipiendam, & ad confirmationem fœderis participandam, offerri illis verbis, Accipite, comedite. Certè qui non credit verè illud primum, neque verè credet hoc secundum. Hypocritæ autem destituti fide iustificante, non credunt verè, Christum pro se esse passum, & peccata sibi esse remissa; fœdusq; per Christum, inter Deum & se confirmatum. Quomodo igitur isti hypocritæ, sine vera fide iustificante, edere possunt corpus Christi verè?

Apparet igitur, etiam Brentio, cùm hæc scripsit, non probatam fuisse vel manducationem oralem, vt vocant, vel manducationem impiorum. An verò mutarit sententiam, nec ne, viderit ipse. Deinde nihil mea refert. Neque enim hanc priorem Brentij sententiam probo, quia Brentij est, sed quia agnosco eam consentaneam esse doctrinæ Sacrarum literarum. Proinde neque etsi eam ipse, quod non concedet, mutauit, iccircò aut ego possum, aut quisquam debet illam priorem improbare, & probare posteriorem. Neque enim fides nostra niti debet autoritatibus hominum, sed Dei tantùm; quòd is nunquam mutet doctrinam, quia nec vnquam fallitur: Illi verò mutant sententiam, aut saltem mutare possunt. Proinde in nullius vnquam hominis verba iurare licet, aut quisquam debet: quòd id non possit fieri sine Dei ignominia magna, & animarum periculo. Perspicuum verò est, in hoc loco Ioan. 6. Brentio non probari manducationem Impiorum & Oralem.

Certè Bucerus neutram probauit. legantur quæ scripsit etiam post concordiam factam.

Anno 1537. decem propositiones de Eucharistia, disputauit & defendit in hac Schola. Inter illas quinta sic habet ad verbum. Percipi verò hæc dicimus, sola, simplici, & inexquisita fide, vt D. Cyrillus inquit. etsi non abhorremus etiam ab his D. Chrysostomi verbis: O ingens miraculum, & magnam Dei beneuolentiam erga nos. Is qui sedet suprà cum Patre, illa hora omnium detinetur manibus; & dat se volentibus circumdare & complecti, & si quæ apud hunc vel alios similia reperiuntur. Verùm ea intelligimus quemadmodum hic idem, nempè; vt abiecta omni carnali cogitatione, in cœlestibus hæc geri, & nuda anima, puráque mente asseramus. Disputatio Argent.

Quod verò attinet ad locum Pauli 1. Cor. 11. vnde meus Antagonista vult concludi, etiam ab impijs manducari corpus Christi, quòd dicuntur fieri illius rei; Bucerus propositione 8. intelligit de veris fidelibus, qui tamen non agunt omnia ex fide; & ait sic euenisse Corinthijs.

Propositio nona ait, Canonem Concilij Niceni probatum fuisse Marpurgi, Luthero & alijs. Ille autem ita habet: Iterum etiam hic in diuina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, sed exaltata mente, fide consideremus, situm esse in sancta illa mensa agnum Dei, tollentem peccatum mundi, qui non victimarum more à sacerdotibus sacrificatur. Et nos verè preciosum illius corpus & sanguinem sumentes credamus, hæc esse nostræ resurrectionis Symbola, nam propter hoc neque multùm accipimus, sed parum, vt sciamus: quòd hæc non satietati, sed sanctimoniæ seruiant. Canon Concilii Nicæni.

Eadem Græcè.

Ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης παλιν καὶν ταῦθα μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ, καὶ τῷ ποτηρίῳ παρεινῶς προσέχωμεν· ἀλλ' ὑψώσαντες τὴν διάνοιαν, πίστει νοήσωμεν, κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ, τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον· καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς, πιστεύειν ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα. Διὸ τοῦτο δὴ, οὔτε πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον, ἵνα γνῶμεν, ὅτι οὐκ εἰς πλησμονὴν, ἀλλ' εἰς ἁγιασμόν.

Huic autem Decreto reliqui S. Patres omnes consentiunt. Hic Canon statuit corpus Christi in mensa cælesti, non inclusum in pane: & ad illam esse ascendendum fide. Fideles igitur tantùm comedunt, & quidem sola fide.

Anno 44. in Confessione, quam dictauit in hac Schola, & ad cuius finem adiecit hæc verba: Martinus Bucerus: Ita in Domino sentio: & in hac sententia opto venire ad tribunal Domini. manu mea, Anno M. D. XLIIII. *Iunij quinto die.*

THESIS XV.

Porrò vt hæc Symbola sunt corporis & sanguinis Domini: ænigmata sunt, specula sunt, in quibus cernitur quidem & percipitur verè verum Domini corpus, verus sanguis, ipse: sed non sensu, non ratione, verùm solius oculis fidei, sensu rationeq; noui hominis, spiritu, qui scrutatur profunda Dei: de quo 1. Cor. cap. 2. immò nec imbuta fide ratio & mens nostra, hanc Christi in Sacramentis exhibitionem, præsentiam, manducationem, potest agnoscere, quid in se sit: sicut nec quid sit nostri in eum insitio, qua facti sumus de carne eius & de ossibus eius; sicut nec quid sit verbi incarnatio, quid sit animæ nostræ cum corpore nostro communicatio, & in eo inhabitatio. Ista tantùm à posteriore, id est, ab effectis vtcunque cognoscuntur.

XVIII.

Absurda & dissentanea fidei, quæ hîc occurrunt, suggesta à ratione carnis, sic repello: Corpus & sanguinem Domini, Dominum ipsum, ita in Sacra Cæna exhiberi, percipi, adesse; vt nec moueatur loco, nec includatur loco, nec distrahatur locis, nec commisceatur aut alligetur Symbolis vlla ratione huius seculi: nec attingatur sensu vel ratione, non fiat cibus ventris, non patiatur aliquid huius mundi. ad ipsum enim in se sola mens subleuata pertingit.

Ita sensit, ita docuit; ita scripsit Bucerus, etiam post concordiam: etiam dum fuit in Germania & docuit Argentinæ. Quid verò post discessum ex Germania, in Anglia docuerit & scripserit: liquidò patet ex Confessione anni L. Atque eam Confessionem huc, tanquam omnium perfectissimam misit. sic igitur scribit.

THES. XX.

Est enim præsentia hîc Christi, siue verbo ea tantùm, siue etiam Sacramentis offeratur aut testificetur: non loci, non sensus, non rationis, non terræ: sed spiritus, fidei, cælorum: quatenus in hos per fidem subvehimur & collocamur cum Christo, eumq; in cælesti sua gloria apprehendimus & complectimur: vtcunque speculo & ænigmate verborum & Sacramentorum sensibilium, indicatum & oblatum.

XX.

Doceantur igitur dociles: præsentiam Christi in Eucharistia nullam haberi, nisi in legitimo eius vsu; & quæ fide sola cùm apprehenditur, tùm tenetur. Ceteri relinquantur, vt cæci duces cæcorum, & plantatio, quam pater cælestis non plantauit. qui enim ex Deo nati non sunt, verbum Dei non audiunt: attestante Christo ipso Ioan. 8.

XXV.

Doceantur igitur semper, hæc mysteria esse cælestia, & captum omnem superare humanum: inq; solo Dei verbo esse apprehendenda & cognoscenda: longeq; ab animis repellendas esse omnes huius seculi rationes: verbum Dei attestari, Christum verum hominem, & verum habere corpus hominis, & illo subuectum in cælos, mundum hunc reliquisse. Non igitur in hoc mundo eum vlla ratione mundi requirendum: sed ita, vt ille se offert, exsistentem in cælis, & percipiendum nec sensibus, nec ratione, sed fide.

XLVI.

Fide paternæ Dei caritatis erga nos viuimus, & vitam quidem æternam. Hæc fides eo nititur, alitur, prouehitur, quòd Christus Filius Dei, se & meritum omne suum donat nobis, viuítque in nobis, peccatóque liberatos, excitabit à mortuis in vitam perfectè cælestem & beatam. Proinde cibi & potus symbolis voluit Dominus hîc vti, & dare carnem suam manducandam spiritualiter, symbolo panis manducandi corporaliter: & sanguinem suum bibendum spiritualiter, symbolo vini bibendi corporaliter. Eandem enim, vt dictum, dat sui communionem in Cœna per symbola & verba sua, quam commendauit Iohan. 6. tantùm verbis. Hæc omnia Buceri.

Quòd si quispiam hic excipiat, non esse recipienda quæ scripsit in Anglia: ego interrogabo, quamobrem? nam illa aut sunt hæretica, & pugnantia cum verbo Dei; aut cum illo consentanea; aut neque consona, neque dissona. Non, credo, dicet quispiam ea esse hæretica. consequeretur enim: iurè igitur horum autoris & assertoris cadauer, tanquam hæretici hominis, exhumatum & combustum in Anglia fuisse: id quod ferendum Germanis & præsertim Argentinensibus non est. Si autem sunt consona verbo Dei, sunt igitur recipienda. Quamobrem, impiorum, & oralis manducatio omnino damnanda est. Si non sunt neque dissona, neque consona verbo Dei: non sunt igitur hæretica. Quare neque sunt hæretici, qui illam admittunt doctrinam.

Quid plura? In Epistola ad Bonifacium Lycosthenem, de Eucharistia & Confessione Augustana, quomodo ei subscripserint Argentinenses, & quibus de caussis id fecerint, præter alia, apertè ait, Lutheranos fateri, oris manducationem pani propriè competere, & corpori Domini, non nisi ob sacramentalem vnionem; & corpus Christi in sacra Cœna, cibum esse animæ, non ventris. Sunt hæc omnia consona sacris literis, & piæ antiquitati: vt patet ex illo canone concilij Niceni: cui omnes Patres subscripserunt, & vt multis in locis docet Augustinus. Non manducari enim ab impijs, hoc est, ab hypocritis fide vera destitutis, docet: vt citat D. Prosper libro Sentent. Augustini, cap. 339. cùm ait; Escam vitæ accipit, & æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. nam qui discordat à Christo, nec carnem eius manducat, nec sanguinem bibit: etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumtionis quotidie indifferenter accipiat. Non manducari autem ore corporis, docet libro de doctrina Christiana 3. cap. 16. Nisi manducaueritis, inquit, carnem Filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. facinus vel flagitium videtur iubere. figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.

Ex quibus omnibus apparet satis luculenter, quod vos in vestris confessionibus habetis, nempe corpus Christi in Cœna manducari quidem, & eius sanguinem bibi sed à pijs, & fide, non autem ab impijs, & ore corporis; Christianè & piè positum fuisse. Ac proinde non bene factum fuisse, aut etiamnum fieri à meo aduersario, qui propter hasce duas manducationes totam turbauit, & turbat ciuitatem: eos, qui suæ sententiæ simpliciter non subscribunt, vt hæreticos damnando, è conuentu pellendo; &, vt ciuitate etiam pellantur, curando.

Quòd quæstio, An etiam impij manducent verum Christi corpus, & an etiam ore corporis, non sit populis proponenda: multò minùs quispiam ad eas credendas cogendus, sed ad veram manducationem, quæ fit per fidem, omnes hortandi sint.

Ego verò contrà aio, hanc oralem & impiorum manducationem non esse vllo modo fidelibus proponendam: multò verò minùs quempiam ad eam credendam & confitendam, cogendum esse. Nihil enim de religione populis proponendum est, quod non habeat certum apertumq; testimonium ex verbo Dei. Non addes, inquit Dominus, neque detrahes.

2. *Quod si tale quidpiam à quouis proponatur credendum, homines tamen Christiani non possunt id credere. Apostolus enim concludit, fidem esse ex auditu, auditum autem per verbum Christi: hoc est, quod liquidò & certò constet esse verbum Christi. Quomodo igitur potest homo Christianus aliquid de Christo, deq; rebus ad religionem Christianam spectantibus, credere, nisi audiat apertum, certumq; Dei verbum, quod certò etiam sciat esse verbum Dei?*

3. *Neque solùm non potest homo Christianus aliquid credere, de quo non audiat certum apertúmque verbum Dei, sed neque id debet credere. Oues enim Christi, sicut non possunt, sic nec debent audire, nisi vocem pastoris sui Christi: hoc est, quam certò agnoscant esse vocem sui pastoris Christi. Quanta igitur tyrannis est in homines Christianos, si iubeantur credere, & cogantur confiteri id, quod non possunt, nec debent credere, cùm non agnoscant esse verbum Dei & vocem pastoris sui?*

4. *Quid verò, si iubeantur credere, & cogantur confiteri id, quod ipsi iudicent, aut etiam certò sciant esse contra verbum Dei? Quodnam autem certum & apertum verbum Dei è Scripturis, huc vsque allatum fuit, quòd liquidò demonstret, corpus Christi, & ab impijs, & ore corporis manducari? Quòd si aliquis dicat, vtrumque colligi ex verbo Dei: respondebit fidelis, non satis sibi esse dicere, sed se cupere sibi demonstrari. nisi igitur demonstretur, se non posse huiusmodi manducationes admittere. Vt autem demonstretur, opus esse colloquio, in quo, quæ dubia sibi occurrant, perspicuè declarentur, & quæ argumenta in contrarium habeat, diluantur. Iubere enim & cogere, vt aliquid credatur, quod nondum constet esse verbum Dei, & quod etiam discuti colloquio, illi qui hoc proponunt, recusent, plus quam tyrannicum esse. Fit ergo magna iniuria ipsis fidelibus, dum coguntur fateri id, quod credere non possunt: & quod ideo credere non possunt, quia destituuntur aperto Dei verbo: maior autem, si id fateri coguntur, quod impium esse ex verbo Dei sunt persuasi: maxima verò, si ipsis denegetur colloquium: & petentes sibi veritatem è sacris literis demonstrari abigantur, suis iussi stare definitionibus absque vlla disputatione.*

5. *Nemo etiam debet pro hæretico haberi, aut tanquam hæreticus traduci, aut excommunicari, conuentibus pelli, & vt excommunicatus vitari, nisi priùs conuincatur hæreseos, & conuictus nolit resipiscere. At quis adhuc meorum aduersariorum conuicit quempiam nostrûm hæreseos, aut erroris contra verbum Dei, propterea quòd non admittimus hanc impiorum, & oralem manducationem? & quomodo possunt erroris conuincere, quibuscum colloqui recusant?*

6. *Quantum verò aberrent à scopo Cœnæ Dominicæ mei aduersarij, ista sua importuna contra eos, qui non admittunt suam impiorum, & oralem manducationem, actione: perspicuum fiet, si quis ea, quæ initiò de communione cum Christo & Deo scripsi, diligenter consideret: immò si verbum Domini audiat. Annón verbum Domini apertè docet, Cœnam Dominicam in hunc finem esse institutam, vt in ea & fides de remissione peccatorum confirmetur, & caritas inter nos coalescat: vt magis ac magis fiamus vnum tum cum Christo, tum inter nos? At quid ad vtrunque prodest ista impiorum, oralisq; manducatio? Sentimus re ipsa, quantum vtilitatis & fructus attulerit Scholæ, Ecclesiæ, collegijs, toti denique ciuitati, ista nostrorum amicorum importuna, atque iniqua pro impiorum manducatione, quotidiana aduersus pios voci feratio.*

7. *Dominus iubet, ne simus soliciti de impijs & hypocritis: Sinite illos, inquit, cæci sunt, & duces cæcorum. Nostri autem videntur facti esse patroni impiorum, cùm in articulo de prædestinatione, tum in articulo de Cœna Domini. In articulo quidem de prædestinatione, quia nolunt ferre, vt Deus dicatur eos, quos nunc iusto suo iudicio deserit in suis peccatis, & excæcat, & tandem damnat, idq; sciens ac volens, longè antè, hoc est, ante mundi constitutionem, constituisse deserere, & excæcare, & damnare, idq; suo iudicio nobis aliquando occulto, semper tamen iusto. In articulo verò de Cœna, quia contendunt, eos quoque manducare verum Christi corpus, vtq; impios defendant, bellum aduersus pios suscipiunt.*

8. De

8. *De corporali quoque manducatione, Dominus non vult, vt cogitemus, sed simus soliciti de spirituali, quæ fit per fidem, idq; ijs de causis. Primùm, quòd illa carnalis nihil ad salutem prosit: deinde quòd potius sit perniciosa, immittat q; carnales & impias cogitationes in mentes hominum de corpore Christi, quibus cogitationibus homines magis alienentur à Christo, quàm, vt ei adhæreant, incitentur: spiritualis verò per fidem salutaris sit, atq; viuificans. Vtrumque apparet Ioh. 6. cùm enim illi Capernaitæ audito verbo Christi de manducanda carne sua, cogitare cœpissent de carnali & orali manducatione, primùm ostendit illis Dominus, eos de modo manducandi carnem suam inutili cogitasse, neglecto illo, qui vtilis est: nempe qui fit spiritu per fidem, dicens: Caro non prodest quidquam: hoc est, carnalis manducatio, quæ fit per os corporis, de qua cogitatis, quasi hanc meam carnem ore corporis sitis deuoraturi, non prodest quidquam: Spiritus est, qui viuificat: hoc est spiritualis manducatio, quæ fit spiritu per fidem, illa est, quæ viuificat. Deinde res ipsa docet, in illorum mentes, propter hanc à se excogitatam carnalem manducationem incidisse tales de corpore Christi cogitationes: quibus offensi, à Christo, quem antè vt præceptorem suum sequebantur, defecerunt.*

9. *Ad hæc omnia verò accedit, quòd hæc impiorum manducatio pugnat cum Scripturis. Nam si Christus non se ipse præbeat comedendum, nemo illum comedere potest. est enim ipse, qui se dat manducandum: quemadmodum in vestris quoque confessionibus habetis; cùm ipse sit, qui dicat in Cœna, Accipite, comedite. At quomodo existimandum est, Dominum se dare manducandum, & possidendum illis, quibus cum nullum vult habere commercium? quos perpetuò à se reijcit? quos ait se non agnoscere? Nec de aperte impijs loquitur, cùm ait Matth. 7. Nunquam noui vos, discedite à me, operarij iniquitatis: sed de hypocritis, qui tali temporaria fide donati sunt, vt etiam edant miracula. De ijs hypocritis ait Iohan. 2. Multi crediderunt in eum, videntes signa, quæ faciebat. Iesus autem non se credebat eis, eò quòd nosset omnes, & sciret quid esset in homine. Quomodo igitur nunc credit se, committit se manducandum, præbet se huiusmodi hypocritis, quos optimè nouit, & scit, quid sit in homine?*

10. *Et si non voluit rogare pro mundo, hoc est, pro reprobis omnibus impijs, sed apertè dixit, se pro illis non rogare: quomodo igitur præbebit se illis manducandum?*

11. *Cœnam Domini institutam esse propter fœderis confirmationem, hoc est, vt qui sunt in fœdere, in eo magis ac magis sumtione sanguinis & carnis Christi confirmentur, extra controuersiam est. Qui igitur non sunt participes fœderis, quomodo participant de carne & sanguine Christi?*

12. *De Cœna etiam nuptiali iectum fuisse illum legimus, qui non habebat vestem nuptialem, nec permissus fuit cum alijs conuiuari. Non est igitur existimandum, Dominum sese in hac cœna manducandum illis præbere, qui carent veste nuptiali, vera scilicet fide, & Christi iustitia.*

13. *Ministri quoque Cœnæ, omnes illos, qui sunt sine vera & viua fide, hoc est, qui non ex animo resipuerunt, excommunicant, & ne accedant vel ad panem ipsum comedendum, seueriter in nomine Domini mandant. se enim id, quod ipsi ministrant, nempe panem & vinum Dominicum, non daturos. Et si fortè alicui tali impio panem præbent, hoc ideo faciunt, quia latentem eius impietatem non agnoscunt. Christus igitur, qui nouit impietatem hypocritarum, suum illis corpus manducandum præbere credendus est? Offert quidem se omnibus Christus, sed hac conditione, si credant. Si qui igitur non credant, non se illis communicat.*

14. *Illud extra controuersiam est, si quis non credat verbis Cœnæ; Accipite, manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur; Et, Accipite, & bibite: hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum: Si quis, inquam, his verbis non credat, extra controuersiam est, hunc, etsi accipiat panem, corpus tamen Domini non edere, aut sanguinẽ eius bibere. quamobrem? quoniam & Christus & dona eius distribuuntur, & recipiuntur*

ſecundum menſuram fidei noſtræ. inde ſemper dicebat Dominus: Sicut credidiſti, fiat tibi. Atquì impij non verè credunt ijs verbis: neque enim verè credunt, Chriſtum pro ſe paſſum eſſe, aut peccata ſibi per ſanguinem Chriſti eſſe remiſſa. Quomodo igitur recipiunt & manducant illud corpus, quod audiunt pro ſe traditum eſſe, ſed non credunt? & quomodo bibunt illum ſanguinem, quem audiunt quidem pro ſe fuſum eſſe in remiſſionem peccatorum ſuorum, ſed non credunt? & quia non credunt, iccircò etiam reuera pro ipſis, neque illud corpus traditum eſt, neque iſte ſanguis in illorum peccatorum remiſſionem fuſus eſt.

15. Eſt enim illud certiſſimum, iuxta hæc verba Cœnæ, illis tantùm reuera dari corpus Chriſti manducandum, & ſanguinem Chriſti bibendum, pro quibus corpus Chriſti traditum eſt, & in quorum peccatorum remiſſionem ſanguis Chriſti effuſus eſt. Non eſt autem illud corpus Chriſti traditum, & ſanguis iſte Chriſti effuſus pro reprobis incredulis. Quomodo igitur accipiunt, & edunt, & bibunt? Quòd ſi quiſpiam dicat: Immò ideò comedunt corpus Chriſti, quia credunt ſe comedere, hoc eſt, quia credunt illis verbis, Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum. Reſpondeo: Qui non credit, illud quod ſequitur, nempe, Quod pro vobis traditur: neque etiam credit ijs verbis, Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum: hoc eſt, Qui non credit verè, Chriſtum pro ſe mortuum eſſe, neq; etiam verè credit, ſe illum comedere. Sunt enim verba eiuſdem Chriſti, tam illa, Quod pro vobis traditur, quàm iſta, Hoc eſt corpus meum. Proinde cùm hypocritæ impij non verè credant, Chriſtum pro ſe mortuum eſſe, & ſanguinem in remiſſionem peccatorum ſuorum effuſum: conſequitur, etiam eos non verè credere, ſe manducare corpus Chriſti pro ſe mortuum, ac proinde nec verè comedunt.

SVPPLICATIO.

Cùm itaque, Domini clementiſſimi, videatis, hanc de impiorum manducatione doctrinam pugnare cum Scripturis, vel ſaltem nullum in illis habere apertum verbum: fideles autem non poſſint, nec debeant aliquid credere & confiteri, quòd non habeat certum teſtimonium in verbo Dei: cùm in veſtris etiam Confeſſionibus, & Apologia, iuxta Scripturas compoſitis, habeatis, corpus Domini illis communicari, quibus Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit, hoc eſt, veris diſcipulis Chriſti, & illud ſemper ore fidei, non autem ore corporis percipi: propter quas Confeſſiones fit, vt ciues multi, qui ſunt perſuaſi, illas eſſe ſecundum verbum Chriſti, cùm porrò audiant contrariam doctrinam ſibi proponi, præſertim tam importunè & intempeſtiuè, vehementer perturbentur: iccircò à vobis Chriſtianis & prudentiſſimis Dominis peto, primùm, curetis pro veſtra autoritate, propter gloriam Dei, propter ſalutem animarum, propter bonum & pacem publicam, propter honorem etiam maiorum veſtrorum, & veſtrum, curetis inquam, vt doctrina veſtrarum Confeſſionum, & Apologiæ, in veſtra Eccleſia & Schola, & collegijs retineatur, non quatenus veſtra, ſed quatenus Chriſti eſt doctrina. doctrinam enim Chriſtianam eſſe vobiſcum agnoſco, & vt Chriſtianam amplector. Ac proinde caueatis, ne amplius doctrina vel de impiorum & orali manducatione (cum veſtra enim in Confeſſionibus & Apologia, ex diametro pugnat) vel de alijs rebus, quæ cum doctrina veſtrarum Confeſſionum pugnet, populo veſtro proponatur, aut in Schola doceatur. Quòd ſi veſtri miniſtri nolint acquieſcere, & contendant, doctrinam, præſertim de prædeſtinatione & de Cœna Domini, quam habetis in veſtris Confeſſionibus & Apologia, eſſe erroneam & pugnare cum Scripturis: rogo ſecundo loco, vt id in publica diſputatione probare cogantur, curetis. Nam quod me attinet, ego quoque ex altera parte cum alijs collegis meis paratus ſum defendere doctrinam veſtram, immò Chriſti, in veſtris Confeſſionibus & Apologia contentam. Primarius meus accuſator ait, & nuper etiam ſcripſit ad Capitulum, vos à prioribus veſtris Confeſſionibus receſiſſe: ſed hoc eſſe falſiſſimum audio, lego, & credo. Bucerus enim felicis memoriæ, in epiſtola ad Bonifacium Lycoſthenem, in qua explicat, quo pacto, & quibus de cauſſis Argentinenſes ſubſcripſerint Confeſſioni Saxonicæ; apertè ſcribit, Argentinenſes eam tantùm Saxonicæ Confeſſionis partem, quæ continet dogmata, ſua ſubſcriptione comprobaſſe: ſed ita, vt proteſtati

ſtati fuerint, ſe à ſua Confeſsione haudquaquam receſſuros, ac proinde ſe illi cum ſua ſubſcribere. Idem feciſſe eas ciuitates, quæ vobiſcum faciebant in cauſſa religionis, Vlmam, Conſtantiam, Eſlingam, Memmingam, Lindauium, Bibrachium & Iſnam. Si igitur à veſtris confeſsionibus non receſsiſtis, veſtri officij eſt, curare, vt doctrina, quam in illis eſtis profeſsi, in vrbe veſtra perpetuò integra retineatur. Illud certè ſaltem ferre non debetis, vt qui veſtras Confeſsiones profitentur, & iuxta illas docent, ij hæretici appellentur. hoc enim eſſet tacitè aſſentiri, maiores quoque veſtros, qui in doctrina veſtrarum confeſsionum mortui ſunt, hæreticos hinc diſceſsiſſe.

Rogo præterea, pro veſtra autoritate efficiatis, vt veſtri miniſtri ſeruent regulam Apoſtoli ad Philippenſes. poſtquam Apoſtolus propoſuiſſet ſummam Euangelij, & capita Chriſtianæ religionis aperta & neceſſaria ad ſalutem, hortatus eſt omnes, vt in ijs firmiter permanerent. quòd ſi quid aliud poſtea occurreret, de quo non conueniat inter omnes, ne propterea ſcinderent Eccleſiam, néve violarent fraternam dilectionem, ſed expectarent, donec Deus ipſis quoque illud reuelaret: Quòd ſi quid, inquit, aliter ſapitis, Deus id quoque reuelabit, modò in eo, in quod peruenimus, permaneamus. Hoc Apoſtoli conſilium Auguſtinus ſæpe vrget in ſuis Epiſtolis & libris. Hac de cauſa, illud quoque (quod etiam ſuprà citaui) Lutheri dictum, in libro, qui inſcribitur Defenſio Verbi, mihi ſemper probatum fuit, cùm ait, modò ſibi ab aduerſarijs ſuis concedatur, in Cœna non ſolùm panem percipi, ſed etiam ipſum verum Chriſti corpus, ſe nolle contendere de verbis. Et cùm fui à nonnullis per literas conſultus in hac cauſſa Cœnæ, hoc Lutheri dicto Apoſtoli conſilium confirmaui, quemadmodum exemplum illarum literarum adhuc oſtendere poſſum. Quo etiam ex loco facilè colligere poteſtis, illud, quod de me in conuentu publicè, initio controuerſiæ primarius meus accuſator dixerat, quo dicto omnium animos ferè à me alienauit, meram fuiſſe calumniam. dixit enim, me in hypocauſto D. Sturmij appellaſſe doctrinam Lutheri, doctrinam diabolicam: cùm tamen nulla vel Lutheri, vel etiam doctrinæ illius mentio facta fuerit: ſed tantùm dixerim, Diabolicum libellum Heshuſii, cauſſam fuiſſe omnium iſtorum malorum. quem etiam librum, non aliam ob cauſſam appellaui diabolicum, niſi propter διαβολὰς, & calumnias, & conuitia in viros magnos, & pios, quibus refertus eſt. Teſtem appello clariſsimum Dominum Iohannem Sturmium. Apparet, vter maiore honore afficiat D. Lutherum: Egóne, qui illius doctrinam, vt Chriſtianam, in duobus præcipuis articulis defendo: an verò meus, qui eam, vt hæreticam damnat, in articulo ſcilicet de prædeſtinatione & perſeuerantia. Domum igitur vt redeam, atque concludam, obſecro vos per Ieſum Chriſtum, efficiatis, vt & veſtræ Confeſsiones in Schola & Eccleſia retineantur, & Apoſtoli, Lutheríque conſilium, ab aduerſarijs meis obſeruetur. Nam ego illud nunquam ſum tranſgreſſus, cùm de induſtria abſtinuerim etiam ſemper à tractando argumento de Cœna Domini in Schola, ne vllam collegis meis, diſsidij atq; contentionis occaſionem darem.

Illud ad extremum vos non tam moneo, quàm vt memoria repetatis rogo, quánam ratione factum ſit, vt Eccleſia Romana à priore, ideóque & puriore ſua doctrina paulatim ad tam impiam, impurámque, in qua verſari eam videmus, defecerit, nec ſolùm defecerit, ſed etiam in ea defectione tandiu permanſerit, & permaneat, vt ab ea diuelli amplius nullo modo poſſe videatur. Hoc inde profectum eſt, quoniam non continuit ſe conſtanter in illa doctrina, quam à ſuis prioribus inſtitutoribus, Apoſtolis nimirum, & Apoſtolicis viris ſibi traditam fuiſſe ſciebat: ſed ſegnis, atque ignaua, ſiuit ſe à ſuis prioribus Confeſsionibus per nonnullos hypocritas Epiſcopos, qui ſua magis, quàm quæ ſunt Chriſti, quærebant, & ſplendore quodam ſanctitatis, facilè cuique imponebant, paulatim abduci. Et licet Magiſtratus, quorum intererat principijs fortiter reſiſtere, ſui officij admonerentur (neque enim Eccleſiis vllis Deus vnquam defuit, quin per aliquem, aut aliquos, & quæ vera, & quæ falſa eſſet doctrina, ſignificarit) interim tamen aut penitùs admonitiones ſeruorum Dei negligebant, aut ſeſe Epiſcopis opponere non audebant: aut prudentia quadam carnis ducti, remedium differebant, & tempus extrahebant, ſynodos negligebant, Epiſcopos, & quicquid vellent, docere, & nouas quotidie

cæremonias introducere sinebant. Eò verò tandem res deuenit, & Episcoporum tyrannis obtinuit, vt cùm postea multi Principes & Magistratus cuperent Ecclesiæ opem ferre, id facere non potuerint: Episcopis primùm quidem errores omnes, & falsos cultus, tanquam Christianos atque Apostolicos, hoc vno potißimùm argumento defendentibus, quòd scilicet multis iam sæculis, Ecclesia Romana eam retinuerit doctrinam & cultum: deinde sua potentia, ne ad priorem doctrinam & cultum rediri posset, impedientibus. Principijs igitur malorum resistendum est.

Vos de principio, cùm hæc Ecclesia cæpit reformari, optimam & purißimam accepistis à primis vestris reformatoribus, viris verè Apostolicis, doctrinam & cultum: quemadmodum & vestræ Confessiones, & libri illorum doctorum, & sanctißimorum virorum, patrum, atque in primis Buceri, testificantur. Curate, vt in ea persistatis, & totam vrbem vestram in ea retineatis. Vestrum est enim, optimi Domini, vt vera & pura religio, qua Deus sanctè colatur, & homines seruentur, in vestra vrbe retineatur, cum primis curare. Si autem illud Tertulliani verum est, Id esse verum, quodcunque prius: id esse adulterum, quodcunque posterius: quid vobis faciendum sit, videtis.

Hæc pro meo officio; ac pro mea, cùm erga Christum pietate, tum erga vos obseruantia, non tam monere, quàm rogare, quàm obsecrare atque obtestari vos volui.

HABETIS *iam meam de prædestinatione, de perseuerãtia, deq; Cœna Domini Confessionem: prolixiorem quidem, quàm postulastis, sed non quàm doctrinæ explicatio, præsertim hoc tempore, à me, quem nunquam docentem audiuistis, flagitabat. Offero autem me ad maiorem, si hæc non suffecerit, & horum, & aliorum quorumcunque volueritis articulorum explicationem, quando, vbi, & quo modo vos mihi iusseritis.*

Valete: & Dominus vobis augeat sapientiam ac fortitudinem, quibus cùm gloriam ipsius promouere; tum saluti vestræ, ac ciuium vestrorum; bono deniq;, & paci publicæ prospicere possitis.

Hæc olim ad ampliss. Magistratum Argentinensem: quæ in lucem dare non erat mihi in animo: sed spiritus inquieti, non sine tamen Dei prouidentia, me hoc facere coëgerunt: plura fortassis, & quæ nonnullos malè habebunt, nisi me senem in pace, quod reliquum est vitæ, viuere cupientem, isti spiritus lacessere desinant, foràs daturum.

HIERONYMVS ZANCHIVS CHRI-
STOPHORO EHEMIO CANCELLARIO,
GRATIAM ET PACEM.

VT olim Argentinæ Sturmius noſter, parens illius Scholæ & ornamentum, Prolegomena quædam in Phyſica Ariſtotelis, quem tunc extra ordinem interpretabar, mihi extorſit, eaq; imprimenda curauit, cùm nihil minus vnquam, aut cogitarim, aut in animo habuerim, quàm quæ præfatus fuerã auditoribus meis in Schola, ea in lucem dare: ſic tu compater Chriſtophore oratiunculam meam, quam paucis horis, & illis quidem ſucciſiuis conceptam, intra priuatos parietes huius noſtræ nouæ ſcholæ Neoſtadienſis ad fratres aliquot & ſtudioſos adoleſcentes habui, idq; non aliam ob cauſſam, quàm vt non ſine aliqua, & clementiæ diuinæ erga nos prædicatione, & Illuſtriſſimi Principis noſtri laude, & ad ſtudia cùm humaniorum tum maximè diuinarum litterarum adhortatione in nouam hanc ſcholam ingrederemur: Tu inquam, mi Doctor Ehemi, oratiunculam meam, quam & tibi & alijs non ſemel denegaueram, tuis tandem crebris flagitationibus, mihi quaſi è manibus; tantum non violenter, eripuiſti, atque vt foràs prodierit, quæ libentius domi latuiſſet, effeciſti. Non me latet, te, vt hoc faceres, non aliare, quàm partim pietate in Deum, & obſeruantia erga Principem tua, partim amore huius Scholæ adductum fuiſſe: Verùm quantum vel ad promouendam doctrinam pietatis, vel ad gloriam Principis illuſtrandam, vel ad nomen huic Scholæ comparandum, valere potuit, ſcriptio hæc mea inculta atque impolita? Ergo ſicut Sturmium in euulgandis meis ſcriptiunculis imitari voluiſti: ſic eum etiam in præſtanda culpa, ſi opus fuerit, par eſt imiteris, διὰ τὴς ἀνάγκης, dicebat ille: ego verò addo, καὶ διὰ τὴς φιλίας πολλὰ πιῶμεν καλά. Vale. Ex muſæo. Anno Domini M. D. LXXIX. die verò Februarij ſecundo, qua die in hanc veni lucem, cùm in Templis caneretur: Lumen ad reuelationem Gentium: annus verò ageretur 1516. poſt quem ſtatim annum, lux ipſa Gentium, lucem Euangelij denuò è tenebris elucere, & per totum porrò terrarum orbem ſplendeſcere iuſſit.

HIERONYMI ZANCHII DE APE-
RIENDIS IN ECCLESIA SCHOLIS, DE-
QVE OPERA SACRARVM LITERARVM
ſtudijs cumprimis danda,

ORATIO:

IN SCHOLA NEOSTADIANA, AB ILLVSTRIS.
PRINCIPE IOHANNE CASIMIRO RECENS INSTITVTA,
20. Maij, M. D. LXXVIII. *habita.*

IVLIANVS ille Apoſtata, clariſs. & orn. auditores, Iulianus inquam ille hoſtis Chriſti acerrimus, totiusq; Chriſtianæ Religionis contumelioſiſsimus irriſor, multa & grauia mala dedit Eccleſiæ, atque adeò toti Reipub. Chriſtianæ: plura & grauiora procul dubiò daturus, niſi Chriſtus nefarios impij hominis conatus, vita illi ademta, maturè è cœlo repreſſiſſet. Neque enim malus ille, ac malitioſus, vt ſæuus tantùm Tyrannus, proſcriptionibus, exilijs, bonorum direptionibus, igne (vt dici ſolet) & ferro, Chriſtianos perſequi in ſuum induxerat animum, & perſequi iam inceperat: verùm etiam vt homo vafer & callidus, iſque non indoctus multa aduerſus Chriſtianam doctrinam, acutè & non ineleganter ſcribere, ac diſputare cum multorum admiratione ſolitus fuit: vſque adeò, vt plus damni ſuis ſophiſmatibus, ſuaque eloquentia, quàm gladio dediſſe, non malè à plerisque iudicetur. Mihi verò inter doloſas callidasque rationes, quibus ſceleratus Imperator Chriſtianam Religionem conuellere & funditus euertere conatus fuit:

illa

illa non postrema fuisse videtur, cùm in suum induxit animum omnium bonarum literarum studia in Repub. Christiana paulatim extinguere, meramque barbariem inducere. Hoc enim tentauit, cùm lege cauit, ne liberi Christianorum in scholas Rhetorum, Oratorum, aliasque liberales artes & disciplinas profitentium admitterentur. Quid enim obsecro sibi hac lege voluit, homo Apostata & iniquissimus Imperator? Consilium certè astuti Tyranni hîc non hærebat, sed longiùs tendebat: eò nimirum, vt ijs sublatis studijs, studia quoque S. literarum tollerentur: Christianaque religio, vt quæ vera verbi Dei nititur cognitione, extingueretur. Cùm enim bonis literis, honestisque disciplinis, non solùm animi puerorum excolantur, ad virtutem bonosque mores informentur, ad pietatem erudiantur, sed Christiana etiam doctrina, & vera S. literarum cognitio non parum ijsdem adminiculis promoueatur: quid studijs illis exterminatis expectari aliud poterat, quàm mera inhumanitas, morum corruptio, colluuies vitiorum, euersio religionis? Longa hîc probatione non est opus: quãdo quæ dico, ea regnum in primis Turcicum, & deinde magna ex parte Pontificium, in quibus, extinctis bonarum literarum studiis, quanta barbaries, quantaq; impietas proh dolor consecuta sit, nemo est, qui non videat, abundè & luculenter confirmant, quanquam in hoc altero renouari tandem cœperunt politioris literaturæ, & liberalium disciplinarum studia: vtinam & religio. Ad corruptionem igitur omnium bonorum morum, atque inprimis ad veræ Christianæque Religionis labefactationem, imò euersionem, quin consilium Iuliani spectarit, eoque à diaboli spiritu fuerit, dubitari nec potest, nec debet. Quæ cùm ita se habeant, consequitur necessariò, non nisi à Spiritu Dei afflari illorum Principum & Magistratuum animos, qui huc suas intendunt cogitationes, studia, neruos & vires, vt in suis ditionibus & terris, scholas instituant, & institutas conseruent: in quibus cùm bonæ literæ, liberales artes, honestæque disciplinæ tradantur: tum verò maximè S. literæ, quibus solis vera nititur religio, fideliter explicentur. Neq; enim aliunde vel studium hoc esse potest, quàm à Deo, omnis boni autore: vel Principes ad tales cogitationes, piosque conatus, quàm à Spiritu Dei, à quo vno sunt omnia sancta desideria, pia consilia, iustaque opera, excitari possunt. Et sanè, sicut Satan semper suos habuit Pharaones & Iulianos, quos aduersus populũ Dei, spiritu suo malo inflaret, & irritaret: Sic contrà, Deo nunquam defuerunt sui Ezechiæ & Theodosij, Religiosi Principes, quos ad Ecclesiæ protectionem & conseruationem, vi sui Spiritus excitaret, animaret, impelleret: idque cùm antè, tum maximè post aduentum Christi. Pertinet huc suauissima illa, dulcissimaq; promissio apud Iesaiam, de felici Noui Testamenti seculo, in quo Reges ac Reginæ, hoc est, multi multæq; Principes futuri essent Ecclesiæ Christianæ nutritij, atq; nutrices: eoque Scholarum inprimis, in quibus studia cùm humaniorum, tum inprimis diuinarum literarum fouerentur, autores, exædificatores, instauratores. Et
Iesa. 49. 23 erunt (inquit) Reges nutritores tui, & Reginæ nutrices tuæ. Quomodo autem simpliciter Principes alere & nutrire Ecclesiam dicuntur? Certè Ecclesia, & singulae eius membra, duabus constant partibus, animo & corpore. Si igitur Principes totius Ecclesiæ, vt intellexit Propheta, eoque & animorum & corporum alendorum & nutriendorum curam suscipiunt, suscipereque debent: manifestè liquet, duplicem esse tationem, qua subditas sibi Ecclesias, alendas, nutriendas, sustentandasq; curare tenentur: quarum vna ad animum, altera ad corpus pertinet. Corpora quidẽ nutriuntur hisce terrenis & corruptioni obnoxiis, esculentis, poculentis, vestimentis, habitationibus: sed animi non nisi honestis disciplinis, bonis literis, liberalibus artibus, Philosophia, atque inprimis studio & vera cognitione verbi Dei, quod nos ad Deum; in quo solo vita est æterna, deducit, foueri, sustentarique possunt. Cùm ergo Deus se effecturum, vt sub regno Christi inter ipsas etiam Gentes inueniantur Reges & Reginæ, qui curam Ecclesiæ suscipiant, pollicetur: Ratio autem sustentandæ & conser

uandæ

uandæ Ecclesiæ, in eo præcipuè posita sit, vt scholæ cumprimis instituantur, in quibus cùm aliæ disciplinæ, tum maximè sacræ literæ fideliter doceantur, (hinc enim totum etiam ministerium Ecclesiasticum pendet:) manifestum est, Deum hoc Iesaiæ vaticinio, hæc quatuor præcipua capita concludere voluisse: Primum, Hãc esse suam certamque voluntatem; vt nimirum huiuscemodi scholæ, in Ecclesia Christi, pro regionum, diuersorumque locorum necessitate, procq; Principum ac magistratuum viribus, instituantur, aperiantur, conseruentur, Professoribus benignè tractatis, scholasticisque pauperibus sustentatis. Quod enim simpliciter promittit Deus, illud etiam se omnino velle, manifestissimè testificatur. Quid autem voluntate Dei melius, æquius, præstantius excogitari potest? ita docet Propheta Principes, qui, vt huic diuinæ voluntati subseruiant, operam dant: eos & reuera ex eorum esse numero, qui Ecclesiæ Christi fouendæ ac conseruandæ, ceu parentes à Deo destinati, præparati, ac promissi fuerunt: & eam ob caussam tum maxima laude & honore, tum totius Ecclesiæ amore & obseruantia dignissimos esse: quippe qui quod Deo placere, atque ex eius esse voluntate, & ad Ecclesiæ salutem pertinere intelligunt, illud hilari fortiq; animo amplecti, præstandumque suscipere minimè dubitant: Contrà verò, qui hæc negligunt, eos, sicut grauiter peccant, sic simili honore vt à Deo non fuerunt digni iudicati, ita reuera dignos non esse. Quærãt igitur profani & huius seculi Principes sui nominis celebritatem extruendis altis palatiis, extollẽdis pyramidibus, erigendis colossis, faciendis arcubus, suspendendis signis atq; tropæis, ædificandis amplissimis ciuitatibus, muniendis arcibus, cogendis diuitiis, augenda potentia, ampliandis regnis, subiugandis hostibus, propagare: at nostri pij, quos Deus nutritios dedit Ecclesiæ, si in hoc vnum cumprimis incubuerint, vt ex voluntate Dei, scholæ aperiantur, Ecclesiæ curentur, doctrina cœlestis propagetur, eoq; regnum Christi promoueatur, perque totum terrarum orbem extendatur, & sceptrum Euangelij vbiq; attollatur: ij procul dubio veram eamq; perpetuam non solùm apud homines, verùm etiam apud Deum, gloriam sibi comparabunt. Magnæ quidem sunt laudes Constantini, Theodosij, Valentiniani, (vt de alijs taceam) à multis rebus præclarè gestis, ab humanitate, à clemẽtia, à iustitia, aliisq; virtutibus: sed nulla tam celebres eos in Ecclesia reddidit, quàm quòd pro sua in Deum pietate quàm diligentissimè curarunt, vt scholis passim institutis, piisq; doctoribus vndiquaque conuocatis, religio Christiana longè lateque propagaretur. Tres etiam inter reliquos habuit Germania eximios Principes, Iohannem Fridericum Saxonem, Philippum Landgrauium Hassiæ, & Fridericum Tertium Palatinum, quos eadem pietas, idemque pietatis propagandæ studium verè illustrissimos celeberrimosque in Ecclesia, atque adeò etiam apud hostes Ecclesię reddidit. Friderici certè nostri sanctissimi & verè clemẽtissimi Principis memoria nunquam interibit, nunquam ex piorum cordibus delebitur, nunquam in Ecclesia extinguetur, vtut homines impij eius nominis hostes id pro suis viribus facere conentur: quid ita? quia præter summam eius clementiam & virtutem summæ curæ fuerunt opt. Princip. Scholę, collegia, Ecclesię, doctores, pastores, studiosi, ipsum denique totum regnum Christi. Habent in hoc religiosissimo Heroë, cùm alij Principes, tum præsertim Filij exemplar, quod imitentur. Est enim hoc (vt ad alterum caput veniamus) proprium officium Principum, quibus salus populorum commissa est, vt Iesaias suis verbis docet, nempe scholas erigere, professores liberaliter sustentare, scholasticos pauperes alere, omnes fouere ac tueri, quòd talibus etiam scholis nihil Ecclesiæ, totique Reipub. Christianæ salutarius contingere possit. Cùm enim ait, futuros eos nutritios Ecclesię, annon manifestè docet, tales esse debere? Illorum igitur hoc proprium est officium. Nam in hanc quoque finem à Deo populis præponuntur, illorumq; Patres constituuntur, & vocantur, donati magna potentia & autoritate: nimirum, vt quę ad commune totius Reipub. & Ecclesiæ bonum

ſpectant, ea præſtanda & perficienda curent quàm diligentiſſimè: quemadmodum & Apoſtolus docet, cùm ait, Reges & Principes, pro quibus orari iubet, in ea eminentia eſſe conſtitutos, vt per ipſos quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & honeſtate: non obſcurè ſignificans, boni Principis eſſe curare, vt publica pax, honeſtas, pietas in ſuis terris ſeruetur, ac promoueatur. Quid autem ad hoc publicum bonum promouendum magis conducit, immò quid magis neceſſarium eſt, quàm vt publicæ ſint ſcholæ, in quibus ingenia puerorum, ſua natura rudia, inculta, praua, impia erudiantur, diſciplinis excolantur, virtutibus ornentur, in vera pietate inſtituantur? quò & ipſi honeſtè, commodè, & piè viuere diſcant, & Eccleſiæ porrò atque Reipublicæ tandem vſui & ornamento eſſe poſſint. Vnde enim viri periti, prudentes, & ad Reſpub. gubernandas idonei? è ſcholis. Vnde Medici, qui noſtra curent corpora, qui ægrotis faciant medicinam, qui bene valentes valetudinem curare & conſeruare doceant? è ſcholis. Denique vnde viri religioſi, ſanæ doctrinæ ſtudioſi, veræ pietatis ac religionis profeſſores, doctores, propugnatores? è ſcholis. Quid, quòd ne artes quidem mechanicæ perfectæ eſſe poſſunt in vrbe, ſi ſcholas literarias omnino tollas? Ex lectione enim & antiquorum & recentiorum, qui de his ſcriptum aliquid reliquerunt, illæ perdiſcuntur, perficiuntur. Sine ijs autem primis quatuor generibus hominum, conſiſtere Reſpubl. Eccleſiæque non poſſunt. Quare non immeritò Deus promittens Eccleſiæ Chriſtianę Reges & Principes, qui illius futuri eſſent nutritij, docuit ſi ipſorũ eſt curare, vt populi vitam degãt tranquillam in omni honeſtate & pietate; eorundem etiam eſſe nauare operam, vt ſcholæ, in quibus diſcitur, quomodo tranquillè, honeſtè, commodè pieq; viuere poſſimus, diligenter inſtituantur. Diſcant igitur Principes, quid ſui ſit officij. Neque enim officium Principis eſt, voluptatibus vel illicitis indulgere, vel honeſtis plus, quàm par honeſtumque eſt, operam dare: rurſus etiam non eſt, otiari, otioſosque aulicos alere: neque eſt Eccleſiaſtica bona in adulatores canes, in lupos rapaces, in ignauos aſinos, in immundos & obſcœnos porcos inſumere: Sed quodnam eſt officium? paucis verbis id indicat Dominus, cùm eos vocat nutritores Eccleſiæ. Eſt igitur inſtar bonorum parentum curam ſuſcipere Eccleſiæ Dei, eſt ſanam doctrinam, puramque religionem tueri, eſt de bonis paſtoribus illi proſpicere, eſt doctos piosque viros ſcholis præficere, iuuentutem piè & ſanctè inſtituendam curare, atq; in hos aliosque ſimiles pios vſus bona Eccleſiaſtica diſpenſare. Neque certè aliter facient, ſi Deum timuerint, ſi Eccleſiam amauerint, ſi ſalutem ſuorum populorum non neglexerint, ſi dignitatem denique ſuam re ipſa tueri, & conſeruare voluerint: quando ideo vocantur nutritij Eccleſię, non vt Mundum & quæ Mundi ſunt ament, ſed vt Eccleſiam fouendam, tuendam, conſeruandam, ampliandamque curent: id quod ex ſcholis bene inſtitutis peculiariter pendet. Neque enim (vt de peculiari vſu & neceſſitate ſcholarum Theologicarum, non nihil dicam) hoc de nihilo eſt, quòd Deus inde ab initio naſcẽtis Eccleſiæ tales ſcholas inſtitui, & inſtitutas conſeruari voluit: ſed quatuor grauiſſimæ huiuſce rei cauſſæ mihi fuiſſe videntur. Prima, vt Prophetica & Apoſtolica ſcripta, ne corrumpi, aut penitus perire poſſent, in illis conſeruarentur. Quæ cauſſa eſt, cur his ſcholis ſolitæ ſemper fuerint addi bibliothecę, in quibus præter alios libros, Sacra Biblia Hebraicè, Græcè & Latinè fideliter deſcripta & obſignata cuſtodirẽtur. Altera fuit, vt non ſolùm extarent in bibliothecis talia Biblia, verùm etiam vt in ſcholis perpetui eſſent teſtes, qui continua ſucceſſione teſtificari poſſent, quinam libri eſſent verè Canonici & qui Apocryphi ſeu adulterini. Tertia fuit, vt hæ ſcholæ non ſolùm teſtes eſſent librorum verè Propheticorum & Apoſtolicorum: verùm etiam, quiſnam eſſet natiuus & genuinus talium ſcriptorum ſenſus, queúe doctrina verè Apoſtolica. Videmus hoc apud Tertullianum & Irenæum, cùm de interpretationibus Scripturarum ad Eccleſias & ſcholas illas, quæ ab Apoſtolis plãtatę & apertæ, ſine vlla reprehenſione

ad

ad illa vſque tempora purę perſtiterant atque ſincerè docuerant, aduerſus hæreticos prouocabant. Poſtrema cauſſa fuit, vt ex ijs collegijs, qui ad alios docendos, & ad Eccleſias gubernandas idonei eſſent iudicati, euocari poſſent. Nihil ergo vtilius, nihil honorificentius tum in politia, tum verò maximè in religione, aut à populis exoptari, aut à Principibus, ſuis præſtari poteſt ciuibus: quàm vt in ſuis regnis, principatibus, vrbibus, terris, tales inſtituantur ſcholæ & inſtitutæ conſeruentur. Quid enim magis viris bonis expetendum eſt, quàm vt Reſpub. & Eccleſiæ, & in ijs ſua ipſorum bona, ſui liberi, ſuę vxores, denique ipſimet, & ad animam, & ad corpus, & ad ſuas facultates quod attinet, liberi ſeruentur? Ad hoc autem, vt dictum eſt, quàm maximè vtiles, imò neceſſariæ ſunt ſcholæ, in quibus pij & docti viri iuuentutem ad virtutes informent, veramque doceant pietatem: quando ſine ijs neque politia neque religio conſiſtere poteſt. Viderunt hæc ipſæ quoque profanæ Gentes: ac proinde in hanc etiam rem diligenter incubuerunt. Apud Aegyptios celeberrima fuiſſe collegia ſacerdotum & ſapientum legimus. Babylonij, Perſæ, & Medi ſuas ſemper habuerũt ſcholas: Vnde Magi, id eſt, ſapientes ſingulis temporibus prodire, religionemque ſuorum Deorum conſeruare, & ad poſteros propagare poſſent. Græci & Romani hac in parte alijs gentibus inferiores eſſe noluerunt. Vnde apud illos Stoæ, Academiæ, Lycæa: apud hos collegia Augurum, Pontificum, aliorumque ſapientum. Nouerant enim omnes, ab ipſa natura longaque experientia edocti, nec religionem Deorum ſuorum, ſartam tectam conſeruari, nec Reſpub. benè adminiſtrari, ſine viris doctis atque ſapientibus poſſe: hos autem in ſcholis fieri, & è ſcholis prodire, & deficientibus ſcholis deficere, perſuaſum habuerunt. Hinc itaque factum eſt, vt tam frequentes apud Gentes omnes non omnino barbaras fuerint literarum ludi, muſæa, gymnaſia, academiæ: hinc tanto in honore apud illos ſemper fuerunt homines literati, non ſolùm Philoſophi, gymnoſophiſtæ, magi, augures, mathematici, hiſtorici, poetæ, dialectici, rhetores, ſed etiam qui prima tradunt elementa linguarum, Grammatici. Hanc ob cauſſam perliberales ſemper fuiſſe leguntur in ſuos profeſſores & doctores: quia nimirum nihil his vtilius Reipub. contingere poſſe, intellexerunt, & certiſſima experientia didicerunt. Sed quid opus eſt Gentilium hiſtorijs, cùm in ſacris literis præter Dei conſtitutionem, tam multa tamque illuſtria piorum Principum his de rebus habeamus exempla? Deus populo ſuo conſtituit, in varijs regni ſui oppidis, ſcholas, in quibus iuuentus Iſraëlitica, & præſertim Leuitæ, qui præ omnibus alijs, ſacrarum literarum ſtudijs conſecrati erant, erudirentur, cœleſtique ſapientiæ operam darent: vnde etiam oppida illa, oppida & ciuitates Sacerdotales ac Leuiticæ appellabantur: quia nimirum deſtinata erant Sacerdotibus & Leuitis, vt in eis haberent ſcholas atque collegia, vbi docerent & docerentur: quarum ſcholarum præclariſſima, &, ceu mater omnium aliarum, fuit Hieroſolymitana, in qua docuit etiam Simeon ille ſenex, de quo apud Lucam, tempore Chriſti. Ac tempore Eli ſacerdotis talia fuiſſe collegia, atque inprimis in Silo, ex hiſtoria liquet Samuelis, qui apud Eli à matre fuit puer collocatus, vt inſtitueretur in ſapientia cœleſti, ſeruiretque Iehouæ. Sed poſtea Samuel ipſe cùm regeret Iſraelem, ſummam adhibuit diligẽtiam in collegijs ſtudioſorum curandis ac conſeruandis: atque ipſe præeſſe voluit celeberrimo, quod erat in Rhama, collegio, nomine Naioth: quod habitacula paſtorum ſignificat. Ibi enim habitabant Prophetæ cum ſuo grege, id eſt, cum ſtudioſis, qui filij Prophetarum vocari ſolebant. Ad ſummam totum illud regnum Iſrael refertum erat ſcholis Theologicis, iuxta Dei mandatum, in quibus ſeruaretur verbum Dei: iudicibus primùm, deinde Regibus eas fouentibus. Ieroboamus quidem ille impius apoſtatarum atque ab Eccleſia & à regno Iuda deficientium rex ſicut corruperat religionem, ſic etiam ſimul euerterat ſcholas, nempe in oppidis decem tribuum: quoniam ſciebat, per fidos Prophetas, doctrinæ & religionis puritatem, in illis conſeruari:

Sed postea Elias & Elisæus eius discipulus, cùm non ignorarent, religionem puram sine scholis sartam tectam seruari non posse, illas instaurarunt: cumque impij Reges vectigalia, quæ debebantur sustentandis scholis, transtulissent partim ad suos priuatos vsus, & partim in adulatores ac ventres, multi boni viri, è suis facultatibus ad studiosorum sustentationem contulisse, meritò & non sine caussa creduntur. Illud quoque constat, quò Reges ac Principes fuerunt Dei & puræ Religionis amantiores: illos etiam eò fuisse studiosiores reparandarum scholarum, & in præceptores atque studiosos humaniores, benigniores: quemadmodum post Dauidem & Salomonem, de ipso etiam Iosaphato, Ezechia, Iosia, & aliis pijs regibus, sacræ tradunt literæ. Nouerant enim scholas esse ceu arces, in quibus sana doctrina, puraque religio custodiri possit. Idcircò in ipsa etiam captiuitate, & post captiuitatem, cùm populus per varias gentium terras esset dispersus: curabant tamen primores populi cum Prophetis, vt etiam inter Gentes aliquot haberent Scholas ac Synagogas, in quibus legeretur Moses, populusque in doctrina cœlesti institueretur: atque hoc est, quod Iacobus in Actis 15. dixit, Moses ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicent in synagogis: loquebatur autem Apostolus de ciuitatibus Gentium in Syria, Cilicia & Asia, in quibus adhuc per id tempus habitabant Iudæi non pauci, suasque habebant synagogas: proinde dicit in præsenti, qui ipsum prædicent: id quod illis etiam verbis illustratur, quibus ait Lucas in Actis de Paulo ad Gentes profecto, illisque prædicante, illum solitum fuisse ingredi in ipsas Iudæorum synagogas & docere, cumque illis disputare: tanta fuit semper cura scholarum in populo Dei, vt nunquam permiserint Iudæi, & qui inter illos, primores erant, eas penitus interire: labefactatas verò, semper instaurarint. Confirmant hoc ea, quæ etiam post Christum legimus in Actis, de collegiis Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Cilicum & Asianorum, hoc est, Iudæorum, qui in illis nati erant regionibus, in ipsa vrbe Hierosolymorum collectis. Quid verò Ioannes Baptista? quid Christus ipse Dominus noster? Corrupta iam magna ex parte doctrina cœlesti & cultu per Sacerdotes & Pharisæos, Iohannes prior aperit scholam Euangelicam, renouat doctrinam de pœnitentia, prædicat Euangelium de præsenti Messia, promissiones explicat, discipulos instruit, & mittit ad Christum: Christus porrò colligit discipulos, primum duodecim, deinde septuaginta, atque illos sibi peculiariter instituendos in doctrina cœlesti suscipit. Neq; enim dubium est, quin præter publicam illam, quam omnibus de pœnitentia & fide, deque regno cœlorum prædicabat doctrinam: peculiariter seorsum multa secretiora docuerit, tum Apostolos, tum alios, quos ad prædicandū missurus erat: id quod etiam inde apparet, quia sæpè post sermonem habitum ad plebem in parabolis, accedebant seorsum Apostoli, eumq;, vt sibi parabolas aperiret, rogabāt: nec non & inde idem manifestè liquet, quòd Christus illis non semel dixit, Num & vos sine intellectu estis? hoc est, vos, qui mecum perpetuò estis, quos peculiariter doceo, quæ alij adhuc non possunt percipere, vos, inquam, etiam stulti, ac dementes estis? Fecit autem officium doctoris Christus non solùm ante mortem, verùm etiam post resurrectionem: cùm per dies 40. discipulis suis, quos ad Gentes missurus erat, disseruit de regno Dei. Dubium enim non est, quin tūc magna & admirabilia mysteria illis peculiariter reuelarit: quemadmodum etiam aperuit illis mentem ad intelligendas Scripturas, vt referunt Euangelistæ. Neq; Apostoli hac in parte suum neglexerunt officiū: sed suo potius exemplo Gentiles docuerunt, quid porrò esset faciundū. Vbiq; enim colligebant discipulos, & scholas aperiebant. Timotheum fuisse peculiariter institutū à Paulo, liquet ex altera ad Timoth. Epist. Hoc certè factum non fuit in sola Ecclesia, & in sola ad omnes prædicatione, sed peculiariter ac seorsum in scholis. Confirmatur hoc ex ijs, quæ ad eundem Timoth. scribit, dicendo, quæ audiuisti à me per multos testes, hęc commenda fidelibus hominibus, qui erunt idonei, vt alios

Act. 15. 21.

Matth. 15. 16.

Luc. 24. 45.

2. Tim. 2. 2.

alios quoq; doceant. Non loquebatur ergo hîc de publica in templo Euangelij prędicatione, qua omnes tam idonei ad docendum, quàm non idonei docentur: sed de peculiari in scholis, vbi illi diligentiori solicitudine & studio, qui alios possint porrò docere, instituuntur. In Ecclesiasticis quoq; historijs abundè videre est hãc Apostolorum & eorũ discipulorum curam, cõstituendi nimirum scholas vbiq; locorum, vbi iam Ecclesiæ erant ædificatæ, & illis viros singulari pietate & eruditione præditos præficiendi. Hinc illæ celeberrimæ scholæ, Antiochena, Alexãdrina, Constantinopolitana, & aliæ quàm plurimæ, in Oriente primùm, & deinde in Occidente: quæ etiam amplissimis honorariis, priuilegijs, omniq; beneficiorum genere fuerunt à pijs Imperatoribus & Regibus donatæ, vt in illis pura continuaretur doctrina. Hinc tertium caput huiusce vaticinij abundè confirmari potest: Illud autem est eiusmodi: nimirum, non solùm voluntatem Dei esse, vt scholæ legitimæ, puræ inter Christianos habeantur, nec solùm hoc efficere & curare, officiũ esse magistratus, nec deniq; quidquam ijs vtilius contingere posse Ecclesiæ Christi: Verùm etiam hoc omnino futurũ fuisse & esse in finem vsq; mundi. Deum enim subinde excitaturum tales Principes, qui sint nutritores Ecclesię, prædixit Propheta, Erũt, inquiens, erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Veritas huius promissionis certissima quidẽ est, propter autoritatem promittentis Dei: sed ex perpetua etiam historiarum serie in hæc vsque tempora non minus abundè, quàm luculenter demonstrari posset, si aut institutũ nostrum hoc postularet, aut breuitas temporis pateretur, aut res ipsa esset ignota. Nam, vt de Principibus & Regibus veteris Testamenti, deq; Iohanne Baptista, Christo, & Apostolis, de quibus antè diximus, nihil amplius dicamus, quando de his etiam non loquitur Propheta, sed de Gentibus: quis nesciat, iam inde à temporibus Apostolorũ nunquam inter Gentes defuisse viros magnos atq; fortes, qui cùm alias disciplinas, tum maximè Ecclesiæ doctrinam per sinceros doctores propagandam conseruandamq; summa diligentia curarũt? Ecclesiasticæ historiæ, codices Iuris Ciuilis & Canonici, pleni sunt testimoniorum, quàm diligẽtes fuerint Reges, Imperatores, Principes Christiani in scholis constituendis, quamq; liberales in Professores, studiosorumq; collegia: quantæ deniq; illis fuerit curæ, vt ciues, non solùm pacificè & commodè viuerent, verùm etiam vt in bonis literis, virtutibus, pietate, accuratissimè instituerentur. Collegia ipsa Canonicorum, monasteria Monachorum, amplissimæ, multisq; libris refertissimæ apud ipsos bibliothecæ, hoc idem luculentissimè docent ac prædicant. Quid enim illa cœnobia fuerunt aliud, quàm scholæ, studiosorumq; & Theologorum collegia: qualia & in veteri Testamento fuerant Nazaræorum, Leuitarum & Prophetarum? Etsi verò seculis permultis grauiter peccatum est in re ipsa, dum loco verorum doctorum sophistæ, & loco sincerorum Theologorũ matæologi scholis præfecti fuerunt, bonisq; Ecclesiasticis abusi sunt ad barbariem, ad voluptatem, ad impietatẽ: studium tamen piorum Regum & Principum, quorũ animus erat, vt vera Religio retineretur & propagaretur, non potuit esse, nisi ex Deo: vt interim taceam, subinde aliquos fuisse à Deo excitatos præpotẽtes viros, qui donati vera cœlestis doctrinæ cognitione, inuitis etiam Antichristis, & reluctantibus Principibus imperitis, heroico animo curarunt, vt scholæ instaurarentur, sana doctrina restitueretur, & populi vero verbi Dei pabulo alerentur, nutrirentur, sustentarentur. Vidimus hoc nos, & videmus etiamnum, Dei beneficio, in Germania, in Gallijs, in Anglia, in Scotia, in Polonia, in Vngaria, inque alijs varijs regionibus multos iam annos obtinuisse: ita vt de perpetua huius vaticinij veritate, dubitari minimè possit, Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Annon hoc promissum Dei beneficium (vt alijs omissis ad nos veniamus) & percepimus nos in hoc Palatinatu per multos annos, & percipimus adhuc? Non est hoc certè asscribendum humanæ virtuti, sed promissioni bonitatique diuinæ, quòd tales nacti simus Principes, quales partim habui-

mus,partim habemus:singulare namque hoc Dei donum est. Si enim omnis potestas à Domino Deo est, & per eum Reges regnant: multò magis singulari gratiæ Dei acceptum nos ferre debemus,quòd in hac tanta rerum confusione,& Ecclesiarum turbatione,hunc magnanimum & fortem dederit nobis Principem,Iohannem Casimirum, Comitem Palatinum, Ducem Bauariæ, Dominum nostrum clementissimum: qui in sua nos foueat & tueatur ditione: qui puritatem religionis ab optimo Patre relictam & commendatam, conseruatam omnino velit: qui hanc ob caussam omnibus suis Ecclesijs, de optimis ministris prospici curauit:qui quoscunque potuit præceptores in sui Principatus scholis,retinuit: qui pios ministros & studiosos, religionis caussa hinc inde pulsos,quotidie,vt fieri potest, recipit, sustentatque pro sua virili parte:qui denique scholam hanc,collectis vndique doctis viris,in hac amœna & saluberrima vrbe, magnis sumtibus instituere voluit: vnde, & qui Reipub.in rebus politicis, & qui Ecclesiæ, in rebus ad Religionem pertinentibus, aliquando inseruiant,euocari possint.Quid cupimus,quid volumus amplius? Quid igitur restat?Restat id,quod quarto loco eadem prophetica promissio nobis faciendũ esse docet:nempe,vt primùm Deo opt. max.gratias agamus, pro hoc singulari & incomparabili beneficio,quòd sicut veraciter promisit,sic etiam re ipsa liberaliter præstat:Beneficiorum autem collatio,animi gratitudinem, gratiarumque actionem exigit:Deinde,vt pro incolumitate, & salute Illustriss.Principis nostri, precemur Deum Patrem, per Iesum Christũ,vt eum regat suo Spiritu,in omnibus cogitationibus,desiderijs,consiliis, actionibus, tueatur aduersus omnes hostes, incolumem diu nobis & Ecclesiæ, seruet,illiq; & bene eius cœptis benedicat ac foueat. Opera enim Principum, ad nos totamq; Ecclesiam nutriendam vtitur Deus. Ergo secundum Deum, erga hos quoq; nutritores Principes,grati esse debemus.Eadẽ Prophetica promissio exigit,vt quando in hanc scholam vocati sumus omnes,alij ad docẽdum,alij ad discendum: diligentes simus omnes, tam professores, quàm studiosi, in suo quisque officio. Nam & qui docent, fideliter diligenterq; docere:& qui docentur,attentè audire, studereque debent.De Doctoribus & Præceptoribus,nihil est,quod dicam: quoniam ita perspecta est illorum non solùm eruditio, verùm etiam diligentia in docendo, pietas atque fides: vt facturus sim illis iniuriam, si multis ad officium faciendum adhortari velim. De me tantùm aliquid vt dicã,hoc polliceor,me daturum operam officio meo faciendo: vt neque fidem,neque diligentiam in me vllam desideraturos vos esse confidam. Methodum eam mihi delegi, quæ omnino ad verè docendum necessaria est. Duplex ea cùm sit, σωθετικὴ καὶ ἀναλυτικὴ: mihi quoque sacras literas interpretaturo, Theologiamque professuro, vtraq; vtendum est, sed suo quaq; loco. In explicãdis scripturis ἀνάλυσις opus est: qua demonstrato inprimis autoris scopo atque proposito, ad quod omnia,quæ scribit,referuntur, totum corpus libri seu Epistolæ in suas partes, totaq; doctrinæ summa in certas propositiones,& propositionum cõfirmationes tanquam in sua membra resoluatur: In colligendis verò locis Theologicis è sacris literis iam explicatis,σύνθεσις necessaria est,qua ex contextu,quem interpretamur,varias de eodem dogmate propositiones, earumq;confirmationes,distinctè, certoque, & ad docendum accommodato ordine, in vnum colligere atque componere docemur, alijs etiam,aliundeq; adductis, si opus sit,probationibus. Sumus autem, vt prudentissimè docuit Augustinus faciendum esse,scripturas per scripturas, explicata genuina verborum &locutionum significatione,interpretaturi:ad analogiam regulamque fidei omnia examinando,atq; etiam,quoad eius fieri poterit,à pia vetustate non recedendo.Neque tamen obstringi volumus, (quia neque expedit, neque licet,) interpretationibus Patrum:quemadmodum etiam,illas non facile aut temere reijcere solemus. Regulam ipsimet Patres nobis præscribunt, quantum debeamus ipsorum scriptis tribuere: nempe, si quid consentaneum sit cum sacris literis, illud esse retinendum:

si quid

si quid dissentaneum, illud reiiciendum. Legantur hac de re Canones non pauci in Decreto, distinct. 9. Regulam hanc seruauit ipse Augustinus, & seruandam esse docuit: idcirco (vt ibidem Can. 10. habemus) ita concluſit, Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum: nempe liberos, vt probent probanda, & improbent improbanda. Eatenus autem aliquid in Theologia probari potest, quatenus cum Sacris literis consentaneum est. Absit verò à nobis, & à mente oreque cuiusque Christiani blasphemia illa, qua nonnulli scribunt, Sacras literas ita obscuras & ambiguas esse, vt earum sensus non ex ipsis scripturis, sed ex autoritate Ecclesiæ petendus sit: quasi verò Deus in Sacris literis, quas Diuus Gregorius vocat Epistolam Dei ad omnes missam, aut noluerit, aut non potuerit ita loqui, vt à nobis intelligeretur. Non reiicimus tamen, vt diximus, Patrum, aliorumque piorum doctorum interpretationes: sed seruata ea regula, quam modò ex Augustino adduximus. Solis enim Scripturis simpliciter credendum est. Atque hæc de mea docendi ratione. Neque porrò causſæ sunt nullę, cur, cùm mihi iniunctum sit officium, nouum Testamentum interpretandi, Epistolam ad Ephesios in ipsis scholæ incunabulis, vobis explicandam susceperim: quarum obseruatio non parum & ad rem nostram facere, & ad Epistolæ ipsius tum summam percipiendam, tum dignitatem maiestatemque contemplandam pertinere videtur. Sunt enim omnes ex Epistola ipsa, cum nostris collata temporibus, desumtæ. Ac prima quidem à scopo Apostoli in tota hac Epistola sumitur: Is autem fuit, vt Ephesinam Ecclesiam, & singula eius membra ad perseuerantiam constantiamque in fide Christi, & in obseruantia mandatorum eius, & verò etiam ad incrementum in vtraque pietatis parte faciendum, adhortaretur atque animaret: nec sinerent se à doctrina Apostolica semel recepta, ab vllo mortalium propter suas persecutiones & vincula, aut propter multitudinem doctorum aliter docentium, & autoritatem abduci. Quid autem hac adhortatione temporibus nostris congruentius magisque necessarium esse potest? Videmus enim quanta sit falsorũ doctorũ multitudo, atq; autoritas: & contrà, quàm graues vbique sint piorum doctorum & pastorum, eorumq; discipulorum persecutiones ac cruces. Fuerit igitur operæpretium in hac Epistola obseruare rationes & argumẽta, quibus ad perseuerantiam in fide, & in vera obedientia excitari possimus. Pertinet enim ad nos hæc Epistola non minùs, quàm olim ad Ephesios. Altera causſa à materia, quæ in hac continetur Epistola, petita est. Est hæc Epistola ceu Epitome totius Doctrinæ Christianæ & omnium fermè præcipuorum locorum, qui in Theologia tractari solent, breue compendium. Confirmaturus enim Apostolus Ephesios, quos ipse instituerat, in vera doctrina Euangelij hortaturusq; ad constantiam in ea fide, quam à se didicerant, summam totius doctrinæ reuocat illis in memoriam: initio facto à Deo Patre à quo tanquam à fonte omnia in nos profluunt beneficia, omnesq; spirituales benedictiones, per Christum, & propter eum: quorũ beneficiorũ primum, reliquorumq; omnium fundamentũ est ipsa æterna & gratuita nostri electio ac prædestinatio facta in Christo, tanquam omnium nostrũm capite. Ab hoc primo transit ad alterum, nempe ad redemtionem, quatenus in persona Filij perfecta fuit: tum ad redemtionis ipsius dispensationem, quomodo nimirum illa nobis communicetur, eiusque fiamus re ipsa participes, per Euangelij scilicet prædicationem, si fide illud amplectamur, firmumq; in finem vsq; retineamus: & quidem electos omnes constanter illud retinere, quòd obsignati sint Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo certæ hæreditatis nostræ cœlestis, in nobis permanens vsque in diem perfectæ & consummatæ redemtionis, quæ futura est in fine mundi. Interim tamen docet, operam esse dãdam, idq; & precibus & exercitiis fidei ac charitatis, studioq; bonorum operum: vt crescamus in vera pietate, in cognitione Dei ac Christi, quem Pater toti Ecclesiæ caput dedit atque constituit. Nos quidem omnes natos esse in peccatis, & filios iræ,

seruatos tamen per gratiam Dei, fideq; donatos, & nouas creaturas effectos in Christo, vt in bonis operibus, ad quæ creati sumus, ambulemus: Ideo verò legem mandatorum, in multis decretis positam, abrogatã esse, vt vterque populus, Iudæus & Gentilis, diruta illa macerie in vnum coirent, fierentque vnus nouus homo per eundem Spiritum sanctum, sub vno capite Christo, à quo vitam & incremẽtum accipiamus: qui etiam in hunc finem, postquam ascendit in cœlum, supra omnes angelos exaltatus, misso Spiritu sancto, publicum Ecclesiæ ministerium stabiliuit, ad instaurationem nimirum Sanctorum, & exædificationem corporis sui, quod est Ecclesia, & vt crescamus in eum per omnia, qui est caput, nempe Christum: nec ambulemus amplius sicut reliquæ gentes, in peccatis, & in vanitate sensus nostri, sed exuentes indies magis ac magis veterem hominem, induamus nouum, & in sua quisque vocatione digne ambulet. Ad summam habemus in hac Epistola locos fermè omnes, vt antea diximus, Theologiæ præcipuos: de Deo vno, in tribus personis subsistente, Patre, Filio, & Spiritu sancto: de Dei omnipotentia, sapientia, bonitate, misericordia, gratia: item de æterna & gratuita prædestinatione: de creatione mundi: de angelis, diuersisque illorum gradibus, supra quos omnes exaltatus est Christus: cap. 1. Ad hæc locum de peccato originali & actuali, deque eius caussis & effectis: de promissionibus salutis futuræ in Christo, deque fœdere inito cum Patribus: de Lege, deque eius abrogatione, cap. 2. De aduentu Christi in carne in plenitudine temporum, deque duabus eius naturis, vera Deitate & vera humanitate in vna persona coniunctis, de vera eius morte, resurrectione, veraque ac reali in cœlum ascensione, cap. 1. 2. 4. Item de redemtione & reconciliatione in persona Christi peracta, cap. 1. 2. & alibi. De huius redẽtionis salutisq; æternæ communicatione: eam enim offerri per Euangelium, recipi per fidem, obsignari per Sp. Sanctum, cap. 1. 2. 3. & alibi. Recipi, inquam, per fidem viuam, quæ absque studio bonorum operum esse non potest: De fide igitur vera, deque bonis operibus speciatim agit, cap. 2. Item de Euangelij prędicatione, cui fides innititur, cap. 1. 2. 3. eoq; & de ministerio Verbi, deque ministris ad hoc delectis & vocatis, cap. 1. 2. 3. 4. De Sacramẽtis item, quibus non solùm promissiones Euangelij obsignantur, sed etiam res per ipsa significatæ exhibentur credentibus: mundari enim ait Ecclesiam lauacro aquæ in verbo, cap. 5. De Ecclesia igitur, quæ constat ex electis tam Gentibus, quàm Iudæis, & quæ sola re ipsa particeps fit redemtionis, salutisque æternæ, agit cap. 1. 2. & 5. De vera vnione Ecclesiæ, & singulorũ fidelium cum Christo, cap. 2. & 5. De perpetuo pietatis incremento, perseuerantiaque Sanctorum in Christo, cap. 1. 2. 4. De vnitate Ecclesiæ per concordiam inter nos seruanda, de vita Christiana, deque variis virtutibus persequendis, & vitiis fugiendis, cap. 4. 5. 6. De summa pietatis Christianæ, quæ à nobis requiritur, eam in fide in Christum & charitate in sanctos consistere, cap. 1. Denique de resurrectione à mortuis, de iudicio vniuersali, in quo quisque recipiet à Domino, quidquid fecerit boni vel mali, cap. 6. De ascensione item piorum in cœlum, deque vita æterna, ad quam omnes, qui in Christum credimus, sumus electi & vocati, vbi in perpetuum laudaturi sumus Dominum: omnia enim reliqua, & præcedentia beneficia in hunc finem spectare, vt simus in laudem gloriæ gratiæ ipsius, laudem, inquam, perpetuam, cap. 1. & 2. Cùm igitur Apostolus summam totius doctrinæ Christianæ hac breui Epistola complexus sit, Ego verò in hanc scholam, vnà cum aliis præclaris viris, vocatus sim, vt pro his donis, quæ Deus pro sua benignitate in me contulit, sacras literas interpretãdo, Theologiam non minus breuiter, quàm perspicuè doceam: iudicaui me facturum operæ pretium nostris auditoribus, si hanc verè diuinam Epistolam initio prælectionum nostrarum interpretandam susciperem, locosque Theologicos, qui in singulis capitibus sese offerunt, breuiter explicarem. Hæc est altera instituti mei causa. Accedit tertia, nimirum, quòd si qua alia Pauli Epistola, hęc certè ad Ephesios,

firmissima

firmiſſima & non pauca continet argumenta aduerſus peſtilentiſſimas hoc tempore ex inferis reuocatas hæreſes: aduerſus nouos Arianos, Neſtorianos, Eutychianos, Marcionitas, Pelagianos, quemadmodum ſuis, Deo fauente, videbimus locis. Quid enim clarius aduerſus Pelagianos, hoſtes gratiæ Dei, cap. 1. & 2. vbi de gratuita Electione abundè diſſerit, deque gratuita redemtione, & ad Chriſtum vocatione ac iuſtificatione? vbi etiam totam noſtram ſalutem, & quidquid ad illam pertinet, ſiue fides, ſiue opera, non ex nobis, ſed ex mera Dei gratia eſſe demonſtrat? Quid efficacius aduerſus Neſtorianos illo, quod ſcribit cap. 4, eundem planè eſſe, ſeu eandem perſonam Filij Dei, quæ aſcendit in cœlum, quæ etiam prius deſcenderat de cœlo. Quíduetiam magis refellit ſomnium de cœlo vbiquitario, quàm antitheſis, quæ ibidem habetur inter inferiores partes terræ, & inter ſupremũ cœlum, in quod aſcendit Chriſtus? Nihil quoque clarius explicat, quid ſit ſedere Chriſtum ad dextram Patris, quàm locus ille qui habetur cap. 1. vbi docet, Chriſtum non antè ſediſſe ad dextram Patris, quàm reſuſcitatus à mortuis aſcendit in cœlum: & quidem ſedere eum non vbique, aut in terra, ſed in ſupercœleſtibus locis: atque hoc nihil aliud eſſe, quàm eum factum eſſe Dominum & Regem vniuerſorum, conſtitutum ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem: id eſt, non ſolùm ſupra omnes homines, ſed etiam ſupra omnes Angelorum ordines, quatenus ſcilicet mediator eſt: non ergo humanam in Chriſto naturam exæquatam eſſe naturæ diuinæ, qua Filius ſemper fuit æqualis Patri, ſed tantùm ſupra omnia creata, ſupraque omnes angelos, exaltatam in perſona mediatoris. Non abs re ergo hanc hoc tempore Epiſtolam enarrandam explicandamque ſuſcepimus. Addam & hoc, Epiſtolam hanc plenam eſſe conſolationum aduerſus omnia tentationum genera. Iis enim opus habebant fideles in Eccleſia Epheſina, præſertim cùm ſcirent, ſuum Apoſtolum Romæ eſſe captiuum: quæ etiam cauſſa eſt, cur ad eos miſerit Tychicum. Non minus certè nos egemus conſolationibus, qui propter Chriſtum, veritatemque doctrinæ, varijs premimur calamitatibus, diuerſis expoſiti ſumus periculis, domi denique & foris affligimur. Fuerit igitur omnibus, Epiſtolæ huius lectio & explicatio, vt confido, vtiliſſima: quod vt faxit Dominus, eum ex toto corde precor atq; obſecro. Etſi verò neq; de voluntate ac deſiderio ſtudioſorum noſtrorum dubitare me ſinũt, tum pietas in Deum, quam hactenus conſtãter profeſſi ſunt, tum amor virtutis bonarumq; literarum, quem non paruo progreſſu in illis facto, luculentiſſimè nobis omnibus teſtatum fecerunt: rem tamen haud ingratam me illis facturum arbitror, ſi paucis eos rogem, vt quando tale ac tantùm à Deo acceperunt beneficium, nempe, vt ſua hîc continuare ſtudia, atque in primis veræ pietati, ſinceroque ſacrarum literarum ſtudio operam dare poſſint, ne ſint in Deum ingrati, néue hoc præſenti abutantur beneficio. Agite ergo adoleſcentes cariſſimi, ſi Deum timetis, ſi veſtram ſalutem curatis, ſi parentes colitis, ſi patriam amatis, ſi denique Principem ſcholæ autorem, omnium patronum, mœcenatem veſtrum obſeruatis: incumbite, vt facitis, in ſtudia ingenuarum artium, atque in primis in ſtudium pietatis, Chriſtianæque ſapientiæ, cuius potiſſimùm cauſſa, aperta nobis eſt hæc ſchola. Nihil hac re gratius Deo, nihil vtilius Eccleſiæ, nihil vobis ſalutarius, nihil denique amicis & patriæ iucundius præſtare poteſtis. Profani homines, Aegyptij, Chaldæi, Græci, Romani, aliique populi, tanti ſemper fecerunt humanæ ſapientiæ virtutẽ, vt huius comparãdæ cauſſa, nihil non egerint, nihil non ſint perpeſſi laborum, vigiliarum, peregrinationum, ſumtuum: vt alij è Græcia in Aegyptum, alij ex Italia & Africa, in Græciam, & aliunde alij in alias regiones, huius duntaxat rei cauſſa, migraſſe legantur. Viderunt enim, primùm quidem, id per ſe honeſtum eſſe, & libero homine dignũ: Deinde ea re, reliquas virtutes, prudentiam, animi fortitudinem, iuſtitiam, probitatem comparari poſſe: in ea denique veras ſitas eſſe diuitias, quas magni ſemper fecerunt omnes gentes; atque vt vno verbo dicam,

illa

illa ſapientia iudicarunt hominem verè liberum, felicem, beatumque fieri poſſe. Neq; prorſus malè iudicarunt, nempe, ſi humanas tantùm virtutes, vel potius ſimulacra (vt Auguſtinus vocat) virtutum, humanamque & huius vitæ felicitatem, vel potius vmbram quandam felicitatis ſpectemus. Videmus enim, quot quantæque virtutes, quot quantaque bona conſecuta ſint illos, qui humaniorum literarum, humanæque Philoſophiæ ſtudia ex animo & ſeriò amplexi, diligenterque ſunt perſecuti, tum inter Græcos, tum inter Latinos inſignes: Socrates, Plato, Pythagoras, Ariſtoteles, Stoici, & horum ſimiles inter Græcos: Iulij, Marij, Catones, Cicerones, & alij inter Latinos, vt de alijs taceam populis ac Gentibus. Sed quid illa ad ea, quæ confert ſui ſtudioſis diuina ſapientia in ſacris literis comprehenſa? Primò enim ipſa vera ſapientia, quæ in vera Dei rerumq; diuinarum cognitione poſita eſt, è ſacrarum literarum ſtudio & intelligentia comparatur: ſacras literas (ait Paulus) noſti, quę te poſſunt reddere ſapientem ad ſalutem, id eſt, in omnibus ad ſalutem neceſſarijs. Hæc verò ſapientia, hominem reddit verè liberum, Si manſeritis in ſermone meo, veritas liberabit vos, inquit Chriſtus: efficit verè diuites, Ditati eſtis in Chriſto omni ſermone & cognitione: verè fortem, Scripſi vobis adoleſcentes, quia fortes eſtis, & verbum Dei habitat in vobis: verè iuſtum, Omnis ſcriptura vtilis eſt ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſtitia: verè temperantem, quia verbū Dei crucifigit veterem hominem: & nouas efficit creaturas, Renati (inquit) eſtis ex ſemine immortali per ſermonem Dei. Denique verè nos beatos reddit, Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud, dicebat Chriſtus: Et Dauid, O beatum virum, cuius voluntas in lege Domini, & qui in lege eius meditatur die ac nocte. Non ſine cauſſa ergo Apoſtolus tanto ſtudio & diligētia hortatus eſt Timotheum, virū alioqui in ſacris literis exercitatiſſimum, vt attenderet lectioni ſacrarum literarum. Quid ita? quia inde pendet omnis vera ſapientia, vera prudentia, vera iuſtitia, vera fortitudo, vera temperantia, omnis vera virtus, veræ diuitiæ, vera felicitas atque beatitas. Omnis ſcriptura eſt diuinitus inſpirata, & vtilis ad docendum, quid? omnem veritatem: ad redarguendū, quid? quoſuis errores: ad corrigēdum, quid? quoſuis malos mores & vitia: ad inſtituendum, qua in re? in omni iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus. Quid vis amplius? Adde & illud Apoſtoli ad Rom. Omnia, quæ ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationē ſcripturarum, ſpem habeamus. Admirabilis enim eſt, omnemq; ſuperans ſenſum, conſolatio, quam ſacræ literæ ſuis ſtudioſis adferunt. An non ergo in illius rei ſtudium incumbemus, quæ nos veris afficit conſolationibus, in omni tentationum & afflictionum genere? Hanc conſolationem præbet ſacra ſcriptura: quæ aduerſus omnes hoſtes nos fortiſſimos reddit? Sacra ſcriptura vera nos donat fortitudine: quæ nos prudentes, ſapientes, bonos, diuites, felices, beatosque efficit? E ſacra ſcriptura hæc omnia hauriuntur quàm copioſiſſimè. Iactant quidem Philoſophi multas & magnas virtutes, multaque rectè definiunt: ſed quantum abſunt à ſcopo, qui Deum verè non cognouerunt, nec Spiritum eius perceperūt? Definiunt virtutem, eſſe habitum bonum, qui bonum efficiat eum, in quo talis ineſt habitus: nihil autem eſſe bonum, niſi quod honeſtum eſt & rectum: ac proinde illos prædicarunt bonos, qui pluris conſtanter fecerunt honeſtum & rectum, quàm omnes pecunias, quàm opes, quàm imperia, quàm voluptates, quàm vitam ipſam: quales fuēre apud Romanos Romuli, Pompilij, Bruti, Horatij, Decij, Fabricij, Marij, Scipiones, & alij. Verùm, quid obſecro proprie honeſtum & rectum dici poteſt: niſi quod Deo placet, & diuinæ voluntati eſt conſentaneum? Hæc verò Dei voluntas vbinam verè declaratur? In ſolis ſacris literis: Hoc eſt opus Dei (ait Chriſtus) vt credatis in eum, quem miſit ille: Item: Hæc eſt voluntas Patris mei, vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: Quis vnquam Philoſophorum hoc nouit. Adde, quòd non ſolùm in ijs ſacris literis perfectè

2. Tim. 3. 14.
Ioh. 8. 32.
1. Cor. 1. 5.
1. Iohan. 2. 14.
2. Tim. 3. 16.
1. Petr. 1. 23.
Luc. 11. 28.
Pſal. 1. 1.
2. Tim. 3.
Rom. 15. 4.

ctè reuelatur Dei voluntas, verùm etiam Euangelio tantùm credentibus donatur Spiritus sanctus, quo quæ Deo placent, & ea re, quæ verè honesta & vera sunt, tum velle possint, tum perficere. Multa quoq; speciatim de iustitia, tam vniuersali, quàm particulari scripta reliquerunt: sed nulla est vera coram Deo iustitia, nisi quæ per fidem in Christum habetur: hanc verò vbi inuenies, nisi in sacris literis? De animi fortitudine gloriati sunt permulti, & Philosophi, & nobiles Romani: & tantam vim huius virtutis esse dixerunt, vt qui ea munitus sit, huius licet crucietur corpus, ipse tamen animus nunquam possit cruciari: Rectè sanè. Sed quem mihi dabis ex eorum omnium numero, qui Christum ex Euangelio non nouerunt, qui verè hac donatus virtute fuisse dici possit? Accipe verò Apostolos & Prophetas, aliosque Christi martyres, tam mulieres, quàm viros, tam puellas, quàm pueros, quanta in illis animi fortitudo, quanta constantia? quos non pro gloria mundi, sed propter nomen Iesu Christi ita constantes & fortes fuisse legimus: vt nullæ eos presserint miseriæ, nullæ terruerint minæ, nulli exanimarint metus, nulla tormenta, nullæque fregerint mortes. Sola enim fides in Christum, ea est virtus, qua non solùm mundum, sed etiam nos ipsos vincimus. Hæc est victoria, quæ vincit mundum (inquit Ioannes) Fides nostra. *1. Ioh. 5. 4* Hac enim, quæ certè non ex libris Philosophorum, sed ex auditu verbi donatur, nouerunt filij Dei, innatas sibi refrenare cupiditates, spernere voluptates, tenere iracundiam, coërcere auaritias, & ceteros compescere morbos, mortem contemnere ac superare, inque afflictionibus ipsis gloriari. Legitote catalogum virorum verè fortissimorum atque heroicorum, apud Apostolum ad Hebræos, qui sola fide ex auditu verbi diuini excitata muniti, tam multa, tam magna, tamque præclara præstiterunt veræ virtutis ac fortitudinis opera: vt vix credi ab hominibus possint. *Hebr. 11.* Rectè etiam dictum est à Philosophis, illum verè diuitem esse, cui nihil deest: illi autem nihil deesse, qui sorte sua contentus est: eum autem contentum esse, qui nihil præterea cupit, aut quærit: Sicut contrà, illum verè pauperem esse definierunt, qui semper eget, eum verò semper egere, qui semper cupit, qui semper optat, qui semper quærit, & nunquam sua est sorte contentus. Cui enim quæsito semper opus est, hunc perpetuò etiam egenum esse. Sed vnde hæc αὐτάρκεια comparatur? E sacris certè literis: vnde & vera est pietas, si vera à nobis fide legantur, audiantur, in animum reponantur. Διέβεσαν enim μετ' αὐταρκείας coniunxit Apostolus: pietatis autem fundamẽtum est Fides: Fides verò ex auditu est: auditus autem per verbum Dei. Veræ ergo diuitiæ, sacrarum literarum comparantur auditu atque lectione: & is verè diues est, cui suppetit copia cognitionis, intelligentiæ, & sapientiæ diuinæ: qua fit, vt pij sua sint semper sorte contenti. Cui verò tam deest, quod habet, quàm quod non habet: cuius cupiditatibus saturandis nullæ vnquam sufficiunt facultates: qui propter auiditatem pecuniæ, nullũ quæstum iudicat turpem: qui accumulandis diuitijs, quò iure, quáue iniuria semper inhiat, fraudando, decipiendo, mentiendo, poscendo, pacisscendo, auferendo, eripiendo, spoliando, expilando: hunc quis audeat verè diuitem appellare, omnium miserrimus & pauperrimus cùm sit? veros thesauros adfert Dei & Christi cognitio: hanc verò sacræ literæ. Addam ad extremum etiam hoc, quòd sapientes huius mundi, de vera libertate, qua nihil felicius esse iudicatur, scriptum reliquerunt: eam demum veram esse libertatem, si quis viuat, vt vult: nihil autem velit, nisi quod rectè iudicat: ac proinde eum verè liberum esse, qui non ex iussu & imperio affectúue carnis, sed ex recto mẽtis iudicio, voluntateq; libera, honesti ac recti amãte, cupiditatibus autẽ malisq; affectionibus imperãte, viuit. Pulcrè sanè, & rectè, hęc etiam omnia. Quę est enim eorum vel Imperatorum, vel Regum ac Principum libertas: qui etsi rerum omnium huius mundi potiantur, innumerabilibusque populis dominentur, suis tamen cupiditatibus imperare non possunt? Liberum certè omnes sapientes eum esse negarunt, iniquissimum verò potiùs seruum esse pronunciarunt, cui

1. Tim. 6. 6. *Rom. 10. 17.* *Ephes. 3. 8.*

cui vxor imperat, cui leges imponit, præscribit, iubet, vetat, quod videtur: qui nihil, imperanti negare potest, cui, si vocat, veniendum: si eiicit, abeundum: si poscit, dandum: si minatur, extimescendum est. Si hoc verum est: quo nomine ergo illos appellandos putamus, qui omnibus carnis cupiditatibus parere coguntur? quibus peccatum ita dominatur, vt non obedire concupiscentijs eius non possint? quibus denique nihil aut cogitare, aut velle, aut facere liberum est, nisi quod poscit, quod iubet, quod imperat caro, dura, vehemens, & imperiosa Domina? Sic senserunt de vera libertate, veraque seruitute, ipsi etiam huius seculi sapientes: Et procul dubio rectè. Con-
Ioh.8.34. sentanea enim scripserunt cum sacris literis nostris, in quibus Christus ait, illum esse seruum peccati, qui facit peccatum: & eum demum verè liberum esse, quem Filius hominis liberet, nempe à seruitute peccati & Satanæ. Ceterùm quem mihi dabis ex omnibus mundi sapientibus, recta Dei cognitione, & spiritu Christi destitutis, qui verè liber fuerit, & non potius mancipium peccati & Satanæ? De omnibus gentibus
Eph.2.2. à Christo alienis loquitur Apostolus, cùm ait, principem potestatis huius aëris, id est, Diabolum, agere in filiis contumacibus: inter quos & nos (inquit) olim conuersati sumus, in cupiditatibus carnis nostræ: facientes, quę cogitationibus & carni libebãt. Vnde igitur vera libertas? à Christo: quosnam liberat? credentes Euangelio: quo-
2. Corint. 3.17. modo liberat? donando eos suo spiritu. Nam vbi spiritus Domini, ibi libertas: spiri-
Galat. 2. tus autem datur ex auditu Fidei, hoc est, ex fide per auditum Euangelij in nobis excitata. Ergo veram etiam libertatem consequuntur homines è scripturis sacris, per Dominum nostrum Iesum Christum. Quæ cùm ita se habeant, quisque potest videre, quanta cura, studio, diligentia incumbendum sit sacris literis: quibus tot tantosque nobis consequi thesauros valemus, veram sapientiam, veram virtutem, veram iustitiam, veram fortitudinem, veram libertatem, veras diuitias, veram denique felicitatem. Hęc certè voluntas est Dei: cui qui morem gerit, beatum eum pronunciat: qui secus facit, maledictum. Ergo carissimi adolescentes, si vobis consultum vultis, ita debetis studia bonarum literarum, artium & disciplinarum omnium persequi: vt primas semper detis lectioni & auditioni sacrarum literarum: in quibus quò quis magis proficit, eò cumulatiores sibi thesauros, citra omnem dubitationem, compa-
Iohan.17. 3.& 21. rat. Sic enim habendum & statuendum est, felicitatem nostram omnem, in vera cum Christo, adeoq; cum eius carne, sanguine, anima, & per hunc mediatorem cum Deo
Rom.8.9. 10. vnitione consistere: hanc autem per Spiritum sanctum, quo se ille nobis, & nos sibi
1. Iohan. 4.13. incorporat, perque fidem, qua vicissim nos illum amplexi retinemus in cordibus nostris, fieri & constabiliri: Spiritum verò sanctum simul, & fidem, ad auditum Euan-
Eph.3.17. Rom.10. 17. gelij rectè intellecti, nobis communicari: eoq; beatissimos illos esse, non qui in summis degunt voluptatibus atque delitiis, non qui prædiuites sunt & præpotentes, non qui longè lateque dominantur rerumque omnium potiuntur, non qui ab aliis mor-
Galat. 3. 2. talibus, tanquam Dij adorantur, non denique qui multa rerum humanarum scientia, huiusque seculi summa sapientia præditi sunt: sed illos demum qui
Luc. 11. 28. (vt Christus pronuntiauit) audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

DIXI.

ORATIO
IN PROMOTIONE TRIVM DOCTORVM THEOLOGIÆ, HABITA
XVIII. DECEMBRIS M. D. LXXVI.

De dignitate studij Theologici.

QVIBVS duabus in rebus tota posita est, plenaque hominis beatitudo: has ambas, viro diuinæ sapientiæ, quam Theologiam vocamus, studioso, pro certo pollicetur atque confirmat ille qui mentiri non potest, Spiritus sanctus: Μακάριον nimirum μετ' αὐταρκείας, in hoc seculo: & perfectam æternæ cœlestisque vitæ possessionem, in altero: ô beatum inquiens, virum, qui in lege Domini meditatur die ac nocte: nostis reliqua in primo Psalmo. Prior illa beatitatis pars in hoc consistit: quòd huiusce cœlestis doctrinæ studiosi, in hac præsertim vita, donantur vera Dei, diuinarumq; rerum cognitione: atque hac donati, per fidem in Christum iustificantur, perq; eius Spiritum, in alios homines regenerantur: Renati verò pacatam bonamque semper retinent conscientiam: atq; ex hac, sanctè & piè, in finem vsque vitæ viuentes, fructus proferunt bonos, suis quisque temporibus: sua, nunquam non, sorte contenti. Altera pars est, quòd ex hac vita migrantes, superatis iam hostibus omnibus, in beatorum spirituum, Christiq; suauissimum iucundissimumq; consortium, cum triumpho recipiuntur: æternumq; cum ipso viuunt quàm felicissimè. Hæc summa est veræ, qua donari potest homo, felicitatis.

An verò hisce duabus rebus aliquid ad veram perfectamque hominis beatitatem addi potest? Plenam itaque perfectamque felicitatem illis, qui sese studio cœlestis sapientiæ dedunt atque consecrant: promittit Deus per Prophetam in Psalmo, paulò antè indicato.

Primùm enim beatum illum esse, foreque beatiorem simpliciter pronunciat, qui reiectis impiorum consiliis atq; doctrinis: qui damnatis sceleratorũ facinorosorumque hominum institutis ac moribus: Qui denique in sempiternum valere iussis omnibus Epicuræis, cuiuiuis religionis irrisoribus: ad sincerum sanctæ Legis, hoc est, sacrarum literarum studium, totum adiicit animum: inque eo sese totum, omni exercet tempore, diesque noctesque. Hoc est primum.

Deinde verò, quod generatim de huiusce hominis diuinę Legis studiosi beatitate dixerat: illud per partes explicat, quarũ prior est, qp talis studiosus, hausta è fontibus diuinorum Bibliorũ, vera Dei cognitione: noua fit in hoc seculo creatura, factus ceu ex oleastro oliua optima, arbor nimirum semper virens, & ad riuum aquarum perpetuò continenterq; fluentium, plãtata: quæ fructus suauissimos suo profert tempore: quæ sua perenni viriditate mirificè semper oblectat ac recreat: cui deniq; omnia succedunt prosperè. Hæc prior est studiosi diuinæ sapientiæ, pars beatitatis: cui mox alteram, eamq; ordine posteriorem subiicit Propheta: nimirum, quòd post confectum sobriè, iustè, pieq; viuendi curriculum: resurget tandem cum piis omnibus, stabitq; in iudicio, & æternam beatissimamq; deget cum Christo Angelisq; omnibus vitam. Quando contrà impij omnes, qui in hoc Mundo, vt leues stipulæ, omnibus concupiscentiæ ventis agitati vixerũt: in vniuersali iudicio cadent caussã, sempiternisq; adiudicabũtur pœnis. Deum enim piorũ & verę Theologię studiosorũ hominũ instituta, vitã moresq; probare: sicut contrà odit impiorũ suæq; doctrinæ contemtorũ vias.

Hęc cùm ita se habeant, quæ pluribus etiam possent, si opus esset, confirmari & illustrari testimoniis: sequitur eos non solùm à pietate, verùm etiam à prudentia maximè omnium laudabiles esse, qui in huiusce Christianæ sapientiæ studium, seriò & constanter incumbunt. Consulunt enim sibi quàm optimè.

Quòd si id etiam efficiant non tam suæ salutis causſa, quàm vt pro sua virili parte, Eccleſiæ inſeruiant, regnumque Chriſti promoueant: non laudibus tantùm, verùm etiam ſummo amore atque honore digniſſimos eſſe, dubium non eſt. Quis enim eum non laudet, qui ſeſe ſtudio addicit illius ſcientiæ, quæ omnium nobiliſſima atque vtiliſſima, ſicut reuera eſt, ſic omnium etiam ſapientum iudicio eſſe cenſetur, conſtantique voce prędicatur? Quis eum ſingulari & amore & reuerentia dignum in Eccleſia non iudicet: qui ex vera in Deum, & in patriam pietate, ſtudia ſua in ſalutem proximi, publicamque Eccleſiæ vtilitatem, inſtituit atque ſuſcipit? Quid autem laudabilius, quídue ſaluti Eccleſiæ conducibilius, ſtudio Chriſtianæ ſapientiæ. Apoſtolus certè hortans Timotheum, vt in ſtudio & exercitio Theologiæ perſiſtat: id (inquit) ſi feceris, te ipſum ſeruabis, & eos qui te audierint. Si porrò vel artium, vel ſcientiarum dignitas atque nobilitas, à pręſtantia dignitateque primorum illarum autorum æſtimanda eſt: quid dignius diuina hac Philoſophia? Huius enim autor non homo eſt aut Angelus: ſed ſolus Deus optimus Maximus: qui olim locutus Patribus in Prophetis, nouiſſimè locutus eſt nobis in Filio. Si item ab antiquitate quidpiam laudabile eſt: quid laudabilius Theologia', qua nihil eſt antiquius? Sapientia enim eſt Dei, ab omni æternitate in eius reſidens pectore: reuelata verò atq; manifeſtata iam inde ab initio Mundi, primis hominibus: per quos fideliter ad totam poſteritatem tranſmiſſa eſt. Libri quoq; de ea conſcripti, antiquiſſimi omniũ ſunt ac vetuſtiſſimi. Quis enim inter ſcriptores, vetuſtior Moſe atque Iobo? Si verò à ſubiecto (vt loquuntur Scholæ) hoc eſt, à rebus, quæ in quauis arte tractantur, laudẽ ſumunt & dignitatem ſcientiæ: quid cœleſti doctrina præſtantius, quid nobilius, quídue dignius? Neque enim hîc de rebus aut vanis, aut inutilibus, aut parum Chriſtiano homine dignis, agitur: ſed de ſumma rerum: de Deo Deique Regno, deque æterna hominum ſalute atq; vita. Hîc, quæ ſint vera rerum omnium principia, non minùs perſpicuè, quàm verè certoq; docetur. Hîc, quis & qualis ſit verus Deus, quænam eius tam de nobis, quàm erga nos voluntas: quídue à nobis fieri velit, diſertè explicatur. Hîc, omnium bonarum legum fons omnibus aperitur: quæ vitanda, quæ úe perſequenda ſint, luculentiſſimè declaratur. Hîc veriſſimæ hiſtoriæ de rebus iam inde à condito orbe, propter commodum ſalutemque generis humani geſtis, fideliſſimè narrantur: omniumque aliarum hiſtoriarum firmiſſima iaciuntur fundamẽta. Hîc vera Rhetorica, efficaxq; perſuadẽdi ratio traditur: quæ nimirum non in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, floſculis, ornamẽtis, coloribꝰ, luminibus: ſed in virtute diuini Spiritus, diuiniq; verbi efficacitate conſiſtit. Hîc legitima, medicinam non quidẽ corporibus, ſed animis faciẽdi: imò & corpora noſtra, æterna feliciſſimaq; valetudine donandi, via methodusq; compendioſiſſimè docetur. Hîc deniq;, qua ratione tum quiſq; ſeipſum ſuamq; familiam regere: tum politiæ, Reſpublicæ, Regna, totuſq; adeo Mundus adminiſtrari temperariq; ab hominibus poſſit, facilimè diſcitur. Quid vis amplius? Atq; hæc omnia, vna præſtat Theologia noſtra: quæ nil aliud eſt, quàm doctrina de Deo Deiq; natura, ac volũtate operibuſq;, ad ſalutẽ hominum, in S. literis reuelata. Si ergo ab iis, de quibus in quauis ſcientia atque arte agitur, ipſarũ ſcientiarum artiumque dignitas & excellentia pendet: quis non videat, nullius artis, nulliúſue ſcientiæ ſtudium, cum ſtudio Theologię, vlla ratione comparari poſſe? Adde iam & hoc, quòd quæ in noſtra Theologia ex veris ipſius fundamentis traduntur: tam certa ſunt, vt nihil certius eſſe queat. Magna ſanè dignitas eſt ſcientiarum Mathematicarum, propter certas euidenteſque demonſtrationes, quibus ſua confirmant: ſed quid illæ ad certitudinem verbi Dei? Deus enim, vt non poteſt falli: ſic nec fallere vult aut poteſt: quippe qui ipſiſſima veritas eſt atque ſapientia. Sacras autem literas, quibus ſolis vera nititur Theologia, ipſum eſſe, certiſſimumque Dei ſermonem: ſicut nemo noſtrum Dei beneficio dubitat: ſic etiam firmiſſimis rationibus

tionibus demonstrari facilè potest. Imò iam olim satis abundè aduersus illorum temporum Gentes demonstratum à nostris Patribus fuit. Nam præterquam quod veritatem hãc in ipsis Electorum omnium animis inscribit Spiritus S. vt dubitare de illa non possint: idem etiam constat omnium fermè Gentium ac populorum testimonio. Quid enim & Iulianus ille Apostata, sceleratissimus homo, irriserit scripta tum Veteris, tum Noui Testamẽti? Iudæi omnes à Mose, in hęc vsq; tẽpora, constanter testificati sunt, & testificãtur, quæ in Veteri habemus fędere Biblia: ea à Deo fuisse Mosi, aliisq; Prophetis, & sacris scriptoribus reuelata: quemadmodũ etiam Apostolus de iisdẽ Scripturis pronunciat in altera ad Timotheum Epist. Omnes verò, qui Christo nomen dederunt, per totũ terrarum orbem, longè lateq; diffusi: perpetua constantiq; fide, idem de omnibus quoq; libris Apostolicis, & certò nouerunt, & palàm prędicarunt atq; prædicant. Quin & permulti sanguinis vitæq; profusione obsignarũt & quotidie obsignant. Parúmne videtur hoc testimonium? Quot verò quantisq; miraculis iam inde à Mosaicis huc vsq; temporibus confirmata, illustrisq; toti orbi facta fuit hæc sempiterna veritas? Sexcenta Israëlitarum millia & amplius viderunt signa atq; portenta, quibus Deus in monte Syna sese patefecit, suamq; promulgauit Legem. Quid igitur Mosaica certius doctrina? Innumerabiles verò populi, ex omni natione earũ, quæ sub cœlo sunt, vt Lucas narrat: præsentes spectarunt, quæ Hierosolymis è cœlo contigerunt. cùm Apostolorum doctrinam, quam per totũ terrarum orbem iussi à Christo fuerãt publicar: suam esse doctrinam, comprobare voluit. Ita & Legis simul, & Euangelij cœlestis doctrina, in quam tota S. Scriptura resoluitur, & quæ summã Theologiæ cõplectitur: manifestissimis totiq; orbi notissimis è cœlo editis signis, confirmata, nullam amplius, nisi fortè apud Iulianos, habet, haberéue potest dubitationẽ, quin ex Deo sit sapiẽtia sempiterna. Quis enim sanæ mentis homo, de ea dubitare queat doctrina, quæ præter eas, quas attulimus rationes, certum quoq; habet euentum earum rerum, quæ in ea multis antè seculis, prædictæ fuerant? An non verò, quæcunq; de Christo prædixerat Moses, aliiq; Prophetę: ea omnia suũ habuisse complementũ videmus? Nisi hęc omnia essent vobis perspectissima: singula Ego, collatione eorum, quæ narrant Euangelistæ, cum vaticiniis Prophetarum, de iisdem singulis rebus, copiosissimè facta, luculentissimè explicarẽ. Verùm id Euangelistæ, ante omnes præstiterunt abundè. Quid enim de Christo narrant, cui statim non subiiciant ex dictis Prophetarum testimonium: Sic fieri oportuisse, quia sic scriptum fuerat? Quis verò vestrûm nesciat, quotnam ante exitum de Aegypto seculis prædixerit Abrahæ Deus, illius semen futurum seruum in Aegypto: & inde tamen liberatum iri post annos 400. & amplius? Euenerunt certè omnia. Quid obsecro nominatim de Cyro, deque præclaris eius actionibus prædixerat Iesaias, annis antequã ea contigissent, supra centum? An non eodem tempore, eodemque modo complementum habuerunt, quo fuerant prædicta? Si sacris historiis non creditur: legantur profanæ, quæ de rebus à Cyro gestis, accuratissimè fuerunt conscriptæ: ac rem ita se habere, manifestissimè cõperietur. Quid verò clarius his, quę Daniel partim de suo, partim de longè post venturo tẽpore prædixit? Illa priora viderũt ita euenisse, sicut prędixerat Propheta, omnes illius tẽporis Nationes: nimirũ Regẽ Nabuchadnezarũ ex hominũ consortio abiectũ, herbam instar Bouis comedisse: sub Dio, die noctuq; in syluis tanquã syluestrẽ feram oberrasse: capillos ei, vt plumas Aquilę, vngues q; sicut auium creuisse: donec tandẽ (vt prædixerat Daniel) vera donatus fuit Dei cognitione, sinceraq; pietate. Filium porrò eius Balsasarum Regem interfectum: regnumq; iuxta vaticinium sancti Prophetæ, ad Medos & Persas, mox translatum fuisse: suis itidem viderunt oculis. Posteriora verò, quæ scilicet de Monarchiis, quæ de regno Christi, quæ de certo annorum interuallo vsque ad Messiæ aduentum: quæ de eius morte, sacrificio, expiatioque peccatorum: quæ de Legis abrogatione: quæ de An-

tiocho:quæ denique de Antichriſto,regnoq́; eius prædixerat idem Propheta:ea partim Apoſtoli ipſi ſpectarunt:partim porrò & nos re ipſa contigiſſe, non ſolùm legimus,verùm etiam luce meridiana clarius perſpicimus. Quid obſecro plus fidei atq; autoritatis conciliare poteſt toti à Daniele de religione traditæ doctrinæ: quàm hæc manifeſtiſſima omnium eius vaticiniorum complemẽta? Idem planè de reliquorum Prophetarum vaticiniis,ſi aut per tempus liceret,aut apud vos neceſſarium eſſet,demonſtrare facilè poſſem: vnde & eorum doctrinam, non minùs, quàm Danielis, à Deo fuiſſe illis reuelatam,clariſſimum fieret. Theologiam autem Danielis, eandem planè cum reliquorum omnium Prophetarum & Apoſtolorum Theologia eſſe:quotuſquiſque veſtrum eſt,qui neſciat? Vt reliqua taceam capita, & de ſumma tantùm aliquid dicam: An non eadem eſt omnium Prophetarum & Apoſtolorum, de Deo Deiq́ue natura & Attributis:de Chriſto,Chriſtiq́ue officio:de ratione, qua beneficij Chriſti ſimus participes & ſeruamur,nimirum per fidem,doctrina? Quantum verò ad certitudinem noſtræ Theologiæ confirmandam, habet hæc conſenſio ponderis? Lege profanas hiſtorias,lege Medicos, lege Iuriſperitos, lege deniq; omnes, quotquot ab orbe condito fuerunt profani ſcriptores: eos ſemper, ſi non in omnibus, in pleriſq; tamen inter ſe multũ diſſidentes,comperies. At in Scripturis S. tanta eſt inter priores & poſteriores omnes ſcriptores conſenſio,tantaq́; harmonia: vt dici aliter non poſſit, quàm omnes ab vno & eodem Spiritu afflatos fuiſſe: Spiritu inquam veritatis,Spiritu ſapientiæ,Spiritu (vt vno verbo dicam) Dei,Deo: vt quod de Scripturis omnibus veteris Teſtamẽti dixit Apoſtolus:id in omnes,quos Canonicos Noui etiam fœderis vocamus libros,verè competat:nimirũ,vt diuinitus inſpirati, eoq́; ipſiſſimum Dei verbum eſſe prædicentur. O verè cæcos, ſimulq́ue & infelices, qui de certitudine huius cœleſtis ſapientiæ dubitant. Quantum verò hoc eſt, quòd neq; doctrina ipſa, vllis vnquam hæreticorum doloſis conatibus, ex Eccleſia conuelli; neque Eccleſia ab hac cœleſti ſapientia, vllis Tyrannorum machinis auelli potuit? Argumentum Gamalielis ineptum non fuit: Si ex Deo eſt (inquit, de religione Chriſtiana verba faciens) vos non poteſtis impedire. Si verò ex hominibus:ea per ſe corruet. Sapiens ſanè dictum. Quæ enim diuina ſunt & pura:ea perpetua etiam ſunt: Quæ peregrina & fucata:ea nequeunt diu conſiſtere. Proinde etiam de Eccleſia dixit Chriſtus:Et portæ inferi non præualebũt aduerſus eam. Quid ita? Quia à Chriſto Deo,Dei Patris Filio plantata eſt & exædificata. Non poteſt autẽ Eccleſia conſiſtere ſine verbo:ſicut neque verbum vllibi purum,puraq́; eius prædicatio cuſtoditur,niſi in Eccleſia. Quòd igitur S. literæ contra tot tantosq́; hoſtes, ſemper in Eccleſia fuerunt conſeruatæ, nunquam verò his penitus ſpoliari illa potuit: non paruo hæcres argumento eſt,eas verè à Deo traditas, inq́; Eccleſia collocatas ad omnem æternitatem fuiſſe. Ab his autem ſuum habet ortum: per has ſuos facit progreſſus: in his acquieſcit Theologia noſtra:in cuius vera ſolidaq́ue cognitione, veram cuiuſque hominis beatitatem conſiſtere, de principio huiuſce orationis noſtræ demonſtratum breuiter ſimul atque dilucidè à nobis fuiſſe confidimus.

Quid igitur ex his omnibus demonſtratũ volumus? Hoc ſanè,quod initio propoſitum à nobis fuit:nimirum, Qui ſeriò & conſtanter incumbunt huiuſce diuinæ ſapientiæ ſtudio: idq́ue non tam vt ſuæ, quàm vt aliorum quoque ſaluti conſulant: Regnumq́ue Chriſti pro ſua virili parte promoueant: hos non ſolùm magnis laudibus dignos eſſe: verùm etiam qui ab omnibus amentur, & in Eccleſia iuſto honore afficiantur,digniſſimos.

Quæ cùm ita ſe habeant:reſtat, vt ad id,cuius cauſſa hæc omnia fuerunt dicta:imò cuius gratia huc omnes conuenimus,accedamus.

Nunc igitur ad vos tres,quorum cauſſa hîc ſumus omnes, Ego me meamq́ue Orationem conuerto. Quæ diximus de duabus felicitatis partibus, quas Spiritus S. viro

veræ cœleſtisque doctrinæ ſtudioſo pollicetur: ea vos partim experti eſtis, partim re ipſa ſentitis, partim in poſterum magis ac magis (vt confidimus) ſentietis in vobis ipſis. Primùm enim donati eſtis à Deo, ex veſtris ſtudiis, vera Dei, rerumque diuinarum cognitione: ita vt à Facultate noſtra Theologica, iudicati fueritis digni, qui eam alios quoque publicè doceatis. Deinde, non dubitamus, quin præter cognitionem iſtam, fides quoque in Chriſtum, aucta in vobis fuerit non mediocriter ex ſtudio S. literarum: vſque adeò, vt inſtar arborum frugiferarum, ad riuos perennis aquæ continenter fluentis conſitarum: magno teneamini deſiderio ac ſtudio, ſuaues fructus proferendi: ad gloriam nominis Dei, & ad Eccleſiæ vtilitatem. Videtis porrò omnia veſtra ſtudia, conatusque veſtros, proſperè vobis ſucceſſiſſe: ad res etiam externas quod attinet. Nam præter laudem & honorem, quem apud omnes conſecuti eſtis ex veſtris ſtudiis: nemo etiam bonus eſt, qui vos veſtramque pietatem & eruditionem non amet & veneretur. Denique gradum etiam, quem optaſtis & petiiſtis, nempe liberam publicè Theologiam profitendi facultatem, adepti & conſecuti eſtis, cum omnium applauſu atque gratulatione. Ita, vt nihil iam reſtet (quod ad hæc externa attinet) niſi vt inſignia Doctoratus (vt vocant) accipiatis. Quod cùm vobis conceſſum ſit à clariſſimo noſtræ Facultatis Decurione: hoc ipſum etiam per me iam iam conſequemini. Sed ſi priùs vos rogauero, Fratres in Domino chariſſimi, vt ſeriò & attentè cogitetis: ad quámnam functionem vos, ex tam multorum ſtudioſorum numero elegerit Dominus in hoc tempore: atque hac publica ceremonia obſignare voluerit: ad munus nimirum ſicut omnium digniſſimum, vtiliſſimum, neceſſariumque in Eccleſia: ſic etiam omnium per ſe moleſtiſſimum, laborioſiſſimumq;: Mundo autem & Sathanæ odioſiſſimum: nempe ad euellẽdum ac demoliendum: & ſimul etiam ad plantandum & ædificandum: quemadmodum ad Ieremiam dixit Dominus: hoc eſt, tum ad refellendos errores atque hæreſes, quas quotidie Sathan, per ſuos adminiſtros, ab inferis reuocat: tum ad cultum Dei, à ſuperſtitionibus & ἐθελοθρησκίας repurgandum ac vindicandum: Et contrà ad propagandam cœleſtem doctrinam tum voce, tum ſcriptis: & ad retinendam puram in Eccleſia Religionem: eoq; in ſumma, ad regni Chriſti defenſionem, conſeruationem, ampliationem. Hic eſt enim finis & ſumma vocationis noſtræ, ſicut Apoſtolus diſertè docet ad Epheſ. cùm ait, ad inſtaurationem ſanctorum in ædificationem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, dari à Chriſto Paſtores & Doctores ipſi Eccleſiæ. Neque aliunde fieri video, vt Eccleſia colũna & firmamentũ veritatis vocetur & ſit: quàm quia Chriſtus dat ſubinde pios Doctores & Paſtores, qui in Eccleſia verbum prædicent, pureq; interpretentur: qui retineant veritatem, tollant autem errores: qui occurrant lupis, & ſuo inuigilent gregi. An non verò rem ita ſe habere, luculentiſſimè comprobãt tum vetera, tum noua diuerſarum Eccleſiarũ exempla? Da Eccleſiæ veros Paſtores, ſinceroſq; Doctores, qui ſtrenuè & diligenter ſuum faciant officium: tum videbis Eccleſiam illã, columnam eſſe & firmamentũ veritatis. Tolle hos. quid conſequetur, niſi imperitia, barbaries, impietas, idololatriæ, portentoſæ opiniones, execrabiles hæreſes? Contigit hoc Eccleſiæ Iſraëliticæ, quemadmodum in S. literis manifeſtũ eſt. Euenit idem Eccleſiæ Romanæ. Dum in ea floruerunt pij doctiq; Epiſcopi ac Doctores, idq; per annos multos, etiã poſt Conſtantinum illũ Magnum: fuit illa Eccleſia illuſtre exemplar aliis omnibus, adeoq; toti orbi, ſinceræ doctrinæ, puri cultus, & ſanctitatis Chriſtianæ. Illis ſublatis, paulatim ita defecit: vt nullibi plures errores, maioresque idololatriæ reperiantur, quàm in Eccleſia Romana: idque multis ab hinc annis atque ſeculis. Ita quæ fuit, non amplius eſt columna & firmamentum veritatis. Sed quid Romanam in medium profero? Inſpicite, inſpicite Eccleſias quas reformatas & Euangelicas vocamus. In memoriam reuocate præſtantiſſimos, quos ſingulæ ferè habuerunt Doctores. Animo recolite, qualis fuerit

1. Cognitio.

2. Fides efficax.

3. Succeſſus externus.

4. Gradus.

illarum Ecclesiarum status, dum à piis Pastoribus docerentur, regerentur. Comparate porrò illa tempora cum nostris. Examinate caussas deflexionis à pura doctrina, à cultu vero, à Christiana charitate, vbinam potissimùm hæreant. Quis tam cæcus est, qui non videat labefactationem hanc, quam inuiti & dolentes cernimus, inde proficisci, quòd Deus, propter nostram ἀχαριστίαν, iusto suo iudicio, non solùm pios Principes tollit, sed etiam sanctos, cordatos, sinceros{que} Doctores? Metuendum sanè est, ne quod Ecclesiæ Romanæ palàm contigisse videmus: idem eueniat Germanicis Ecclesiis: vt vnde Euangelium cœpit propagari, inde longè late{que} emanent putidæ aquæ diuersarum hæresum & superstitionum. Rogandus igitur Deus vt nostri misertus, sinceros pios{que} Doctores suæ largiatur Ecclesiæ: vobis verò cauendum in primis est, ne, quod nonnullis contingit, contenti inflati{que} solo Doctorum titulo, studia negligatis: sed danda potius opera, vt titulus iste, ornamenta{que} Doctorum, vobis sint stimuli ad diligentiùs studendum, faciendum{que} officium: id quod & precamur vobis à Deo, & speramus de vobis.

Nunc ad rem venio.

Ego pro ea autoritate, qua in præsentia fungor, & nomine totius collegij nostri Theologici, vestræ iustæ annuens petitioni: palàm hîc creo, pronuncio, saluto, vos S. Theologiæ Doctores: vos{que} non solùm titulo & nomine Doctorum orno: verùm etiam omnibus honoribus, ornamentis, priuilegiis afficio & dono, quibus ornari donari{que} solent omnes, qui ad istum dignitatis gradum, legitima ratione conscendunt. Quod vt felix faustum{que} sit, vobis, Ecclesiæ, nobis, Deum Opt. Max. ex animo precor.

Addo præterea externa huius dignitatis symbola, tum vt res certior fiat: tum etiam, vt iis, vestri semper moneamini officij.

Pileus, signum fuit libertatis apud Romanos. Libertas, qua nunc donati estis: est libera publicè docendi, literas{que} sacras interpretandi facultas. In huiusce ergo rei signum, nouos pileos capitibus vestris impono, vt vestri semper moneamini officij.

Annulus apud Romanos symbolum fuit Nobilitatis, equestris{que} Ordinis. Non parua est ista nobilitas, qua iam ornati estis: nempe quòd inter Doctores Ecclesiæ Dei recepti fuistis: & ceu ex ordine pedestrium militum Christi, in ordinem Equestrium euecti. In huius igitur rei testimonium, indo digitis vestris annulos: Et, vt moneamini, vobis strenuè pugnandum esse pro Christo eius{que} Ecclesia, aduersus hæreticos & Antichristum.

Librum præterea Sanctæ Scripturæ, apertum vobis trado: & rursus clausum reddo: vt hoc signo intelligatis, in hoc libro vobis semper esse versandum, dies{que} ac noctes meditandum: Et modò hunc apertum vobis populo explicandum: modò ex hoc clauso, sed memoria retento docendũ, ac contra hostes Euangelij disputandum.

Denique hoc publico amplexu & osculo, nomine omnium piorum Doctorum vos amplector in Domino, vt intelligatis, pacem, charitatem, atque concordiam in Christo, inter nos vbique & semper esse colendam. Quod sicut nos facturos pollicemur; sic vos vicissim præstituros speramus: ad gloriam nominis Dei, Ecclesiæ ædificationem, & nostri omnium salutem.

AMEN.

DE

DE DISSIDIO IN COENA DOMINI: HIERONYMI ZANCHI IVDICIVM.

HENRICO KNOLLO NOBILI ANGLO: HIERONYMVS ZANCHIVS

S. P. D.

NON diu est Generose Knolle: ex quo cùm per hanc vrbem nostram Argentinam, Episcopus quidam, homo Italus, patria, genere, & virtute clarissimus, transiret: rogatus fui, illius nomine, à Petro Paulo Vergerio, & à doctiss. Sturmio nostro: vt quam inter Saxonicas & Helueticas, reliquasq; Ecclesias, quas nos reformatas vocamus, in Articulo de Cœna Domini consensionem ac dissensionem esse iudicarem: eam ego breuiter quidem, sed tamen dilucidè, idq; scripto explicarem: & eam explicationem ad Episcopum aut ipse ferrem, aut per puerum mitterem: Illum enim persuasum esse: tale & tantum hoc esse inter Ecclesias dissidium: vt omninò necesse sit: alterutras ita procul à veritate & orthodoxa doctrina in hoc tanti momenti articulo abesse, & in fœdissimo errore versari: vt, quomodo possimus cum illis bona conscientia communicare: planè non videat. Qui petebant: summi erant, vt scis, amici: quibus in re tam honesta si non morem gessissem: in maximum ingrati animi crimen incurrissem. Is, cuius nomine petebant, præterquam quòd & homo meæ nationis erat, vt ante dixi, isq; nobilis & virtutibus nec vulgaribus, nec paucis ornatus: fuerat etiam meo, honorificæ memoriæ, Basilio Zancho, viro optimo, &, vt tota, vt taceam de exteris nationibus, nouit Italia, doctissimo, summus ac singularis amicus, ac proinde talis, cui non solùm non poteram non gratificari, sed cui etiam nullum officij genus non me debere planè sentiebam. Res etiam quæ petebatur: honestissima, imo & necessaria mihi esse videbatur: nempè propter has Ecclesias: quas si pro mea virili tali præiudicio Episcopi liberandas non curassem: & in vtrasq; ingratus, & in veritatem iniquus fuissem. Quod itaque in re tanta intra paucissimas, easq; succisiuas horas (eram enim supra modum alijs grauibus rebus occupatus) potui: lubenti animo præstiti: idq; eò libentius: quòd amaui hanc mihi occasionem dari, qua demonstrarem, istud de Cœna Domini inter has Ecclesias dissidium non esse tale aut tantum: vt propter illud debeant aut tot turbæ in mundo excitari, aut alterutræ Ecclesiæ damnari. Est enim meo iudicio inter vtrasque Ecclesias, sicut in alijs essentialibus, vt ita loquar, Christianæ religionis dogmatibus, sic etiam in hoc quod est de Cœna Domini, reipsa consensio maior, quàm vulgo putetur. Atque Ego quidem, si illa mirabilis phantasia περὶ φαντοπίας seu φαντιχθσίας corporis Christi, quæ ne ipsi quidem Ecclesiæ Romanæ vnquam probata fuit, tollatur: firmeturq; illud, quod omnes sani concedunt: Corpus Domini nostri Iesu Christi vnum tantùm esse, illúdque humanum, ideoq; finitum: quod corpus etiam in cœlo illo in quod ascendit, esse atque manere nemo sanus dubitat: & denique firmum illud retineatur, quod nemo inficiatur: vera fide sicut omnia beneficia Christi percipiuntur, ita etiam eiusdem corpus percipi ac manducari: reliquum postea quod in hac materia cum magno certè Ecclesiarum detrimento controuertitur, λογομαχίαν potius quàm veram ἀντίφασιν esse, censeo: & maiorem difficultatem in animis multorum inter se conciliandis, quàm in controuersia ipsa componenda, positam esse iudico. Sciebam & scio: hoc meum iudicium non omnibus placiturum, præsertim illis, qui nodum in scirpo libenter & vltrò quærunt, & in rebus planis atque perspicuis nouas semper atque sublimes, quas ne ipsi quidem intelligunt, quæstiones mouent, disputant, scribunt. Sed Ego horum iudicia nihil moratus: simpliciter quid de tota hac controuersia concepto ex vtriusque partis scriptis iudicio, mihi videretur, ei qui hoc à me hu-

humaniter petijt, simpliciter & candidè scribere malui quàm silendo tùm veritatem prodere, tùm Ecclesias infamatas relinquere. An verò res, ita, vt scribo, habeant: omnibus viris, qui nullo detinentur præiudicio in hac caussa, quiq; iudicio valent, & scripta vtriusq; partis legerunt, ac prudenter perpenderunt, iudicandum relinquo. Certè non pauci pij & docti viri, cùm hoc meum iudicium legissent: illud vsque adeò non improbarunt: vt potius hortati fuerint: vt illud in lucem darem, cui etiam vt adijcerem analyticas quasdam propositiones, quibus complexus fueram totam illam disputationem de ratione reformandarum Ecclesiarum seu de regula Concilij, quam cum illo Episcopo familiariter habueram, rogarunt, haud enim inutiles fore.

Ceterùm quia hæc consuetudo obtinuit: vt nihil in lucem mittatur, quòd non alicui patrono dicetur: iccircò neq; Ego volui hunc meum ceu filiolum sine aliquo bono protectore ex meis ædibus in vulgus emittere. Te igitur humanissime ac generose Knolle, sicut cùm hic esses apud nos initio huius anni post tuam ad conuentum Electorum nuper Francofurti pro Electione Regis Romanorum habitum, nomine vestræ Reginæ susceptam legationem, delegi mihi in filiæ meæ Læliæ Constantiæ compatrem: Tuq; ita lubenti animo eam è S. fonte in tuam prosiliam suscepisti, vt ei etiam honorificum δεπάς ἐγγύρων, Tuæ fidei testimonium donaris: ita in protectorem huius mei noui quasi filioli eligere decreui, persuasus, te illius protectionem nullo modo recusaturum. Nunc venio ad rem.

DE

DE DISSIDIO COENAE DOMINICAE: QVIBVSNAM IN REBVS ECCLESIÆ REFORMATÆ INTER SÈ CONSENTIANT ET DISSENTIANT:

HIERONYMI ZANCHI

Iudicium.

QVONIAM de iis quæ ad religionem pertinent, nihil in Ecclesia vel docendum, vel instituendum est, nisi quod ex verbo Domini certò scimus, à Domino fuisse vel per se, vel per Prophetas atque Apostolos, in sua Ecclesia priùs traditum atque institutum : Iccirco omnes reformatæ Ecclesiæ, sicut in reliquis, sic etiam in articulo de sacra Cœna profitentur: se nihil nisi iuxta verbum Domini in Scripturis traditum, docere: & protestantur: se nolle vel latum quidem vnguem à verbo Dei deflectere.

Etsi igitur, quod ad sacram cœnam attinet: aliquibus in rebus dissentiant inter se: neutra tamen pars damnari potest: quoniam vtraq; pio & sancto zelo affecta, ita verbum Dei amplectitur : vt ei nihil vel adiectum, vel detractum velit. Atque hoc est primum, de quo inter omnes conuenit. Solum Dei verbum sicut in reliquis, sic in articulo de sacra Cœna esse sequendum, ac retinendum. Ceterùm licet, sicut de auctoritate, sic etiam de veritate verborũ Domini in sacra Cœna neutra pars dubitet: tamen περὶ τῆς διανοίας, seu de genuina verborum Christi intelligentia, vtraq; nonnihil inter se digladiata est, & etiamnum digladiatur: Aliis verba Domini simplicissimè sine vllo prorsus tropo esse intelligenda, contendentibus: aliis non posse sine tropo verba Christi intelligi, demonstrantibus.

Etsi vero hac de re nondum inter omnes conueniat: in eo tamen quod ex verbo Domini apertum est, hoc est, in summa rei atq; in ipsa substantia: ita omnes inter se consentiunt, vt quod adhuc cõtrouertitur: illud non mihi tãtùm, sed aliis etiam ante me nonnullis maximæ eruditionis & probatissimi iudicij viris, inutilis esse contentio, planè visa sit. id quod si per otium liceret, ex diligenti vtriusque sententiæ collatione, planum atque perspicuum fieri, (vt confido) à nobis posset. Quare neq; propter hanc qualemcunque disceptationem (quanquam omnes pij eam vehementer dolent) hæ nostræ Ecclesiæ ita inter se dissentire iudicandæ sunt, quasi alterutra pars perniciosè erret: ideoque à veritate orthodoxæ fidei, in hoc articulo exciderit: & proinde non sit vera Christi Ecclesia.

Vt autem quæ sit summa huius doctrinæ de sacra Cœna, & in quibus consentiant atque dissentiant inter se nostræ Ecclesiæ, perspicuè videas, atque intelligas: quantùm mihi in præsentia concessum est: quàm breuissimè explicare tentabo.

Sunt de hac Cœna septẽ præcipua capita. Vnum de præparatione. Alterum de vsu. Tertium de ipsa alimonia. Quartũ de symbolis quibus ceu vasis ipsa alimonia præbetur. Quintum de modo, quo hæc alimonia in huiuscemodi vasis continetur: seu de vnione ipsius alimoniæ, quæ est Christus, cum symbolis : id quod alij vocant de præsentia corporis Christi, id est, Christi ipsius in Cœna. Sextum de modo veram eicam in Cœna propositam percipiendi atque edendi. Ac proinde septimum de con-

uiuis,

uiuis, ſeu qui nam ad Cœnam admittantur, & qui non admittantur, qui verè ſpiritualem eſcam manducent, & qui non verè manducent.

Atque vt primùm de præparatione dicam: nulla planè de illa inter nos eſt diſſenſio. Omnes enim vno conſenſu, & vno ore ita docemus, antè quàm ad Cœnam Domini accedatur: quiſq; (iuxta Apoſtoli doctrinam) ſeipſum probet, an ſit in fide, & in Chriſto, necne: ſeu an vera & viua, perque charitatem operante fide, ideoque vera reſipiſcẽtia (eſt enim hæc à fide inſeparabilis) præditus ſit. Conſtat autem vera reſipiſcentia, tùm viua & ſolida admiſſorum peccatorum cognitione, atq; in conſpectu Dei cõfeſſione, & deteſtatione: tum verò etiam, firmo deinceps per gratiam Dei, totius vitæ ad legem Dei componendæ propoſito: tùm denique certiſſima de remiſſione peccatorum per Chriſtum, fiducia.

Quod etiam ad alterum caput attinet, quod eſt de vſu Cœnæ: nulla eſt controuerſia. Omnes enim de vſu eadem iuxta verbũ Domini docent: Cœnam Domini in perpetuam paſſionis & mortis Chriſti memoriam, eſſe inſtitutam: nimirùm, vt tùm prędicatione verbi, tùm ſignificatione ſymbolorum, tùm myſterio totius Cœnæ, per Spiritum ſanctũ adiuti, viua memoria repetamus: Chriſtum, & ſuum corpus in mortem dediſſe, & ſuum ſanguinem fudiſſe, propter ſalutem noſtram: idque vt hac viua mortis Chriſti recordatione, primùm fides noſtra magis ac magis cõfirmetur: noſtra ſcilicet peccata propter Chriſtum nobis eſſe condonata: ideoque nos tùm Dei filios, tùm cœleſtis regni hęredes eſſe effectos. Ac conſequenter ſecundo loco, vt hinc magis ac magis vera in nobis reſipiſcentia ſtabiliatur: nimirùm, vt cùm ſimus mortui cum Chriſto ſemel, peccato: non amplius viuamus in illo: & cùm ſimus reſuſcitati cum Chriſto, deinceps in nouitate vitæ ambulemus: exſpectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, ac proinde poſtremò vt certi effecti, nos vnum iam eſſe factos cum Chriſto, os ex oſſibus eius, & carnem de carne eius: charitatem quoque inter nos mutuam, pacem & concordiam alamus, charitatisq; officia mutuò exerceamus. Summa: in hunc vſum eſſe inſtitutam Cœnam, vt magis ac magis viuamus in Chriſto, & Chriſtus in nobis: & hac ſpirituali alimonia: tum fides de remiſſione peccatorum: tum ſpes de æterna vita, & glorioſa reſurrectione: tum denique charitas erga Deum & erga proximũ in cordibus noſtris alatur, ſuſtentetur, augeatur: & tam corpus ad glorioſam reſurrectionem, quàm anima ad æternam vitam nutriatur. Eſt hæc de vſu Cœnæ: omnium Eccleſiarum doctrina.

Venio nunc ad tertium caput: quod eſt de alimonia, quæ in Cœna præbetur & ſumitur. Vno & eodem conſenſu omnes docent: non phantaſticum aut imaginarium: ſed verum Chriſti corpus, & ipſum verũ Chriſti ſanguinẽ, hoc eſt Chriſtum ipſum, vnà cùm toto ſalutis myſterio, quod in ipſius corpore peractũ eſt: ſeu cum nouo fœdere quod Deus cum ſuis electis in Chriſto iniit, & corpore ac ſanguine Chriſti obſignauit (eſt enim hoc fœdus inſeparabile à corpore Chriſti, ſeu à Chriſto ipſo: & finis eſt totius iſtius myſterij Cœnæ Dominicæ.) Hunc igitur Chriſtum totum cum ipſo fœdere, veram eſſe, tum animorum ad ęternam vitam, tum corporum ad glorioſam reſurrectionem, ſe ſumentibus, & verè manducantibus, alimoniam: ſicut ipſe dixit Ioan. 6. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem: & bibit meum ſanguinem: habet vitam æternam. Item: qui manducat me: ipſe viuet propter me. Item: Ego ſum panis viuus: qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane: viuet in æternum. De hoc etiam tertio capite nulla eſt inter noſtras Eccleſias diſſenſio.

Quartũ caput eſt de ſymbolis, quibus ceu vaſis ipſa vera eſca præbetur. Primùm, omnes vno conſenſu dicunt: panem eſſe panem, & vinum eſſe vinum: idq; iuxta Apoſtolorum, qui tàm poſt, quàm ante, verborum Chriſti prolationem: panem vocant panem, & poculum, poculum; id eſt, vinum, vinum. Deinde omnes etiam conſen-

tienter

tienter docēt: panem hunc & vinū, ita esse, vnum corporis, alterum sanguinis Christi, symbola: vt per illa non tantùm significetur: sed etiam verè exhibeatur corpus & sanguis Christi, hoc est, Christus ipse: idque in ipsa tantùm Cœnæ actione: iuxta Apostoli doctrinam, qui ait: Panis quem frangimus (scilicet in Cœna Domini) nónne communio corporis Domini est? & poculum cui benedicimus (scilicet in Cœna) nónne communio sanguinis Christi est? Hinc igitur duo consequi: vnum, cùm panis in Cœna visibiliter præbetur: ipsum quoque corpus Domini inuisibiliter exhiberi: & cùm poculum visibiliter offertur: ipsum quoque sanguinem Domini, inuisibiliter communicari: quia vnum, est κοινωνία τοῦ σώματος: alterum κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου. Alterum: extra actionem igitur Cœnæ neque panem, corporis, neque poculum, sanguinis esse κοινωνίαν: quia tunc tantùm, & panis κοινωνία corporis ab Apostolo appellatur: cùm in Cœna frāgitur: Et poculum κοινωνία sanguinis ab eodem vocatur: cùm ei in Cœna benedicimus. Quare extra Cœnam neque panem ab aliis communibus cibis, neque vinum ab aliis communibus vinis differre.

Ex hoc quarto oritur quintum, quod est de vnione escæ spiritualis, hoc est ipsius Christi, cum symbolis. Hoc caput potiùs ab hominibus inuentum est, quàm propositum in Scriptura, à Spiritu sancto. Neque enim in Scripturis vlla aperta mentio est de vnione corporis Christi cum symbolis: vel de præsentia corporis Christi in Cœna. Quamobrem potuisset hęc quæstio sine vllo Ecclesiæ detrimento omitti: verùm homines docti & pij cùm edocti à verbo Dei scirent, in iis symbolis, seu per hęc symbola spiritualem escam, & spiritualem potum, nobis à Deo proponi: nec solùm proponi, sed etiam vnà cum ipsis symbolis à nobis recipi & manducari: ratiocinati sunt, esse igitur aliquā ipsius escæ & potus spiritualis cum symbolis cōmunionem: seu cùm manducetur Christus in Cœna: præsentem igitur esse Christum cum sua carne & sanguine: nihil enim manducari nisi præsens sit aliquo modo, ipsi manducanti. Huc accedebant verba Christi, qui pane porrecto dixit. Accipite, comedite, Hoc est corpus meum. Concluserunt igitur: vel ipse panis est verè & propriè ipsum corpus Christi: (id quod vtraque pars meritò negauit:) vel saltem qui ostēdit vnum, dedit duo: panem scilicet, & corpus suum: ita vt illud, Hoc, ad duo referatur: ad veram escam inuisibilem, & ad panem visibilem: sed ita, vt de illa quidē nomen Corpvs propriè prędicetur: de pane verò impropriè: vt talis sit verborum Christi sensus: Hoc, quod vobis manducandum inuisibiliter do, est propriè meum verum, & ipsissimum corpus. hoc autem quod visibiliter porrigo: est κατ' ἐξηχασιῶς meum corpus: est enim symbolum corporis. Sed siue hoc, siue alio modo exponas: omnes vno consensu concluserunt: qui dat panem Christus: eundem etiam suum corpus dare. Quare Ecclesiam Christi, & fideles non solùm panem: sed etiam ipsum verum Christi corpus in Cœna recipere, ac manducare: id quod certè satis, meo iudicio, esse debuerat in Ecclesia Christi. Ceterùm (vt paulò antè cœpi dicere) quidam non cōtenti hac simplici veritate: duo alia etiam intulerūt: vnum, esse igitur aliquam corporis Christi cum pane vnionem: item præsentem igitur esse Dominum cum suo corpore. De vtraque illatione, quid Ecclesiæ senserint: dicam. Quod ad vnionem attinet: omnes consentienter dixerūt: esse vnionem inter symbola, & res ipsas: non quidem physicam, sed sacramentalem. Ceterùm hanc locutionē vtraq; pars diuersè est interpretata. Vna ait: esse sacramentalem vnionē: quia per symbola, res ipsæ in ea actione iuxta mentē institutoris Christi, significātur & exhibentur: sicut per sceptrum symbolum regni, in ipsa legitima sceptri porrectione, hoc est, cùm aliquis inauguratur Rex: ipsum quoque regnum, re ipsa datur. Sicut igitur regnum vnitum esse dicitur sceptro: quia cum hoc, illud reuera datur: sic Christi corpus, posse dici vnitum esse pani, nimirum sacramētaliter: quatenus scilicet cum pane, datur reuera ipsum verum corpus Christi: & hanc aiunt sacramentalem vnionem vocari.

Alij

Alij interpretati sunt sacramentalem vnionem esse: quòd in ipso pane, & sub ipso pane verè sit corpus Christi: ij tamen negãt in pane esse localiter, inclusiuè, vel vllo modo physico: sed interrogati, quomodo igitur? respondent, spirituali quidem, atq; hominibus imperceptibili, & inexplicabili: sed tamen reali modo. Isti dùm rotundis verbis docent corpus Christi non esse, aut in loco, vbi celebratur Cœna: aut in pane, & sub pane, vel localiter, vel inclusiuè, vel physicè, vel denique vlla ratione huius seculi: re ipsa, mihi concedere videntur, totum illud, quod altera pars contendit: nimirum, corpus Christi, sua substantia, seu, vt Scholastici loquuntur, secundùm suum esse naturale, non esse propriè in terris: & multò minùs in pane, aut sub pane: sed tantùm eo in cœlo, in quod ascendit: quandoquidem nullum corpus, sua substantia propriè in loco nisi localiter esse potest. Dùm verò postea contendunt: corpus Christi esse in pane, & sub pane, modo quodam reali, atque ita reali, vt qui tangit panem, tangere dicatur corpus Christi: mihi videntur verbis negare, concesserant quod paulò antè. hoc autem quid est, nisi λογομαχεῖν.

Quod ad alterum de præsentia: quod idem ferè est cum superiori de vnione: omnes vno consensu fatentur & docent: præsentem esse Christum, Deum & hominem: sed vna pars ait secundùm diuinitatem tãtùm: & per Spiritum suum: altera etiam secundùm humanitatem, corpus & animam: & cùm illa pars excipit: hoc fieri non posse: quia Christi corpus organicum, physicum, finitum est, & finitas habet dimensiones: non posse igitur in multis simul esse locis: Altera respondet: esse quidem corpus finitum: sed tamen quia est vnitum diuinitati ὑποστατικῶς: esse illud, vbi est ista, vbiq; scilicet. Sed hæc tamen pars ait: non esse vbique localiter: sed repletiuè, & personaliter. Qua noua distinctione quid sibi velint: nondum intelligo.

Intelligo quidem, communicatione ἰδιωμάτων: sicut rectè dicitur: Christum Deum passum, & mortuum esse: ita etiam orthodoxè dici: Christum hominem, hoc est, illam personam, quæ non solùm Deus est? sed etiam homo, vbique esse. At corpus Christi, quod vna tantùm pars est humanæ naturæ in Christo, sua substantia, hoc est, secundùm suum esse (vt loquuntur Scholastici) naturale, quod accepit in vtero virginis, vbique esse: nisi illud ex corpore finito atque humano in corpus quoddam immensum atque monstrosum cogitatione resoluam atque explicem, quod instar aëris omnia repleat loca, percipere atque intelligere minimè possum. Nam etiam Scholastici, secuti distinctionem Innocentij. III. Pontificis Romani, tradunt: Corpus Christi secundum suum esse naturale in vno tantũ esse loco, in cœlo: licet secundùm suum esse personale nullo contineatur loco: & secundùm suum esse sacramentale in multis sit locis, nempe vbicunque Cœna celebretur: idq; non ob hanc caussam, quod sit glorificatum aut vnitum Verbo? sed quia in illud in cœlo secũdùm suum esse naturale manens, mutantur (vt ipsi sentiunt & loquuntur) multorum panum in terris existentium substantiæ. Ceterùm isti nostri non mihi videntur de alio esse corporis Christi, quàm de esse naturali disputare. alioqui si alij de esse naturali loquantur? alij verò de esse personali cum Scholasticis intelligant: aperta est λογομαχία. Vna igitur pars, illa nempè, quæ apertè non de alio esse corporis Christi, quàm de esse illius naturali disputat (hoc enim solum est verum sicut reliquorum corporum omnium, sic etiam corporis Christi esse) dicit: corpus Christi esse in cœlo, inde iterum tantum reliturum in mundum & secundum Petri dictũ in Actis 3. necessariò detineri in cœlo, vsque ad tempus restitutionis omnium: non igitur esse præsens in Cœna. Altera respõdet: esse in cœlo: & inde non redire huc vllo corporali & physico descensu: sed tamen, quæ est ipsius Christi omnipotentia: mirabili & nobis omnino imperceptibili, & inexplicabili, & spirituali, ac diuino modo, etiam esse in Cœna præsens. Quidã etiam ex illis, qui à Lutheri sententia recedere videntur: concedunt aduersæ parti, præsentiam non tantùm personæ Christi: sed speciatim ipsius corporis Christi in

Cœna;

Cœna: sed de modo præsentiæ inter hos & illos non conuenit: aliis corpus Christi præsens esse dicentibus: primùm, quatenus Christus suo Spiritu ad nos vsq; descendit, illabitur in nostra corda, eaque sursum supra omnes istos cœlos, vbi est corpus suum, subleuat, suamque viuificam carnem ibi manentem, nobis communicat: & deinde consequenter, quatenus nos Spiritu, eò vsque euecti, viuificam Christi carnem per fidem recipimus, ea fouemur, alimur, sustẽtamur: aliis non hoc tantùm modo esse præsentem Christi carnem, nempe spiritualiter per fidem: sed etiam corporaliter affirmantibus: iisdem tamen præsentiam localem negantibus. Omnes igitur fatentur: Christum esse præsentem secundùm diuinitatem: at quidam contendunt, etiam secundùm corpus & sanguinem: quidam ex altera parte negant: quidam concedunt: sed de modo huius præsentię disputant: & quid sit propriè aliquid esse alicui pręsens, vel absens: nondum inter omnes conuenit. Duę verò præcipuè sunt caussæ, cur vna pars neget illam, non dico Christi simpliciter, sed corporis Christi præsentiam: quam altera pars statuit: nempe qua dicunt corpus Christi esse hîc apud nos in ipso pane, ac proinde in multis simul locis. Vna caussa est: vt retineatur integer articulus de ascensione Christi in cœlum, vnde iterùm duntaxat venturus est cum suo corpore. Altera: ne natura & veritas corporis humani, quod finitum est & circumscriptum: destruatur.

His duabus præcipuè de caussis hæc pars non potest ferre has locutiones: corpus Christi esse in pane, esse multis in locis, vel esse vbique. Ceterùm etiam altera pars admittit: tùm Christum verè ascendisse in cœlum, illiusq; corpus esse supra omnes cœlos: tùm naturam ipsius corporis veram & integram esse: nimirùm illud finitum, & certis constare dimensionibus, confitendo: sed tamen cum iis duobus non vult pugnare, illud corpus, scilicet Christi etiam esse in pane, & multis in locis simul: ita vt quid sibi velint, prorsus non intelligam. Ergo vt initio huius quinti capitis dixi: potuisset hæc quæstio de vnione, & de præsentia corporis Christi: quæ secum traxit illam aliam de vbiquitate quæstionem: sine vllo Ecclesiæ damno omitti: & vtraque pars posset (meo iudicio) ac deberet, hac simplici ac vera, certaque ex verbis Christi, necessariò illata conclusione esse contenta: nimirùm cùm dicat Christus, Accipite, manducate, hoc est corpus meum: & cùm Paulus verba Christi interpretans, dicat, panis quem frangimus, nónne κοινωνία ἐστὶ τοῦ σώματος τοῦ κυρίου? In Cœna igitur non præberi nobis, neque sumi ac manducari à nobis tantùm panem: sed etiam verum Christi corpus, hoc est Christum ipsum: ipsum inquam Christum, verum Deum & hominem: qui mortuus est pro peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrã: resurrexit inquam cum suo illo eodem, vero, humano ac finito corpore, quod fuerat crucifixum: & cum eodem corpore spectantibus Apostolis, ascendit verè in cœlum sursum, vt appareat vultui Dei pro nobis: & sedet ad dexteram Dei Patris: & interpellat pro nobis: & iterùm venturus est iudicatum viuos & mortuos: cuius nos sumus os ex ossibus eius, & caro de carne eius: & qui denique tametsi corpore sit in cœlo, hoc est supra omnes istos cœlos: in nobis tamen verè per fidem apprehensus inhabitat: & dum illius carne in Cœna vescimur: ipse magis ac magis in nobis viuit, & nos in illo. Hoc vtraque pars confitetur. Et hæc est vera præsentia corporis Christi: ipsaq; vera corporis Christi communicatio atque perceptio. Reliquæ igitur superuacaneæ contentiones potuissent sine vlla fidei Christianæ iactura, omitti.

Sextum quod ad modum edendi hanc spiritualem escam attinet: consentienter omnes docent: veram & salutarem edendi rationem esse illam, de qua Ioan. 6. nempe per veram & viuam fidem. Ceterùm ex illa contentione de vnione escæ spiritualis cum suo symbolo, seu de præsentia corporis Christi in pane: quidam præter illam superiorem spiritualem, aliam etiam manducandi rationem, nempe quæ fit ore corporis (qua de caussa corporalem & oralem manducationem vocant) excogitarunt:

corpus enim Christi in Cœna non tantùm fide, sed etiam ore corporis manducari contendunt. Contrà cùm alij excipiunt hoc fieri non posse: quòd alioqui (præter alia absurda) corpus Christi dentibus comminueretur, in stomachum traiiceretur, & per secessum iret: quæ de ipso Christi corpore, præsertim immortali, incorruptibili, glorioso, nullo modo dici possunt: respondent isti: Etsi ore corporis sumitur: tamen, neque dentibus teri, neque in stomachum traiici. Ceterùm cùm hoc non sit manducare, vel spiritualiter: (hoc enim fit ab interiore homine per solam fidem) vel corporaliter: (hoc enim fit, cùm cibus non tantùm ore capitur, sed etiam dentibus attritus, in stomachum traiicitur:) & ista pars alteri concedat: corpus Domini non teri dentibus, nec traiici in ventriculum: ac proinde re ipsa concedat: corpus Christi non manducari verè corporaliter: id quod tamen verbis contendit: quis non videat hanc etiam esse inanem λογομαχίαν, ex illa priori de reali & corporali escæ spiritualis cum symbolis vnione, profectam? præsertim verò quia ipsimet negant corpus Christi esse in pane localiter: negant igitur illud idem in ore nostri corporis, cùm manducatur esse localiter: sed aiunt, Ibi, hoc est, in ore nostro esse, sicut est in pane: modo scilicet imperceptibili, & tamen reali: & consequenter solidum & animatum corpus à solido, & animato, sensibusq; prędito corpore, tangi quidem ac manducari, nec tamen sentiri: atq; hæc miracula esse, sed inuisibilia & imperceptibilia: tantùm verò credenda. cùm quis igitur mensam Domini accedit: huic esse credēdum: se non tantùm fide, sed etiam ore corporis, corpus Christi manducare. Quod quæso quid aliud est, quàm sola quadam credulitate manducare? Nam credere, te corporaliter manducare id, quod nullo modo sentis à te corporaliter mãduçari: nil aliud est, quàm credulitate, hoc est falsa imaginatione manducare. Vtraque pars in eo consentit: corpus Christi in Cœna, fide manducari. Quod igitur altera pars adiecit de corporali manducatione, quæ non sentitur, sed tantùm credenda est: quis non videat, inutilem, superuacaneam, atque inanem esse contentionem? prætertim cùm Ego ipse audierim ex non vulgari huius alterius partis, quæ Lutherum sequitur, homine: se & alios suos non ita dicere, corpus Christi à nobis corporaliter manducari, quasi illud Christi corpus, os & corpus nostrum attingat (hoc enim esse falsum:) sed tantùm propter sacramẽtalem vnionem, qua id quod propriè competit pani, attribuitur etiam quodammodo ipsi corpori Christi: se hac locutione vti.

Septimum caput. Quod ad conuiuas huius Cœnæ attinet: primùm vtraque pars consentienter docet: ad hanc Cœnam non esse admittendos homines, vel infideles, vel hæreticos, vel prophanos, ac sceleratos. Proinde cùm paragenda est Cœna: omnes tales excommunicantur: & si quis audeat accedere: agnitus arcetur. Deinde quia inter eos qui accedunt, & mensa Domini communicantur ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖον, sunt alij verè pij, hoc est vera fide prædi ti: alij hypocritæ, hoc est, non vera fide prædi ti: Idcirco quod ad verè pios attinet: vtraque pars docet: ab iis verum Christi corpus, seu spiritualem escam, verè percipi & manducari, idque ad æternam salutem. Quanquàm inter hos etiam pios sunt, qui magis, & sunt qui minùs dignè ad mensam Domini accedant: & escam spiritualem manducent. Quod ad impios hypocritas attinet, pars illa, quæ sentit, sola, eaque viua & actuali fide: spiritualem escam manducari: cùm in confesso sit, hypocritas hac fide non esse prędi tos: inde concludit, ab hypocritis carnem Domini veram, minimè manducari: præsertim cùm mãducare carnem Domini sit, carne Dominicali nutriri, sustentari in spirituali vita: qua vita omninò destituti sunt hypocritæ. ij enim non viuunt ex fide, neq; in Christo, nec Christus in eis. Illis autem duntaxat Christus est esca: quibus etiam est vita: proinde Christum tantùm ab illis mãducari, in quibus etiam viuit. Id quod præter alia argumẽta dicto etiam Augustini confirmãt: quod in libro D. Prosperi, cui titulus est, liber sen-
» tentiarum ex D. Augustini operibus, sententia 339. habetur. Escam vitæ accipit: & æternitatis

æternitatis poculum bibit:qui in Christo manet:& cuius Christus habitator est:nam qui discordat à Christo:nec carnem eius mãducat, nec sanguinem bibit:etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ prę sumptionis quotidie indifferenter accipiat. Altera verò pars quæ sentit corpus Christi cum symbolo panis, realiter & corporaliter esse coniunctum, & proinde non tantùm fide, sed etiam ore corporis vnà cum pane manducari:concludit:non solùm igitur à verè piis: sed etiam ab ipsis hypocritis, cùm manducant panem, ipsum quoque corpus Domini verum manducari: sed ita tamen:vt sicut à piis ad salutem,sic ab hypocritis impiis ad condemnationẽ manducetur:præsertim verò,quia (inquit) ipsi etiam hypocritæ fide,licet mortua,præditi sunt:& cum hac fide ad mensam Domini accedunt. Quare si fide corpus Christi manducatur: ergo sicut à piis ad vitam manducatur:quia fide viua manducant:ita ab ipsis etiam hypocritis manducari, sed ad mortem:quia fide manducant, sed mortua. Hæc eadem tamen pars fatetur : etsi corpus Domini coniunctum sit cum pane, eo quo suprà dictũ est modo : si tamen vel mus,vel etiam homo prorsus infidelis panem comedat:nullo modo corpus Domini,ab illis manducari. Quare? quia,inquit,sunt prorsus sine vlla fide:sine vlla autẽ penitùs fide non potest hæc spiritualis esca manducari. Deinde eadem non inficiatur,nec inficiari potest: quin fidem esse mortuam, & fidem esse non veram,respectu credẽtis, idem planè sint. Hinc verò consequitur: sicut igitur manducare fide viua,est manducare (vt ita loquar) viuificè, id est, ad vitam:& manducare fide mortua,est manducare mortaliter,id est,ad mortem:sic manducare fide non vera,nihil aliud esse,quàm manducare non verè. Hoc autem quid aliud est:nisi, non igitur verum esse:corpus Domini verum, ab hypocritis verè manducari: si fide vera non manducent? Quare cùm idem re ipsa etsi verbis diuersum, hæc etiam altera pars cũ superiore de conuiuis, quínam verè, & non verè manducẽt corpus Domini,hoc est,Dominum ipsum,concludat:nempe à piis vera fide præditis illud verè manducari:ab hypocritis autẽ non vera fide præditis,etiam non verè manducari:quis non videat hanc quoq; de impiorum manducatione contentionem, sicut de aliis etiam reliquis duabus demonstrauimus,meram esse λογομαχίαν? Et dici vtrumque posse : corpus Domini, hoc est, Dominum ipsum ab impiis hypocritis non manducari, nempe verè:& tamen manducari, nempe non verè: quia: (vt inquit Augustinus) sacramentotenus tantùm: sicut & Apostolus de Patribus omnibus in deserto,tam piis,quàm impiis,qui manna manducarunt,ait:Omnes eandem escam spiritualem (Christum) manducasse:sed quomodo? subintelligendum est:suo quemque modo. Quia scilicet pij non tantùm sacramentum, sed etiam rem sacramenti perceperunt fide vera,ideoque verè Christum manducarunt:Impij verò quia sine fide vera, sacramentum tantùm, sine re sacramenti perceperunt: (hoc autem est Christum sacramentotenus manducare:) ideoque Christum non verè manducarũt. Postquàm enim sic locutus est Apostolus de omnibus,tam piis quàm impiis:mox subdit:sed non in omnibus illorum (qui scilicet escam spiritualem Christum manducarunt, nempe in impiis) sibi benè complacuit Deus:seu non omnes probauit:sed tantùm pios. Tres igitur illas quæstiones,quę de Cœna Domini inter nos adhuc controuertuntur:Primam de corporali præsentia corporis Christi in Cœna. Alteram de carnali manducandi modo,nempe per os corporis:& hanc postremam de manducatione hypocritarum & impiorũ:etsi inutiles,meo iudicio,sunt contentiones,cùm possint facilè conciliari, tàm impias tamen quæstiones esse non iudico : vt propterea Ecclesiæ nostræ sint damnandæ:quasi alterutræ non sint veræ Ecclesiæ : quòd de hoc sacramento inter se nondum consentiant. Quot enim & quantæ fuerunt controuersiæ inter Græcas & Latinas Ecclesias? neque tamen propterea aut illæ ab istis aut istæ ab illis,quasi non veræ essent Ecclesiæ : damnatæ vnquam fuerunt. Illud tamen fateor : mihi cum omnibus piis vehementer displicere : hæc adhuc inter nos vigere dissidia:

quòd, quantam remoram adferant cursui Euangelij: non ignoremus.

Precor itaque Dominum Iesum Christum: tandem aliquando omnium Ecclesiarum misereatur: efficiatq́; sua gratia: vt omnes tam quæ à Romana defecerunt, quàm quæ adhuc sub illa degunt, veram ac perpetuam (id quod non ego tantùm: sed omnes pij ardentissimis votis exoptant) in vera ac pura doctrina: puro ac sincero cultu, denique in ipsis etiam ceremoniis, & in disciplina Ecclesiastica consensionem, ideoque & pacem & charitatem à patre misericordiarum consequantur.

Non dubito: quin permulti sint in Ecclesia Romana viri pij atque docti: qui hanc pacem & concordiam percupiant, ac pro sua virili curent. Dominus igitur horum omnium studia feliciter promoueat.

Habes hîc, charis. Compater, quæ de hoc dissidio cœnæ Dominicæ ad illum Episcopum scripserim. Adhæc adiicio illa, quæ de ratione reformandarum Ecclesiarum cum illo eodem Episcopo contuleram, certis & breuibus thesibus comprehensa.

EIVSDEM ZANCHI DE VERA REFORMANDARVM ECCLESIARVM RATIONE, VEL, SI MAVIS, DE REGVLA CONCILII,

Theses Analyticæ.

I.

Omnes homines cupiunt viuere, idque feliciter, atque æternùm. Omnes igitur (nisi prorsus Epicuræi, & perditi sint) desiderio tenentur viæ, qua ad æternam, beatamq; vitam perueniri possit, cognoscendæ.

II.

Omnes homines post Adæ peccatum, vt ut ingenio, prudentia & rerum humanarum cognitione præditi sint: in iis tamen, quæ ad Deum, ideoque tùm ad æternam vitam, tùm ad viam, qua ad æternam vitam peruenitur, cognoscendam pertinent: cæci sunt: iuxta illud Apostoli. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: & mendaces: iuxta illud Dauidis, Omnis homo mendax. Nihil igitur vel veri vel certi de via æternæ vitæ, seu de religione homines à sua tantùm sapientia, & prudentia ducti definire possunt.

III.

Solus Deus quæ sit hæc certa ad vitam æternam via, non solùm nouit: sed etiam verbo suo partim per Prophetas, partim per suum Filium hominem factum, partim denique per Apostolos mundo reuelauit, ac patefecit. Ex solo igitur Dei verbo per Prophetas, Christum, & Apostolos hominibus prædicato, hæc via, id est, vera religio disci potest, ac debet.

IV.

Certum Dei verbum esse illud, quod in Scripturis Canonicis continetur, hoc est, quidquid ibi nomine Dei vel narratur, vel mandatur, vel promittitur, aut ad mandata, promissiones & Euangelium pertinet: apud Christianos omnes extra controuersiam est. Sentire igitur atque definire de religione iuxta verbum Dei Scripturis Canonicis contentum: res est tutissima, & securissima.

V.

Quidquid porrò est in Ecclesiis, tàm Romana, quàm aliis: illud vel est secundùm verbum Dei in iis Scripturis Canonicis contentum, ac declaratum; vel est contra verbum

verbum Dei: vel neque contra, neque secundùm verbum Dei, sed ἀδιάφορον. Hinc tria consequuntur. Primùm quidem: Quidquid igitur agnoscitur esse secundùm verbum Dei, in Scripturis Canonicis contentum, si in Ecclesiis, tàm Romana, quàm aliis locum habet, retinendum est: si verò exulat postliminio reuocandum est. Alterum: contrà quidquid agnoscitur esse contra verbum Dei: si non obtinet in Ecclesia: non est introducendum: Si verò obtinet: illud prorsus est tollendū. Tertium: Quidquid verò agnoscitur esse neque secundùm, neque contra verbum Dei, nimirum ἀδιάφορον: primo loco declarandum est illud esse ἀδιάφορον, hoc est tale, quod ad salutem necessarium per se non est, ac proinde quo nullius conscientia per se obstringi potest aut debet. Deinde seruanda est regula Apostoli: vt scilicet nihil in Ecclesia vel retineatur, vel introducatur, quod non faciat ad ædificationē, ad ordinem, aut ad decorum. Ceremoniæ igitur & omnia ἀδιάφορα libera sunt Ecclesiis singulis permittenda: vt quæque Ecclesia ea vel retineat, quæ magis iudicauerit fore suo populo ad ædificationem, ad ordinem, ad decorum. Sed ita tamen permittenda sunt libera: vt quoad eius fieri potest, antiquiora semper potiùs retineātur, quàm noua introducantur: idque tùm propter honorem antiquitatis, tùm quia in Ecclesia Dei, quò quid est antiquius, eò etiam est verius, ideoque & melius: iuxta regulam Tertulliani.

VI.

Extra Scripturas Canonicas aliquam aliam doctrinam esse verbum Dei, ac proinde, quæ in ea doctrina mandantur, esse ad salutem necessaria: demonstrari nullo modo potest. Aliquid autem tanquàm ad salutem necessarium in Ecclesiam introducere, vel introductū retinere: de quo certus non sis, an sit secundum verbum Dei, nécne, peccatum est: iuxta illud Apostoli: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Nihil igitur quod è sacris literis testimonium non habeat: tanquam ad salutem necessarium, in Ecclesiam est introducendum, vel introductum est retinendum: quemadmodum non solùm sacræ literæ, sed etiam Patres ipsi docent. Etsi enim multa alia tàm Prophetæ, quàm Christus, & Apostoli prædicarunt præter ea, quæ in sacris literis continentur: omnia tamen quæ ad salutem prorsus necessaria sunt: ea in sacris literis abundè traduntur. quemadmodum tùm ipsæ sacræ literæ docent; tùm ipsi Patres testificantur.

VII.

Scripturæ Canonicę sunt quidem multis in locis obscuræ: illarumque obscuritas aliquando in verbis ipsis est, aliquando in rebus, aliquando in vtrisque simul: qua de caussa tùm linguarum, tùm historiarum cognitio ad intelligentiam Scripturarum necessaria est: nihil tamen eorum præsertim quæ ad salutem, vel creditu, vel factu necessaria sunt, ita alicubi Scripturarum obscurum est: quin idem alibi in iisdem Scripturis planissimè & perspicuè scriptum inueniatur: sicut etiam Augustinus diligenter obseruauit: & in libris de doctrina Christiana sapienter docuit. Nihil igitur tanquam ad salutem necessarium de religione est definiendum, & populis proponendum, quod non habeat certum aliquod, & perspicuum in Scripturis Canonicis testimonium: id quod omnes quoque Patres docuerunt. Est enim ea verè vox orthodoxi hominis, apud Theodoretum in Ἀπρέπῳ aduersus hæreticum, ἐγὼ γὰρ μόνῃ πείθομαι τῇ θείᾳ γραφῇ. Quare ex locis Scripturarum obscuris erui dogma nullum potest, aut debet: nisi aliis clarioribus Scripturarum locis illa priùs illustrentur, ac confirmentur.

VIII.

Quæcunque extra Scripturas vel in Patribus, vel in Conciliis, vel in Pontificum decretis leguntur: illa sunt verbo Dei vel consona, vel dissona, vel neque consona, neque dissona. Quæ igitur sunt consona: ea retinenda sunt: quæ autem dissona: ea

reiicienda sunt: Quæ verò neque consona, neque dissona: in illis retinenda & seruanda est regula de Adiaphoris: nimirùm vt primùm liberum sit Ecclesiis ea vel admittere, vel non admittere: deinde si admittant: ea tantùm admittant, quæ ad ædificationem, aut ad ordinem, aut ad decorum in Ecclesia faciunt. postremò declarent illorum obseruatione non ita obligari Christianorum conscientias: atque obseruatione mandatorum Dei: Solo enim Dei verbo Christianorum conscientias per se, & semper obstringi.

I X.

Liberæ quidem debent esse Ecclesiæ in rebus adiaphoris, hoc est, in iis, quæ nullum habent testimonium in verbo Dei: illa tamen quæ iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ omnium Ecclesiarum consensu in Catholica Ecclesia, vel semper, vel ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ obtinuisse ex probatis & antiquis scriptoribus certò cognoscuntur: ista inquam sine iustis & necessariis caussis ex verbo Dei desumptis, atque si facultas detur, in generali, & Christiano Cõcilio explicatis, & ab eo approbatis, reiicere, atque ex Ecclesia profligare: Christiani, & Dei timentis hominis non est.

X.

Contrà: Illa etiam quæ licet neque suapte natura mala sint, neque inutiliter in Ecclesia diu obtinuerint: tamen postea lõgo abusu in superstitiones, & idololatrias versa sunt: ista inquam, nolle vel penitùs exemplo Ezechiæ & Iosiæ tollere, vel saltem exemplo aliorum piorum regum ita emendare, & repurgare: vt omnis idololatria, & superstitio, & omnis superstitionis, atque idololatriæ occasio tollatur: pertinacia est nullo modo probanda.

Svmma. Concilia coguntur: vt reformentur Ecclesiæ. Ecclesiæ sunt reformandæ ad formam omnium optimam.

Melior Ecclesię forma inueniri, aut excogitari non potest, illa, iuxta quam Christus per se, & per suos Apostolos Ecclesiam initiò constituit, ac conformauit. Qualis fuerit illa veteris & Apostolicæ Ecclesiæ forma tempore Christi, & Apostolorum: liquidò & certò apparet ex libris Euangelistarum, & Apostolorum: probabiliter autem ex reliquis post Apostolos antiquissimis Ecclesiasticis scriptoribus. Ad illam igitur in primis Ecclesiæ formam, quæ in sacris literis, pręsertim in Noui Testamenti libris traditur: deinde ad illam etiam, quæ in antiquissimis Scriptoribus conspicitur: quoad eius fieri potest, hoc est, quatenus ista non pugnat cum illa: Ecclesiæ vniuersæ in doctrina, in cultu, ac cæremoniis, & disciplina reformandæ sunt: ita vt omnia ad prima principia, & ad primos fontes reducãtur: seu ita vt profligatis omnibus nouis, Apostolisque, & Apostolicis Patribus inauditis, ac incognitis doctrinis, ac cultibus, vetera omnia, vetus scilicet doctrina, vetus cultus, veteres cæremoniæ, vetusque disciplina in Ecclesiam postliminio reuocentur: Sic Dominus per Iesaiam cap. 1. promittẽs reformationem totius Ecclesię, & totius ciuitatis Hierosolymæ docuit,
» dicens: Excoquam ad purum putum scoriam tuam: & auferam omne stannum tuum:
» & restituam Iudices tuos: sicut fuerunt priùs, & senatores tuos, sicut antiquitùs. Post
» hæc vocaberis ciuitas Iustitiæ, vrbs fidelis. Sunt igitur omnia stanna nouarum doctrinarum, & nouorum cultuum tollenda: & restituenda est doctrina illa, & cultus ille, & disciplina illa, quæ fuit priùs, & ab initio, tempore scilicet Apostolorum, & Apostolicorum virorum. Idem Dominus per Hieremiam sic mandat, dicens: Hæc di-
» cit Dominus: State in viis, & circumspicite, atque interrogate semitas antiquas. vbi-
» nam illa via bona sit: in ea ambulate: & inuenietis refrigerium animabus vestris. Dominus etiam Iesus Matth. decimonono reformaturus matrimonium, Iehudæos
» ad primam matrimonij institutionem reuocauit dicens: A principio autem non fuit sic. Innumera certè sunt in Ecclesia, quæ à principio non fuerunt sic: tempore scilicet

cet Apostolorum. Sunt igitur ad formam veteris & Apostolicæ Ecclesiæ omnes Ecclesiæ reformandæ, & omnia tàm cultus & disciplina, quàm dogmata, non ad Lesbiam regulam humani iudicij, sed ad lapidem Lydium diuini verbi examinanda.

Habes hic etiam opt. Knolle, paucis comprehensam sententiam meam, de prima vera Ecclesiarum reformandarum ratione: nempe de regula: ad quam omnia, quæ in Concilio tractãda sunt, examinari debeant. de altera verò, hoc est, de legitima Concilij celebrandi forma, de cognitorum genere, deque cognoscendi via ac ratione: iudicij mei explicationem in aliud tempus differo. multa quidem sicut de priore: ita etiam de hac posteriore amicè inter illum Episcopum & me, vltrò citroque disputata fuerunt: ex quibus facilè sicut ego illius: ita ille meam intelligere potuit sententiam. Ceterùm meam de forma Concilij, tàm breui scripto complecti atque explicare: quò etiam meum, de regula, ad quam omnia examinanda sint, iudicium complexus sum: propter temporis breuitatem non potui. In aliud igitur tempus, vt differam: æquitas, vt vides, postulat. Vale: & munusculum hoc meum animo te hoc est nobili & pio viro digno, accipe.

Argentina Calend. Febr. 1563.

110 B:8